




Basket # 70

20

41

BIN

192




Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute


TOMVS SECVNDVS
 DE
 SVPERNATVRALI, NATVRALI, PRÆTERNATVRALI
 ET CONTRANATVRALI
 Microcosmi historia, in
 Tractatus tres distributa.

AUTHORE
 ROBERTO FLUD alias de Fluctibus
 Armigero & Medicinæ Doctore
 Oxoniensi.

*Oppenheimij Impensis Iohannis Theodori
 de Bry, typis Hieronymij Galleri 1619.*



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





DEO OPTIMO
MAXIMO CREATORI
HOMINIS INCOMPREHENSIBILI,
PRO INGENTI EJUS ERGA IPSUM
BENEVOLENTIA ATQUE
MISERICORDIA.

ORATIO GRATVLAVNDA.



OMNIPOTENS rerum conditor, creator mi incomparabilis, qui ex insigni tua erga hominem benig-
tate eum tanta excellentia & sublimitate creasti, ^a ut
illum quodammodo finem omnium statueris: ^b quippe cui ratio-
nem concedendo, eum cum Angelis convenire, potentias sensi-
tivas attribuendo bruta exaequare, vires naturales præbendo plantis assimi-
lari, corpus largiendo, cum rebus inanimatis consentire fecisti: ^c imò verò ipsum
animal providum, sagax, acutum, memor, rationis atque consilii plenum, ad-
mirabili conditione creare voluisti, ^d ejusque naturam excelsam ita temperasti,
ut ipsis coelicolis eam cognitam, Angelisque quam proximam reddideris: ^e cujus
integrum ex animi & corporis, hoc est, ex aeterna & mortali dispositione con-
formasti, ut animal ita creatione tua affectum utriusque origini suae satisfacere
possit, & mirari caelestia & adorare te (sempiternæ Elohim) atque incolere
& gubernare terrena, ita ut, quæ infra sunt, diligat & curet, & ipse à te tuisque
ministris superioribus, Angelis nempe, diligatur & curetur: ^f similiter ut ipse
terram colat, elementis velocitate misceatur, acumine mentis in maris profun-
da descendat, omniaque illi apertè & perspicuè luceant, quatenus animi ejus
intentionem nulla aëris caligo cõfundere, aut terræ densitas ejus opera impedire
aut aquæ altitudo profunda ejus despectum auferre queat: Ego tuus homo,
tua creatura, immensa sui creatoris dignitate & nobilitate glorifica-
ta atque exaltata, clamo per ignem, per aërem, perq; terram, per cœ-
lum, per spiritum universalem, per abyssum, perque mundi creata:

^a Arist. 2: Ethic.
^b Resol. Theol T. 2: p. 2. p. 3. q. 1.
^c Arist. po- lit lib. 3.
^d Merc. Trismeg. A/cleop. 4.
^e Merc. Trismeg. A/cleop. 4.
^f Merc. Trismegist. Pim. 4. & A/cleop. 3.

TU SOLUS, TU TER MAXIMUS Ô JEHOVA, ES DEUS
cujus nomen ineffabile sit benedictum in æternum.

Immortales ergo & justissimas (animi & cordis sacrificiis cum
adoratione humillima præeuntibus) tibi gratias (ô summæ æternæ
atque infinitæ benignitatis Domine) agit tuus homo, tua creatura,
radio inenarrabilis tui splendoris decorata pro immensa tua erga
eum misericordia & bonitate: quod tu Dædalius rerum conditor
ad sacrosanctam tui ipsius imaginem mundique tuæ machinæ urvacissimæ
& nobilissimæ, tam visibilis, quàm intelligibilis exemplar & similitu-
dinem eum præparasti, disposuisti, formasti, & ad culmen seu ex-
itum felicem perduxisti imò verò tuis propriis manibus ipsum sicut
ex argilla in creatione ejus aptasti & super substantiali tua sapientia ita perfe-
cisti, ut creaturis cæteris, quas in mundum produxisti, piscibus nêpe maris,
volatilibus cæli, jumentis universæ terræ, atque omnibus ejusdem reptilibus
dominaretur, Ita ut ordinatione tua irrevocabili omnes orbis terrarum
bestiæ & omnia aëris pennigera, cunctaque maris aquatilia timore
ejus perculsa in manus ejus tradita sint, quippe quem animal perfe-
ctione plenum statuisti, cunctisque imperans, & etiam cæteris ani-
malibus virtute longè præcellens, Nam spiritus tuus, O DEUS for-
tis, fecit illum & spiraculum seu afflatus tuus omnipotens vivificavit eum,
mentéque divina super omnia alia animalia in ejus creatione eum
exornavit: Imò verò de eo ita memor & sollicitus fuisti, ut illum ipsis An-
gelis paulò minorem feceris, eumque gloria ac decore coronaveris, & ejus domi-
nio manuum tuarum opera subjeceris, omniaque sub pedibus ejus posueris, &
ab origine custos ejus esse, non sis dedignatus, gressus illius (ejus via dele-
ctatus) firmè statuens atque efficiens, ut cum cadit non dejiciatur, quia tu Je-
hova, sustentas manum ejus, similiter gradus ejus numeras, peccatis verò e-
jus elementer parcis, cum vita benignitatem exerces erga eum, & visitatio
tua conservat spiritum ejus:

Cùm ergò tu, qui es summus & primus æternitatis Dominus,
ex infinito tuo erga creaturas favore mundum seu Macrocosmum
Dominum secundum, & hominem seu Microcosmum tertium cō-
stitueris, quatenus tu, ô Archetype admirabilis super altissima orbis
universi cacumina dignitate & fulgore inexplicabili sedens, ad tuū
propriū specimen & exemplar eos affinxisti, ingentes & debitos
in tuas laudes sonos, famigerabilia præconia, vocésq; symphonia-
cas imprimis ebuccinet Macrocosmus, actionibusque vivis insi-
gnem tuam creatoris sui gloriam ac dignitatem enarret; ore stupen-
do & tremendo (divina Majestate pleno) sacrosanctam tuam volun-
tatem tonitrua ejus reboent, encomionq; & laudem tuam instar
buccinarum tuæ omnipotentia exertarum per orbem universum

promul-

promulgent ac resonent gloriámque tuam splendidam fulgida & fulminanti spiraculi tui virtute viventibus annuncient, spiritu suo non sine strepitu & rumore inginti atque horrendo proclament veluti universo orbi admirabilia tua regis & authoris sui opera, & ineffabilem tui brachii potestatem mundi creaturis explicent, murmura & rugitus magnos edant maria spiritu secreta commota, quo tuam conditoris & creatoris sui omnipotentiam, & imperium tono gravi atque stupendo exaltare percipiantur, & præsentia tui, regis sui, gaudio haud communi perfusa, motu proportionem commensurato, fluxu & refluxu ordinato fluctibus undosis harmonia metrica salientibus reflexo terram ambire observentur; Terræ fundamenta viva actuum tuorum nobilium commemoratione contremiscant, & exultatione quadam divinitus inspirata in honorem tuum saltare videantur, decore metrico proportionibusque idoneis in campis Elysiis pratisve æthereis coram te, igneo suo imperatore, more triumphali tripudiare, & lætitia quasi insigni exultare perseverent rutili tui cœlorum ignes, huc atque illuc ad nutum tuum feratur atque decoretur universus mundi spiritus (vera hylæ soboles) igneisque tuis impressionibus se subjectum reddat & mysticos tuorum creatoris sui operum nobilium recipiat characteres; Tenebræ deformes, hylaque inanis tuo verbo & solo intuitu, vita quasi nova & insolita exagitentur, & ex nihilo aliquid efficiantur: Denique cœlum, terra, hyla, abyssus, spiritus, seu aquæ invisibiles, mare, fontes, flumina, pluvia, grandines, nives, tonitrua, fulgura, venti, & cuncta alia Macrocosmi advenientia, laudes & encomia tua, ô Elohim ineffabilis, ebuccinare & spiritui universo publicare gaudeant. Quid etiam minus potest homo Microcosmus tunc præstare, quàm ipse Macrocosmus in insignium tuarum laudum celebratione, quæ secundum à Macrocosmo æternitatis Dominum statuisti, dum in ipsum cujusque Macrocosmi mysterii portionem inclusisti sacrosanctoque vitæ spiraculo immediatè ab ore efflato eum imbuiisti?

* Atque etiam, quia *adorationibus, laudibus, obsequiisque hominis delectaris*, idè tu imprimis & summo jure honoribus, precibus, sacrificiis, & gratissimis gratiis ab eo honorandus es, quippe qui ex infinita tua in illum benevolentia, *non modo eum tibi similem creasti, eique tanquam filio tuo congratulatus es.* Verum etiam sapientiam, *tuam (in dextra dierum seu annorum, seu vitæ longitudinem tenentem, in sinistra verò divitias & dignitatem, è cælis sanctis misisti, ut cum eo maneat atque laboret, quò sciat, quid sit acceptum apud te, atque ut triumphantem cuique bene merenti gloriæ coronam attribuat.)* Nomini ergo tuo ineffabili (ô DEUS fortis exercituum) *Hominis petra, propugnaculum, rupisque sola, ad quem*

^a M. Trif. Aselep.

^b M. Trif. Pim. 1. Ge.

^c Sap. 10.

^d Prov. 3.

^e Sap. 10.

^f Prov. 4.

^g Ps. 59. 6. 18. 12. 46. 1. 27. 1. 84. 12.

sercepit, clypee ejus, cornu salutis, loco edite, sol clare, scutum dans gratiam & gloriam atque salus unica, roburque (vita ejus) quis hominum laudes satis dignas, inclytas & illustres offerre, aut illud honore debito celebrare, aut præconia de te merita habere potest, qui es totus in toto, & in quo ipso est totum, quod est, cum omne quod existit, id esse, quo fruitur, a te habeat? Quis, inquam, mortalium sacrosanctam tuam essentiam explicare, actus operaque mirabilia dignè publicare, benignitatem, mansuetudinem atque misericordiam infinitam exprimere, potestatem & fortitudinem excellentem enarrare, majestatem incomprehensibilem describere, nominis stupendi efficaciam mundo propalare, justitiæ sanctæ arcanum revelare, præscientiæ inenarrabilis rationem enodare, consilium profundum detegere, principium & originem declarare, æternitatem commetiri, gloriam atque claritatem fulgurantem depingere, veritatis perfectionem promulgare, doctrinæ atque scientiæ complementum demonstrare, loci atque sedis nobilitatem declinare, infinitatem ostendere, sapientiæ altitudinem comprehendere, in voluntatis stabilis sacrarium penetrare, laudes tuas denique atque dignitates incomprehensibiles ulla verborum eloquentia aut calami ornatu argutia satis dignè extollere, aut honoribus decorare potest? Et tamen modicum de his omnibus ex sacrarum literarum fonte, atque origine nõ sine magno stupore & admiratione hausimus: Occultam enim essentiam tuam sacrosanctæ dispositionem etiam servum & antistitem

*h Exod. 33. 21. tuum Moysen latuisse legimus, ⁶ quippe *cujus faciem videre & vivere neminem potuisse unquam* verbo tuo inviolabili confirmasti: Actus enim & opera tua sunt mirabilia, ⁷ quatenus dirupisti robore maria, perfregisti capita cetorum in aquis, & conquassisti capita balenarum, fundasti fontem & torrentem, & arefecisti fluvios validos, parasti solem, statuisti omnes terminos terræ, ipsam æstatem & hyemem tu ordinasti, ⁸ transfers montes, commoves terram, interdicas soli, ut non oriatur, stellas signas, cælum extendis, ambulas super mare,*

k Job. 9. 4. 5. facis Arcturum, Orionem & Plejades, ⁹ efficis ergò, ô Jehova, res magnas, adeoque investigabiles, & mirabilia, adeoque innumera. Si nobiles tuos, in Ægypto actus consideremus, ô quàm stupendi fuerunt eorum effectus, & quàm metuendum ac famigerabile reddiderunt illi nomen tuum excelsum per universum orbem terrarum! Si miracula respicimus, quæ coram populo tuo publice in deserto edidisti, omnes tibi gloriæ & omnipotentiae titulum ascribere atque attribuere cogimur: Quot victoriis ineffabilibus, ô DEUS exercituum verè triumphavit exercitatus tuus spiritualis atque cœlestis super Ægyptiorum, Assyriorum & aliarum nationum tibi, & populo-

lo tuo adverfarum turmas & cohortes innumerabiles, historia tua sacra nobis exuberanter non sine admiratione magna reliquit. Benignitatis etiam atque misericordiae tuae abundantiam integrum quidam orbis terrarum exercitus, cunctaque mundi creata agnoscunt, imò verò & inter homines ipsi Gentiles ac Ethnici ore aperto eam ante mundi istius peridum confitebuntur: Nam ^m tuo es D E U S fortis, misericors, graciosus, longanimis, & multus benignitate ac fide, ⁿ omnia administrans misericordia tua, ^o quae tam ampla est, ut plenus sit ea ipse orbis terrarum; Nam facis, quae iusta sunt, & iudicia omnibus oppressis (misericors & gratiose Jehova, longanimis & multus benignitate, non in aeternum litigans neque in seculum iram asservens) non secundum peccata nostra facis nobis, neque secundum iniquitatem nostram refers nobis, sed quàm alti sunt caeli supra terram, praevalet benignitas tua erga timentes te, quàm longè est oriens ab occidente, tam longè amoves defectiones nostras à nobis, ut misceretur pater filiolum, misereris timentium te: nam tu nosti figmentum nostrum, & memor es, pulverem nos esse, &c. Benignitas tua, à seculo usque in seculum est erga timentes te, ^p Nonne tu, ô Jehova, confirmasti hæc ipsa ore & voce tua sancta, te ipsum proclamando Dominum misericordiae, miseratorem, tardum ad iram multumque misericordiam & veritate, benignitatem millibus servantem, & auferentem iniquitatem, ac praevaricationem, & peccatum, ^q & sub alarum tuarum umbra tuos abscondentem. Porro fortitudinem & potestatem tuam immensam denotat liber totius veritatis, ^r quum tu sis solus D E U S fortis vitæ hominis, ^s robur & scutum ejus, ^t rupis robusta seu petra, ac munitio ejus, ^u rex magnus super totam terram, ^v fiducia omnium extrematum terræ & maris, stabiliens montes virtute tua, accinctus potentia compefcens strepitum marium, & fremitum nationum, ^w sub te habens duas curruum myriades, & multa millia Angelorum, ^x an numerus est turmis & militibus tuis? & tu Domine cum illis es Dominus Sinai in sanctuario habitans. Fiquis ergo potest coram te consistere, cum irasceris, ^y cum nemo sit par tibi robustus fab? ^z tu frangis valvas chalybeas, & vestes ferreos succidis. ^a Tua ergo potestas est admirabilis & miraculose sunt tuae operationes, ^b quatenus consilium tuum solummodò valet ad proculcandos hostes nostros. ^c Si tu ergo Jehova fortis, nobiscum, quis contra nos? imò quidem, si omnes gentes circumdederint nos, in nomine tuo enervabimus eos. Benedictus ergo sis, ô Jehova, & debita reverentia, ac timore te adoret omnis creatura, ^d qui quicquid vis facis, in caelis & in terra, per maria & omnes abyssos. Majestate etiam an quisquam Deorum tibi iustè comparari aut conferri potest? Quis unquam Deorum (si Dii alii essent præter te) tanta majestate, gloria, admiratione, & intuentium stupore apparuit, quanta tu (ô regalissime Jehova, vere atque unice Deus atque imperator, sceptrum Angelorum ac caelorum gerens) è monte tuo Sinai Israë-

^m Ps. 85. 15.
ⁿ Sap. 11. 1.

^o Ps. 33. 5.
^{Exod.} 34. 6.

^p Ps. 123. 6.

^q Ps. 17.

^r Ps. 18. 32.
^s 42. 9.

^t Ps. 28. 7.
^u Psalm. 31.

^v Ps. 47. 3.
^w Ps. 65. 6.

^x Ps. 68. 18.
^y Job. 25. 1.

^a Ps. 89.

^b Ps. 107. 16.

^c Ps. 107. 33.

^d Ps. 108. 17.

^e Ps. 118. 6.

^f Ps. 135. 6.

ff *Psalm.* 114. 3. *litis apparuisti? ff Nonne majestatis tuae presentia profugit mare, & diversum est flumen Jordanis retrorsum, subsilierunt montes velut arietes, & colles ut subrumæ pecudes: atque etiam coram conspectu & facie tua terra tremuit & attingente ea montes sumaverunt & fusi sunt, ac scopuli instar ceræ resoluti.* ^h *Quando gloria adornatus es, qui insidens cherubinis, versus terram cælos tuos declinando descendis, montesque tangendo efficis, ut fument, immittis fulgur & dispergis eos, ac emittis sagittas tuas & fundis eos.* ^k *Tanta ergo est tua excellentia, ut ipsa homines perturbet, facitque ut pavor tui irruat in eos.* ^l *Maximus ergo es o Jehova, quia non est par tibi, imò non est verus Deus præter te omnino prout audivimus auribus nostris.* ^m *Nam tu es Deus Deorum, Dominus Dominorum.* ⁿ *Rex magnus per omnes Deos, Deus fortissimus, maximus, potentissimus, summè formidabilis.* ^o *Cujus sunt cæli, & cæli cælorum, terra & quicquid est in ea.* ^p *Tua est magnitudo, & potentia, & gloria, & eternitas, & majestas, imò certè omnia in cælo & in terra. Tuum est, Jehova, regnum, ut qui te extollis super omnia in caput, nam divitiæ & gloria à facie tua sunt, in manu, inquam, tua est potestas magnificandi & confirmandi rem quamlibet. Itaque nunc Deus noster celebramus te, & laudamus nomen tuum gloriosum. Si nominis tui stupendi efficaciam speculemur, quis illud satis admirari, extollere atque revereri potest!* ^q *Cum nomen Jehovæ laudent omnes cælorum Angeli & Exercitus, sol, luna & stellæ lucidæ, cæli cælorum, & quæ supra cælos sunt, terrestria, cete, & abyssi omnes, ignis, grando, nix, exhalatio, ventus procellosus, efficiens verbum ejus, montes, colles, arbores fructiferae, bestia, jumenta, reptilia & aves, juvenes, virgines, senes & pueri laudent & celebrent nomen tuum Jehova, quia editum est illud folium, cujus decor est supra cælum & terram.* ^r *quippe quod est turris robusta, quo accurrens justus in edito collocatur. Dulces etiam justitiæ tuæ sacrosanctæ effectus nos docent tuum verbum monumentis perpetuis insculptum, quo instruimur, te justum esse universæ terræ judicem, in solio tuo cum majestate sedentem, circa justum scutum existentem & gloria caput ejus extollentem, cum ita pascentem, ut egere non possit.* ^s *Cuique rependis secundum opus suum, cum sis exaltator & depressor: Nam poculum est in manu tua, & vinum turbidum est, plenum mixtione, ex quo fundis: veruntamen fæces, quas expresserint, bibent omnes iniqui terræ.* ^t *Facis ergo, quæ justa sunt & judicia omnibus oppressis.* ^u *Nam omne opus tu ducis in iudicium cum omni re occulta, sive bonum sive malum, animosque tu perpendis, in cujus oculis vir rectus in unaquaque via sua videtur: Nam ut tu justus es, justè quoque omnino disponis, nec justitiæ tuæ quicquam resistere potest, quippe cujus principium est tua potentia.* ^v *Tibi igitur, o Deus juste tribuimus magnitudinem, quia omnes viæ tuæ sunt jus, qui justus permanes & rectus in æternum. Præterea, si præscientiæ & providentiæ tuæ inenarrabilis virtutè respiciamus, eam certè mirabilem esse percipiemus.* ^w *Nam quamvis, tu Jehova,*

elatus sis, tamen depressum aspicias, quamvis altus, è longinquo
 prænoscis: ^f Probasti enim hominem, & cognoscis ejus sedere & surgere ^{f. 139. 1.}
 & cogitationem ejus è longinquo, iter ejus, & cubitum ejus circumspicias,
 & omnium viarum ejus peritus es. ^s Testis enim es renum, & cordis ^{s. Sap. 1. 6.}
 ipsius observator ac auditor lingua, ^b imò verò cum nondum erat sermo in lin- ^{h Ps. 134. 2.}
 gua, novisti tu ipsum totum. ⁱ Nam à te nihil occultari potest, & quatenus o- ^{i Ps. 139. 7.}
 culus tuus quicquid rerum est, videt, & abdita in lucem producit, ^{k Job. 28. 11.}
^l quippe ^{l Job. 1. 11.}
 qui in cœlis supra, & in terra infra cognoscis meretricem, cauponem & pa-
 ganum. Encomiis ergo perpetuis adornatus atque elevatus sis,
 ô sapientissime & vigilantissime Deus, cui omnia revelantur,
 nihilque occultari aut tegi potest. Similiter ^m consilii tui pro- ^{m Sap. 9. 13}
 fundissimi arcanum quis cognoscere aut comprehendere pot-
 est, cum *ratiocinationes mortalium sint timide & instabiles cogitationes*
eorum? ⁿ Quare licet operâ tua manifesta nobis & filiis nostris ^{n Deut. 29.}
 sint cognita, *occulta tamen mysteria tua nemini sunt revelata*, suffi-
 cit igitur homini hoc scire, videlicet, ^o quod tuum consilium sit ^{o Prov. 19.}
 stabile & permanens. Es ergo timendus & formidabilis ô Je-
 hova, quippe ad cujus consilii secreti adytum non datur mor-
 talibus attingere: Principium etiam seu originem tuam an-
 quisquam ulla rationis inquisitione perscrutari aut cogno-
 scere potest, cum tu, quatenus rerum omnium author
 existis; ante omnia extiteris? ^p quippe qui *ab æterno existens,* ^{p Ps. 90. 2.}
^q *fuisisti ante mundi primordium:* Nullû ergo procul dubio habuisti prin- ^{q 21. 4.}
 cipium, quatenus principii principium extitisti; ^q & *finem nullum ha-*
^r *bens, regnabis in secula seculorum:* Ex quibus colligimus, te esse mundi,
 hominis atque rerum omnium æternitatē: quod etiam in hoc ar-
 guitur, quoniam ^r quicquid facis, id ipsum permanebit in perpetuû, ^{r Ecc. 3. 14.}
 quod quidem, nisi tu æternus esses, fieri non posset: Hinc ergo per-
 cipimus, te principio finēque carere, & quod consequenter summo
 æternitatis folio, super apice atq; summitate cœli cœlorum excelsis-
 simi, victoria triumphante, infinito gaudio & perpetua justitia
 atque æquitate insideas; Cujus nomen benedictum sit lau-
 dibus illustrissimis, honorēque sempiterno celebratum atque
 sublimatum, qui solus cum Filio & Spiritu tuo es ab æterno in
 æternum absque principio & fine. Porrò autem durum atq; difficile
 erit gloriæ tuæ perfectionem merito & modo digno depingere,
 cum tute ipse gloriā tuam internam servo Moyli visibilem red- ^{s Exod. 35.}
 dere nolueris; quippe quam nemo videre potest, dum vivit. Et ta- ^{s 20.}
 men accepimus ex sacris tuis Scriptis, ^t quod nonnullis electis glo- ^{t Exod. 33.}
 ria tua externa apparuerit; Nam quamvis à priore latebat ^{t 22. & 2.}
 Moysen gloria faciei seu essentiæ tuæ, à posteriore tamen illam

oculis suis mortalibus conspexit, hoc est, gloriam tuam secundariam intuitus est. * *Nomen tuum, Ô D E U S* majestate planè in mundo magnum est, & habitaculum in Sion, è quo tu mirabiliter à montibus aternis ingentem tuam gloriam illustrando exprimens, frangis potentias, & miracula ad culmen perducis: Imò verò gloriæ tuæ effectus ubique in mundo per opera tua stupenda declarantur. * Nam ipsi cæli enarrant gloriam tuam, & opera manuum tuarum declarat firmamentum. Gloria ergo sempiterna tibi à creaturis tuis debita ratione attribuat, à quo, in quo, cum quo, & per quem existit omnis gloria, majestas & potentia. Quod ad veritatem tuam attinet, nonne docemur, te esse fortem & veracem? Non enim es homo, qui mentiatur, aut filius hominis, quem pœniteat: an ipse dixisti, & non facies, anne locutus fueris, & non præstiteris illud? Qui de veritate tua dubitaverit, justitiam tuam respiciat, & amplius non hæsitabit. Es ergo D E U S justus, fortis & verax. Doctrinæ etiam atq; scientiæ tuæ amplitudinis, quam amplissima red lunt Scripturæ tuæ sanctæ testimonia. * Nam tu erudis justum, & doces, quâ viâ ambulaturus sit, instruis, inquam, eum facere placitum tuum, & deducis eum per terram planam, eique consilium dare consuevisti, quoniam tu es verus rationis & scientiæ doctor, eum quem amore persequeris, omnibus doctoribus suis intelligentiorem, senibus prudentiorem, per spiritum tuum bonum faciens, est doctor doctorum, docens prælium & bellum, quippe cujus fruitione, Josua dux magnus & bellator invictissimus evasit. Samson fortitudinem suam comparvit, qua leonem occidit, & mille viros sola maxilla asinina prostravit. Gedeon multitudinem cum paucis debellavit, & Samgar sexcentos viros stimulo bovis, virtute etiam istius spiritus scientiæ homines, quos eo replevisti circa artificium vestium Aaronis conficiendarum ad ipsum conservandum instruxisti? sic etiam spiritu tuo Bezaleelem inspirasti, quo statim peritus est factus & intelligens in omni arte. Eius etiam afflatu homines scientiarum imperiti in Prophetas mutati sunt insignes, sic adfuit spiritus tuus, Balamo, Samueli, Elishæ, & cæteris Prophetis. Scientia ergo & intelligentia vera ex ore tuo procedit; Nam tu Jehova solummodò das sapientiam, quia Deus es in scientiis perfectissimus. Porrò etiam tanta est loci, & sedis tuæ celsitudo, ut lingua mortalium, imò verò hominis cogitatio eam dignè & verè, prout est, explicare non possit: Nec autem docet verbum tuum, literis perpetuis mandatum, quod tu Jehova, insideas cælis cælorum antiquorum, in folio tuo celfo atque elato, & quod totus exercitus cæli tibi adstet à dextra & sinistra. Excelsior enim es cælo & super stellarum verticem sublimaris, & circa cardines cæli, Cherubinis innitens ambulas. Et cum tibi deorsum descendere placet, inclinas cælos tuos, facisq; nubes vehiculum seu currum tuum, itaq;

super

super alas venti, ambulas & facis angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem flammantem, & tu tandem tangendo montes efficis, ut fument, & immittendo fulgura tua dispergis eos, ac ejaculando sagittas tuas fundis eos. Salvum me fac ô Jehova fortis & formidabilis & secundum misericordiam tuam infinitam me miserum in illo die tremendo, horâque stupenda amplectaris precor, in qua tu summa majestate cum timore quidem & horrore iniquorum, & gaudio inenarrabili electorum, voce magna auditûque terribili, & gloria visu ac aspectu immensa, majestâtéque omnem imaginationem superante & excedente venies, ad suscitandos mortuos, & ad judicandum omnes in justitia, æquitate, misericordia atque benignitate. Infinitas etiam tua tanta est, ^{y Ps. 145. 3.} ut captui humano eam subicere sit impossibile, cum tua magnitudo non sit comprehensibilis, ^{z Ps. 139. 7.} quoniam es in cœlo & in inferno, in extremis maris, in nocte, in tenebris, & ubique: duratione autem æternus es, sicut in præcedentibus narravimus. O quàm infinita est tua essentia & bonitas, quam perpetua dominatio & durabilis potentia, Jehova sempiternæ Deus mi gloriose & honorabilis. Nec certè minus admirabilis, incomprehensibilis & inscrutabilis est sapientia tua. ^{a Job. 11. 8.} Cum illa quatenus altissimis cœlis altior, sepulchro imo profundior, & longior terræ mensurâ, marique ipso latior est, plene inveniri non possit; ^{b Psal. 103. 24.} Nónne opera mirabilia fecisti in sapientia tua? ^{c Job. 11. 6.} Ejus profunditatem, quis inveniet, aut quis poterit usque ad finem, inexhaustæ tuæ omnipotentæ ulla ratione pertingere aut pervenire? ^{d Job. 12. 12.} *An quisquam intelligit ejus ortum cum fuerit ab antiquis, & multo tempore apud te, possedisti eam à principio via tuæ & ante opera tua, imò certè ante ullum tempus, & ante seculum inuncta fuit, & ab eterno ordinata, & ex antiquis antequam terra fieret, cum nullæ erant abyssi, & fontes abundantes aquis, & cum aptasti cœlos ibi erat, cum statuisti ambitum in superficie abyssi, fuit illa apud te velut alumnus cuncta componens.* Quis ejus operibus resistere potest? quippe quæ si destruxerit, nemo est, qui ædificet, si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat, si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si emiserit eas, subvertent terram, ^{e Prov. 8. 12.} si ejus sedem, in qua est in hoc mundo, respiciamus, eam in secretis naturæ collocatam sentiemus: si ipsius pretium inquiramus, ^{f Job. 28. 12.} illud non novit homo, quia non dabitur illa pro auro, nec ponderabitur valor ejus argento, nec possunt lapides pretiosi, aut nitida gemma, aut adamas eam exæquare. ^{g Job. 28. 18.} Nam *ejus acquisitio præest carbunculis, quam pretiosa etiam sunt ejus dona, quippe*

^{h Ps. III. 10.} quæ ^b semen facit potens in terra, & benedictionem, opes atque di-
 vitias habet in domo sua, facit justitiam perpetuam, efficitq; ut lux
 in tenebris luceat, gratiosa est, misericors, iusta, liberalis & animo-
^{i Job. II. 6.} sa. ⁱ O utinam DEUS sapientissime benignè loquereris mecum, & a-
 perires labra mea mihi, ut ostenderes mihi secreta sapientiæ, meq;
 doceres multipliciter legis tuæ, ut reverà erudirer in scholis tuis,
 & sapiens coram te fierem! Quid etiam in voluntatis tuæ laude
^{k Sap. 12. 12.} eloqui possim, ^k qui quicquid vis, facis, & nemo te interrogaturus
 est, quid aut cur ita facis? Imò quidem, bone & iuste Jehova,
 fiat voluntas tua & in terra, sicut in cælo, & in parte mei ho-
 minis terrena seu externa, sicut in spiritali, cœlesti seu inter-
^{l Psal. 102.} na. ^l Parati, inquam, sint Angeli, qui sunt ministri tui, ut
 faciant voluntatem tuam per totum universum. Laudes denique
^{m Ps. 69. 31.} tuas pro posse (quamvis non sufficienter secundum animæ & spi-
 ritus desiderium) extollere non desinam, imò verò, ^m cum Prophe-
 ta Regio canticis & gratiarum actione te laudabo. Sit ergo tibi,
 ô Jehova laus, honor, & gloria in secula seculorum. En ecce,
 DEUS bone, & misericordiâ plenissime, ego tuus homo,
 fruitione portionis essentia tuæ inexplicabilis, beatificatus, men-
 tem meam (sublimem & nobilissimam mei interni partem) tibi de-
 bito tributi loco, tanquam Imperatori meo, supplex offero,
 animam itidem meam mediam, egregii naturæ tuæ actus secunda-
 rii effectum, ut tuis viis & mentis suæ institutionibus adhæreat, ani-
^{n1 Cor. 1. 14.} māmque infimam, sive ⁿ hominem meum animale tertii tui a-
^{14.} ctus proventum, ut in tuis legibus persistat, ac denique totum cor-
 pus meum, manuum tuarum opus, ut secundum voluntatem tuam
 sanctam huc atque illuc moveatur, ex animo & corde tibi humili-
 ter subijcio. Pro divino & præstantissimo benignitatis tuæ fru-
 ctu, quem inde à nativitate mea more mellifluo tam invisibiliter,
 quàm visibiliter gustavit, tam anima quàm corpus meum,
 ingentes atque gratissimas tibi creatori meo gratias agere gestio,
 te submissè orando, precibusque assiduis sollicitando, ut fidei, mise-
 ricordia, atque gratia tuæ abundantiam per spiritus tui afflatum
 è cœlis sanctis, seu montibus æternis Sion in me effundas, ut ita
 vis tua externa & cœlitus emissa ac recenter inspirata uniens & con-
 jungens sese illi tuo vitæ spiraculo in me comprehensa, fortiter, vi-
 vaciter, & alacriter spiritum meum viva veraq; regeneratione ad locum
 beatorum erigat, & contemplatione læta in hac vita, visioneq; certa &
 infallibili, per veram resurrectionem in vita secunda ad supercœleste
 tuum folium conducat. In manus ergo tuas (exacto & completo prius
 divina divinorum speculatione hujus primæ vitæ curriculo) expire

animam meam, alis aureis in suo spiritu crySTALLINO vectam, & gratiæ balsamicæ plenitudine in Christo, & verbo tuo vero me mori permittas, obtestor, ut tandē spiritus tui sacrosancti alacritatē ad te primam & solam numeri creati unitatem, hoc est, principium, à quo primum infusa est anima mea à simplicitate in materiæ multitudinem, ad inenarrabilem tuæ gloriæ unitatem, & simplicitatem resurrectione completa resurgam. Sis mihi, Ô D E U S, oro potestate & fortitudine rupes, scutum, atque munitio, ut sentiant inimici mei, me sub alarum tuarum umbra tegi, præservari atque feliciter spirare: Fac, ut majestatis tuæ inexplicabilis radio ad veram superiorum meditationem rapiar, atque ut inferiora apud animam meā pro vilissimis habeantur: Concedas, inquam, ut gloriæ tuæ memoria in honore merito, justaq; reverentia atque timore à spiritu meo perpetuum retineatur & characteribus vivis ei insculpatur: Venerabile & laudabile sit mihi nomen tuum ineffabile, & sacrosanctum in æternum; Sis mihi justitiā tuā gratus atque propitius: Me dirigat atque gubernet providentiā tuā in viis meis, dum ego consiliū cum admiratione adorem, æternitatem mundo prædicem, incomprehensibiles gloriæ divitias extollam, & veritatis perfectionem universo terrarum orbi enarrem: Scientiæ & doctrinæ tuæ me capacem reddas, ut ego, sacrosancto tuo lumine illustratus, mihi ipsi bene cognitus, te more tibi accepto & grato atque decenter revereri, altitudinem tuam admirari, loci & sedis nobilitatis & sublimitatis pulchritudinem meditatione congrua diligentissime rimari, infinitatis mysterium in ecstasi meditari, inscrutabilem sapientiæ profunditatem omni populo, clangore quasi buccinæ promulgare, permanentem tuæ omnipotentis, voluntatem agnoscere, ac denique laudem & honorem tuum sempiternū & nullo ævo terminandū voce orbi terrarum unifono decantare, citharæ harmonia referre, gloria triumphali elevare, atque famæ immortalis & literarū perpetuarum, nulloq; seculo eradendarum monumentis confidenter tradere queam. Nec unquam cessabo ego hominis filius ore aperto clamare per sacrosanctos mentis meæ radios, per subtiles & empyreos intellectus ac rationis spiritus, per lucidā animæ vitalis substantiam æthereumq; illius laticem perq; aërē cujusq; interni mei hominis portionis receptaculum, per ignem, per aquam, perq; terram, ex quibus lutosi corporis mei compositio temperata est, per meum internum, per externum, perq; totum, clamo inquam, voceq; exerta proclamo, **TU SOLUS TU TERMAXIMUS O JEHOVA ES DEUS,** qui fecisti cœlum & terrā, mundumq; hominemq; ad tuam propriā imaginem benevolè effinxisti, cujus nomē sit benedictū in æternū.

Creatura tua in bonitate luminis tui felicissima.

E G O H O M I N I S F I L I U S .



Contenta

TRACTATUS I.

<p>Tractatus hic de microcosmo secundum naturam in duas sectiones dividitur, in quarum</p>	<p>Priori Metaphysica & physica Microcosmi historia enarratur, in qua tria explicantur, videlicet ejus</p>	<p>Internum seu anima, cujus essentia est dispositionis triplicis, quatenus participat de natura cœli</p>	<p>Empyreï unde dicitur } Mens. Intellectus. Ratio.</p> <p>Æthereï unde dicitur } Vegetativa. Vitalis.</p> <p>Elementaris, atque hac ratione dicitur } Animalis. Sensitiva. Idolum.</p>
			<p>Externum seu corpus, in quo duo explicantur, videlicet ejus</p>
<p>Posteriori Technica microcosmi, tam interni, quam externi natura historia proponitur in portiones septem distributa. scilicet in</p>	<p>Internum in externo, hoc est, animæ in corpore operatio, tum in</p>	<p>Creatione.</p> <p>Generatione.</p>	<p>Vaticinium seu Prophetiam, qua est mentis scientia.</p> <p>Geometriam, qua est anima intellectualis & rationalis intentionum enucleatio.</p> <p>Artem memoriæ, qua est anima memorativa & imaginativa operatio.</p> <p>Genethliologiam seu genii & genituræ inquisitionem, qua est scientia ad animam vitalem pertinens.</p> <p>Physiognomiam seu anima vitalis & naturalis per solam faciei & cæterorum corporis lineamentorum inspectionem & observationem indagacionem.</p> <p>Chiromantiam, qua accidentia præsentia, præterita & futura, tam animi quam corporis debita observatione rimamur.</p> <p>Pyramidalem contemplationem, qua hominis interni & externi symmetria proportionesq; symphoniaca animadvertuntur.</p>



Lucis

LECTORIBUS INCREATÆ
 FULGORE ILLUMINATIS, SACROSANCTO
 MENTIS ARDORE PERCITIS. F. R. C. HOC EST,
 fide, religione, charitate exornatis, incomprehensibilem in hac vita à monte
 & rupe J E H O V Æ fortitudinem vivificam in verbo ejus J E S U C H R I S T O
 hujus compositionis dissolutionem, & gloriosam tandem atque
 triumphantem à Spiritu sancto per verbum
 resurrectionem.



N ecce Lectores lucis æternæ decore exornati (mo-
 mos enim, derisores atque homines, qui in divino
 abstrusioris Philosophiæ campo sementem nun-
 quam, vel saltem nimis parcè fecerunt, utpote quo-
 rum crassis auribus & obstinato corde ea respuere,
 quæ sæpenumero vera perhibentur, à Philosophi-
 co hoc nostro convivio magicis ipsius veritatis su-
 surraminibus arcemus, & in perpetuam homi-
 num piorum oblivione n abdimus.) En, inquam,
 & ecce figuram effigiemque, ut in tractatu precedente ipsius Macrocosmi sic in
 hoc Microcosmi, incertis quasi hominum opinionibus deformatam, & in va-
 rias ad instar Prothei imagines fictas & prestigiosas cõversam, in se rursus mu-
 tuo nixu reficere aggredior: modò si tractatũ hunc nostrũ, alioquin fortassis aspe-
 rũ ac malè cultũ vos argutia calami rudis atque impoliti scriptum non spre-
 veritis inspicere. Faxit D E U S gloriosus, ut oculos vestros novitatis fortè cupi-
 dos benevolo hujus Philosophiæ haud vulgari aspectu, aures vestras bibulas
 placido hujus sapientiæ à nobis jam ebuccinatæ susurro, atque animum tandem
 vestrum divina appetentem jucunda ejusdem contemplatione permulcere
 queam. Vos ergo in hoc opusculo meo Microcosmico fausti atque propitii adsitis
 obsecro, ut reliqua ad culmen & exitum felicem perducendo, ea vobis, letitia
 haud vulgari perfusus, lubens volensque consecrem, ei que favere non desista-
 tis, qui jussis vestris obsequium semper commendabo, dum ego vos causamque
 meam Jehovæ omnipotentis providentiæ commendavero, qui se dignos sapien-
 tiæ suæ præmio affluenter induere clementerque atque liberaliter tractare con-
 suevit. Valet.

R. F.

C TRA



TRACTATUS PRIMVS

De

INTEGRA MICROCOSMI
HARMONIA:

In sectiones divisus duas.

In quarum	{	Priore Metaphysica atque	{	MICROCOSMI tam interni, quam externi
		Physica		
		Posteriore Technica seu		
		Artificialis		



Contenta

TRACTATUS I.
SECTIONIS I.

In Microcosmi fabrica duo sunt confi- deratione digna vide- licet eam	{	Præcedētia & ad eius crea- tionē adju- vantia scil.	{	Numerorum duorum & abstrusorum effectus, de quo lib. 1. sect. 1.	
			{	Harmonia ab illis numeris derivata, de qua lib. 2. sect. 1.	
	{	Constituentia & conjuncta videl. ejus	Internum seu anima, in qua p ponuntur tria scil.	{	Compositio, de qua lib. 3.
			{	Numeri, de quibus lib. 4. cap. 2.	
			{	Harmonia, de qua lib. 4. cap. 3. 4.	
		Externū in quo no- tatur duo, scil. ejus	{	Constitutio, de qua lib. 5.	
			{	Harmonia seu symmetria, de qua lib. 6.	
				{	Mentis in corpore, de quo lib. 3.
			{	Creatione in qua agitur de	
			{	Assu { Anima medse in cor- pore, de quo lib. 8.	
			{	Anima sensitiva seu in- fima in corpore, de quo lib. 9.	
			{	Triplici anima in corpore visio- ne, de qua lib. 10.	
		Internum in externo, in quo duo observā- tur scil. ejus	{	Compositio in	
			{	Generatione, de qua lib. 11.	
			{	Harmonia, de qua lib. 12.	

TRA-



TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R I.

De numeris divinis.

C A P V T P R I M V M *seu hujus subjecti praludium.*

QUoniam in nobilissima hominis seu Microcosmi interni dispositione, & circa admirabilem animæ humanæ harmoniam absque exactissima melodix & symphonix mundanæ, seu microcosmicæ cognitione versari impossibile arbitramur, similiter de numero, pondere & mensura (ex quibus mundus, & ejus anima miraculosa concordantiarum ordinatione atque concatenatione constantur) sine debita divinorum, formalium & abstrusorum numerorum contemplatione mysticâq; harmoniæ simplicis inspectione ritè judicare aut perpendere nequimus (quippe quod omnes compositiones symphonix, rerum mundanarû essentia, vitæ, & alii musicæ mundanæ & animatæ effectus, ab his numeris divinis & originalibus, tanquã numerus ab unitate, punctû à linea & concordia ab unilono derivantur) idcirco imprimis & ante omnia necessarium existimamus, infinito animi & ingenii conamine, imò verò indefatigabili ipsius mentis divinæ fervore, precibus etiam assiduis & fidelibus præuentibus, ut profundâ horum numerorum divinorum meditatione atque tum postea sincera harmoniæ simplicis, ab iis ineffabiliter scaturientis contemplatione & inquisitione ad completam horum cognitionem feliciter perveniamus. Quod quidem quoniam perfici, & ad culmen atque exitum felicem à priori perducere impossibile censetur; quoniam DEUM secundum ejus essentiam nemo unquam mortalium describere aut propalare potuit (tam enim abdita & abstrusa sunt Majestatis divinæ mysteria) nostrum utique erit (quibus propter mentis & ipsius verbi divini fruitionem haud quaquam deest immortalitatis consequendæ facultas) nosmet inopia laborantes & ignorantia tenebris obvolutos, virtute mentis in nobis habitantis captivos redimere, ab obscuro lumine discedere, immortalitatem adsciscere & corruptionem fugere: Quod quidem ut ingenuè & perpulchrè fiat, mentis nostræ acumine tenebrarum corporalium fissuras penetremus, ut à posteriori tandem unitatis metam attingamus, lucis jugum (summa pulchritudine decoratum) insurgamus, insuperstantialem mentis patriam saltu levi insiliamus, scalam Jacobæam alacriter, sed

C 1 cautè

cautè ascendamus, D. Pauli alis spiritualibus (virtuti spiritus sacrosancti innitentes) ad tertii cœli vitam & lumen immortale affurgamus, & si numerorum super substantialium arcana secundùm Deitatis essentiam oculis intellectualibus perspicere non possumus, iis tamen Trinitatis gloriæ ideam, iconem seu exemplum saltem intueamur, numerosque ejusdem divinos & formales cum materialibus (summâ divinitatis sacrosanctæ reverentiâ & adoratione præeunte) comparemus, divinos cum mundanis misceamus, mundanos cum humanis conferamus: sic enim factus est mundus, sic creatione propagatus homo: Ab hominis igitur harmonia ad symphoniam mundanam atque tandem (illam mundanam rationis pennis transcendentem) ad divinam ascendamus: Atque hac via, cognitione à posteriore illa elicere possumus, quæ scientiâ à priori impossibile erit captui humano comprehendere. Nos verò ordinem cognitionis à priori sequentes, tanquam à principio ad principiatum (intellectis rebus hisce prius à posteriori) methodi præstantioris causâ à numeris divinis & simplicibus, harmoniaque simplicissima ab iis conflata exordiemur, ut ipsorum gubernatione gradatim atque pedetentim ad numeros compositos seu materiales, tam mundanos quàm humanos, cum symphonia ab iisdem derivata perveniamus, atque ita in res tandem materiales profundius nos immergamus.

C A P. II.

De monade, seu unitate summa & mystica.

Oculis divina mentis acie illuminatis undique circumspiciat metaphysicus, conspicillo naturæ lucidissimo, elementorum rerumque ex iisdem compositorum angulos profundissima intellectus sui inspectione (circa res in concreto occupata) rimetur physicus, phantasiæ seu imaginationis suæ acumine (demonstrationis fulcimento nixus, humerisque quasi Atlanticis statuminatus) Arithmetica, Musica, Geometria, Optica, Astronomia, Astrologia, & Geomantia, prospectivo suo intuitu (circa abstracta versato) introspeciat Mathematicus: subtilissima rationis argutia prædicabilium series atque ordines ab ente transcendente ad genera, & à generibus ad suas species subalternas, & de illis ad individua descendentes, similiter prædicamentorum derivationes, ortus, prædicationes, relationes, & præcipuè transitum prædicamenti substantiæ à genere generatissimo, in particularium multitudinem speculetur Logicus, memoriæ denique fiducia (non sine candida mentis contemplatione) literarum elementarium ordinis atque originis, syllabarum ab iis derivatarum propagationis vocabulorum à syllabarum unione ortus, ac tum postea sententiæ seu orationis effluentia ex vocabulorum ad invicem debito modo, nexu atque concatenatione promanantis recordetur Grammaticus: atque hi omnes rerum cunctarum origines atque existentias ab unica & sola illa mystica radice benignè scaturire, & modo ineffabili (sed certissimo) derivari tandem vultu manifesto oculisque apertissimis perspicient atque discernent, quæ monas monadum, ac monas summa divinissimaque nuncupatur, quæ est ille DEUS solus & terminus, à cujus fonte omnia tam creata, quàm increata (& in multitudinem profusa) mentis divinæ acie effluere atque promanare animadvertuntur. Nam si ad res Metaphysicas contemplationem nostram convertamus, in illis hæc unitas radix radicum existere reperitur, cum sit DEUS DEORUM, summitas summitatum, bonum bonorum, fons sapientiæ & omnium radicum origo, intelligentia intelligentiarum, omnipotentia potentior, ingenerata ab alio, benignitate infinita & mystica mens; Imò verò in trinitate persona-

rum essentiæ super substantialis primum obtinet locum, cum sit unitas illa sacrosancta, à qua numerus divinus procedit, & in quam revertitur. Denique extra suam essentiã in res materiales & creatas more imaginationem excedente prospiciens, è fulgida sua radice Angelorum chorum, Dæmonum turbam, atque animarum cœtum immensa produxit multitudine, & sapientia sua ineffabili in orbis rutilos igneque coruscantes cohortem atque comitatum eorum, quemlibet disposuit. Similiter phisicas mundi creaturas considerando, easque debito modo respiciendo, monadem hanc mysticã primum inter eas locum obtinere inveniẽmus, cum unitas eadem non aliter sit numeri denarii radix, quam centenarii & millenarii, ex quibus numeris mundi fabricem in primordio constituisse, & jam permanere inferius declarabimus. Hinc apud phisicos principium divinum, natura infinita, & natura naturans, principium principiorum, sydus syderum, lux luminum, seu creaturarum lux undique collucens, spiritus spirituum, & spirituum opifex atque effector, mundus mundorum, dux, gubernator & director omnium, axaltator & depressor nuncupatur. Tempus etiam suam originem ab hac radice non habuisse negabit Philosophus, quatenus hæc monas in sua natura sempiterna, & ab alio non genita, rerum omnium creatarum principium & finis seu *α* & *ω* existit. Quare etiam à dicta radice mystica suũ principium (*Nunc*) accepit, sine qua nullũ unquam extaret tempus; Cum nunc, sit e justet minus, à quo deducitur & movetur, non aliter quàm linea à puncto. Sine hac etiam radice non esset logica relatio, cum nulla ratione Filium dicamus, nisi sit respectu Patris, neque in super substantialibus, ubi Pater dicitur sui ipsius, seu ex se ortum principium, neque in inferioribus, cum, ibi hæc radix sit abstrusum entium semen, seculorum parens, ac vita cuncta producens, cuncta bono ac bonitate sui ipsius replens atque satians. Porro etiam secundũ Mathesin considerata radix hæc in Geometria, est lineæ primordialis punctum, circuli que centrum, à cujus multiplicatione omnes lineæ, omnes superficies, corpora que omnia tam mathematica, quàm phisica proveniunt, atque iterum resolutione præeunte, in eam tandem, tanquam in principium, à quo, revertuntur. In Musica est concordie & harmonie origo, unisonus nempe ille primordialis, à cujus super substantiali tono melodia empyrea sive spiritualis, sive sit mundana, sive humana, atque etiam instrumentalis exoritur, quatenus scilicet à suæ vocis seu soni radicalis (verbum producentis) termino Diatessaron, Diapente, Diapason, Diapason cum Diapente & Disdiapason consonantie compositæ derivantur. In Arithmetica etiam monas hæc radix existit, ex qua digitum, articulum, numerum, centenarium, millenarium atque sic in infinitum exoriri atque emanare observantur. Unde manifestum est, quod hæc radix seu monas & unitas sit unum & omnia, unum autem omnium, unum ante omnia, & unum in se ipso, radix & centrum præsentium, præteritorum, & futurorum, quæ sunt, unitate materiali prior, quoniam simplicissima, numerorum numerus, unitas & numerus, ac unitas. quæ omnem numerum simplicitate penetrat; nam in Trinitate Pater est ineffabilis, in cœlum empyreum respiciens, est mens mentis, & anima animarum, atque magis deorsum in mundum materiale[m] prospiciens est natura naturarum. O admirabilis ergo monadis seu unitatis dispositio, quæ cum sit existentiæ rerum causa atque origo, quid tamen sit, non ingenii, imò verò ne mentis quidem acumine (ab ea immediate profluentis) discerni potest, aut ratione ulla exprimi. At tamen essentiæ hujus natura mirabilis in unitatis arithmetice contemplatione rationi nostræ luculenter explicatur: Nam unitas arithmetica omnium numerorum communis est mensura, fons & origo, continens in se omnem numerum utcunque magnum, & tamen multitudinis omnis in fons, semper eadem, immutabilis, indi-


visibilis & parium expers: Atque hinc est, quod hæc unitas in se multiplicata nihil producit præter se ipsam. Nam 1. in se ducta producit, tantum 1. & internum, ex illa 1. in se ducta non nisi sola unitas exurgeret: Unde liquet, quod unitas sit sibi radix, quadratum, cubus, &c. & tamen semper est hoc idem. Nam utcumque multiplicatur in unitates, nulla tamen ex unitatibus productis est major aut minor unitate radicali, neque est pars minor suo toto, quoniam non multiplicatur in partes sed in se ipsam. Omnium denique rerum est principium & finis, dum tamen ipsa neque principium, neque finem habet, quibus existat, quoniam nihil uno prius, nihilque uno posterius. Unum ergo omnium rerum principium est, & usque ad unum omnia sunt, & ultra ipsum nihil existit. Porro etiam omnia, quæ sunt, unum ipsum, tanquam suam radicem desiderant, quoniam ab eo primum processerunt, & de illo uno ex necessitate participant: Hinc ergo est, quod omnia ad illud unum redire contendunt, quatenus ab eo radicaliter profluxerunt, quæ quidem regressio, atque in primum principium reversio nunquam perficeretur, nisi pluralitas & multitudo gradatim & pedetentim eis exueretur. Hujusmodi ergo est illa mystica monadum monas, unitas unitatum, prior simplicitatis summitas, rerum omnium semen & centrum, omnis expers substantiæ, omnium principium, radix atque origo principium, inquam, omnem numerum continens à nullo contentum, omnem gignens numerum, nullo numero genita, pater omnium, pater sui ipsius, pater filii unigeniti: Imò talis & ultra, quam imaginari potest mens humana, est unitas, unum & monas illa, sanctus sanctorum, summitas excelsitudinis, & Deus deorum, qui super coeli cacumina, & extra omnem materiæ existentiam in folio & throno suo coruscante immortalis gloria lætus atque repletus constanter sedet, tonum illum sacrosanctum mysticum, ineffabilem, & originalem intonans mundo, cujus pulsatione, actu & afflatu unisono ac uniformi mundus & creaturæ ejusdem variis formarum concordantiis, quibus existant & vivant, imbuuntur harmoniæque rerum elegantissimæ atque exertissimæ (bibulas mentis aures permulcentes) exaudiuntur, & in rationis humanæ penetralibus concipiuntur atque reconduntur, cujus melodiæ ineffabili, voceque ac verbo efficaci (Spiritu divino undique afflante) macrocosmi compages gaudio quodam saltare, proportionaliter tripudiare, & quasi profiliendo vivere observatur, stellæque tam fixæ, quam erraticæ (ac si lætitia supernaturali essent perfusæ) choreas ducere sempiternas animadvertuntur, microcosmi proportionales & consonantiæ, in mente, intellectu, ratione, anima, motu, vita, & elementari corporis constructione (functiones pulchras & admirabiles perficiendo) fulcimento tanquam divino statumini percipiuntur. Hæc, inquam, unitas est pulsator Monochordi & ipsa forma ac anima totius harmoniæ macrocosmicæ & microcosmicæ, cujus chorda seu materia instrumentalis est spiritus ille universalis, quem illa actu suo ineffabili ex chaos visceribus liberavit, & ex nihilo fecit, ut aliquid actu existeret, & loco passivi suis actionibus stupendis inserviret, cui tanquam Regi Regum, omnia totius naturæ offerenda, & quasi tributum ei debitum, attribuenda & conferenda (rerum videlicet vitæ, essentiæ, animæ & corpora, quatenus ab ea dependentia) imprimis summo opere atque ultimo animi conamine agnoscere atque confiteri debet, qui libet mentis sanæ compos & mediocri rationis munusculo decoratus.

Exempla

Exempla nonnulla, quibus Unitas sacrosanctæ Trinitatis (eam rebus inferioribus comparando) pro capacitate humana demonstratur.

Unitas super substantialis essentiæ explicatur in Arithmetica per 1. Nam ab unitate hac in Arithmetica omnes numeri in infinitum progrediendo, tanquam ab eorum fonte & origine fundamentali depromuntur, ut 1. 2. 3. 4. 5. &c. In Mathesi & arte Geometrica per punctum demonstratur, à quo linea derivatur, per quod continuatur, & in quo terminatur (unde linea rectissimè definitur fluxus punctorum ad invicem colligatorum.) At quia omnis superficies ex lineis corpusque ex superficiebus componitur, sequitur inde ex necessitate, quod tam lineæ, quàm superficies & consequenter ipsum corpus à puncto unico exoriantur; Simili quidem modo ab unitate, & ejus fluxu fit numerus denarius, in quo unitas compositioni se jungit, videlicet natura superexcellenter substantialis cum materia creanda, ut 1. cum 0. sine qua cyphra non plus erit, quàm materia hylæ forma essentiali & lucida privata: Unde sic se habet unitas simplex ad numerum denarium, ut punctum ad lineam, & numerus denarius ad centenarium, ut linea ad superficiem, in quo etiam semper præcedit DEUS unitas seu punctum & numerus centenarius ad illum millenarium, ut superficies ad corpus, ut infra latius indicabimus. Ex quibus manifestè liquet, quod nisi Deus rebus omnibus præponatur, non erunt res magis in actu, quàm cyphræ Arithmeticæ, quæ qualicumque multitudine per se exprimantur, absque unitate tamen, aut aliquo ex digitis ab ea profluentibus, nihil prorsus significabit, ut 0. 00. 000. 0000. 00000. nihil denotant, sed 10. 100. &c. aliquid. Per punctum etiam mirabiliter explicatur DEUS in rephysica, cum illud sit motus in generatione & corruptione, principium, & quasi hoc (*nunc*) à quo tanquam ab originis suæ paternæ fundamento, seu termino à quo, tempus prodiit, & in quod iterum revertitur.

Demonstratio puncti, & lineæ ab eo more mathematico profluentis.



Sit ergo unitas supersubstantialis punctum primum atque originale seu summum, à quo omnis rerum entitas effluit, & ad quod iterum res omnes (resolutione præeunte) tendunt. Describitur autem hoc modo:



Similiter puncto unico, & circa punctum unicum creatus est mundus orbicularis, ut in ultima demonstrationum quarti capitis clarius ostendetur.

C A P. III.

De Diade sive dualitate mystica & supersubstantiali.

Prima monadum monas, sancta que unitatum unitas supersubstantiali: partu simplicitates summatum ineffabilem in modum effusa, peperit atque produxit, quippe, quæ per primigeniam formam proficiens trinam adeptæ est vim: Ubi etenim profunditas Patris est, ibi illustris Filius, conciliatrixque Spiritus sancti elucet fulgor, atque ut ita coronatur fons ille supersubstantialis pulchritudine prolis, quæ ex suo centro effluit, & circa centrum volvitur, genusque est filius, qui est inclita patris sapientia, rerumque omnium opifex: Nam per effusionem unius in filium nata est natura media ineffabilis, quæ erat ante naturas omnes, partus equidem sacer inenarrabilisque fœtus patris ineffabilis, cujus ortum abstrusum, & mysticum nullum equidem tempus novit, quoniam unà cum patre apparuit, semper natus, qui nasciturus erat, & in eo manet, quamvis ex eo progenitus, ut omnia sapienti moderetur Spiritu: proficiens, inquam, filius à patre in patre permanet in æternum, & rursus extra, quæ sunt patris, regit. Hic patris verbum vociferans sermoque est exertissimus & primus ex prima progenitus ridice: Radix est omnium; nam cuncta sunt condita per ejus inclitum ortum, cum omnium rerum sit semen. Unitas ergo est dualitatis ejusdem essentia fons: & dualitas seu filius est unitatis seu patris forma atque imago: Unitas seu pater est dualitatis seu filii potentia; dualitas verò seu filius est patris pulchritudo. Et quamvis dualitas materia sit numerus infustus: quia fons atque origo litigii, discordia, impuritatis atque confusionis, nam hic numerus assumendo sibi materiam ab unitate separatur, quia in contentionis limites ingreditur, deorsumque in multitudinem se multiplicando, fugiendo ab unitatis præsentia, & tendendo versus centrum & profundum materia tenebrosæ profluit, ideò numerus hic in materia dicitur omnium imperfectissimus, quia nunquam nisi per resolutionem resolvi, & ad unitatis essentialis ac supersubstantialis apicem reduci potest, attamen binarius hic formæ numerus divinus, ultra unitatis essentialis limites non recedens, est numerus formalissimus & beatissimus; quia in eadem essentia, virtute unitatis (Spiritu mediante atque colligante sancto, à centro unitatis seu patris, & dualitatis seu filii procedente) ad unitatem reflectitur, & cum unitate renuitur, secundum illud *M. Trismeg. Monas generat monadem, & in seipsam reflexit ardorem suum.* Atque hæc essentia Deiformis, uniformis & triformis est, quoniam licet triplex sit hic personarum & numerorum, respectu

officiorum & virtutum distinctarum cuique attributarum differentia, est tamen semper unitas essentiae & identitas Deitatis; quæ quidem unitas virtute glutinis spiritualis inviolabiliter conservabitur in perpetuum. Atque hoc modo habemus Diadem ex Monade, quæ virtute conciliatrice Triadis cum Monade iterum in unitatem reducitur. Est igitur dualitas numerorum unitas, quia trinitas, estque trinitas, quia unitas; triuitas scilicet personarum, unitasque essentiae Deiformis.

C A P. IV.

De Triadis seu numeri ternarii supersubstantialis ortu.

MENS siquidem DEUS utriusque sexus fecunditate plenissimus (*Mercurii Trismegisti* ore jam loquor) vita & lux, cum suo verbo mentem alteram opificem peperit; qui quidem DEUS ignis dicitur atque spiritus numen, quem *Synesius* vocavit Spiritum sanctum medians principium à centro genitoris & à centro filii procedens, cujus lux elucescens conciliatrix nuncupatur, eò quod numerus ejus ternarius est verissimus & sincerrimus amor, qui Patrem cum filio nexu inviolabili conjungit, quippe quod dualitas (quæ est multitudo ab unitate progrediens) numeri ternarii vinculo in concordem unitatem reducitur. Talis ergo erat mundi origo, ab unitate, inquam, in multitudinem progressio, & talis ejus periodus, reductione scilicet multitudinis ad unitatem. Secundùm horum igitur divinorum numerorum in unitate semper contentorum progressum, dualitatis materialis, seu spiritualis, seu aqueæ seu naturæ humidæ ordo, harmonia, proportio, mensura seu intervalla disponuntur: hinc enim universi mundi in tres regiones divisio, quarum secunda à prima & tertia & ab utraque essentias acceperunt suas: hinc tres harmoniæ cujusque symphonix, Diapason, Diapente, & Diatessaron, quarum Diapente à Diapason quasi unitate & Diatessaron ab ambabus: hinc rerum omnium & ipsius mundi proportionis duplæ, sesquialtera & sesquitercia à varia lucis divinæ in spiritus universalis in hyla dispositione derivatæ: hinc rerum intervalla, nempe linea, superficies & corpus, seu longitudo, latitudo, & profunditas; linea nempe à puncto, & superficies à linea & corpus ab utroque: hinc tria animarum genera, intellectualis, sensitiva & vegetativa: hinc mundi dispositio à tribus, numero scilicet, mensura & pondere: hinc denique tres prædicantur à Philosophis mundi Principes; DEUS, MENS, & SPIRITUS. Atque hæc erat ratio, cur *Pythagorei* unitatem Apollinem vocaverunt, diadem materiam, triadem verò formam justitiamque, quæ summa est perfectio. DEUM ergo numero impari gaudere dicit *Poëta*, quoniam numerus primus & simplicissimus impar in essentia supercœlesti, est amor ille, qui conjungit patrem cum filio, unde (inquit *Synesius*) *Salve ô purissime Spiritus, centrum filii & patris*. Et alibi: *Ipsam socium filii & medium inter radicem & germen nuncupavit*. Et alibi: *Lucem conciliatricem*, quia à duabus personis primis derivata & cum illis unita Trinitatem conflavit: dicitur ergo hic numerus ternarius; numerus sacer, numerus perfectionis, & numerus potentissimus, quia in cõpositus & primus numerus impar, cujus nexu Dualitas fit Trinitas & Trinitas est facta Unitas. Atque hinc est, quod unum trinam sit adeptum vim, quo factum, ut DEUS unum sit & omnia, unum in seipso & per omnia, & quod Unitas sit, cum sit Trinitas, & quod Trinitas sit, cū sit Unitas: secundùm *Synesii hymn. 2. Cano te Unitas, cano te Trinitas: Unus es, Trinitas cum sis; Trinitas es, Unitas cum sis.*

D Unitas

Unitas enim est & solus in se actus, Trinitas est in perfectione sua, ab ipsa permanente, qua omnia creata, perfecta & bona dicuntur. Concludimus igitur, quod unitas sit terminus à quo & dualitas primogenitus unitatis, quasi numerus medius inter unitatem & ternarium, cujus perfectione, in essentia divina dualitas, seu medium nexu indissolubili duobus extremis conjungitur, quæ iterum circulari progressu sibi ipsis mirum in modum cohærent. Unde efficitur, quod omnes tres personæ, proprietate distinctæ non sint, nisi unum essentiâ, videlicet unica summa & sola essentia, quæ nihil præter tres personas existit, id est, tres proprietates, quarum una non est alia, nec duæ quævis sunt tertia, nec quævis tertia duæ, id n. sunt duæ, quod tertia, id tertia, quod duæ. Quid hoc? Deitas una, essentia una, unum denique. Qualiter hoc, si tres? Qualiter tres, si hoc? Incomprehensibiliter proin mirabiliter: Fides tantùm novit, sed tanquam à divino Spiritu totum, baptizandi formulam sub numero hoc ternario & relatione instituyente: *Baptizate, inquit, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti*, quæ quidem tria relativa declarationem suscipiunt, ut infra latius ostendemus.

*Demonstrationes proprietatum sanctæ Trinitatis per icones
& exempla factæ.*

Oculo comparari & declarari potest multiplex sacrosanctæ & super substantialis essentia proprietates. Albedo enim oculi Patri referri potest, quatenus ex ea cornea sphaera atque uvea (Filio atque Spiritui sancto comparatæ) procedunt: Nam Filius (qui proximè in suo processu Patri accedit) sphaeræ cornæ assimilatur; & Spiritus (qui est virtus ab ambobus) uvæ refertur, quæ in centro est corneæ, ut illa in centro albedinis utrosque orbes comprehendens. *Ut infra videre licet Figura 1.*

Vel comparatus Soli eo modo, quo dictum est in demonstratione facta libro primo, de macrocosmo cap. I. *Ut infra videre licet Figura 2.*

Vel etiam eruptioni nubis conferre liceat in tonitru factæ, in qua DEUS Pater videtur in similitudine ignis consumentis apparere. Sic à Moyse & Israëlitis visus est Jehova ineffabili vultu: Vox autem seu crepitus in tonitru verbo Dei assimilatur, hocque non ineptè cum huic opinioni sacræ Scripturæ astipulentur: Atque coruscatio denique seu fulgura Spiritui sancto attribui queunt, cum tali forma descenderit Spiritus ille super Apostolos. *Ut videre licet Figura 3.*

Vel

fig: i.






fig: 2.



3



Vel *circinis* quam optimè eam adaptare possumus, quorum summitas est quasi punctum, vel unitas essentia, quæ dividitur in proprietates diversas: Nam unus ejus pes firmatus atque immutabiliter in centro stans semper idem est, nec enim movetur à suo loco: Pes verò alter, mobilis est & regulariter circulum æqualiter à centro distantem describit: Ac ut pes mobilis sit firmior atque obedientior dispositionibus regularibus pedis immobiliter & invariabiliter centro adhærentis, adest quidam amicitia nexus & amoris quasi vinculum regulariter per centrum membri mobilis transiens, quod fixè membro vel pedi fixo affigitur & gubernat actum pedis seu membri mobilis ut numero, mensura atque proportione semper conveniat, atque relationem habeat ad pedem seu membrum fixum, ut secundum membri fixi leges & justitiam agat. Exemplum tale est.



Ab una essentia nempe A. tres proprietates distinctæ procedunt, quæ in se sunt unum & idem, videlicet, quasi essentia super substantiali A. In mundi verò fabrica sunt variæ & diversæ Deitatis proprietates: Deus enim in cælorum cacumine constanter sedens à se immisit filium seu sapientiam suam ad mundi orbicularis fabricationem non aliter, quàm pes circini mobilis progreditur dilatatione à pede ejusdem fixè & firmiter in centro permanente ad circuli seu peripheriæ productionem, cujus operatione circulus delineatur, & tamen in essentia conveniunt, videlicet in unitate seu puncto. A verbo *Jehovæ* (inquit Psalmista) *firmati sunt cæli*, &c. Et alibi; *sapientia Dei completa est machina*: Unitas ergo & pater constanter & invariabiliter manens ordinavit dualitatem seu filium, ut suam voluntatem exequeretur, eratque filius, patri suo obediens, regulariterque Spiritu (à patre & seipso egrediente) gubernatus ultra suum circulum limitesque à centro æquidistantes non progrediebatur; quoniam per Spiritum

Spiritum utraque extrema in unum hoc idem conjunguntur, ita ut totum non sit, nisi unus DEUS, unaque essentia divina superexcellens atque superans omnem intelligentiam, cui sempiterna sit laus, excellentia & dignitas. Sic unus atque idem circinus in varia officia distribuitur, quorum unum est firmiter stare, atque actiones duplices aliarum proprietatum secundum justitiam gubernare, atque pro sua dispositione disponere, sine qua figuram circularem describere impossibile est: Aliud est, extrinsecus in loco atque materia spatiosa operari, atque figuram circularem & orbicularem delineare: Tertium, utriusque virtutem vinculo amoris connectere, & harmoniam atque conformitatem ab utriusque amplexu effluentem exactè atque ad justitiam proportionare. Officia etiam unius Deitatis simili modo, sed & ulterius quàm mens humana excogitare potest, explicantur. Nam pater in arce sublimi (igne coruscante) constanter sedens, ordinando dixit, verbumque FIAT mundum orbicularem, cœlosque sphaericos fabricavit; Spiritusque intermedius virtutem utriusque amoris vinculo complectens vim, atque efficaciam, cum locutoris, tum verbi in mundum creaturasque suas influxit, atque affluenter impluit, juxta illud Psalmistæ regii antea allegatum; *Verbo Domini firmati sunt cali, & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum.*

C A P. V.

*Quod qualibet persona sancta & individua Trinitatis proprietatem habeat distinctam in mundi fabrica creaturarumque ejusdem productione;
Et de universali unitatis proprietate, ac de ejus cum denario numero convenientia.*

ADMIRANDA mysticæ mundi creationis ratio in arcana Trinitatis dispositione, Deitatisque sinu delitescit, ita ut nullus existat in Trinitate digitus, sive sit unus, sive binus, sive trinus, qui suum proprium, & peculiare mysterium in se non possideat, variumque in mundo (secundum ingentem & admirabilem sui muneris efficaciam) non producat effectum. Nam in unitate (quatenus non potest in se multiplicari, aut de sua natura, in multitudinem reduci aut dividi) tanquam unico universo mundo idealis & merè formali, mundi materialis effigies abstruso modo delineatur: Unum enim procul dubio erat principale in animo conditoris condendorum exemplar. Ut igitur Monas erat primò in Trinitatis productione (quæ est prima rerum tam increatarum, quàm creaturarum radix) sic etiam secundò post illius quadrati simplicis partum, primum locum occupabat unitas in denario numero ad mundi compositionem, quippe quæ cum denario numero connectione forti adligatur: Nam unitas est pater super substantialis partus, & denarius numerus est pater substantialis partus, qui quidem genitores duo ab invicem non differunt, cum ambo sint Deus unus, sed tamen proprietate actionis differunt: quia prior unitas simplex erat, & inexplicabili modo in mundo super substantiali versatur, posterior verò in denario (hoc est, cum cyphra conjuncto) in mundum materiale agit. Hinc *Mercurius Trismegistus: DEUS cosmî pater, & cosmus Dei filius dicitur, &c.* Est igitur DEUS unitas in mundo formali & numeri denarii locum habet in mûdo materiali: Nam ut numerus denarius est finis numerorum simplicium, sic etiam est principium compositorum, & medium seu centrum inter unitatem & numerum centenarium. Incipit ergo unitas numerum denarium in simplicibus, iterumque eadem unitas numeros quoscumque denarios terminare observatur.

Atque huic nostræ opinioni adstipulari videtur *Mercurius Trismegistus*, cujus verba sunt hæc: *Numerus denarius anima genitor est; vita verò & lux ibi unitæ sunt, ubi unitatis ipsius numeri sunt ex spiritu nati, itaque unitas secundum rationem denarium complectitur, rursusq; denarius unitatem.* Quanto equidem gaudio eadem ego perfusus hæc sapientis verba audiendo, tam propriè atque aptè huic meæ inventioni convenientia, vix lingua aut plumæ argutia exprimere possum: Nam quid aliud voluisset Antistes hic divinus, quàm quod in mundi creatione numerus denarius (quem postea unitatem appellat) sit animæ mundanæ genitor, & per consequens humanæ, quoniam, inquit ille, *ibi vita & lux, id est, spiritus & fulgor divinus seu forma unita sunt: dicitque unitatis numeros ex spiritu, hoc est, ex materia spiritali natos esse, articulatos nimirum & compositos.* Ex his igitur sic concludit, propter compositionem Spiritus cum luce. Itaque unitas secundum rationem denarium complectitur, hoc est unitas, quæ genitor erat in super substantiali & simplici partu, in partu composito secundum rationem denarium complectitur, dicitque reciprocum esse complexum inter unitatem & numerum denarium. Ex quibus arguere videtur, quod unitas in trinitate sit idem, quod denarius in compositione, & in alio loco dicit, *quod numero denario presenti intellectualis generatio composita sit, hoc est, cælum intellectuale cum choro Angelorum in novem sphaeras seu locos primæ articulorum denariorum compositionis divisum, &c.* Dicimus denique, quod unitas duplicem habeat ad mundum relationem, vel scilicet, quatenus id omne est, quod est: atq; ita nunc mundus integer unitati (quæ integra & universalis est in se) comparatur: Unde mundus propter suarum partium integritatem à *M. Trismegisto*, dicitur *DEUS materialis & incorruptibilis*: Et alibi dicit: *DEUM unum esse unius mundi patrem, mundum unum esse unius solis progenitorem, atque unicum solem esse unius hominis originem, &c.* Vel quatenus propter unitatis suæ proprietatem (numerum denarium amplectentem) primum creationis opificium sibi vendicavit, & in prima sua dispositione (quatenus prima personarum superioris mundi machinæ rationem sibi attribuit: quippe cujus spiritus igneus in ea regione primum super aquis ferebatur) Ex his igitur constat, quod primæ Trinitatis personæ proprietates atque actio in mundi structura versetur circa universalitatem, mundum unum integrum constituentem: Nam cum omne, quod est, sub ejus dictione inæstimabili constituatur, & in ejus virtute comprehendatur, ipsam totam rerum naturam universumque mundi spiritum respicere, de potentia in actum reducere, & igneo suo vitæ spiraculo sustinere, atque universam denique machinam, immensa sua fortitudine statuminare, necessariò consequetur.

C A P. VI.

De numeri Binarii & Diadis seu secundæ personæ proprietate & officio in mundi fabrica.

Numerus Binarius sacrosanctus ab unitate immediatè procedens secunda Trinitatis individua persona existit, primæ seu unitati vinculis inviolabilibus connexa; Filius super substantialis unicus, à Patre Deiformi propagatus, & in patre existens, non aliter, quam vox in ore, dum loquitur homo, vel rectius, ut crepitus seu fragor formidabilis in tonitru, seu verbum Jehovæ Moysen alloquentis, super montem Sinai à nube, tanquam ab ore Dei profiliens, cui in instante spiritus igneus, seu fulgor divinus, seu gloriæ spiritalis & igneæ Jehovæ excellentia succedebat, tanquam ab ipso Jehova, & ejus verbo profiliens. Hæc, inquam,

inquam, patris sapientia, hæc lux increata, hic mundi & vitæ creator, à patre secundus, quatenus ejus filius unigenitus, ex eo proximè exiliens, in patre manet, & rursus, quæ extra sunt patris, regit, mundo deducit fœcunditatem vitæ, secundùm illud divini Synesii: *Quem ex ineffabili sinu effudisti filium, in te manet, ex te quamvis progenitus, ut omnia sapienti moderetur spiritu, moderetur oras immensi mundi usque ad imum fundum, centro terræ portione piorum affulgens: solvit enim labores & curas miserorum mortalium, autor bonorum, propulsator malorum, &c.* Ex cujus siquidem sermone elicimus, verbùm seu sermonem, seu secundam Trinitatis personam ex proprietate sua peculiari, versari circa materiæ universalis abyssi mundum majorem constituentis & compositionis opaci mundi minoris externum conflantis, mundificationem, præsertionem, & purificationem, eratque ejus officium juxta secretum patris consilium & voluntatem, ut cœlos firmaret, secundùm illud Psalmistæ Regii; *Verbo Domini firmati sunt cœli, &c.* Hinc in hujusmodi sermones iterum prorumpit Synesius: *Tu mundi conditor, fulgentium orbium & syderum, centrîque terræ stabilitor, tibi Sol æquitat perennis fons, &c.* Hoc etiam verbi officium seu proprietatem luculentius nos docet Mercurius Trismegistus Pim. I. his verbis: *Mens cum verbo septem fabricavit Planetas, qui circulis mundum sensibilem complectuntur; connexit inde Dei verbum ex elementis deorsum tendentibus purum natura artificium unitatùmque est officii menti, consubstantialia enim est, relictæque sunt elementa deorsum tendentia sine ratione, ut sint tanquam sola materies: Mens quidem opifex unà cum verbo, circulos continens, ac celeri rapacitate convertens suam ad se machinam flectit, eamque volvi à principio ad finem absque fine præcepit.* Et alibi: *mundum verbo non manibus fabricatus est opifex.* Et alibi: *DEUS verbo cuncta constituit.* Ex quibus constare videtur Binarii supercœlestium numerorum proprietatem esse circa mundi materialis ordinationem & ejusdem in regiones, cœlos & orbis dispositionem; ipsumque operationes suas perficere virtute unitatis seu patris, cui consubstantialis existit coadjutor in machinæ universæ dispositione. Pater igitur & unitas versatus est circa unum & totum, & filius tanquam multiplicatus in patris bonitate, distinguit, illud unum universale in partes differētes & virtute distinctas, ambo circa materialia versantur, & spiritus seu splendor sanctus ab utroque profiliens, cui libet mundi portioni & creaturæ virtutem sibi propriam attribuit: Nam juxta Prophetæ regii doctrinam, *ut cœli verbo Domini erant formati, sic spiritu ab ore ejus omnes virtutes eorum.* Ex quibus patet, quod prima persona operetur præcipuè in ordinatione, determinando in suo decreto consilio, quid faciendum sit in mudi creatione. Secunda persona suo patri obedientissima, & quasi solus patris consiliarius, imò verò ipsissimum ejus consilium & sapientia voluntatem patris ad amissim exequitur, mediante tertia, quæ semper adest necessariò in omni operatione. Mysticum autem modum, quo verbum in materiæ mundanæ massam informem primum ad mundi creationem, ex folio seu palatio suo immortali & supersubstantiali descendebat, nos luculenter docet Mercurius Trismegistus his verbis; *Anima est in corpore, mens in anima, in mente verbum, Deus verò eorum pater, &c.* quamvis illic loquatur de corpore humano opaco, tamen hoc idem potest intelligi de massa tenebrosa ante mundi operationem. Nam in prima verbi sacrosancti ab ore patris prolatione circumambiebant illud radii mentis, id quasi undique stipantes, ornantes, atque ineffabili potentia munientes contra litigii invasiones, aut naturæ humidæ in tenebris occultatæ passiones. Mens autem divina è vestigio (sic jubente verbo) animam mundanam conflagrat compositionem ejus ex portione radiorum sui ipsius & purissimi spiritus, splendore mentis jam detecti, revelati, & à tenebris liberati, faciens, qui aquæ creatæ & informatæ, imò verò ipsius formæ cœlestis nomen jam acquisivit: Nam *Spiritus Domini fereba-*

tur super aquas, igneum iis vigorem indens; quoniam ex nihilo & tenebris immerito jam detectæ sunt, & manifestatæ ac virtute radiorum divinorum cognoscuntur esse aquæ vel spiritus universalis. Hoc ergo modo, mutante Pimandro sen- mente patre vultum suum, (ut Mercurii Trismegisti ore loquar) & seipsum revelare volente, continuo omnes in lumen immensum atque jucundum conversa sunt, & paulò post quædam umbra horrenda obliqua revolutione subter labebatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitabatur; Inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat ex sonitu vox egrediebatur, quam ego (inquit Trismegistus) luminis vocem existimabam. Ex hac luminis voce verbum factum prodiit: Verum hoc natura humida astans eam fovebat, &c.

C A P. VII.

De numeris materialibus, Binario scilicet, quaternario & octonario, de Diadis Deiformis proprietate ortis.

Dualitas formalis numerus est *faustissimus*, quia cum unitate formali, à qua ortus est consubstantialis: Est etiam *perfectissimus*, quatenus est medietas, seu centrum trinitatis, habetq; principium à patre super substantiali suæ naturæ: habetque finem in ternario numero, qui est spiritus infinitus & incomprehensibilis, atque ipsa denique est sui ipsius medietas, & centrum numeri ternarii à centro patris egrediens. Hinc igitur est, quod hic numerus sit centrum concordia, retinens in se Patris seu unitatis imaginem, & Spiritus sancti numeri ternarii fulgorem. Faustissima ergo, vivifica, & conservatrix est hic numerus formalis radix, producens felicissimum quadratum formalem, & cubum haud dissimilem: Nam Binarius hic essentialis (unitatis vitalis germen) non progreditur ad multitudinem, ut ille materialis: cum hic effluens ab unitate per ternarium iterum redeat, atque connectatur unitati, à qua antea fuit derivatus. Hinc inde dicitur *numerus justitia peculiaris*, ejusque proprius actus ipsa justitia, eò quod duobus gaudeat pariter ponderatis, diciturque, *numerus sapientia, scientia, memoria, lucis, imò verò ipsius hominis charitatisque & mutui amoris nodus*; Nam ut vinculis matrimonialibus reducti sunt duo in carnem quasi unam, sic in binario mystico sunt duo in eadem essentia per spiritum tertium unita: Similiter hoc fit in ejus quadrato, qui est 4. Nam quadratus formalis Deo Patri ascribitur, quin & totius trinitatis mysterium complectitur: Nam ipsius simpla proportione, prima scilicet unius ad unum: unitas paternæ substantiæ significatur; ex qua nunc procedit filius illi æqualis, altera autem processione etiam simpla, videlicet duorum ad duo, notatur secunda processione ex utroque Spiritus sanctus, ut sic fiat æqualis Patri Filius processione prima: æqualis utriq; Spiritus sanctus processione secunda: Hinc ergo superexcellens illud Dei, divi- væque Trinitatis nomen Tetragrammaton ortum est, videlicet, Jod, He, & Vau, He, ubi aspiratio He, Spiritus ab utroque processionem denotat: ipsa enim He duplicata utramque syllabam totumque nomen terminat: pronunciat Jova & Jehova, ut nonnulli volunt. Est ergo hic numerus origo totius divinitatis; Unde Pythagorei eum naturæ fontem nuncuparunt. Est etiam *numerus omnem implens scientiam*. Nam filius dicitur scientia & sapientia patris. Præterea additione hujus numeri cum 1. 2. 3. 4. fit iterum ad unitatem re- versio, videlicet ad numerum denarium, à quo incepit mundi materialis stru- ctura. Denique cubum à numero binario exultantem, qui est 8. Pythagorei ap- pella-

pellaverunt *numerum justitiæ*, quoniam dividitur in numeros pariter pares, videlicet in quatuor, qui est ejus quadratus, & iterum quatuor in bis binum, & binarius denique dividitur in unitatis binas: Et propter hanc divisionis æqualitatem usque ad unitatem, justitiæ nomen sibi vendicavit. Dicitur etiam *numerus beatitudinis*, eò quod pertinet ad æternitatem, & mundi consummationem; quia subsequitur septenarium, qui temporis symbolum est, tot etiam beatitudinis gradus docet Christus apud Matthæum. Denique vocatur *numerus salutis & conservationis*. Hujus igitur numeri radicalis & sacrosancti harmonia Diapason mundo resonante, descendebat Verbum in mundum deformem, ut eum informaret, horrendasque ejus immundities deponeret, umbrasque teterrimas ad centrum repercuteret. Penetratione igitur deorsum facta, hæc sui Patris sapientia, hic Demogorgo unus & trinus, sive hæc trinitatis medietas percepit atque animadvertit, chaos seu potius hylam, vel materiam primam, & deformem sola potentia imprægnatam, & gravidam existere, atque paratam ad hoc aliquid nihil Demogorgonis ope pariendum, & in actum producendum. Contremuit enim ejus venter caliginæ obvelatus, exagitata sunt hylæ membra præ partus sui litigiosi perturbatione: Quippe unitas in potentia actum videre, & facie ad faciem contueri contendit. Commiserta est Demogorgonis proles unigenita chaos doloris, & ad nixum ejus laboriosum pariendi dextram benigne porrigebat; Actu igitur cum potentia concurrente, litigium primogenitus hylæ seu chaos filius, unitas potentialis, discordiæque semen in actum productus est, qui, ut primam radios vitæ à verbo seu Demogorgone sibi attraxisset, seditionis hic auctor & tenebrarum princeps (beneficiorum sui creatoris oblitus) superbia protinus atque ambitione elatus exurgit, atque unitatis super substantialis locum & dignitatem usurpare haud dubitavit, noluit sibi præfectum admittere, neminem æternitate & imperio sibi præferri voluit primumque sibi in mundo locum vendicare ausus est, atque ita secundus hic focus malitiæ, ambitione, & seditione plenus, contractis atque assistentibus sibi & cohærentibus comitibus suis humidis (ex hylæ voragine cum ipso profilientibus) ex radiis fontis lucidi, undique propter Verbi & Spiritus sancti præsentiam per humidam naturam in regione empyrea expansis, alis alienis sursum hostiliter versus mundum formalem tendit; sed essentiæ super substantialis potestatem incomprehensibilem ante contactum & effectum ignorans, unius fulminis ictu, solaque verbi ejus emissionem à mundo formali dejicitur rebellis hic proditor, atque in tenebrarum abyssum iterum cum sociis & cohortibus suis submergitur, & ad materialis tandem mundi centrum propellitur, atque immediate post ejus dejectionem, natura humida universalis secundus hylæ partus propagatus est, quem Poëtæ finxerunt esse *Panem*, per cujus barbam longam radios lucis & solis intellexerunt, per caput ocellatum firmamentum stellis fixis repletum, per fistulamque ex septem syringibus conflatum, septem planetarum vires & harmoniam significaverunt: Ex his igitur perspicuum est, quod Litigium, ante verbi præsentiam fulgorisque spiritualis apparitionem, nihil omnino fuerit, præterquam unitas in potentia, quæ quidem unitas actu esse non poterat, quia illa actualis & formalis præcedebat in Trinitate sacrosancta, quæ fuit ei principium, atque per consequens erat quiddam secundum, quatenus procedebat ab unitate præexistente. Eadem etiam est ratio in materiæ universalis spiritualis productione, quæ partu materiali succedebat Litigio, cum sit ejusdem generis & naturæ, nisi in eo, quod ejus immundities, impuritas, & tenebræ exuantur & seponantur, & quod virtute radorum & fulgoris divini materia hæc universalis aquæ limpidæ conformis, numero, pondere, & mensura librata & suo creatori magis obediens redditur: Unde constat (ut *M. Trismeg.* verbis utar) quod quoniam mens verbum humida natura, quæ ex umbra effulsit, junctor est, ideo numeri binarii materialis locum possidet,

E
quæ

quæ quidem dualitas non ita se habet, ut illa formalis, quam supra demonstravimus esse completissimã, & perfectissimã in sua natura, & rerû conservatricem; sed vice versa per se non magis in rerû natura existit spiritus materialis absq; radiis & assistentia divina, quam cyphra sine digito apud Arithmeticos, ut antea ostensum est. Præterea est numerus hîc materialis in se *numerus seditionis & discordiæ origo*, & per consequens *imperfectissimus*, quatenus nõ habet principiũ actuale sibi consubstãtiale, quippe cujus principiũ consubstãtiale erat aliquid unũ in potẽtia, sed post ejus in actum productionẽ reliquit illam denominationẽ & induit pluralitatis formam, amittendo suam unitatẽ, eamq; unitati formali merito attribuendo. Atque hinc est, quod unitatem actu suæ naturæ convenientẽ minimẽ possidet, quare nec principiũ nec medium nec finem habet, unde fit ut pessima res sit ipsa materia sine numeri divini præsentia & fontis, nimirum totius bonitatis, assistentia, quoniam nisi trinitas super substantialis aliquid suæ perfectionis & bonitatis implueret in materiam hanc mundanam, nihil esset, nisi congeries malorum, congregatio invidiæ, accumulatio discordiæ, abyssus deformitatis, & in multitudinem inclinatio: Neque hæc etiam omnia, nisi sola potentia esset quatenus omnis actus (ut dictum est) & omnis bonitas est à fonte lucido. Hinc ergo numerus hic binarius materialis, *numerus discordiæ, confusionis, infortunii & immunditiæ* nuncupatus est. Atque hinc etiam erat, quod D. Hieronymus contra Jovinianum inquit, *quod idẽ in secundo mundi creationis die non fuerit dictum: Et vidit DEUS. quod esset bonum, quia binarius mundi numerus sit malus: Præterea hinc erat, quod jubebat Deus animalia immunda numero binario in arcam ingredi*, quia scilicet binarius numerus est numerus immunditiæ atque in auspiciis infelicissimus; hæc denique fuit ratio, propter quam *Pythagorei* (ut narrat *Plutarchus*) unitatem Apollinem seu Deum vocaverunt, diada, litem & audaciam & triada justitiæ applicaverunt, quæ est summa perfectio. Progressione igitur ab hoc in fausto numero materiali, quæ deorsum tẽdit, anima divina magis magisq; incarceratur, & in tenebrarum laqueis densissimarum circumvolvitur, ac infelicissima redditur, passionibus vexatur atq; mûdi præstigiis & illusionib. decipitur; Unde fit, ut quo magis descẽdit lux ab aspectu fontis lucidi versus pyramidis materialis basin, eò magis periclitetur, & in tenebris submergatur: Sic dualitas hæc in se ducta 4. elementa producit, quæ primum sua viscositate circummuniunt animam in ipsorum spiritu, & rursus adhuc altius in ejus profundum se immergens ad cubum usque reducitur anima spiritus laqueis captivata, & in corpus opacum seu trinam dimensionem seu elementorum elementatum seu compositionem ex 4. elementis cubum quadrati constituentem introducitur adulationibus spiritus, qui est ex parte materiæ. Atque hæc est ratio, quod homines magis mundo, carne, diabolo, & delitiis inferioribus præstigiosis & vanis afficiuntur, quam rebus supercœlestibus, divinis, & veritate imbutis; quia scilicet spiritus existens ex parte materiæ mentem & animã negligit, & animæ animalis seu elemẽtari adhæret. At verò attẽdite atq; expectate ô terrigenæ, auscultate, inquã, creaturæ divina ratione imbutæ, gaudete ô homines, aut lætitia haud minima sitis perfusi. Nam totum illud, quod materia prodicione in animas vestras *machinata* est, discordiam suam seminãdo seu incipiendo à sua dualitate, & progrediendo ad universalitatem & profunditatem suæ massæ versus basin suæ pyramidis centrum: id inquam, omne dualitas super substantialis (quæ est unitas & trinitas) sua harmonia per eosdem discordiæ gradus, vice versa à cono suæ pyramidis formalis versus ejus basin, mundo formali affixã, ascendendo & insurgẽdo dissolvit, animasq; captas à tenebris liberabit, & tandẽ ad sedẽ suã connaturalẽ exaltabit: Nam radix in cono pyramidis formalis (juxta terram seu basin pyramidis materialis sitam) enodabit vincula

tene-

tenebrarum mortisque venenum extinguet, & prima vice cubum materialem (resolutione mirabili in se dividendo) post corporis dissolutionem in quatuor elementa, subtiliando reducet, animamque in regionem quadrati formalis seu sphaeram solis, seu sedem æqualitatis, seu punctum, seu centrum intersectionis duarum pyramidum exaltabit; Ubi adhuc laqueis quatuor elementorum retinebitur anima, nec totaliter liberabitur ea cum mente à suis vinculis; Unde radix formalis ad quadrati materialis dissolutionem adhuc tendet, atque ita dividendo numerum quaternarium elementorum in se, animam ab ejus laqueis materialibus omnino liberare, & in regionem formalem æterna cum beatitudine exaltare laborabit: Exultate, inquam, quia hæc, & tantæ efficaciam est immensa secundæ personæ in Trinitate potentia: hæc illius proprietates benigna, cujus conamen semper versatur ad liberationem animarum sanctorum hominum, ne tenebris perpetuò demergantur: Hæc sola hominum salus; Hic salvator, redemptor & pro iis mediator unicus. Atque hæc est illa expectatio exaltationis nostræ per fidem, quam habemus à Christo JESU, DEI verbo, qui est dux unicus, & radix sola, à morte & tenebris ad animæ tenebris immersæ illuminationem & vitam æternam fastigium conducens, ratione ergo hujus cubi materialis, jactatus est talis à Mercurio Trismegisto sermo: *Quicquid utique genitum, imperfectum, dividuum, crescens & decrescens est.* Atque hic notandum, & diligenter seduloque observandum, quod omne corporis incrementum sit à materia, ejus verò decrementum à forma & à Deo. Nam ut materia tenebrosa agit ad animarum captivationem per reductionem unitatis ad multitudinem; sic etiam DEUS & forma agit ad ipsarum liberationem à captivitate, reducendo eas à multitudine ad simplicitatem & unitatem. Ex his etiam diligenter consideranda sunt verba sapientis: Sapient. 9. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem; & difficilia estimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore, quæ autem in cælis sunt, quis investigabit, nisi tu dederis sapientiam, &c.* Hujus enim virtute vivifica fit regeneratio in hac vita, & in ejus spiritu resurrectio ad vitam æternam.

C A P. VIII.

De proprietate numeri ternarii in Trinitate seu tertie personæ in mundi fabrica.

NUMERUS hic impar supersubstantialis est sacrosanctus, quo DEUS gaudere dicitur, quatenus est numerus incompositus, sacer, potentissimus & perfectissimus, eatenus multa mysteria Deitatis comprehendit multaque in mundi compositione arcana produxit: Nam in primis, quoniam Deus refertur numero ternario, idè arguitur atque indicatur, quod hic numerus sit perfectissimus, quippe qui est pulchritudo perficiens principiū, medium & finē & ipsa æqualia absolutè habēs: Cæteri verò numeri, qui habēt tres illos perfectonis gradus, nō eos absolutè & simpliciter, sed respectivè & cōpositè. Proditigitur ternarius hic Deū principiū, causam & formā à forma præcipua, prodit perfectissimū à principio, medio & fine, ut, per quæ omnia, fine, ut in quo omnia; Ex quibus constat, numerū hunc esse abstrusissimū & admirabilē tertie personæ in Trinitate communionē & nexū indissolubilē, cum illa prima & secunda, perspicuè explicantē, omnesq; tres simul ineffabili unitatis nodo, nexuq; ejusdē inviolabili cōnectētē. Hujus ergo spiritus sacrosancti seu personæ in Trinitate tertie officium versatur

circaperfectionē operationū primarum duarum : nam Spiritus spiratores semper comitantur in ipsorum actionibus : A patre ergo seu unitate ordinatio fit ad mundum fabricandum, hocque per filium. Mundum enim verbo & non manibus fabricatus est opifex, hocq; in virtute Spiritus sancti, qui ferebatur super aquas : Atque hoc omne paucissimis verbis confiteri videtur *David* dicendo : *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* Secundum hujus ergo numeri naturam mundus in tres cælos est divisus ; *Empyreum, Aethereum & Elementare*, quorum materia talem differentiam accipit, qualem habet à virtute ignea seu fulgore amatorio Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas ; Cujus virtutis intensior & superior potestas, regionis mundi superioris spiritum humidum excellenter subtilians, illum totum fulgoris & ardoris sui plenitudine igneum quasi reddidit. Unde appellatus est lux primo die creata & regio illam continens, inde *Empyrea à Pyros* (quod est ignis) dicta est, in qua tres sunt lucis partes ad unam spiritus humidi. Hujus etiam radiis & virtute remissiori conflata est regio media, ubi duæ materiæ portiones adæquant totidem lucis, unde *Æther* dicitur, hæc media regio quasi *Æthæer*, hoc est, igneus aër. Deinde spiritus divini facultas ignea magis deorsum penetrans (sed gradu adhuc remissiori) tres in regione elementari spiritus materialis reliquit partes ad unicam lucis. Iterum quodlibet horum cælorum secundum Triadis ordinem subdividitur, superius nimirum in tres angelorum hierarchias, quæ iterum in orbis tres ad quamlibet hierarchiam pertinentes, distinguuntur, medium in tria sphærarum genera, quarum quælibet in orbis tres subdividitur, videlicet in primum mobile, cælum stellatum, & sphæram Saturni, & in secundo ordine in sphæras Jovis, Martis & Solis, ac in infima serie in sphæras Veneris, Mercurii, & Lune, infimum in elementum ignis, sphæram humiditatis & elementum terræ distribuitur, & iterum elementum ignis in partem ætheream, & partem elementarem, ac supremam aëris regionem, deinde in duas inferiores aëris regiones & aquæ sphæram, atque denique in tres terræ regiones, cætera duo dividuntur ac distinguuntur, in homine etiam præcipuè operatur hæc tertia persona, cum ejus internum ad sanctæ Trinitatis ideam constituatur, videlicet ex mente, spiritu, & anima, externum ex ossibus, carne, & venis, & ex capite, thorace, & ventre. Ad generum etiam creaturarum terrestrium distinctionem operatur hic spiritus divinus, eas dividens in animalia, vegetabilia & mineralia. In cælo denique supremo animantium genera discrepare facit ea in diversas naturas distinguens, in deos, dæmones, heroës, & animas (secundum *Jamblici* opinionem) atque ita malis infinitis.

C A P. IX.

*Quomodo cujuslibet cælorum seu regionum mundi trium divisio
tripartita suo ordine personis tribus sacrosanctæ
Trinitatis correspondeat.*

Sed ut argumentis adhuc efficacioribus probemus mundum universum ad Exemplar trium personarum in sacrosancta Trinitate, & per consequens ad iconem & repræsentationem Dei factum & formatum fuisse, reputandum erit, quod primum oculis spiritualibus cæli empyrei hierarchiarum trium proprietates & situs introspeciamus, easque in omni (hocque directo tramite) cum tribus Trinitatis personis convenire percipiemus. Nam in superiori hierarchia, *Epiphania* dicta, proprietates patris reperitur, cum hæc versetur circa ferventem

tem amorem & affectionem in summitate altissimæ motionis & in judiciorum particularium liberatione seu ponderatione: Hinc dividitur hæc hierarchia in ordines tali proprietati naturâ convenientes. Nam *Seraphini* (qui est superior hujus hierarchiæ ordo) consistit ex multitudine angelorum, quorum est intelligere altissima, & igne essentiali Dei accendi, quatenus mundo formali proximi, & simplicissimo Dei habitaculo vicini sunt: *Cherubini* sapientia & scientia implentur. Et *Throni* iudicio divino sunt repletissimi: Nam (ut *Isidorus* testificatur) DEUS sedet ipsis in iudicio suo, & per ipsos disponit omnia. Unde hæc hierarchia Deo Patri rectè attribuitur. Secunda & media hierarchia *Epiphonomia* dicitur, quæ significat divinum splendorem & claritatem cum reverentia, in *Principatus, Potestates & Dominationes* divisa: Sic secunda persona, quæ est verbû, dicitur mundi lux, & rerum vita, quæ imprimis tanquam rerum actum revereri debemus. Tertia & infima *Ephionia* vocatur, quasi ad virtutes pertinens, quia spiritus istius hierarchiæ sive sint *Virtutes, Archangeli seu Angeli*, potestatem habent miracula præstandi, curâdi ægritudines tam animi, quàm corporis, hocq; super rationem naturæ, & mysteria demonstrandi, cui tertia persona refertur, cum Spiritu ab ore Domini omnes virtutes mundo attribuantur. Ex prima ergo hierarchia, tanquam ex fonte seu centro lucido, secunda tanquam splendor & lumen à corpore igneo procedit, & ut à lumine color oritur, sic virtutes à splendore lucis. Prima ergo hierarchia est quasi igneus ardor, secunda divina claritas, tanquam ab igneo ardore, & tertia, virtus secreta, tanquam calor ab utroque, videlicet igne & lumine. Quam manifestissimam ergo hic videmus primi cœli & partium ejusdem cum Trinitate convenientiam. De hoc autem cœlo in secundum profiliendo, ibi etiam trinitatem sub eadem relatione quàm evidentissimè reperiemus: Nam in prima & suprema ejus triplicitate *primum mobile, cœlum stellatum & spheram Saturni* complectente, proprietatē unitatis & patris percipiemus, nā ut unitas est primus numerus, à quo ceteri numeri oriuntur, sic omnia inferiora movētur virtute primi mobilis: Similiter ut firmamentū dicitur cœlum ex stellis fixis conflatum, sic pater in sua natura fixus est, immobilis & nullo modo alterandus, ut in unitatis natura animadvertitur: Denique ut *Saturnus* dictus erat apud Poëtas Deorum cæterorum pater, sic ab unitate seu patre supersubstāiali duæ cæteræ Trinitatis personæ, filius & Spiritus S. propagantur. Iterum secunda & media hujus cœli triplicitas secundæ Trinitatis personæ in sua dispositione comparatur. Nam ut *Jupiter* erat filius *Saturni*, sic secunda persona filius primæ, ut ille appellatur *fulminum pater* (sagittas fulmineas secum portans) sic etiam est hæc vox patris cum fulmine & tonitru egrediens, & stipata ab ore patris viribus ingentibus & potentia ineffabili percutiens, ubi vult: Est etiam *Jupiter* æstimatus pro justitia, benevolentia, religione, pietate, conservatore, & amico generis humani, humidiq; radicalis & calidi innati distributor, qui ad vitam rerum facillimè se jungit. Filii autem potentiam incomparabilem, justitiam, benignitatem, religionem, pietatem, generi humano affabilitatem, operationem ad vitam ejusque præservationem infiniti sacrarum scripturarum loci luculenter explicaverunt. *Mars* etiam in eadem triplicitate repertus, filii potentiam & victoriam contra impietatis principem, & ejus sectatores, iniquitatis videlicet turbam arguit, cujus est bestiam, pseudopphetam, orcum, & mortem ipsam superare. Denique *Soli* appropriatur secunda hæc persona sacrosancta multis modis: Ut enim ab *Apolline* harmonia mundana dicitur profluere, sis revera à filio, seu dualitate cum suo spiritu materiæ universalis symphonia (in Diatessaron, Diapente, & per consequens in Diapason, quod conflatur ex illis duobus) derivatur, ut supra declaratum est. *Sol* etiam secundum *Merc. Trismegist. mundi materialis filius*, & secundum *Platonem, Dei im-*

mortalis filius visibilis, dicitur, sic secunda persona filius est Dei invisibilis: *Sol, lux mundi visibilis*, filius patris, lux invisibilis, cuique creaturæ dans essentiam: *Sol vitas dicitur in inferiora quotannis ad generationem implere*, sed secunda divinitatis persona vitam & speciem rebus dedit in creatione, imò verò & solem ipsum constituit in cælo, ut suam proprietatem ex officio inferioribus tam ad vitas illas generatione in rebus corruptibilibus præservandas, quam incorruptibilibus retinendas, impleret, quas in primordio, verbum illud divinum, seu secunda persona creaturis imprimebat & insculpebat. Infima denique hujus cæli triplicitas correspondet personæ tertiæ creationis: Nam *Venus* dominium habet in humidam & calidam laticis inferioris naturam, aëream nempe: *Mercurius* ventorum, flatum, & spirituum dominator est (ut Astrologi testantur:) Et *Luna* aquarum ac humorum frigidorum dominatrix: Sic etiam ex multis sacrarum scripturarum locis Spiritum aquis, & mari, ac fluctibus sonantibus, vinoque & flauti, ac vento referrî inveniemus, sic etiam dicitur *ferri in principio super aquas*, &c. Si denique ad cæli elementaris contemplationem accedamus, & inquisitionē ibi diligentem faciamus, percipiemus quidem, quod in tribus etiam ejus triplicitatibus tres personarum individua Trinitatis proprietates ordine suo proprio reperiantur: Nam primæ personæ ignea triplicitas refertur, quæ est luminis inferioris, quasi myrothecium & promptuarium elementum altissimum, subtilissimum, purissimum, potentissimum, actuosissimum & vivum: Sic prima persona est luminis universalis pater, altissimus, simplicissimus, potentissimus & actu velocissimus ac summus: Iterum igneum hoc elementum omnia inferiora impura consumit & destruit: Sic etiam dicitur, quod *Deus* sit ignis consumens, & tam subtilis, penetrans ac efficax, ut nemo mortalium eum in ipsius essentia videre, & vivere possit. Secundæ etiam personæ proprietates in triplicite humiditatis sphaera aëre videlicet, reperitur: Nam ut aër immediatè est ab igne (imò verò est ipse ignis spissus non aliter ex duabus partibus ignis conflatus quam dualitas ex duabus unitatibus) ita in hoc secundæ personæ comparatur procedente ex patre igneo & amatorio: Deinde, ut aër est vitæ administrator in passivis, sic secunda persona seu verbum, in activis: Unde dicit *Mercurius Trismegistus: Verbum nature humida astans eam fovebat*, &c. Est ergo lux vitalis in spiritu, & calidum innatum in aëre, qui ad Jovis radios relationem in consonantia Diapason habet, & per consequens personæ quælibet, proprietates superior cujuslibet cæli respondet ad proprietatem cæli inferioris, uti facta debita inquisitione, evidentissimè apparebit. Denique tertia persona relationem habet tam ad aërem, quam ad aquam, & spiritum & ventos in terra inclusos, propter rationes superius allegatas. Est etiam & alia proprietatis trinæ relatio descripta ab *Amos* Propheta in hæc verba: *Qui adificat in cælo ascensionem suam, qui fundat fasciculum suum super terram, qui vocat aquas maris & effundit eas super faciem terra:* Et iterum à *Jeremia* Propheta, in hæc verba, in eodem Prophetæ prædicti sensu ordineque simili; *Qui dat solem in lumine diei, ordinem luna & stellarum in lumine noctis, qui turbat mare, & sonant fluctus ejus, Dominus exercituum nomen ejus.* Et à *Joël* Propheta in hæc verba non alio sensu, sed ordine; *Implebuntur area frumento & redundabunt torcularia vino & oleo.* In *Amos* & *Jeremia* ordo unus, sed præposterus, & ad distinctionem necessariæ operationis commutatus: In *Joël* verò permixtus: Horum locorum intellectum hoc modo nobis aperire videtur *Odon Abba*: illos hoc modo interpretando: *Spiritus, qui vocat aquas, turbat mare, & implet torcularia vino: Filius qui fundat fasciculum super terram, dat ordinem luna & stellarum, & implet areas frumento. Pater, qui adificat ascensionem, dat solem, & implet torcularia oleo, &c.* quia oleum proprietate patri, qui benignus est, confertur, siquidem balsamum est omnia vulnera liniens, & dolores tollens, fasciculus frumentum omnium nutrit, ut filius, & Spiritus vitam administrat.

C A P . X .

Deratione secundum Mathesin, primum cur numero, & tum postea cur ternario designata sit Deitas, similiter cur secundum Logicos relatio Deitati attributa sit.

JAM verò rationes in publicum producere nobis proposuimus, primum, *cur Theologia DEUM numero dedicaverit*, deinde rationes geometricas producemus, cur illa *numerum ternarium*, ad exprimendum DEUM, primum omnium rerum formam, effectricem elegerit, talique Deitatem dedicaverit. Primum igitur sciendum est, Theographiam Deitatem numero propter triplicem considerationem nobis declarare atque explicare voluisse, quarum est *prima*, ut ejus infinitatem inde patefaceret, cum numero nihil sit infinitius, utpote, cujus magnitudinis non est finis: *Secunda*, ut DEUM declararet præscium; Nam *numerus fuit* (ut ait sapiens) *principale in animo conditoris exemplar condendorum procul dubio*: *Ultima* ut DEUM indicaret immutabilem, nihil enim immutabilius uno, & proprietatibus ejus, uti supra dictum est: Nam quæ fuerunt, ipsæ sunt; quæ sunt, ipsæ fuerunt, & semper: Insinuat igitur numerus Deum simplicem dum immutabilem, insinuat sapientem, dum præscium, insinuat incomprehensibilem dum infinitum; insinuat denique eum mirabilem & singularem, dum tria hæc.

Numerum verò ternarium præ cæteris eligebant Theologi, volentes, Deum primam esse formam omnium. Quod autem sit formarum principium & prima atque suprema radix corporum evidentissima demonstratione geometrica docemur: Nam nisi figuram illam triangularem diligenti intuitu consideremus, percipiemus quidē, eam in alias non resolvi, nec ullis esse obnoxiam principis, quatenus ipsa principium est cæterarum figurarum ad compositionem, ad resolutionem verò finis: Nam terragonæ & pentagonæ & figuræ reliquæ ab ipsa prodeunt & redeunt in ipsam, quatenus ex superficie hac, quæ est lineatorum principium, necesse est, ut tam cæteræ superficies omnes, quam corpora ex superficiebus conflata deriventur, in quorum dissolutione iterum necesse erit, ut ad superficiem illam triangularem redeunt: Talis igitur est Deus, à quo omnia, & in quo omnia resolutoria simplicitate complicantur. Denique quicquid est, suscipit à forma id esse, quod est, & non à materia, ipsa quoque materia suum esse à forma suscipit, forma porrò insusceptibilis est accidentium. Ex hoc igitur, quod ternarius est principium formarum, insinuat mira & secretissima veritate causam & principium universalitatis & differentiarum insusceptibile, quod sit solum & verè unum, Iterum declaratur, quod numerus hic ternarius maximè propriè Deo soli adaptetur, eò, quod est numerus perfectissimus, omnia complens. Nam est pulchritudo, perficiens principium, medium & finem, & ipsa æqualia & absoluta habens, dum e contra numerus binarius hisce tribus spoliatus incedit, non habens principium vel finem (quia non interest medietas) & per consequens hoc sacrosancto perfectionis dono destitutus. Cæteri numerorum, quotquot tenent principium, medium & finem, non habent illam perfectionem absolutè & simpliciter, sed compositè. Prodit igitur numerus ternarius DEUM, principium & causam & formam à forma præcipua, prodit perfectissimum à principio, à medio & à fine; à principio, ut à quo omnia; à medio, ut per quem omnia, & à fine, ut in quo omnia. Amplius propter hoc item

numero

numero tali, quod taliter tali relationi similis est, vel dicitur in Triade monas quasi per se reperitur, & dias quasi per se, sic etiam in Trinitate, quasi Dias per se, ut Pater & Filius, & rursus, quia per se monas, ut Spiritus sanctus. Pater igitur & Filius relatione sibi respondent, & non Spiritui. Spiritus quasi per se nec ad Patrem nominatenus est referendus, nec ad Filium. Significatione igitur referatur, ut *Spiritus Spiratoris Spiritus, & Spirator Spiritus Spirator*: Spirator est Pater & Filius, nec spiratores duo, sed unus & unus spiritus.

Relativa denique prædicatione utitur Theographia, volens DEUM demonstrare concordem sibi, imò verò, ut indicet, eum esse ipsam concordiam & connexionem plenam ac singularem: *Quæcunque enim Pater facit, hæc & Filius similiter facit, & eadem operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Concordia incomprehensibilis & singularis connexio, ut magis & unius sint unum plures in identitate personæ, imò plures Deitatis personæ, quam prima Spiritus unius & Angelici; Denique exsuperat omnem sensum. Hæc est, quæ vivificat discreta, & quæ repugnantia cogit in copulam: quod comperendum est ex relativis, quæ mutua responsibilitate congauðet, quæ cognitione potius, quàm separatione sua prædicatione relativa utuntur, volentia DEUM intelligi invariabilem, cui nec succedere nec accedere possibile sit aliquid mutationis; majestas una, voluntas una, operatio una trium unius, apud quos unum nõ est transmutatio, ut desinat esse, quale fuit, nec vicissitudinis obumbratio, ut intermittat nunc, nunc redeat in id, quod fuit. Suscipit denique Theologia relativam enunciationem, suscipiens DEUM insuspicabilem, incircumscriptibilem, nec vocabulo significabilem, nec intellectu comprehensibilem. Nam relativa demonstrationem rei minimè taxunt, non componunt definitionem, substantiam non declarant: sic servus & dominus, sinister & dexter, non quid sit, sed potius ad quid tantum significant, sic non est illatio à relatione ad substantiam, nõ quia Pater est Deus, & Filius est Deus, & Spiritus sanctus est Deus, ideò tres sunt Dii. Pater igitur & Filius non in eo, quod, sed, ad quid est, ut notum est, prædicatur, ut Pater Filii pater, & Filius ut Patris Filius, & de Spiritu, ut definitum est de illo. Prorsus si relatam discretionem differentis substantiæ ponerent, consequens videretur, si Pater est Deus, & Filius est DEUS, & Spiritus sanctus est DEUS. Ergo tres Dii non unus, quam à Deo relativam non ponunt, ut plura in unam rem convenienter conveniant, nec eam faciant differenter, quamvis alter ipsorum auferatur ab altero. Separatur igitur vocabulum Patris à Filio, & Domini à servo, & è contrario totum, & tum est aliquis Pater & Filius & Dominus & servus, &c.

C A P. XI.

*Quomodo quadratum & cubus reperiuntur in sacra natura
super substantialis Trinitate.*

DE numero sacrosanctæ Deitatis ternario, qui est omnium simplicissimus, perfectissimus, absolutissimus & radicalis, superius amplè, licet sermone rudis, tractavimus, ubi numerum sanctum (ante omnes numeros secundum locum post unitatem unitatum sibi vindicantem) ita esse unitati summæ conjunctum declaravimus, ut non mera dualitas sit (quæ in se pro numero imperfectissimo æstimatur, quoniam unitatum confusio, ut volunt Pythagorei) sed etiam trinitas & unitas, quatenus est medium, participans de perfectissimo & completissimo utroque extremo, quid enim unitate absolutius? quid numero ternario completius? Cum unitas extra suam naturam nunquam moveatur, & trinitas
totius

totius perfectionis naturam in se comprehendat, principium nimirum in unitate, medium in dualitate, & finem in seipsa. Et tamen semper ibi finitur & terminatur, ubi in Deitate superessentiali incipit: Non enim est Spiritus sanctus, Spiritus Patris solius, aut Filii solius, sed utriusque simul. Quare unus est Spiritus in essentia sua, quamvis proprietate tertium sibi locum vindicare videtur. *O felicissima & indissolubilis concordia! O unitas unitatum indivisibilis, quæ cum sinistra est tamen una; cum una, trina.* At verò, quoniam unitas non est numerus, sed numeri principium, nec dualitas, nisi unitatum confusio, cui per se nec est medium, quia non finis. Ergo numerus ternarius primus numerorum perfectorum reputatur, imò verò est vera & perfectissima radix, ex qua quadratum & cubus perfectionis oriuntur: habet enim principium, unitatem nempe, possidet etiam medium, videlicet dualitatem, & finitur in seipso, qui est ternarius unitus. Unde liquet, quod, ubi incipit, ibi iterum desinat, & consequenter patet, quod sit numerus completissimus. Hic ergo numerus est quadrati illius abstrusi & cubi illius mysticiradix, in quibus totius fabricæ mundanæ arcanum delitescit: Nam ut mundus dicitur imago Dei & Trinitatis, sic quidem ad numerorum divinorum exemplar mundus & ejus compagine, quam exactissimè constructæ fuerunt, ut infra verbis uberioribus & affatim depingemus. Ternarius igitur numerus divinæ essentiae in se ductus producet 9. pro quadrato formali, qui quidem numerus productus, si in eadem radice iterum multiplicetur, cubum divinum 27. patefaciet, qui est totius mundi mensura & proportio à sede substantiali ad universæ machinæ centrum æstimando sive commensurando.

C A P. XII.

Quod novem digiti sint numeri simplices & divini, & Trinitatis essentiae maximè propriè attribuendi; Numeri verò denarii simpliciori & subtiliori mundi compositioni, & centenarii mediæ ejus fabricæ, atque millenarii grossorum elementorum, & elementatorum constitutioni referendi sint.

CUM ergo unitas sit omnium numerorum fons & origo omnium rerum, tam increatarum quam creatarum parens atque progenitor (ut in supradictis relatū est) sequitur, quod omnes digiti seu numeri simplices ab ea simplici partu derivati, ipsius quasi ministri seu pedissequæ non ineptè sint dicendi: Imò verò hi numeri verè *virginei & numeri per se* vocandi sunt, quatenus copulā nō admittunt, aut alterius adjumentū ad rei valorē significandum; quippe qui fortitudinē suā ab unitate fortissima acceperunt, cujus virtute tales existunt, quales sunt. Hinc ergo hi numeri meritò *simplices* appellatur, à simplici siquidē radice per lineā seu seriem simplicissimā usq; ad punctū denarii profluētes, in quo unitas suū ordinē simplicē duplicare, & quasi in primā compositionē inire solet. Hic ergo numerus novenarius circa essentiae superstantialis mysteria, p̄cul dubio in primis versatur, quoniam quisq; horū novē digitorū per se in sua natura simplici cōsistit, & nō minus indigit ope alterius figuræ Arithmeticæ, quàm quælibet Deitatis proprietates sua absolutissima, perfectissima & simplicissima natura absq; ullā materiæ interpositione gaudere solet. Horū igitur digitorum tres primi superexcellētissimi sunt, harmoniā in essentia formali peracutissimā & præcellētissimā efficientes: atq; ut diatesarō est prima symphonix cōsonātia ab unisono scaturiens, sic etiā numerus ternarius est prima harmonia perfecta ab unitate derivata. Secunda verò ex ternarii numeri quadrato exultat, in qua Diápente & Diapason comprehenduntur, ut in numeri septenarii explicatione inferius succinctè, sed exactè ostendemus. Ex simplici igitur numerorum divinæ Trinitatis harmonia, Musica

illa tam mundana quàm humana exorta est. Nam ut simplicissima atque acutissima harmonia est cum Deo (ubi nulla est passio, sed omnis lætitia & gaudiū) atque hæc harmonia consistit ex tribus consonantiis symphoniacis, omnesq; hi numeri & consonantiæ sunt in unitate, sic etiam Deus unus impassibilis, constantissimus, & immobilis in unum mundū suæ Musicæ concordantiam idealē influxit, in materiam scil. informem, passibilem, inconstantem & mobilitati obnoxiam, ut sono & voce suæ harmoniæ manifestior, constantior, formaliorq; & pulchrior existeret. Ejus ergo vox acutior in ternario numero consistens & diatessaron sonans, ex cœlo empyreo discordem tenebrarum immunditiam & deformitatem materiæ rebellantem expulit, & deorsum versus centrum percussit, spatiumque illud in tres hierarchias secundum Trinitatis ordinem divisit; Iterum ejus vox in Diapente sonans ab alto dissonantem cœli ætherei regionem sibi consonantem reddidit, uti & graviore ejus fonitu (in Diapason consistente) cœlum infimum, quod elementale appellatur, ad integram suam munditiam reduxit, sed de his infra latius & luculentius. Hi autem digitus seu numeri sacri (ultra simplicitatis suæ medium ducti seu extensi) nō ad mundum hunc trinum, Deiformem, simplicem & merè formalem, sed ad mundi materialis & cōpositi commensurationem pertinent; quoniam cubus solummodò ad res materiales & corporales refertur. Si igitur res creandas considerando, profundiusque eas inspiciendo, cubū numeri ternarii produxerimus, mundi universi proportionem à sancta Trinitatis dispositione dependere reperiemus, videlicet 27. cujus quadrat. est 9. Ex quibus constabit, quod novenarius numerus (qui est Trinitatis quadratum) dominiū habeat particulare circa cujuslibet mundi regionis in suas sphæras & orbes distributionem, nō tamē in simplici sua dispositione, qualiter reperitur in formali mūdo, sed in sua natura cōposita, scil. in denario, cētenario aut millenario, quatenus reperitur in mundo composito, cujus officiū est regiones distinguere & terminare. In denario verò numero unitas non simpliciter agit, sed se conjungit cum cyphra, non quod cyphra per se aliquid potest, quippe quæ sic accepta nihil importat: nam ut de suo nihilo in aliquid reducatur, necesse est digitū ei addere. Sic unitas conjuncta cum cyphra seipsam decies multiplicat in additione cum ea, juncta cum duabus cyphris se centies multiplicat, si cum tribus, millies. O quantum ergo hic jacet naturæ mysteriū, pyramidales nostras materiæ & formæ descriptiones sæpius allegatas explicās: Nam hinc innotescit, quod nihil absque præsentia unitatis sacrosanctæ existere possit, ipsa enim est causa multiplicationis materiæ in mundo composito & sine ipsa nullum omnino incrementum rerum, nihilque in mundo permanere potest. Nā unitas in conformi suo palatio non utitur cyphra, quia ibi nulla est materia multiplicationē appetens, ibi nulla cōpositio, sed se unit solūmodò cyphræ in mundo cōpositionis, ubi materiā informē invenit, eamq; more symphonico (ut rem in tenebris incarceratam, & in sola potentia ad aliquid existentem) in actum virtute ineffabili producit. Nam quid, obsecro, aliud est cyphra per se, quàm nihil in potentia, ut dictum est? quid materia hylæ etiam præter hoc idem nihil? At verò, si unitas simplex vel multiplicata cyphræ adjungatur, multitudinem significabit; sic etiam, si forma divina materiæ informi assistat, tunc illa aliquid erit in actu & pro simpla aut multiplici formæ illius assistentis proportionem & gradu, multitudinem majorem aut minorem significat in materia. Sic numerus denarius in cyphris deorsum semper multiplicando tendens, augmentat cyphrarum sibi junctarum multitudinem; sic etiam materia deorsum magis tendens & elongata à fonte unitatis crassior & densior est, & magis in sua natura multiplicata, ut in demonstracione nostra ex pyramide materiali facta & infra descripta declaratū est evidentem; cujus conus est in mūdi peripheria (à qua denarius numerus multiplicādo descendit) ejusque basis est in terra, ad quā

materia

materia se (crescendo) immergit; Atque hoc modo Deus Pater & unitas & rerum genitarum autor dicitur, quoniam est causa existentiae & multiplicationis materialis. Nam propinquior ejus praesentia spiritus materiales rarefacit & dispergit, eosque magis ad unitatis essentiam tendere facit, praesentia autem ejus remotior est occasio multitudinis materiae: Unde unitas est causa per se multiplicationis formarum, & per accidens multiplicationis materiae: At tamen materia uritur forma ad suam multiplicationem, sine qua augeri atque amplificari aut existere nequit. Et tamen formae multiplicatio est ad salvandam materiam, eamque liberandam à tenebris, sed vice versa materiae multiplicatio est ad impediendos formae actus. O nimia materiae ingratitude, quae benefactori & creatori suo resistit, cum tamen & vim suae resistentiae & vitam suam ab illo ipso acceperit. Sed talis erat malevola ducis materialis conditio Litigii & Diaboli, nempe, qui cum suo Creatore in primo quidem nixu (superbia aut malitia elatus) contendens, & proinde victus atque à caelo dejectus, materiam suam visceralem ad eandem rebellionem quotidie excitare atque exagitare gestit.

Quid ergo, ô misera materia, tantopere formam divinam appetis, cum tamen ejus unitatem tanto odio habeas? Falleris, ô materia, te fallit dux tuus, sua ruina intumescens, tibi simulans, vitam rerum esse mortis originem, cum vice versa verum mortis supplicium nihil aliud sit, quam in tenebrarum voragine submersio. Carve, inquam, ne unitas vitae splendidum suum à te avertat vultum, eaque ratione in tenebrarum oblivionem & deformitatem iterum detrudaris: Non sis ergo ô corpus humanum, tibi ipsi tam adversum, ut lumen & scintillam claritatis & vitae tuae ab unitate formali derivatum, tam leviter pendas, tamque hostiliter cum ea agas, sed eam fovendo, radici & fonti ejus gratias assiduas pro ea rependas, ut ab ejus tandem scaturigine plenam informationem, purificationem, illuminationem & resurrectionem ad perfectionem angelicam adipiscaris.

Sed quo nostram nunc ducit & rapit Musam suavissimam atque amoenissimam Divinitatis ardor? Ad rem nostram praemanibus agitatum redeamus. Ab unitate ergo in numero denario disposita est materia mundi superioris ad compositionem; quoniam ut denarius numerus immediate succedit novenario, sic etiam primae mundi regionis natura in puritate & simplicitate magis accedit ad naturam unitatis, quam aliqua alia inferior ejus portio. Nam ut primarius novenarii numeri ordo ex simplicibus digitis conflatus circa solius Deitatis potentiam versatur; ita secunda unitatis repetitio, progrediendo cum unica sola cyphra ad compositionem secundae seriei novenarii numeri, semel compositi, conducit proportioni caeli empyrei in compositione; & tertia ejus repetitio seu additio cum duabus cyphris perfectioni caeli medii confertur. Denique quarta cum tribus cyphris circa caeli infimi complementum versatur. Unde liquet, quod cubus ex numero sacrosancto ternario resultans atque editus per universam mundi capacitatem expandatur; imò verò etiam ad mundi centrum penetret, atque seipsum dispergat. Unde DEUS etiam in tenebris existere dicitur, & tamen tenebra non sunt tenebra ei. Psalm.

Hinc igitur Deus ubique esse observatur, nec quicquam est, ubi ipse non est & extra ipsum est nihil, cum ipse sit Monas monadum sanctissima, ultra quam nihil est. Quid enim unitate prius? Et per consequens, ipse omnia comprehendit in se & sub se. Ex horum igitur numerorum concatenatione patet, quanta sit materialis pyramidis in qualibet mundi regione proportio, videlicet in superiori simpla, ubi simplex cyphra reperitur, in media dupla, & in infima sesquialtera. Simili etiam ratione (vice versa numerando) in formali pyramide mul-

tiplicatio formalis incipit à centro basis pyramidis materialis, inde dissolutionis materialitatis proportionales significando, quibus recedendo à multitudinis unitatis jugum insurgamus. Constat denique ex his, quæ dicta sunt, quod numeri denarii simplicis compositionis sint tanquam lineæ, ex quarum quadratura fiant superficies, vel ut unitates, quæ ductæ in se quadratos numeros producant, & quod numeri centenarii sint quasi radicalium linearum in se ductarum superficies Geometricæ, vel quadrata radicum in se multiplicatarum, ac quod denique numeri millenarii sint quasi cubi immediatè procedentes à quadratis. Quare compositio cœli supremi est simplex, ut linea producta à puncto divino, vel ut numerus denarius à valore digitorum simplicium, ab unitate superessentiali profluentium. Et mediæ cœli constitutio se habet, ut superficies ad suam lineam, & ut quadratum ad suam radicem. Denique cœlum inferius refertur ad medium seu cœli mediæ constitutionem à qua promanabat, ut ad quadratum, vel ut corpus refertur ad superficiem suam, cujus multiplicatione productum est. Est igitur cœlum tertium rerum compositarum altitudo & longitudo, medium verò earum latitudo, & infimum earum profunditas. Atque hoc idem est, quod sacræ Scripturæ testantur dicentes: *Omnia firmata esse numero. pondere & mensura*, vel secundum *Platonem*: (quod idem est) *numero, figura & corpore solido*. Sic in mundo supersubstantiali ab Uno egressa sunt Duo, à duobus Tertium; quæ quidem trina & ineffabili sua dispositione extra suum mundum supersubstantialem deorsum prospicientia & in materialem mundum jucundissima harmonia proficientia, mirabilemquæ in modum per universam materiam expansa, trifariam suam operationem in ea executæ sunt: Unde res omnes numero, mensura & pondere ex nihilo productæ sunt.

Demonstratio luculentissima numerorum formalium, tam in personarum DEITATIS ante mundi creationem ab unitate supersubstantiali profluxu, quam in cosmi & creaturarum ejusdem tempore creationis promanatione: Ubi declaratur, qua ratione primum digiti formales ab unitate supersubstantiali, deinde articuli, & tum postea numeri centenarii, atque denique millenarii ad diversam mundi consistentiam producantur.


Vidi

DE DIVINIS NUMERIS.

Vidi Jehovah in altissimo throno super palatium mundanum elevato sedentem: illudq; palatium erat gloria conditoris plenissimum. *Esaie 6.*

Rad:
3
Quad:
9

Cub:
27



Anima ab unitatis perfectione in multitudinem immersio

Anima ab imperfectione ad perfectionem regressus

B Terra

F Terra

D Terra

Num: radicales seu denary
Novem ordines Angelorum
Num: quadrata seu centenary
Novem Orbes caelestes
Num: cubici seu millenary
Novem Ellipses novem regiones

Caelum Empyreum
Caelum Stellaratum
Caelum Aethereum
Caelum elementare

Num: cubici seu millenary
Numeri quadrati seu centenary
Num: radica seu denary

Seraphin
Cherubin
Throni
Dominaciones
Principatus
Potestates
Virtutes
Archangeli
Angeli
Primum mobile
Caelum Stellaratum
Saturnus
Jupiter
Mars
Sol
Venus
Mercurius
Luna
Ignis
Suprem Aëris regio
Media Aëris regio
Infima Aëris regio
Aqua Salsa
Aqua Dulcis
Regio Vegetabilis
Regio Mineralis
Terra

A.B. *Pyramis materialis, in cuius profundum arima ab unitate seu fonte formalis egr diens, proportionibus radicali quadrata aut cubica submergitur.*

C.D. *Pyramis formalis, cuius actione circa dissolutionem (vincula materialia corrumpendo) versata anima Pyramidis materialis à multitudine & profunditate, ad unitatem gradatim & proportionaliter reducitur.*

E.F. *Mundi proportio ex duabus prædictis Pyramidibus simul unitis conflata.*

C A P. XIII.

De numero septenario, & quænam mysteria sub illo comprehendantur.

Numerus septenarius resultat ab unitate, numero binario & quaternario, ex quibus nascitur Diapason, quæ est harmonia perfectissima; cuius virtute & proportionem Deus ex suo folio immortalis simpliciterque formali in orbem universum mundi materialis res informando & componendo descendit. Quare hic numerus in creationis mysterio potens erat atque efficax & circa res sanctas versabatur, diciturque *numerus quietis*. Nam septimus dies erat dies Sabbathi. Numerus etiam perfectionis nuncupatur, quia ultra consonantiam Diapason (quæ ex septem constat intervallis) non est transitus simplicium in harmonia: Similiter est *numerus benedictionis & beatitudinis*; Unde Poëta: *O terq; quaterq; beatus, &c.* Porro etiam materia mundi informis hujus harmoniæ perfectione beatificatur. *Pythagorici* etiam hunc dixerunt *numerum virginitatis*, quia primus est, quatenus neque generatur neque generat, neque etiam potest in duas partes dividi æquales: Præterea vocatur *numerus juramenti*; Sic Abraham, quando pepigit fœdus cum Abimelech statuit 7. agnos in testimonium: Est etiam *numerus sanitatis & mundationis à morbis immundis*. Sic dixit Elizeus Propheta Naamani leproso: *Vade, & lava te septies in Jordane*: Quin etiam *numerus sanctitatis & laudis* appellatur, unde dixit Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi*: Vocatur etiam *ultionis & punitionis* numerus, unde scribitur: *Septuplum ultio dabitur Cain, Et alibi: Septuplum punietur Cain. Et alibi: Septem vindictas exsolvet, qui occiderit Cain*: Porro etiam est *numerus salvationis mundorum*, septena enim ex omnibus animalibus mundis introducta sunt in arcam Noë: Est *numerus servitutis*, ut septem annis servivit Jacob pro Lea: Est *numerus destructionis & ruinae*, ut septimo die, ruptis omnibus abyssi fontibus, aqua inundavit super terras: Est *numerus luctus*, ut septem diebus populus luxit Israël, &c. Est *numerus criticus ab omnibus Medicis observatus*, ut; Et septima hora reliquit febris filium reguli. Et infinitæ aliæ observationes in hoc numero abstruso & mystico excogitari possunt, quas omnes hoc loco exprimere tam laboriosum mihi, tum lectori tædiosum fortassis foret; Ut *numerum etiam planetarum anni climacterici, septem, etatum, septem metallorum, & innumera alia relinquã*. Atque ratio (ni fallor) harum omnium septenarii numeri proprietatum, cur scilicet tam in bonum quam in malum versantur, est, quoniam hic numerus participat cum natura lucis, formæ, perfectionis & puritatis, quatenus prior ejus compositionis pars est numerus ternarius, & partim ex natura materiæ tenebrarum, cum posterius ejus numerus, nempe 4. sit numerus imperfectionis & immunditiæ. Est igitur hic numerus tum autor vitæ & compositionis, tum autor mortis & dissolutionis; quatenus scilicet componitur ex primo impari, videlicet ex ternario numero vitæ & primo pari, videlicet quaternario: nam numerus binarius à Pythagoricis non appellatur numerus, sed unitatum confusio. Ex impari ergo, veluti activo, hoc est, forma & ex pari veluti ex passivo, hoc est, materia,

teria, generantur res omnes, & eadem etiam viâ dissolvuntur; sed generatio & vita est lumen supernaturale & vis unisonans, corruptio autem est de inferis & de nocte ac tenebris dilaniantibus. Hinc est, quod secundum doctrinam *Orphei, Hesiodi, Euripidis, & aliorum*, Sol divinus in archetypo sit, à quo omnis pulchritudo, omnis ornatu, omnis harmonia & vitæ scaturigo est; in cuius dextra est pietas, benignitas & beneficentia; in sinistra punitio severa. Hunc vocant *Phæbum, Apollinem, & Solem*, quem dicunt *Gratias & Charites* in manu dextra portare & in sinistra arcum & sagittas, quem nocte nuncupaverunt *Dionysium* dilaniantem & dilacerantē, ac seipsam rumpentem in septem partes; & diurno tempore illum *Apollinem* nominaverunt, ea iterum componentem, quæ nocte dilaceraverat, illaque in partes septem dividendam. In nocte ergo disrumpit atque dilacerat & in die res unit, quasi depellens mala. Ob hanc igitur causam ab Atheniensibus *Alexicacos*, id est, malorum propulsator & ab *Humero Ἰππῶν*, hoc est, autor sanitatis appellatur. Cum his etiam convenire videtur illa *Pythagoræorum* opinio, qui *mundum & animam septem limitibus incluserunt*. *Primo* loco præponentes unitatem, quasi gradum extremum animæ & mentis, per quem illa continet supremam unitatem in Creatore, & facta est una & eadem cum illo; nam omnes res præexistentes in Verbo, fuerunt unum cum illo Verbo secundum Theologos. *Secundus locus* (conticens duplam proportionem comparatus ad primum) denotat progressum animæ seu mentis cum Deo. *Tertius* demonstrat ingressum in seipsam, atque ita describitur personarum Trinitatis egressio, unius scilicet in aliam atque tertiæ iterum in unitatem re versio. At jam ad Spiritus Domini in massam imperfectam emissionem pervenitur, atque ita ad quaternarium numerum proceditur. *Quartus* significat egressum, quem facit à seipsa, ut circa res creandas, & adhuc informes versetur. Atque sic in *quinto, sexto & septimo* (qui duo ultimi limites seu loci consistunt ex numeris solidis) denotat conversionem corporum, quibus conjuncta est anima, dico corporum: nam mundus è duplici corpore, videlicet ex incorruptibili & cœlesti, atque ex corruptibili & elementari consistit: Sic etiam homo ad retinendam perfectam mundi imaginem, secundum *Platonicos*, factus est de duplici corpore, elementari uno, alio cœlesti. Elementare notatur per cubum seu solidum de binario, quod designat materiam, & cœleste per cubum de ternario; quem quidem cubum nos superius diximus esse potius superficiem seu numerum quadratum, propter rationes à nobis ibi allatas. Nam quamvis elementa spiritualia sint in se corpora humida, tamen si æther & aër & ignis corporibus solidis comparentur, se habent ad ea, ut superficies ad corpus, velut quadratum ad cubum.

C A P. XIV.

De admirabili numeri septenarii proprietate atque mutationibus in suo quadrato: De numero ejus quadratum implente: & de basi inde derivata.

NON equidem est dubitandum, quin ingentia in hoc numero septenario delitescant arcana, cum ille frequenter tam in mysteriorum divinorum actu, quam in aliis naturæ & humanæ necessitatis seu consuetudinis negotiis apud sacra Biblia usurpetur. Nec certè dicant homines stultorum atque ignorantia vestigia calcantes, non majus in hoc numero esse arcanum, quam in cæteris, atque per consequens, frequentem hujus numeri in sacris literis repetitionem nihil magis abstrusi significare, quam numeri alicujus alterius. Nam ut demon-
stratione

stratione evidentissima refellam hanc eorum credulitatem siue erroris confidentiam, hoc in loco admirabilem numerorum septenariorum concatenationem, convenientiam atque haud credibilem apparitionem & profluxum ex ipsis in vicem congregatis ostendam: Nam in 175. (qui est basis numeri septenarii) invenimus septenarium numerum, quam exactissimè 25. vicibus. Similiter septem in se ducta per septem producent 49. ex cuius numeri partibus progressionem Arithmetica consideratis & quadrato modo dispositis, miraculoso quodam more septenarii basis, videlicet 175. (ex quolibet quadrati puncto ad ejus appositum progrediendo) exultat. Verbi gratia:

Quadratum septenarium.

	<i>z</i>	<i>a</i>	<i>c</i>	<i>e</i>	<i>g</i>	<i>i</i>	<i>l</i>	<i>n</i>	<i>h</i>
<i>p</i>	22	47	16	41	10	35	4		<i>a</i>
<i>r</i>	5	23	48	17	42	11	29		<i>s</i>
<i>t</i>	30	6	24	49	18	36	12		<i>u</i>
<i>w</i>	13	31	7	25	43	19	37		<i>x</i>
<i>y</i>	38	14	32	1	26	44	20		<i>z</i>
<i>v</i>	21	39	8	33	2	27	45		<i>g</i>
<i>ii</i>	46	15	40	9	34	3	28		<i>ed</i>
<i>o</i>	<i>b</i>	<i>d</i>	<i>f</i>	<i>h</i>	<i>k</i>	<i>m</i>	<i>o</i>		<i>o</i>
	49 Cella						175. Basis		

Hic ergo in præscripto quadrato videmus progressionem factam esse (quamvis malè dispositam) ab 1. usque ad 49. ita ut septem in se ducta proferant numerum sua progressionem quadratum implentem. Si igitur per lineam rectam ducti procedamus ab uno angulo vel puncto lateris alicujus ad latus vel angulum ei oppositum, producet basis quadrati septenarii, vigesies & quinquies septem in se exactè comprehendens. Sic ab *a* ad *b* transeundo reperiemus hos numeros 22. 5. 30. 13. 38. 21. & 46. qui simul additi producent 175. Sic etiam numeros colligendo inter *c* & *d*, qui sunt 47. 23. 6. 31. 14. 39. & 15. oriatur eadem basis. Similiter addendo numeros simul inter *e* & *f* reperiuntur scilicet 16. 48. 24. 7. 32. 8. 40. hæc eadem basis proveniet. Porrò etiam aggregando numeros inter *g* & *h*. Et illos inter *i* & *k*. Sic etiam eos inter *l* & *m*, aut inter *n* & *o* hanc eandem basi-

fin

fin eliciemus. Iterum progrediendo ab angulo Z ad illum \odot ei oppositum, & ab angulo H ad illum \odot ei adversum, eadem basis exultabit. Sic etiam latera respiciendo, numeros inter p & q & illos etiam inter r & s , similiter t & u , & inter w & x & inter y & z , & inter v & S & inter II & E , eandem unicam basin debita sua positione & in unum coagmentatione producere reperiemus; quod quidem pro miraculo haberi potest. Hinc igitur admirabilis numeri septenarii mutabilitas & varietas oculis manifesta, mirabiles procul dubio illius effectus atque virtutes occultè delitescentes (de quibus capite superiori aliquid verbo locuti sumus) sapienti quodammodo patefacere videtur. Imò verò, quanta sit in hujus numeri septenarii basi perfectio, quantàmque hujus numeri completio vitæ humanæ importet felicitatem nobis luculenter arguere viderur *benedicta illa Abrahæ ætas, consistens ex 175. annis*, de qua Scripturæ sacrosanctæ sic loquuntur Gen. 25. 7. *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni, & deficiens mortuus est in senectute bona, provecit ætatis & plenus dierum. &c.* Unde liquet, quod hic numerus revolutionum solarium producat ætatem provecitæ, senectutem felicem & dierum plenitudinem; atque exinde patet, quod infinitum sit mysterium in hujus numeri septenarii consideratione: Imò verò & ipse hominem doctissimum novi, qui virtute hujus numeri septenarii, cujusdam quasi oraculi assistentia, quæstiones dubias atque ancipites resolvere non dubitavit, atque etiam de occultis tam præsentibus, quàm futuris quodammodo divinare pollicitus est.

C A P. XV.

De numerorum divinatorum mysterio in creatione.

Numeros simplices seu digitos essentiæ supernaturalis referri & ad regionem supercoelestem, quæ quidem infinita est, pertinere supra memoravimus, hic verò de divina quinarij, atque tum demum denarij numeri ratione tractare nobis proposuimus. Equidem, ut monadem sive unitatem esse omnium numerorum fontem, atque originem supra demonstravimus, utpote à qua Dias, non tanquam numerus, sed unitatum confusio, derivatur, quatenus bis unum in se continet, quam & propterea numeri imperfecti principium esse diximus, quoniam adest ei initium & medium, deest tamen finis, non aliter, quam ternarium numerum numeri perfecti exordium nuncupavimus, quatenus habet in se principium, medium & finem, ac proinde inter numeros perfectionis habetur: sic diximus, quod ad horum trium terminorum respectum, videlicet ad 1. 2. 3. sit per omnes alios numeros in infinitum progrediendo relatio. Ut igitur unitas est radix numeri primi perfecti, videlicet ternarij, qui significat formam universalem. (Nam quid interest, ut sit **D E U S** tanquam unitas, & spiritus universalis in potentia tanquam dualitas, si iste spiritus ab illo **D E O** non informetur & inactuetur, ut dualitas in Trinitatem tandem perficiatur) sic etiam dualitas est radix numeri imperfecti quaternarij, scilicet & eorum, qui inde oriuntur. Atque hinc est, quod, ut 3. se habent ad 1. sic in eadem proportionem 5. ad 3. & 7. ad 5. & 9. ad 7. Similiter, ut unum se habet ad 2. sic 4. ad 2. & 6. ad 4. & 8. ad 6. secundum quas progressionem simplices, omnes aliæ compositæ eliciuntur, sed harum perfectio est unitas: Quare, ut in medio motu ab unitate imperfectio oritur, sic ejus additione in fine tertius terminus profertur, à quo numerorum perfectorum primus oritur, videlicet ternarius. Unde patet, quod tam imperfectio, quàm perfectio, hoc est, tam malum quoad nos, quàm bonum profluat à manibus Dei seu unitate, in cujus potentia est illud, quod malum est,

virtute sui spiritus bonum & completū tam sibi quam hominibus reddere. Imperfectionē ergo materiæ à Deo productæ, videlicet dualitati adesse videmus, quæ tamen unitatis præsentia fit perfecta. Nec tamen secundam in Trinitate personam imperfectā esse, me dixisse aut intellexisse credatis, quatenus in mūdo superessentiali semper cum Filio Spiritus Patris præsens est, atque per consequens trinitas in unitate & dualitas in trinitate: Quod quidem per optimè explicat illud verbum mirificum Tetragrammaton consistens ex *Jod, He & Vau, He*; Ubi aspiratio *He* spiritus in utroque processionem denotat, & conjungere videtur *Vau* cum *Jod* à dextra & iterum *Jod* cum *Vau* dextram versus. Sic Filius in numero perfectionis fertur sedere ad dextram Patris: Sic etiam à centro Patris egredi dicitur, quatenus est terminorum perfectionis medium. Quare intelligendum est, quod cujuslibet numeri medietas referatur ad filium & centrum, quia semper medietas numeri intelligitur esse in numeris imparibus & perfectis: Sic in ternario numero est dualitas, in quinario trinitas, in septenario quaternitas, in novenario quinquarius, qui est exacta etiam medietas (quatenus medietas in paribus consideratur) numeri denarii, per quem Deus deorsum è suo regno superformali egrediens seipsum in materiam confusam, eam rem ex nihilo creando, & deforme suo actu ac lumine informando, immergit. Hic autem vos scire velim, quod ubi loquimur de medietate numeri paris, non intelligimus ejus centrum, quod planè vacuum & nihil est, sed ejus partem dimidiam: Ut centrum Diadis nullum est, quia non nisi terminos duos habet, ejus verò pars dimidia est. sic quaternarii numeri medietas sunt duo, centrum verò ei deest. Atque sic in cæteris, ut 6. 8. 10. Unde liquet, quod tota perfectio jaceat in imparibus, ubi centrum invenitur, ut in 3. 1. est centrum, & 1. terminus à quo, & 1. terminus ad quem: Et in quinario itidem 1. est centrum, & 2. una pars dimidia & 2. altera, & in 7. 1. est centrum, 3. termini, &c. Est ergo in perfectis simplicibus unitas terminus à quo, trinitas ad quem, & dualitas medium, sed ita, ut illa dualitas sit unitas: Sic etiam trinitas terminus à quo, & trinitas efficiens senarium, medium, & trinitas perficiens novenarium periodus; sed hic centrum est superficiale; Vel trinitas principium, quinquarius medium, & septenarius finis; Eodem modo quinquarius principium, septenarius medium, & novenarius exitus: In quibus omnibus trinitas personarum in natura supersubstantiali consideratarum invenitur, hoc est, ubi totaliter forma respicitur, & non materia. Atque hac harmonia egit DEUS ad sui regni superessentialis in æternitate ordinationem, priusquam aliquid in sacrosancto consilio de materiæ creatione decrevisset. Hoc autem loco observandum, quod, ut unitas est formarum omnium, quasi centrum, sic etiam ternarius numerus sit prima atque proxima majestatis divinæ à sua natura versus rem creandam emanatio, & quinquarius numerus secunda, septenarius tertia, ac novenarius ultima, ita ut quinque sint emanationis luminis divini processus, videlicet formæ luminosæ ab unitate versus 3. emissio, & à ternario, versus 5. & à quinario versus 7. & à septenario versus 9. & novenario versus 1. qui numerus cyphræ appositione constituit 10. Unde liquet, quod si DEUS materiæ abyssum non ingrediatur, tunc in seipsum, seu in suum centrum & suam unitatem radios suos reflectat secundum illud *Mercur. Trismeg. Monas generat monadem & in seipsum reflectit ardorem suum.* Nec quidē recedit Deus, in sua natura superessentiali consideratus, à numero impari, quatenus eo gaudet & delectatur: At, cum viam spiritus deformis, & occultè in hylæ ventrem immergi calcare sibi proposuisset, per filium suum immediatè ab ipso procedentem per viam & numerum imperfectionis in materiæ imperfectæ abyssum se immergit: nā ille

Solus, qui numeri binarii perfecti campum ingressus est, ad binarium imperfectum & in potentia ad aliquid existentem penetrare potuit. Unde dualitas super substantialis se duplicando medium numero septenario reddidit, & perfectionem hoc modo cum imperfectione in primo gradu processionis à sua natura supercœlesti ad mundanam junxit: Nam quaternitas est numerus par, & per consequens imperfectus, ternarius autem numerus perfectus, ita ut ex primo congressu verisimile sit, materiam sive imperfectionem, quæ numero quaternario refertur, cum perfectione conjungendam esse, quatenus numerus ternarius, qui formæ attribuitur, cum eo ad numeri septenarii complementum connectatur: Similiter numerus quaternarius est medietas superficialis inter duo & sex; denotans inde, quod Verbum sit quasi centrum operationum sex dierum creationis: Hinc postquam Verbo Domini firmati essent cœli die quarto, hic Rex informans tabernaculum suum illo die posuit in Sole: Hic dies quartus dividendo sex in tres dualitates erat medius superficialis sex dierum, vel centrum essenziale diei septimi. Unde etiam sol suo fulgore decoratus in mundi seu cœlorum medio positus est: Similiter numerus quartus est medietas numeri octonarii, qui significat elementatum seu cubum accipiendo medietatem, ut apud numeros pares æstimatur. Nam numerus quaternarius est quadratum radicis 2. Unde quatuor repræsentant elementa à secunda persona producta, ex quibus mundus conflatur, & octonarius est cubus, ex quo compositio ex elementis conflata est. Est ergo dualitas mundana, hoc est spiritus universalis, reverà imperfecta, in lucem à potentia virtute dualitatis increata, in trinitate unitatis completæ producta, à qua quaternitas seu elementum, & numerus octonarius seu elementatum oritur. Proceditur ergo ulterius ab unitate versus creationem hoc modo. Quinarius numerus est medietas perfecta inter binarium numerum & octonarium; Denotat ergo, secundam personam esse in medio inter Spiritum universalem & elementatum, & per consequens, quod Verbum sit in nobis & rebus omnibus compositis tanquam centrum, vita atque essentia. Est etiam quinarius numerus centrum omnium digitorum, videlicet numeri novenarii, quatenus ex una parte sunt 1. 2. 3. 4. & ex altera 6. 7. 8. 9. inveniuntur: Unde etiam centrum est inter supersubstantialia: Est ergo Filius centrum inter Patrem & Spiritum, estque centrum in rebus supersubstantialibus, est centrum in rebus creatis & increatis, est centrum Spiritus increati, & universi mundi in Sole habitans, est centrum elementorum, estque centrum elementatorum: Est ergo vita rerum increatarum, est vita tenebrarum, est vita spiritus seu aquarum creatarum, in corde firmamenti palatium tenens, est vita elementorum in sphaera media seu æqualitatis, in centro elementorum, seu aëris medio nonnunquam mirabiliter apparens, est vita elementatorum, quatenus est mirabilium esse & fulgor, vegetabilium forma specifica, animalium esse, quo spirat hominum vita, ratio, intellectus & mens, quatenus affluenter in eo habitat: cum teste Paulo, *ejus membra sint ipsius divinitati templum atque palatium*; Unde ratione præsentia hujus Solis sempiterni *Microcosmus* nuncupatur. Atque hoc erat illud Verbum, cujus mentionem facit Divus Johannes, vocans illud *vitam & lucem cujusque rei hujus mundi, quod tenebræ non comprehenderunt, nec mundus novit*; illud FIAT, in libri primi primordio allegatum, cujus virtute quælibet creatura est facta. Atque hoc modo ad limen seu vestibulum hylam ingrediendi, videlicet ad numerum denarium usque progressa est Dias supersubstantialis spiritu increato exuberans, quæ idèò unitate divina divisa est in numerum binarium, ut ipsa, unitas increata, existens, hominem ex nihilo unum efficeret duplicem, videl. Deum & hominem


minem, & per consequens ad suum exemplar speciei humanæ duplicem naturam attribueret, divinam videlicet ac humanam, ita ut virtute primæ unitatis, videlicet formalis & increatæ immortalis fiat, & imperfectione secundæ confusionem producentis materialis, scilicet & creatæ, mortalis reddatur propter finis defectum: At verò, quando Spiritus vivificus advenerit, illa hominis imperfectio emendabitur, & dualitas in trinitatem spiritus increati adventu migrabit, & ab imperfectione mortali ad perfectionem immortalem exaltabitur, ita ut à morte ad vitam æternam futura sit resurrectio: Nónne adventu & descensu, ac præsentia istius spiritus divini exuscitati sunt mortui ad vitam, eo tempore, quo mundi Creator, hoc suo Spiritu sacrosancto in corpus suum mortuum redeunte, à morte in vitam, incorruptionem induendo, triumphanter resurrexit. Atque ita spiritum duplicem acquireret homo, videlicet priorem, vitam corpori temporalem adhibentem, atque ultimum tandem immortalem divinoq; similem, & alterum quasi DEUM efficientem, videlicet virtute & gratia Monadis summæ per justiciam Diadis increatæ. *He* spiritum nunc habet in materialitate seu dualitate, & *He* duplicatum habebit postea, quod appropinquabit ad naturam ipsius Tetragrammati; Unde homo undique Spiritu sancto stipatus divinitatem sibi per gratiam acquireret atque nanciscetur, & ipsi Creatori suo erit quàm similis: Unde dixit DEUS post peccatum Adami: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, &c. Nunc autem, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, ac comedat, & vivat in æternum, emisit eum Jehova, de paradyso voluptatis, &c. Gen. 3. 22.* Hinc etiam Mercurius Trismegistus: *O Asclepi, magnum miraculum est homo, animal honorandum & adorandum: Hic enim in naturam DEI transit, quia ipse sit DEUS* Cujus etiam rei rationem secundum naturalem intentionem Hebræorum Doctores ac Cabalistsæ in hac animæ humanæ definitione reddere videntur; *Anima hominis est lumen Dei, & ad imaginem Verbi, causa causarum, primi exemplaris creata substantia Dei, sigilloq; figurata, cujus character est Verbum æternum.*

C A P. XVI.

De admirabilibus quinarium & denarium numerorum mysteriis.

EX prædictis ergo luculenter apparet, quod numerus quinarium sit centrum numeri denarii, in quo unitas se duplicat, seu repetit extra terminum simplicitatis, atque ut dualitas fuit prima medietas numeri ternarii, videlicet terminus inter 1. & 2. (ubi ambo termini sunt impares, & per consequens perfecti) sic in primo numero compositionis, seu primo articulo, ubi unitas divina cum cyphra seu materia informi se jungit, videlicet in 10. quinarium numerus centrum (improprie loquendo) & medium esse reperitur, videlicet inter 1. & 10. Sed inde mysterium magnum revelatur, scilicet, quod, sicuti in prioribus terminis 1. 2. 3. duo perficiuntur à parte anteriori & posteriori propter perfectionem unitatis & trinitatis (nam nihil præter perfectionem est in regno supercoelesti) sic in terminis 1. 5. 10. in quibus progreditur unitas per dualitatem seu DEUS per verbum ad creationem 5. qui est medius numerus, reperitur inter originem suam 1. & 10. Unde quia 10. est numerus par, denotat imperfectionem materiæ creandæ, quare ejus medium seu centrum, quod debet esse ejus vita, est perfectus numerus, ut ejus perfectione perficiatur. Porrò etiam respectu unitatis, quam in se
habet

habet denarius numerus, est numerus impar, quatenus creatoris seu unitatis præsentiam jam habet cyphra seu hylæ spiritus per radiationem quinarium numeri, qui est dualitas secunda à 3. incipiens, videlicet 3. 4. in unitate completa, nam, ut 2. prima vice incipit à perfectione unitatis, & desinit in 3. perfectum numerum, sic secunda vice incipit à 3. perfecto numero, & desinit in 5. numerum perfectum, in quo se duplicat *Vau* in *He*, ut in 2. & 3. dictum est, ita ut in progressu simplici versus compositionem, incipiendo à numero perfecto, triplicè trinitatis gradum inveniamus, videlicet inter 3. & 5. & inter 5. & 7. ac inter 7. & 9. Nam primus processus ab 1. ad 3. est ordinatio proprietatum divinarum, seu personarum in trinitate: Hinc ergo apparet, quomodo partium mundi creati ordo ante creationem in Archetypi idea impressus fuerit: Nā inter primum gradum, videlicet inter 1. & 3. invenitur 2. cui refertur spiritus universalis, quem unitas in creationem produxit. Unde ex proprietatibus divinis unitas est quasi primus motor & ordinator; Dualitati verò seu secundæ personæ videlicet filio & Verbo datum est exequi ordinata unitatis, hoc est, creatione patefacere spiritum universalem, tenebris ipsius hylæ & chaos confusum, qui tandem revelatus factus est 2. quatenus ex sua propria massa & luce increata in actuante constituitur: Deinde inter 3. & 5. est 4. numerus, denotans in divina idea, quod ille Spiritus universalis in quatuor naturas secūdo gradu dividendus sit; Deinde inter quinque & 7. interponitur 6. significans separationem aquarum ab aquis, & superiorum creaturarum viventium creationem puram; Postea inter 7. & 9. octonarius denotat corporum cœlestium compositionem ex cubo simpliciiori & puriori derivatam; inter quas etiam compositionem humanam numerare possumus, quatenus invenimus, quod homo à diluvio in numero octonario servatus fuerit; & ex cubo grossiori cætera omnia elementata: Hic verò videmus, quod numerus quinarium sit medium & centrum omnium graduum; Atque hinc factū est, ut inter res creatas Quinta essentia mediū obtineat locum, & Sol dualitatis palatium in medio quintæ essentiæ situs sit. Hinc unitatum ordo, quarum centrum est 3. supercœlestia disponit, & denariorum ordo, quorum centrum est 5. mundana distribuit: Sic 1. & 3. constituunt 4. & 2. & 3. faciunt 5. quod est centrum denarii numeri.



Et 1. 2. 3. 4. simul addita constituunt 10. cujus centrum est 5. ita ut diameter circuli ternarii progressionem naturali producat quinarium numerum faciendo semidiametrum 1. 2. 3. & producendo semidiametrum oppositum, addendo primam figuram sinistrae diametri partis ad mediam, quod aggregatum profereat secundum secundæ, nempe 4. & positione secundæ ad mediam videlicet 2. ad 3. procreabit tertiam seu 5. quod extremum est centrum aggregati numerorum præcedentium simul additorum 1. 2. 3. 4. videlicet numeri denarii.

Hinc ab unitatibus progrediendum est à 5. centro usque ad numerum denarium: Nam numerus septenarius compositus ex 3. numero perfecto & 4. numero imperfecto denotat divinitatis mixtionem & ingressum primum in ma-

teriam. Est ergo gradus denarius unitatum primus ingressus naturæ increatæ in spiritum creandum in tenebris occultatum, uti supra dictum est. Deinde motus à 7. ad 9. arguit numerum centenarium, ubi unitas secunda vice in creatione secundæ diei se jungit: Nam, ut numerus quinarium est medium & centrum numeri decem unitatum, sic 7. est centrum numeri inter 5. & 10 denotans hoc ipso, quod inter numeros denariorum (qui sunt quasi rerum creatarum radices) & illos millenariorum (qui arguunt rerum cubos) numeri centenarii collocentur, qui spiritus creati quadratum indicant. Unde primi articuli denariorum seu radicum, ubi DEUS primum se jungit cum materia, referuntur ad intervallum inter 5. & 7. & secunda series, quæ est centenariorum ad illud inter 7. & 9. & tertia millenariorum ad illud inter novem & decem; ubi fit ingressio in profundum materiæ. Est igitur numerus quinarium, qui est centrum denarii, numerus exactè rotundus; quod quidem evidenter declarabitur, si sphaera ducatur plana, cujus circumferentia in 10. sit divisa, quippe cujus centrum ideò erit 5. quoniam quinque numerus est medium numeri denarii.

Postea ducatur diameter à minimo ad maximum, videlicet ab unitate ad 9. cujus divisio orbem in duo hemisphaeria fecet, & à parte dextra sphaeræ post 1. ponantur 2. 3. 4. 5. movendo versus 9. sinistri termini diametri & ante novem exprimantur figuræ 8. 7. 6. 5. modo hîc descripto.



Hoc peracto à quolibet opposito ad sibi oppositum ducatur recta seu diameter. Ex maximis ergo subtrahatur tantum, quantum superest super numerum 5. & adde minimo ei opposito, qui à quinque deficit, & quinque adæquata surgent: Quare ad invicem comparatis linearum terminis quælibet diametri extremitas dabit 5. Unde quilibet diameter habebit numerum 5. & 5. Unde fit, ut numerus quinarium in circulo denariæ revolutionis haud immeritò *sphaericus* dicatur, quoniam omnes numeri orbis, ad quinque rediguntur: Id autem fit per quinque lineas diametrales in sphaera ductas, quarum singulæ decem continent. Hic igitur numerus sphaericus in 10. ductus producet 50. qui numeri sunt *quingenta intelligentia porta seu anni jubilei*, quorum proportio dupla, quæ est Arithmetica formalitas, in se multiplicata *millesimam generationem* procreabit: Quod si perpetuo sic facies apparebit infinitudo, quæ secundum *Cabalistas* dicitur *regnum omnium seculorum ENSOPH* nominatum, & est Deitas ipsa sine indumento. Reliqua verò produxit DEUS amictus lumine, sicut vestimento, ut esset

esset lumen de lumine, ac inde cum vestimenti sui lumine creavit mundum intelligibilem spirituum separatorum & invisibilium, quem *Cabalisti* *cælum* dicunt. Atque hoc convenit cum opinione nostra supra allegata: ubi declaravimus, quod Deitas in regno supercœlesti nuda sit & in sua propria essentia, quam videre etiam ipsi Moyse negatum fuit; nec possibile est, ut DEUM essentialiter quis videat, nisi morte confestim, & in ictu quasi oculi afficiatur, spiritumque è vestigio efflet: At verò ut primum DEUS vestimentum induit, hoc est, in materiam creatam se immerfit, gloria ejus multis modis, induto prius creato aliquo amictu, hominibus apparebat, videlicet vel nube, vel columna ignea, &c. Et quamvis Moyse ad cognitionem 49. portarum sapientiæ attigerit, ad summam tamen & ultimam videlicet ad quinquagesimam, in qua DEUS nudus cernitur, nunquam accedere potuit. De hoc numero agit *Myrandulanus Comes* in hæc verba loquendo: *Qui sciverit quid sit denarius in Arithmetica formali, & cognoverit naturam primi numeri spherici, sciet secretum 50. portarum intelligentiæ & magni Jubilæi & millesimæ generationis, & regnum omnium seculorum.* Huic ergo numero denario includuntur decem *Sefiroth Belimah*, quarum proprietates nullam infinitamq; habent profunditatem quippe quarum mentionem facit *Abraham Patriarcha* in libro *Jezirah sive formationis mundi*. Per portas etiam has intelligentiæ Moyse traditum fuit omne illud, quod contentum erat more mystico lege Judæorum vel sensu literali vel allegorico per dictiones vel Arithmeticas supputationes vel Geometricas literarum figuras, vel harmoniæ consonantias ex formis characterum, &c. ut testatur *Rabbi Rambam* in *Genes*: Imò verò per illam legem à divino spiritu adeptus est *Salomon Rex* omne, quod noverat, de quo scriptum est in libro *Regum*, quod DEUS ei dederit sapientiam & prudentiam multam nimis, quasi arenam in litore maris, &c. Hinc ergo est, quod *Gerundensis*, de *Salomone* loquendo, dixit, eum omnia quæ cognovit per legem intellexisse. Nam sunt cunctæ res universaliter in quinas condiciones distributæ: Nam aut elementa sunt, aut elementata, aut animæ aut cœlestia corpora, aut supercœlestia incorporea; quorum quodlibet decem recipit considerationes, ut sapientes nobis tradiderunt.

C A P. XVII.

De ratione unitatis simplicis, quæ est digitorum origo, & unitatis cum cyphra conjunctæ, quæ est articuloꝝ principium, similiter de ratione quinarum & sexti numeri in harmonia supercœlesti.

QUoniã in superioribus numerationibus multa dubia se legentibus offerre possent, videlicet in unitate primum & tum postea de numero denario, quomodo scilicet DEUS pater seu prima Trinitatis proprietas in principio & ultimo digitorum introduci possit, & tum postea, quomodo illa se repetat in centenariò numero, & tandem in millenario; Similiter, cur secunda proprietas seu persona, cum sit dualitas, possit in numero quinario reperiri, cum bis duo producant quatuor, & bis quatuor octo, &c. intelligendum est primum quod in numeris Hebraicis. א. Aleph minus semper significet unitatem, & א importet DEUM Patrem, Monadem, & primam personam, quemadmodum apud *Johan* in *Apocal* dicitur secundum Græcos α & ω alpha & omega. Hinc nomina ejus stupenda per א scribunt Hebræi; ut אלה, El, אהיה Ehieh, quem *Plato* appellat ὁ αὐτός. Unde hoc vocabulum אלה, quod designat Patrem, revelavit Deus Moyse *Exodi* 3. ad deducendos Israëlitas ex servitute Ægyptiorum. Porro etiam

iam אדוני Adonai seu Dominus, quo vocabulo Hebræi usi sunt loco Jehovæ, sic etiam אלהים Elohim appropriant Spiritui sancto, quamvis, ut mihi videtur mala interpretatione reddatur Dii pluraliter accipiendo cum à singulari אלה Deus. Sed potius credo אלהים singularem esse numerum conflatum à אלה fortis, vel fortis Deus, & ים. Unde ים mare, vel ab אלה Deus, & quasi ים aquas; Unde Elohim quasi Deus fortis maris, & aquarum in אלהים Deus fortis aquarum contrahetur in אלהים. Atque hoc verisimile mihi videtur, quatenus ibi loci agitur, quomodo Deus omnia ex aquis & per aquas, eas informando creaverit. Sed ad rem nostram revertendo, videmus ex prædictis, quod plerumque nomen Dei incipiat à litera א, quæ est principium numerorum apud Hebræos, inde significans, Deum esse unitatem omnium numerorum, & per consequens cunctarum rerum, quæ numeris distinguuntur. At verò jam videamus, quomodo præsentia unitatis seu Deitatis in numerum denarium ingrediatur, qui ex 1. cum cyphra juncto conflatur. Notare debemus, quod, ut א, El, est unum nomen Dei, denotans, eum esse primum digitorum & entium increatorum unitatem. sic etiam ה, Jab, est aliud ejus nomen, designans digitorum finem & articulorum principium, hoc est, rerum omnium creatarum & ex forma ac materia compositarum exordiū: Nam Jod inter Hebræorum numeros semper denotat, 10. Et quod א sit unitas prima digitorum, & ה sit unitas secunda, sive articulorum prima, quæ illam digitorum unitatem ordine emanationis sequitur, videtur sacrarum Scripturarum ordo innuere atque agnoscere, cum observatum sit à Cabalisticis, quod אלהים 32. vicibus reiteretur in creatione, priusquam perveniatur ad nomen יהוה Jehova, ita ut א, & ה, sint quasi α & ω. Alpha & omega, quatenus א, unitas est principium numerorum essentialium, & ה finis: Nam nomen El incipit per literam א Aleph, quæ designat principium & unitatem, & illud Jab per ה, Jod, quæ valet 10. qui numerus est rerum omnium finis, ita ut in denario numero reperiat quadratum radice perfectæ, hoc est, numeri ternarii, videlicet 9. cui si addatur א fit 10. Ultra quem numerum Aristoteles in 3. problem. sect. 15. neminem unquam numerum ullum invenire potuisse testatur. Sed exacta numerorum digitorum mensura in quatuor literis nominis mirifici tetragrammati videlicet יהוה exprimitur, quæ omnes sunt circulares, & si simul jungantur, ac א prima unitas addatur, constituent 27. qui est ternaria radice cubus, ad cujus ideam totus mundus ejusque regiones fabricatæ sunt, quemadmodum in demonstratione trium pyramidum explicatum est. Nam Jod denotat 10. & primum He quinque, alterumque He quinque, & Vau 6. atque א unum: Sic itaque ternarii cubus literis divini nominis tetragrammati producitur, de quo tantas cecinit Plato laudes in suo Timæo. Quod autem Jod 10. importans, & He, quinque denotans sint numeri sphericæ, superius explicavimus. Hic etiam observare debemus, quod, Vau significans sex, accipiatur pro tertia secundæ trinitatis proprietatis emanatione à fonte unitatis, quatenus pro solo numero binario accipitur, atque ita est centrum superficiale inter 4. & 8. qui numeri in Archetypo repræsentant atque exprimunt elementum & elementatum creandum: At verò, ut consideratur in natura dualitatis in Trinitatis perfectione, ita cum Spiritu He exprimitur, ubi secunda proprietate spiritu perfectionis plena in quinto denarii numeri loco, hoc est, in centro digitorum novem reperitur, inde declarans, quod verbum sit, in rerum centro, imò verò & ipsum centrum essentialia cujuslibet rei, tam increatæ, quàm creatæ, hocque in æternitate & in prima idea Archetypi, videlicet, quod illud sit vita, & esse in centro medietate seu medio puncto, & unitate uniuscujusque rei. Infinitum hoc loco de re ista volumen edere possemus, sed quoniam campus magis arctus nos compingit subjectique necessitas nos premit, numeris divinis finem hinc imponemus, obiter vos admonendo, quod

quod hæc omnia de formalibus numeris sint intelligenda, qui numeris materialibus tam sunt oppositi in sua essentia, quam lux tenebris, ignis terræ, aut altum profundo. Atque hæc est causa, quod pyramidem nostram formalem omnimodo naturâ & situ alteri illi materiali oppositam & contrariam esse in multis hujus operis locis demonstravimus.

H

T R A.





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R II.

De harmonia divina.


C A P. I.

De harmonia divina & consonantiis simplicibus.



T materiales numeri in se nihil omnino præter discordiam & dissonantiam in mundo materiali producant, sic etiam numeri essentiales & simplices in mundo formali inventi, nihil procul dubio præter concordiam, unionem & amorem tam in sua regione, quam in orbe materiali propagare possunt. Sed in suo regno immenso, ineffabili & incomprehensibili gaudio & lætitia auditur harmonia hæc divina sine ullo obstaculo, aut discordiæ impedimento (quæ cum litigio in mundum materiale ab initio ingressa est.) In mundo verò agit hæc harmonia sæpius multiplicata ad materiæ litigiosæ & tenebrarum dissonantium correctionem: Quod quidem numero sanctæ Trinitatis hoc modo demonstratur. Nam monas cum diade conjuncta producit diatessaron, ex tribus intervallis consistens; ubi tamen 4. reperiuntur voces, quia ibi adest spiritus in unione unitatis cum dualitate; Sic *Filius dicitur esse in Patre & Pater cum Filio & Spiritus cum ambobus.* Iterum dualitatis nexu cum ternario numero diapente orietur, cum in tali numero quinque reperiuntur voces diapente constituentes & quatuor intervalla (cum sit solummodo additio unius toni vel personæ tonantis ad diatessaron; quod constat tribus intervallis.) Nam sub hac consonantia duæ conveniunt primæ personæ & spiritus duplex ab utroque procedens. Has igitur duas consonantias in Trinitate comprehensas denotat superexcelsum illud nomen Tetragrammaton: scilicet *Jod He, & Vau He*, ubi aspiratio (*He*) Spiritum ab utroque procedentem denotat. Ipsum enim (*He*) duplicatam utramque syllabam, totumque nomen terminat. Pronunciatur igitur hisce 4. literis *Jova*: Atque hac via duas consonantias magis simplices, in individua Trinitate jam patentes & manifestas habemus, ex quarum unione fit diapason, quod ex diatessaron & diapente integratur. Unde liquet, quod diapason consistat ex 7. intervallis & 8. vocibus & non ex novem: quia in compositione diatessaron

teffaron cum diapente ultima vox consonantiæ diateffaron est prima vox consonantiæ diapente; & per consequens, non reperiuntur in diapason plures quã octo voces. Denique quoniam diapason efficaciam suæ consonantiæ haurit ab unisono, igitur symphonia ejus connectitur cum unitate, à qua numerata atque derivata est. Iterum si via proportionum progrediamur, unitatem & dualitatem se habere in proportione dupla inveniemus, ex qua fit diapason. Et 2. ad 3. in sesquialtera proportione, ex qua consistit diapente. Et 3. ad Tetragrammaton seu Trinitatis conjunctionem cum unitate sesquiterciam denotat proportionem, ex qua oritur diateffaron. Porrò etiam, si unitas in se ducta unisonum afferat, dualitas in se multiplicata voces quatuor consonantiæ diateffaron afferet. Et iterum 3. per 2. multiplicata, addita præterea unitate, septem pariët, denotantia consonantiæ illius, quæ diapason dicitur, intervalla, vel additione dualitatis 8. ejus voces apparebunt; vel additione 3. numerus novenarius exultabit, in quo voces consonantiæ diateffaron & diapente comprehenduntur. Adhuc etiam via retrograda progrediendo 3. cum unitate juncta, quatuor consonantiæ diateffaron voces denotant, & 3. cum dualitate, quinque sonos consonantiæ diapente; quibus si trinitas addatur voces octo consonantiæ diapason prodibunt. Unde luculenter apparet, quod, utcunque personæ Trinitatis accipiantur, semper in concordia & symphonia reperiuntur, atque ab omni discordia & contrarietate immunes esse observentur. Nam si bis tria respiciamus, ibi etiam reperiemus diapente cum tono, perficiens illam concordiam, quæ sexta apud Musicos nuncupatur, si denique ternarius numerus in se ducatur, musicam etiam consonantiam producet, videlicet 9. voces ex diapente & diateffaron conflatas atque ortas; cum consonantia diateffaron confletur ex 4. vocibus & diapente ex quinque, quæ simul additæ consonantiam perfectissimam diapason producere animadvertuntur. Hujus autem Musicæ demonstratio hîc sequitur, quatenus in sola Trinitate reperitur.




C A P. II.

Quomodo harmonia mundana eodem modo se habeat, ut harmonia divina, & quod symphonia mundana & materialis procedat ab illa divina & formali.

UT denarius numerus se habet ad unitatem, sic etiam harmonia mundi materialis ad illam mundi formalis & super substantialis: Et ut unitas erat initium Musicae & concordiae Trinitatis; sic etiam ternarius in se ductus est exordium symphoniae compositionis, quia 9. sunt initium numeri denarii & finis numerorum simplicium. Hinc ad informationem & consonantiam mundi materialis, Spiritus Domini (qui erat tertia persona Trinitatis) unitatis locum, ut Trinitatis Spiritus in se suscipiens, ferebatur super aquas, igneam amorem & melodiam à sacrosancta harmonia proveniente, iis impertiens. Spiritus igitur Jehovah (cum quo est potentia Patris, & per consequens, unitas super substantialis, & sapientia Filii, ac per consequens dualitas super substantialis, & gratia ei propria) hic, inquam, trinus & unus in denario numero repertus, quia circa compositionem materiale jam versabatur, unitatis locum in essentia universalis & materiali sibi vendicavit: à quo secunda persona effluxit; videlicet *Sol*, quem *Plato* ob hanc causam *visibilem Dei filium* appellavit, nec quidem multum aberravit in hac sua opinione, cum, teste *Propheta regio*, *DEUS tabernaculum suum in eo posuerit*. Est igitur *Sol* quasi persona secunda in mundo materiali, virtutem suam fulgidam & splendidam à prima, seu igneo *DEI* Spiritu recipiens, quae aquas mediae mundi regionis, ut & infimae ad similitudinem sui Patris (à quo potentiam suam habuit) collustrare videtur, vitasque in inferiora quotannis infundere. Tertiam autem mundi materialis personam *hominem* vocamus, à prima & secunda promanantem, hinc inquit, *Mercur. Trismeg. Deus est lux & vita hominis*, & Philosophus alius nos docet, *solem & hominem generare hominem*. *Merc. Trismeg.* etiam alio loco dicit: *Mundum esse filium Dei. solem mundi & hominem solis*. Sed nos mundum capimus pro essentia universalis materiae, tali modo (si fas sit substantialia cum super substantialibus comparare) personas tres admiratione dignas in se comprehendente, quasi essentia divina suas. Sed Deus mundi vita, Spiritusque igneus & amatorius prima mundi persona aestimatur, à qua imprimis caeterae duae, & omnia alia derivantur: Sed adest *DEUS* suo mundo simplici & formali in unitate, mundo verò materiali in denario, ut scilicet se aquis deformibus, ad eas informandas & earum dissonantias ac lites symphonia sui vultus splendidi depellendas, & nexu concordiae inviolabili elementa ad invicem concordie paceliganda misceat. Cùm igitur mundus materialis sit solummodò typus atque imago Archetypi, seu mundi super substantialis, hanc nostram Musicam mundanam & consonantias cujuslibet regionis seu coeli ejus ab observatione harmoniae illius divinae deduximus. Imprimis ergo diligenti intuitu percipimus, quod unitas Trinitatis cum dualitate conjuncta producat consonantiam diatessaron ex tribus intervallis natam: Ad cujus exemplar etiam tres coeli empyrei hierarchias seu regiones in sua dispositione haud dissimilem melodiae formulam (spirante Spiritu divino) produxisse animadvertimus. Iterum percipimus, quod, ut unitas se habet ad dualitatem in proportionem dupla, quae consonantiam diapason constituit, ita quoque simili modo proportio pyramidis materiae universalis superior, seu regio prima, incipiens ab ejus cono seu principio primi coeli, se habeat ad interfectionem factam à duabus pyramidibus in corde coeli

cœli secundi seu ætherei, quippe ubi una pyramidis portio in cœlo empyreo re-
 perta ad illam cœli medii in dupla reperitur proportione, uti in harmonia no-
 stra mundana plenius recensuimus. Deinde, quia in secundo loco 2. addita 3.
 producant 5. qui numerus consonantiam diapente ex quinque sonis seu voci-
 bus conflata denotat; similiter, quia 2. se habent ad 3. in proportione sesquial-
 tera (in qua consonantia diapente reperitur) ideò inter secundum & tertium
 cœlum hæc proportio bis reperitur; semel scilicet sursum numerando, à sole
 versus cœlum supremum & semel deorsum usque ad cœlum elementare pro-
 grediendo. Denique quoniam in tertio loco circulariter progrediendo, unitas
 trinitatis ad eisdem numerum, se habet in proportione sesquitercia, ideò con-
 sonantia diatessaron in cœlo tertio reperitur, quæ invenitur in tali proportione,
 quemadmodum etiam inter primam Trinitatis personam & ultimam. At hoc
 in loco (obiter contemplando) magnum mysterium (ut mihi videtur) est eli-
 ciendum; videlicet, quod corpora in ultima & crassiori proportione materialis
 pyramidis in consonantia imperfectissima, & in abyssu imperfectionis ac quasi
 tenebris submersa, videlicet in diatessaron materiali reboantia, ad unitatem ta-
 men in proportione sesquitercia relationem habent, ita ut spes sit resolutionis
 corporum post mortem, per quam illa forma & mens in corporibus humanis
 obvelata, quæ ab unitate orta est, iterum ad unitatem via circulari redeat. Ex
 hisce igitur sole clarius apparet diligenter intuentibus, quod consonantia dia-
 tessaron cœli empyrei cum diapente superiori cœli medii conjuncta constituat
 consonantiam diapason supremam & spiritualem mundi majoris, incipientem
 à Deo & terminantem in Sole; & per consequens indicatur, quod diatessaron
 primi cœli & diapente superius cœli secundi sint consonantiæ simplicissimæ &
 spiritualissimæ totius mundi massæ materialis. Similiter jungendo diapente
 medii cœli inferius cum diatessaron cœli infimi; hæ consonantiæ simul jun-
 ctæ diapason materiale conficiunt, incipiens à Sole, & desinens in terra. Unde
 constat, quod diapente & diatessaron consonantiæ inferiores magis tendant ad
 materiam quàm ad formam; unde materiales dictæ sunt, cum vice versa supe-
 riores dicantur, quatenus formam & spiritus plenè informatos respiciunt. Vi-
 demus igitur, triplicem existere harmoniam ex tribus consonantiis symphoniam
 conflata; quarum *prior* versatur in essentia increata, ubi nulla est discordia, in
 medio mundo, nempe formali & essentia Trinitatis; *Dua ultime* in materia
 creata includuntur, videlicet in mundo materiali *una*, nimirum in parte ejus
 subtiliori, *altera* in densiori & opacitati obnoxia. At verò illa symphonia increa-
 ta unitur nexu indissolubili harmoniam creatam; videlicet forma supersubstantia-
 lis, materiali & substantiali hac via, scilicet ternario numero trinitatis (qui dia-
 pason in se continet) addito ad quaternarium numerum materiæ (nam secun-
 dum *Pythagoricos*, duo in materia non sunt numerus, sed unitatum confusio, ut
 dictum est, quare volunt, quod numerus quaternarius sit primus numerus par)
 producitur septenarius numerus, qui consonantiam totius perfectionis progri-
 gnit, videlicet diapason, quæ est illa copula; per quam Deus & adligavit suis
 creaturis musicam vitæ & lucis cosmo ac cosmi filiis assidue eam infundit atque
 liberaliter.



C A P. III.

*De ratione discordiæ mundanæ, elementaris & corporalis; & quomodo
DEUS chaos filias discordes concordii
pace ligaverit.*

Rationem, cur Dias materialis pro numero imperfectissimo habeatur, supra declaravimus; videlicet quia perfectionis membris, quibus perficiatur, destituitur. Nam etsi jam in actum producta erat materia ex deformibus chaos seu hylæ visceribus, tamen principium activum suæ essentiæ per se non habebat;

bat; cùm à natura absolutè formali principium suæ perfectionis acquisiverit, videlicet ab unitate divinitatis, quæ autor erat ejus existentia. Nam quomodo possibile est, ut perfectio per se sit in re (absoluto modo loquendo) cui non est sine ope alterius existere? Cùm igitur dualitas in se multiplicata & in intervalla divisa, non producat nisi numeros pares; cumque omnis symphonia ex consonantiis perficiatur, quæ ex solis intervallis imparibus componuntur, quomodo possibile est, ut ex dualitate (numeros solos impares multiplicatione producendo) consonantias melodiæ & per consequens harmoniam ullo modo propagare possit? Imò verò vice versa discordias & dissonantias harmoniæ oppositissimas pariet. Unde constat, DEUM & sacrosanctam Trinitatem esse solam atque unicam concordiaæ originem; Diabolum verò è converso discordiaæ & antipathiaæ parentem, quare & *Litigii* nomen sibi adeptus est. DEUS igitur formali luce ad symphoniaæ proportionalis & perfectissima partum utitur; Diabolus autem ad suas dissensiones & lites materia, tenebris & earum velamento. Hinc repugnantia indefatigabilis inter concordiam & discordiam, inter lucem & tenebras, inter mentem & spiritum deorsum primum, inter animam & corpus oritur. Atque hinc est, quod Pater concordiaæ potentissimus sublimi organi universalis cacumine utitur pro suo folio; discordiaæ verò genitor deorsum ad machinaæ centrum dejectus, ibi habitaculum suum tenet, faciemque suam invidiam tenebrarum cooperulo seu velamento obumbrare cogitur, ne concordiaæ autor eum radiis suis penitus exterminet. Hujusmodi ergo Trinitatis concordia & symphonia, Litigii & antipathiaæ potestas frangitur & dissipatur; Angelorum hierarchiaæ pacificè terminantur & distinguuntur, ignes rutili lancibus justitiaæ aequalibus suspenduntur; elementa quatuor litigantia concordiaæ vinculis, cum pace & harmonia admirabili, in locis symphoniaæ, per debitas & convenientes ipsis proportionales disponuntur atque constituuntur; corpora tam simplicium quam compositorum ad animarum suarum harmoniam moventur & consonant; atque ita hujus symphoniaæ supercœlestis virtute omnia materialia ab imperfectione ad perfectionem tenderent & subito ex imperfectis perfecta fierent, nisi discordia suis præstigiis tenebris, mundi erroribus plenis se omni hora actionibus concordiaæ interponeret, & voluntates creaturarum animatarum, imò verò ipsorum hominum oculos tam corporales quam intellectuales suis illusionibus, phantasiis & præstigiis occæcarent; quibus ipsa animæ bonæ (diversoria sua incolentes) erroribus & fallaciis ejus decipiuntur, & falsa seu mendacia pro veris, atque iniquitatem pro justitia malè accipiunt. Hinc mortis & dissolutionis timor; hinc omnes tenebrarum filiaæ seu vitia; hinc Adami lapsus; hinc mala pro bonis accipiuntur; hinc mundi & vanitatum ejus amor; & per consequens Dei Creatoris & ipsius veritatis odium. Quos omnes Diaboli nodos & nexus DEUS virtute suæ symphoniaæ per misericordiam suam, quando ipsi placuerit, veritatis radios mundo tandem patefaciens, facilimè enodabit atque dissolvit.

TRACTA.



TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

LIBER III.

De microcosmo interno.

PROOEMIUM.

*In quo autor rationem, cur circa exactam animæ suæ inquisitionem
versetur, mundo breviter verbisque paucissimis
explicare conatur.*



Uoniam tam sacrarum literarum admonitione, quàm veterum Philosophorum documento nosmet ipsos cognoscere incitatur, diutius retardare non debemus, quin ut nos nobismet ipsis incognitos atque occultatos tandem pro posse nostro cognitos atque manifestos reddamus; cum maximæ sit negligentiae indicium, nescire, quid sit illud, quo cœlestia, imò verò divina, virtute tam profunda cogitamus, quò naturalia tam subtili indagatione inquirimus atque tandem investigamus, quòve ab ipso quoque Creatore nostro tam sublimia desideramus. Non est res peregrina, nec longè à nobis in locis dislitis quærenda animus, quo ista sapimus; sed semper est nobiscum, adest, tractat, loquitur & intus nascitur. Datum est illi tam ingentium rerum secreta scire, & seipsum cognoscere non potest? Paucis quidem licet ipso animo animum cerne- re; hoc est, ut ipse animus se videat. Fieri autem non potest quadam divina prudentia, ut inveniendi facultas desit religiosis animis, seipsos & DEUM suum piè & castè, ac diligenter quærentibus; quoniam hujusmodi animæ, mentis divinæ radiorum suscipiendorum capaces sunt, atque à caligine errorum tenebrarum remoti, ipsaq; veritas noctes atque dies talibus, ut inserviat eis, præstò aderit. Nobis igitur, quibus mentis portio concessa est, imprimis necessarium existi-

existimamus genus recognoscere nostrum, nostramq; naturam immortalem considerare, templum DEI, DEUMq; in sui templi centro fixum gaudio ineffabili intueri; Et quando internum nostrum immortale oculis spiritualibus conspexerimus, atque nosmetipsos inde ritè cognoverimus, in ipsum Deum utriusque mundi Conditorum transibimus. Idcirco ut ego me mihi redderem, imò verò Deo meo, cui maximè me debeo, animi mei inquisitioni me dedici, peregrinusq; mundo jam factus, & corporis vestigiis, rebusq; densis mundi visibilis oblivioni mandatis, per undas spirituales mundi invisibilis aërea cymba vectus, atque è tenebrosis mundi, corporumque opacorum fluctibus emergens, cælorumque æthera scandens, ad rationis intellectusque palatia me conferendo; unitatem gaudio & lætitia incomprehensibili, in altissimo cælorum & beatitudinis cacumine confidentem, mente illustrata speculari incipiam. Invisibilem igitur me inprimis reddam, & gradum sensibilem scalæ hominis interni multoties calcatum relinquendo ad gradum secundum, imaginationi proprium, pedem meum attollā, postea in rationis vestigia saltu levi exurgam, atque ab ejus ditione ad regionem intellectualem internum meum elevabo. Conditor cælorum corporisque & animæ opifex æternæ mihi faustus atque propitius adsit, oculos meos benigno suæ sapientiæ spiritu clarificet, mentem radiis suæ divinitatis illuminet, animamque mei mediam ei obedientem efficiat, quo viam rectam directè calcando, quid tandem sim, in speculo divinæ Majestatis revelato luculenter discernam.

C A P. I.

*Quod DEUS in omnibus fecit hominem mundo perfectione
equalem: Unde Microcosmus.*

ARchetypus ille magnus, cujus immensam virtutem in primo voluminis primi tractatu cecinimus, non minori admiratione opus suum universale (creationis nempe) perficere, quàm incipere volens, sexti diei machinam in ipsius creatione, haud secus, quàm primo opificii sui die illam omnium machinam spiritum empyreum continentem, suo Spiritu decoravit: Atque ut in circuli compositione videmus, terminum à quo, cum illo ad quem, ita conjungi, ut nulla sit in utriusque termini perfectione differentia: ita quoque in creationis circuitu eodem actionis divinæ motu Opifex in fine, quò in ejus principio est operatus: namque spiraculum suum vivificans super obscuram & limosam corporis faciem emisit, quo corpus illud tenebrosum & immobile illuminaret, pulchrum & mobile faceret, diviniusque hoc opus ultimum redderet, atque ut de nihilo aliquid nobile actu non minus hoc sexto & ultimo creationis die produceret, quàm fecerat ejus die primo; quippe quo Spiritum suum divinum ferri voluit

I super

super aquas, ad creandum ex nihilo mundum universum, & ad spiritum ejus materialem tenebris obrutum illuminandum ac conferendum ei virtutes inexplicabiles, quibus non modo fieret nobilior, sed etiam pro animali universali, ut *Platonici* voluerunt, haberetur. Et vel hoc igitur imprimis nobis denotat, easdem in homine virtutes atque operationes secundum corporis ejus proportionem & quantitatem existere, quæ in mundo universo tam visibili quàm invisibili continentur. Id quod etiam affirmare videtur *Trismegistus*, dicens, quod DEUS *imagines duas ad suum exemplar fixerit, mundum videlicet & hominem*. Et sanè quid reperiri in mundo potest, quod non idem proportionaliter in homine deprehendatur? Namque si mundum idealem seu invisibilem consideremus, cujusque ejusdem regionis portionem in homine interno reperiemus: Etenim mens illa, divinus lucis increatæ radius homini interno cum composita lucis creatæ, in cælo spiritali constitutæ portione per divini Opificis placitum ac voluntatem communicatur; atque similiter etiam, ut in mundo visibili duo, cælum nempe & terra, habentur, quorum illud formas in terram impluit, hæc verò eas recipit & conservat; ita in homine quoque radius ille cælestis cum vehiculo suo æthereo vitam & formam lutoso illi corpori, quæ hominis terra dicitur, confert. Porro in mundo utroque sunt partes aliquæ corruptioni non obnoxia, supercælestes nempe & cælestes; portio verò quædam mundi visibilis est corruptibilis, videlicet elementaris; pari igitur etiam modo hominis interni portiones sunt incorruptibiles, corpus autem & visibiles ejus partes corruptioni subjiciuntur. Mundus à Spiritu divino circumvolvitur & gubernatur, atque hæc etiam eadem virtute essentiali corpus humanum agitur & circumvolvitur: Qui denique unus est, unum mundum creavit ad simulachrum suum; atque idem quoque unus unum condidit animal, hominem scilicet, ad propriam suam imaginem, quæ valde est delectatus. Haud ineptè itaque homo vocatus est alter mundus & altera Dei imago; quippe qui habet in se omne illud, quod in universo mundo majori continetur, in tantum quidem, ut nihil quicquam in eo existat usquam, quod non idem verè ac realiter in homine reperiat, & iisdem omninò officiis apud eum, quibus in majori mundo fungatur: Est enim in illo mens divina, ratio angelica, spiritus cælestis, harmonia elementaris, planetarum vegetatio, animalium irrationalium sensus: In omnibus denique mundi symbolum habet, & cum omnibus operationem ac conversationem: Quidni igitur creatura hæc ultima nomine suo proprio *Microcosmus* vocaretur, cum sit *Macrocosmo* in omnibus quàm similima. Atqui Deus opifex, cum sit infinitus, creavit mundum rotundum, & in membris suis admodum proportionalem; Nonne etiam sunt omnium membrorum humanorum *commensurationes* cum illis mundi proportionatæ & consonantes ac rotunditate iis convenientes? Mundi circularis centrum est terra; humanæ verò rotunditatis punctum centrale est secundum quosdam in umbilico; sed nos potius illud circa genitalia ponendum esse putamus, siquidem ut in mundi centro semina rerum reconduntur, sic etiam juxta hominis testiculos delitescit virtus ejus seminalis. Ab hac igitur meta circini ducti hominem externum, exemplo mundi externi exactè rotundum percipiemus, ut in exemplo sequenti luculenter explicatur.



Concludimus itaque cum *Trismegisto*, mundum esse Dei imaginem, hominem verò mundi, & quod per consequens propter suam cum mundo similitudinem, homo haud improprie mundus minor seu *Microcosmus* dicendus, & in omnibus more mundi majoris seu *Macrocosmi* sit considerandus.

C A P. II.

De Microcosmo interiori seu invisibili, & quod omnes mundi ideales partes in se habeat.

Microcosmum autem interiorem, occultam, invisibilem & immortalem hominis portionem appellamus, ex invisibilibus invisibilium macrocosmi caelorum partibus conflatum, quibus non modò naturales suas functiones obit, sed etiam circa contemplationes divinas virtute portionum supercaelestium versari solet. Hinc igitur est, quòd hominem interiorem tam Theologi quàm Philosophi animam dixerunt viventem, intellectivam, sensitivam & vegetativam virtutem complicantem, quarum qualibet à quolibet mundi majoris caelo derivatur; intellectus scilicet à caelo empyreo, vitalis ab aethereo & sensus operationes à formalioribus elementorum qualitatibus. Hominem itaque interiorem ex materia invisibili & forma purissima ac spiritualissima conflare dicimus, quarum partem materialem ille ex caeli aetherei substantia non aliter habet, quàm corpus visibile suam ex elementis, pars verò ejus spiritualis ita se retinet in aethereo suo corpore, ut ille spiritus aethereus in corpore elementari composito: Sunt enim superioris regionis radii caelo inferiori sibi proximo tanquam vita & anima. Unde manifestum est, intellectivam hominis partem aethereo suo spiritui esse quasi animam, quæ propter præminentiam suam super inferiores hominis interni partes homini nomen & esse dedit. Atque hoc est, quod voluit *Trismegistus Pim. I.* affirmando: *hominem internum ex vita & luce constare, quas ipsum*

Deum vocavit. Et alio in loco, *hominem interiozem immortalem vocat, exteriorem verò mortalem.* Et in resolutione Theologorum etiam invenitur, *exteriorem hominem corrumpi, quoniam cinis est, & in cinerem revertitur, hominem verò interiozem de die in diem renovari.* Ecce Deiformis spiraculi fructus, quibus homo super omnes alias visibiles mundi creaturas exaltatur, & ipsi Creatori similis redditur. Hunc igneum igitur spiritum, hominem interiozem constituentem cum suis vehiculis & appendicibus, cum Peripateticis, definimus, *esse substantiam incorpoream, qua vivimus, sentimus, secundum locum movemur & intelligimus primum;* Imò ipsa mens secundum Augustinum, appellatur, *quia omnia intelligit.* Et secundum Senecam, *spiritus intellectualis ad beatitudinem in se ordinatus.* De qualibet igitur cœli mundani portione ad hominis interni constitutionem concurrente in capitibus subsequentiis specialiter & ordine naturali tractabimus.

C A P. III.

De infinita & ineffabili lucis proprietate, & quomodo homocujuslibet lucidæ speciei portionem in se habeat.

IN *primi volum. Tractatu* rem omnem eo nobiliorem, tam rationibus quam auctoritatibus probavimus, quo plus in se lucis essentialis habeat, imperfectionemque majorem aut minorem à majore aut minori corporis & materiæ copia; perfectionem verò majorem aut minorem à lucidæ formæ exuberantia aut diminutione provenire. Diximus enim Deum meram & purissimam esse lucem increatam absque ullo materiæ additamento, hoc est, merè formalem & simpliciter igneum: Unde *lux vera*, propria & prima à *sancto Johanne cap. i.* appellatur. Diximus etiam substantiam ipsius cœli empyrei esse igneum lucis primo die creatæ domicilium, quæ empyrea dicta est, quia ignis in ea dominium habet: Atque hæc nec tempore (cum sit creata) nec perfectione (cum hujus loci compositio sit ex unica materiæ spiritualis quarta & tribus quartis lucis simplicissimæ) est luci & fulgori intellectuali increato ullo modo comparanda. Præterea probavimus, cœli mediæ substantiam deprompsisse formam suam ab origine illa empyrea; At, quia est medietas interstitii inter materiale cœlum & formale, ideirco illud æqualiter videtur de utroque extremo participare. Unde certum est, hujus cœli substantiam imperfectiorem & minus formalem esse illo supremo; quoniam plus habet materiæ, minus verò formæ, quam illud; constat enim ex duabus partibus spiritus grossioris & totidem lucis per diaphragma cœli empyrei à suo fonte ei secundo creationis die infusus: Atque hinc *æther* dicitur, quasi *æthær*, id est, igneus spiritus, seu ex spiritu & igne æqualiter conflatus. Similiter ultimo loco, lucem debilissimam esse in cœlo infimo, declaravimus, materiæ autem sive aquarum substantiam rebellissimam; nam constat ex tribus quartis lucis; atque ita sese habet in hoc extremo in materiæ quantitate, ut in altero, empyreo nempe, in formæ abundantia. Lucem etiam actum omnium simplicissimum esse demonstravimus, quatenus est simplex actus intelligentiæ, intellectusque increati, & primo à divina mente in omnia diffusa, modo tamen diverso, pro corporis natura rebelliori aut obedientiori. Dicimus igitur, lucem increatam esse totaliter & originaliter in ipso *Deo Patre*: Est enim ille *luminum Pater*, imò est ipsa lux prima & vera, cujus radii actus primi existunt, ut *Trismegist.* testatur: Unde illud: *Ego sum lux mundi*, &c. Affirmamus etiam cum *Trismegisto* & sacris Scripturis, in *Filio* esse illustrantem splendorem & exuberantem, in quo est *lux & vita hominum*, ut testatur *sanctus Johanni*

Johannis cap. 2. In Spiritu sancto tandem esse fulgorem omnem intelligentiam superantem, ut inquit *Dionysius*: Post autem lucis creationem portio illius simplicissima ad Angelorum compositionem concurrebat cum splendore intellectus increati seu mentis divinæ: unde *Dionysius* ipsos *Algamata*, hoc est, *clarissima specula lumen Dei suscipientia appellat*, in quibus etiam Deus ipse videtur. Post hoc ad corporum cœlestium informationem descendebat lucis hujus compositæ portio, dans ipsis vitæ copiam & efficacem propagationem: Estque hæc lux visibilis splendor. In ipsa etiam elementa lucis portio extrema infunditur, igneum illis vigorem tribuens, quo vivunt coporaque inferiora distinctis & symphonicis proportionibus constituunt. In homine denique est omnium harum lucis tam increatæ scilicet, quam creatæ specierum portio debita. Nam per spiraculum vitæ non intelligitur anima vitalis (hæc enim etiam brutis concessa est & plantis, qua vivunt) sed mens divina, luxque increata, quæ immediatè à Deo in illum infunditur, quo primum Dei imaginem induit: Deinde angelico & rationali splendore ornatur, atque hanc portionem à cœlo empyreo habet, qua rationalis dicitur; atque his duabus dotibus cætera animalia, omnesque alias mundi creaturas excellere videtur. Postea lucem vivificam, vegetativam & multiplicativam à Sole & creaturarum ætherearum splendore accipit, quibus corporaliter huc atque illuc ducitur, augetur & suæ speciei incrementum per propagationem habet. A luce elementorum corporis sui partium symbolizationem & humorum elementarium naturam ac proportionem harmoniacam habet, secundum illud *Trismegisti in Pimand. Fœmina aër & aqua cœundi compos ex igne maturitatem, ex æthere sumpsit spiritum, conglutinavitque natura ad hominis speciem effigiendam.* Quis denique dubitabit has omnes lucis species in homine esse, cum harum omnium originem, mentem nempe divinam, lucisque increatæ portionem in hominibus testetur *sanct. Johan. cap. 1.* à cujus fonte increato omnes aliæ lucis creatæ species derivantur. Nam secundum illud *Psalmistæ Regii: Verbo Domini firmati sunt cœli & Spiritu ab ore ejus omnes virtutes eorum.* Concludimus igitur, tres esse radiorum species, qui actus dicuntur; *supercælestes* nempe radii seu *Dei actus*, à quibus nobilior animæ humanæ portio derivatur; Deinde *mundi radii* seu *cælestes*, suntque naturæ actus, animaque ab ipsa procedens, unde hominis vita sensitiva & vegetativa derivatur; Et ultimo in loco sunt *radii elementares*, qui non vitam, sed vitæ habitaculum præparant, suntque qualitates propriè in elementis delitescentes. De his ergo *Microcosmi* radius infra latius discurremus.

C A P. IV.

De radiis supercælestibus, qui actus sunt DEI.

RAdiorum autem *supernaturalium*, quoniam alios in ipso Deo esse indicavimus, uti etiam sacræ testantur Scripturæ, alios quasi ipsius cœli empyrei, ejusque creaturarum substantiam, illos in Deo existentes dicimus *increatos*, hos verò cœli empyrei *creatos*. Radium autem divinum cum *Scoto intellectum increatum* appellamus; alterum verò illum, immediatè à divino procedentem, *intellectum creatum*. Unde *Scotus objecta intelligibilia produci in esse intelligibile, per actum intellectus divini affirmat*, & in ipsis omnes veritates de iis necessario relucere; ita ut intellectus creatus hujusmodi objecta & virtute ipsorum, necessarias quoque de ipsis veritates intelligens, videat in ipsis istiusmodi veritates. Atque tum intellectus ille creatus videns in objectis talibus veritates infallibiles, convenienter

dici potest, videre eas in luce æterna, sive regulis æternis. Id quod confirmare etiam videtur *Resolut. Theolog. tract. 2. part. 2. part. 2. quest. 2.* dum asserit, *convenienter dici posse, quod intellectus creatus videat hujusmodi veritates infallibiles in lumine intellectus increati, quia scilicet virtutes istius increati intellectus producta sunt objecta in esse intelligibile & ipsa sic producta, non sua, sed intellectus divinæ virtute movent ipsum intellectum creatum.* Ex quibus constat lumen tum creati, tum increati intellectus esse, & intellectum creatum nihil quicquam posse intelligere, nisi hoc quasi videat in luce ac splendore intellectus divini, quem *mentem* vocant; & per consequens certum est, ad animæ humanæ constitutionem concurrere cum intellectu creato mentem divinam, ita ut per hanc ille soleat prædictas veritates infallibiles videre, ut infra declarabimus. Cum autem hæc portio divina homini, propter immensam corporis ejus indignitatem, absque divina Opificis gratia obvenire in illius creatione non potuerit, idcirco idem ei donum ipso creationis ejus die concessit D E U S, quod antea primo opificii sui die cælo empyreo & per consequens universo mundo communicaverat. Namq; ut primo creationis die Spiritus ejus ferebatur super faciem cæli empyrei, spiritualiter ipsum illuminans, sic etiam ultimo illius creationis die Spiritus ejusdem Archetypi ferebatur super faciem hominis: Etenim spiravit ille in faciem hominis spiraculum vitæ, qui, quoniam increatus, vita & lux immortalis erat, ut testatur *Johan. 1. Trismeg. in suo Pimand. 1.* Tales itaque sunt hi radii supercælestes, qui sunt reverà proprii Dei actus; quorum priores à Deo immediatè processerunt & sunt quasi radii ab ipso Deo emissi, ac veluti Spiritus ejus actus divinus & splendor æternus, imò ipse D E U S, ubique pro voluntate sua divina præsens, ita quidem ut non ineptè inde *Theolog. resolutione* suffragante, dicatur, *in omni creatura esse vestigium Trinitatis*, non aliter videlicet, quam solem in hac domo, vel illa terræ parte esse dicimus, cum radii ejus in locis illis feriunt. Radii autem supercælestes secundarii sunt illi, qui immediatè à Deo primo die, ad materiam tenebrarum de potentia in actum producendam & confluendum mundum actualem & visibilem sunt creati; quorum actionibus tenebræ ad globi mundani centrum depulsæ, & virtus omnis cælis & cunctis cæli partibus & creaturis est data: Unde etiam actus Dei secundarii verè dici possunt, quatenus à Spiritu Domini immediatè promanantes. At verò non sunt hi ipsi simplices, ut illi increati (quippe qui penitus sunt formales & ignei) sed cum paucillo spiritus hylæ tenuissimæ materiæ, ut dictum est, conjunguntur; in qua compositione spiritus ille passivus, luxque essentialis activa ac verus Dei radius emissus existit. *Tota autem cæli illius substantia creata* dicitur, quia de nihilo, hoc est, non præexistente materia aliquid in actum fuit productum, nimirum informis & potentialis tenebrarum spiritus seu aqua subtilissima fuit lucis divinæ præsentia informata. Unde & cælum hoc intellectuale ac rationale dicitur, & simplex hæc compositio lux appellatur, atque hac ratione lux creata accipitur pro lucis divinæ mixtione cum spiritu, quem informavit, hoc est, pro compositione spiritus cum luce; in qua compositione, quia lucis proportio tripla est ad illam materiæ, idcirco lux ei nomen & esse dedit, atque hoc modo lux primo die creata fuit. Quoniam igitur lux ista formalis agit in suum passivum & spiritus passivus formam recipiens patitur, & actiones illas, haud secus quam materia formam suscipit, nonne inde verisimile est, hujusce substantiæ, simpliciter ex duobus compositæ, lucem esse illud, quod Philosophi vocaverunt intellectum agentem, qui omnia potentiâ intelligibilia facit intelligibilia actu, non aliter quam materiam illam, propter deformem suam dispositionem in potentia tantum existentem; reduxit in actum visibilem? Unde & *Franciscus de Maronis* hunc intellectum nuncupavit, *lucem & rationem cognoscendi*, & secundùm *Proclum in tract.*

tract. de An. Ille nobis præbet intellectum, nempe intelligentiæ lumen; Spiritus verò qui est altera compositionis pars, ni fallor, est ille intellectus, quem Philosophi patientem dixerunt, cujus est omnium intellectum in se recipere. Sic ad speculum politissimum lux suam intendit vultum, speculumque ejus radios recipiens facit subjectum proximum, in potentia solummodò ante lucis actum visibile, jam actu in speculo apparere & videri. Atque hoc est, quod asserere videtur Trismegistus in Pimand. 1. dicens, mentem esse in ratione, per rationem scilicet cœli intellectualis substantiam intelligens, cum in ratione sit, tum actio tum passio. Et Aristot. 3. de anim. In anima intellectiva propter intellectum passibilem ponendus est intellectus agens, hoc est, forma agens in suam materiam passivam imponenda est. Hinc igitur est, quod alii, secundum Basilium in Hexam. 1. 2. hoc cœlum rectè intellectuale, atque alii etiam rationale nomina verunt. Et Augustinus super Gen. 1. per lucem primariam intelligit naturam angelicam. Natura autem angelica secundum Boëtium lib 3. de Trinitate, differt à mera forma lucida, quæ increata est; quia accidentibus subijcitur, videlicet intellectibus & volitionibus, unde in ipsis materiam esse dicit: Sed hoc in tractatu primo, volum. 1. libro: De creaturis cœli empyrei, dilucidè declaravimus. Hi autem dicuntur propriè actus Dei, quoniam ab ipso immediatè procedunt, quorum fulgore homo interius illuminatur, Dei que ipsius imaginem habere dicitur, ut infra latius explicabimus; quamvis etiam & radios inferiores omnes secundariò aut ternariò à Deo derivari statuamus, quod etiam asserere videtur Trismegistus 3. Fiman. DEUS divina natura, principium universonum, DEUS, mens, natura, actus, necessitas, finis & renovatio; & proinde per consequens, omnes radios seu actus mundanos divinos esse & ab ipso Deo provenientes asseverare videtur.

C A P. V.

Unde homo dicatur Dei imago? & de nobilitate, quam ille à radiis supernaturalibus tam increatis, quam creatis, qui in ipso sunt, accipit.

CUM Opifex ille increatus spiraculum vitæ in lutosum hominis corpus inspirasset; corpus illud, licet spissum & opacum, divinam mentem recepit, atque illa per inexplicabilem & lucidissimam suam pulchritudinem, politissimum speculi cultissimi decorem lutosæ ac rudi hominis corpulentæ dedit; ita ut prius Archetypi forma & imago spiritualiter in ea conspicienda esset. Unde Trismegist. hominem ad Dei imaginem factum representare Trinitatem in loco quodam; atque itidem etiam sacræ Scripturæ in multis locis, hominem ad ipsius Dei simulachrum factum dicunt: Trismegistus etiam in 1. Pimand. hominis mentem propriam Dei formam vocavit. Et alibi, mentem rationis humana Deum nuncupat, qui est intellectus, vita & fulgor. Ac secundum sanctum Johannem 1. In Verbo Dei est hominum vita, quæ est lux splendens in tenebris, hoc est, in tenebroso corpore humano, est que hæc vera lux seu forma divina. Sic itidem Trismegist. Pimand. 1. hominem internum ex vita & luce constare dicit; vitamque & lucem Deum & mentem vocat, ac ibidem in hæc loquitur verba. Pater omnium intellectus vita & fulgor existens, hominem sibi similem procreavit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est. Eodem modo Paulus hominem, & Xystus Pythag. ejus animam templum Dei appellaverunt. Polita autem illa materia, hosce lucis increatæ radios recipiens, est spiritualis & intellectualis primi cœli substantia ad imaginem Verbi, primi exemplaris & causæ causarum, creata, quæ immediatè secundum Platonicos à Deo derivatur. Et hæc

hæc est vera animæ *Procli* rationalis substantia, quam primum mundi Opificem procreare dicit, ac per consequens omnium creaturarum nobilissimam esse concludit; quoniam, ut inquit ille, *animæ perfectionis essentia à superioribus Diis provenit; imò hæc est illa intellectualis substantia, quam Jamblic. de Myst. benefica voluntate divina, hoc est, mentis divinæ præsentia illuminari dicit; ac pariter est illa, quæ definitur à Theologis, spiritus intellectualis ad beatitudinem in se ordinatus, ut in Resol. Theolog. habetur: Est, inquam, hæc substantia duplex, lucis nempe essentialis & spiritus simplicissimi, quasi acies quædam ac medium limpidissimum, limoso corpori insita, in quo ideæ illius divinæ & increatæ portio conspicitur. In hujusmodi ergo speculo empyreo, corpus illud limosum illuminante, Deus ipse Opifex, ut testatur *Trismegistus* 1 *Pimand.* seipsum quasi inspiciens, homini, tanquam filio suo, congratulatus est, & propria nimium delectatus forma, opera sua cuncta ului concessit humano. Homo igitur omnium se potestatem habere percipiens, opificia septem gubernatorum (nam secundum *Trismegist. Pim. serm. 4. factus est homo divini operis contemplator*) animadvertere incepti & gubernatores illi, quos intelligentias vocant, humanæ mentis meditatione gaudentes, singuli sui proprii ordinis participem hominem reddiderunt, qui postquam horum didicit essentiam, in Astrologia peritissimus evadens, altius cœpit ascendere, & fulgoris sui ac vitæ fontem & originem perquirere satagebat. Unde septem circulorum ambitum mentis suæ acumine penetrabat & rescindebat, vimque Gubernatoris præsentis igni comprehendere tentavit: Namque ut ignis radii sursum, versus sedem suam connaturalem tendunt; sic fulgoris illius divini officium est, tot gradibus altius cæteris radiis ascendere, quot illis subtilior aut nobilior & excellentior esse dignoscitur. *Hinc erat, perhibente Trismegisto Pimand. 4. quod homo opera divina admirando, & vivaciter perscrutando, tandem ipsorum & sui ipsius autorem invenit ac cognovit.* Atque inde etiam est, quod idem *Trismegist. Pimand. 10. hominem animal divinum, non cum brutis, sed cum Diis cælestibus comparandum vocat; imò ipsum cælicolis præstantiorem esse, vel saltem pari cum illis sorte potiri voluit.* Solus denique homo hoc honore gaudet, quod in omnibus hujus mundi symbolum & cum omnibus operationem ac conversationem virtute illius radii divini habet: Symbolizat enim cum materia in proprio corpore cum elementis in quadruplici compositione; cum plantis vegetatione, cum animalibus sensu, cum cælo medio spiritu æthereo, cum Angelis intellectu, & cum ipso Deo, ut omnia in se continet. Agit igitur in omnibus & in omnia; atque ad eum in ipsum quoque Deum posse habet, intelligendo videlicet, & amando illum: ac sicuti Deus cuncta cognoscit, ita etiam homo cuncta cognoscibilia cognoscere potest, nec enim quicquam in eo est, in quo non fulgeat aliquid divinitatis: Atque hinc etiam *Trismegistus in 10. serm. Pimand.* ausus est appellare hominem *Deum terrenum & mortalem, Deus verò ejus Creatorem cælestem ac immortalem.* Et in serm. 3 *Asclep.* dicit, *magnum miraculum esse hominem animal adorandum & honorandum: transire namque illud in naturam Dei, & ipsum quasi Deum esse asserit: Et alibi, hominis naturam Diis cognatam esse dicit, iisq; divinitate conjunctam.* Ac certè hoc maximum est hominis decus, quod verum Dei radium & actum habet, quorum ratione consanguineus est ipsi Deo, non aliter quam illi, qui ex aetate & a vis descendunt, consanguinei & cognati eorum dicuntur. Atque has omnes perfectiones à lucis increatæ radice habemus, quam mentem & intellectum appellavimus ab ipso Deo nobis infusum; quo hominem propter existentem illum in eo divinæ formæ radium Dei simulachrum esse dicimus, & cum Angelis, quatenus intelligens, & rationalis est, comparari atque demum etiam cum omnibus cælis ac cælorum creaturis symbolum habere, ut antea declaravimus.*

C A P. VI.

*De radiis mundanis sive cœlestibus, quos naturæ actus appellant;
& cur cœli ætherei anima sit irrationalis?*

Radios mundanos sive cœlestes, quos alibi *secundarios* appellavimus, illos nominamus, qui à perenni fonte lucido, prima die creato, hoc est, à luce primaria ad cœli ætherei substantiam spirituales in actum deducendam, & ad tenebrosam privationis originem deorsum propulsandam, in mediam mundi regionem infunduntur, qui quoniam sunt mundi quasi visibilis anima, qua eum vivere dixerunt Platonici, idcirco à quibusdam radii mundani & actus naturæ appellantur, eò quod quælibet res naturales ab iis recipiunt actum, hoc est, vitam, vegetationem, multiplicationem & motionis originem; Imò quilibet naturæ radius seu actus est quasi anima vivens, si in corpus benè dispositum proportionem debitam infundatur; siquidem ejus virtute infinita ex similibus similia generantur, res cunctæ augentur alunturque, in tantum quidem, ut hic naturæ actus sit ligamentum elementorum, virtusque commiscendi; sine qua elementorum commixtiones fieri, formaque suæ speciei congrua, per quam ea res ab alia quavis re distinguatur atque dignoscatur, imprimi nullo modo potuissent: Quinimò etiam hinc radiis Sol vitam & calorem inferioribus inspirat, utpote cujus radiorum actus cuncta ad se calore suo vivifico convertit, cuncta permeat entia & qualitates eorum virtutesque ducit per omnia, ac tenebras caliginemque dispergit. Quid igitur est aliud hic naturæ actus, quam *anima illa mundi, quam in Sole præcipuè collocari voluerunt Platonici?* ita ut radii mundani seu cœlestes non sint quicquam aliud, quam lucis in corpore solari congregatæ emissio, & ad omnes visibiles mundi partes ejaculatio. Id quod etiam verificare videtur *Jamblicus, omnes cœlestes virtutes Soli inesse* affirmans. Et secundum *Proclum omnes omnium vires congregantur in unum Solem atque colligantur*; quas tandem ille in hunc mundum inferiorem per ignea sua spiracula creditur disseminare. Unde & Sole ad nos vergente terram herbescere & pubescere, abeunte verò eo illam deflorere videmus. Certum igitur est & manifestum, vim istam seu actum hunc naturæ esse animam mediam naturæ ex lucis primariæ substantia & spiritu æthereo conflata, quæ media ideò dicitur, quia participat de utroque extremo. Nam accipit naturam & essentiam suam de perenni spiritu cœli empyrei & rebus omnibus creatis cœli infimi virtutem suam vivificam liberaliter impluit: Imò etiam usque ad ipsius hominis centrum penetrat cum suo spiritu anima hæc vivifica, donum illud supercœleste, mentem videlicet ac intellectum in rationali suo cursu sedentem, secum vehens. Unde Sol, hoc est, anima vivifica & homo, nempe spiraculum divinum, quod homo internus appellatur, hominem generare dicitur. Atque hinc est, quod *Porphyrius in libro de occasionibus*, loquens de anima hac media, definit, *ipsam esse quoddam medium inter essentiam individuum, quæ est intellectus & essentiam in vera corpora divisibilem, qualitates enim materialesque formæ secundum corpora sunt divisibiles*. Et in eodem libro ipse differentiam constituit inter *vitam hujus anima & illam intellectus*. Atque hanc etiam differentiam confirmare videtur *Dionysius lib. de divinis nominibus*, dicendo; *quod illa, quæ sunt in inferioribus, existant perfectius in superioribus*. Et *Proclus in lib. de anima* asserit, *perfectiores animas à Diis sublimioribus provenire; esse namque illas per se mobiles, minusque deterioris nature participes, has verò se minus movere, magisque sortem corpoream pati, & vera dicit: Nam per hanc animam mens & in-*

tellektus corpori jungitur. Per animam igitur perfectiorem, intellectum à supremo Opifice immediatè procedentem, per aliam minus perfectam hanc mundanam intelligit, quàm à Diis inferioribus, æthereis nempe, provenire voluit. Nam alias animas à sphæra Solari, alias à sphæra Mercuriali, & nonnullas à sphæra Lunari derivari asserit, per quas diversam radiorum naturam diversas locorum ac sphærarum dispositiones sequentem denotare videtur. Atque hos Deos inferiores à *Trismegisto* 7. gubernatores vocatos *Proclus juniores* nominavit, ac si diceret à summo Deo provenientes, & quatenus juniores sunt atque inferiores, eatenus etiam animas imperfectiores, irracionales nempe facientes. In hæc igitur verba loquitur: *Anima rationalis est anima irrationali nobilior, quoniam illam primus mundi Opifex, Deus nempe supercælestis, procreavit, hanc autem Dii juniores produxerunt, id est, ætherei.* Hæc autem anima in se vitalis, sed irrationalis per acquisitionem portionis supercælestis fit rationalis; Et tunc eam *Augustinus lib. de anim. & spirit.* definit esse substantiam quandam rationis participem. Unde hæc anima media, quatenus respicit superiora, habet virtutem intelligendi, & quatenus inferiora, virtutem sentiendi: Similiter quatenus componitur hæc anima ex luce & spiritu, & quatenus mentem divinam cum cœli empyrei substantiæ portione in se habet, eatenus rectè definitur ab *Arist. lib. de spiritu*, esse *spiritus intellectualis & rationalis semper movens*, &c. Sed cur anima hæc consequenter per se rationem inferioribus dare non possit, ratio, ni fallor, hæc est. Primum quia certum est, ipsam mediam cœli medii substantiam ex æquali lucis primariæ creatæ portione & pari cœli medii spiritus quantitate constare; qui spiritus lucis hujus præsentia, à privatione sua liberatur & purgatur. Lucem autem primariam ex 3. lucis merè formalis partibus, & unica spiritus conflari diximus, quæ ideò intellectualis dicitur, respectu formæ suæ divinæ & simplicissimæ, rationalis verò, quatenus substantia spiritualis, quæ materialis est ejus actus, quodammodo patiendi resistit, & per consequens rationalem reddit hanc materiam, quæ rationalitas inferior est intellectu. Nam in *Resolut. Theolog.* habetur, quod, *quatenus anima respicit altiora, dicitur intellectus, quatenus inferiora, ratio.* Jam verò indubitatum est, rem esse tanto magis intellectualem, quanto magis ad verum lumen, fulgorem & intellectum acceditur, & tanto rationaliorem, quanto propinquior est veræ intellectus sedi; nam intellectus creatus immediatè ab intellectu increato, non aliter quam à Sole radii mundani, procedit. At quoniam res, quo remotius à fonte lucido distat, eò minus de radiorum ejus actu participat, uti videmus corpus animale, quo longius ab igne distat, eo minus ignis beneficium accipere, aut caloris virtutem sentire; idcirco media mundi regio, tum quia est locus à fonte intellectuali valdè remotus, tum etiam, quia ejus spiritus aliquanto est grossior, quamvis creatione sua ad vitam satis efficax & idonea, ad intellectum tamen & rationem minus est apta & conveniens propter substantiæ suæ crassitiem, magnamque contra lucis increatæ actus simplicissimos resistantiam; quoniam, quo crassior est materia, eo magis est formali actioni inobediens: proinde facultatem rationalem valdè debiliter illic operari certum est, & per consequens, animam illam mediam in creatione sua irracionalem per se factam esse; quamvis per familiaritatem illam, quam spiritus cœli empyrei habet cum illo ætheris, & per divinam Dei voluntatem, intellectus ac ratio per cœli empyrei diaphragma sexto die, ad hominis creationem, in hujus cœli animam descenderint, ut, cum hæc anima media vitalis in eum infunderetur, simul quoque ea illi cum vita intellectum ac rationem afferret. Et quia hujus cœli medii species in creatione sua irrationalis est condita, idcirco per se rationem habere non potest, non magis, quam vegetabilia ante Solis ortum creata, sensum more animalium; quamvis procul dubio creaturæ cælestes non mi-

nus reficiantur, & gaudeant præsentia hujus splendoris intellectualis, quam vegetabilia Solis appropinquatione & aspectu. Sed ut viâ magis familiari probeamus hujus cœli animæ irrationabilitatem, videmus in lumine intellectus sensum visus dirigente, quo longius ab illo objectum distat, eò debiliores esse radios ejusdem species visibiles contuentis: ita quidem, ut etiam veritas quandoque ipsis non reluceat, sic enim etiam in proposito sese res habet cum hac anima, quippe cujus medium diversum est ab illo intellectus & per medium mundi semidiametrum à sede intellectuali distat; unde radii cœli intellectualis propter mediâ diversitatem in cœlo medio quasi refracti sunt, & rationaliter non operantur. Atque præterea etiam, si hæc anima per se esset rationalis, cur non itidem quoque rebus omnibus, quibus vitam dare solet, rationem simul imperiri perciperetur? Est enim hujus cœli substantia tum in metallis, quàm in vegetabilibus & animalibus utriusque speciei; quinta essentia enim, quæ est rerum omnium natura sensibilis, solummodò existit, & non intellectualis, teste *Lullio in lib. de quinta essentia*. Concludimus igitur, quod cœlum empyreum habeat animam suam à radiis Dei increatis, & substantiam ejus esse penitus lucidam; non tamen lucem simplicissimam, quippe quæ Trinitatis tantum est propria, cum sit increata. Ita tamen hujus cœli substantiæ spiritualis appetitus expletur, ut penitus in naturam lucidam & formalem convertatur; Unde & compositio illa dicitur empyrea, id est, ignea, cujus substantia formali tenebrosus mediæ regionis spiritus informatur; atque adeò etiam tota regionis cœlestis substantia, fit ex portione hujus substantiæ empyreæ, quæ est ejus forma, & ex spiritu proprio, qui est ejus materia, quæ quidem compositio dicitur *æther*, id est, *igneus ær*. Atque ut tota cœli empyrei substantia est cœli ætherei forma, seu anima essentifica; sic iterum hujus tota substantia, quam quintam essentiam vocant, est omnium creaturarum inferioris mundi anima & natura, præterquam hominis, qui majorem suam perfectionem ab altiori regione depromsit. Hoc igitur modo verificantur præmissa dicta *Dionysii in lib. de divin. nom.* Illa, quæ sunt in inferioribus, perfectius existunt in superioribus, hoc est, quo altius ascenditur, eò major perfectio reperitur: Namque ut idem *in lib. de Angel. hierarch.* dicit: *Angelum superiorem de lege communi illuminare inferiorem*: ita quoque sese res habet cum mundi regionibus. Nam mundus interior, seu idealis est exemplar ipsius Dei, externus verò & visibilis est illius invisibilis imago.

C A P. VII.

De radiis elementaribus & anima sensitiva.

TImæus essentiam animæ nostræ non ex primis, ait, omnium generibus constitutam, quemadmodum superiores animas, sed ex secundis tertiisve compositam esse, ubi per prima genera naturas atque substantias cœli empyrei, per secunda, illas cœli ætherei, de quibus supra egimus, & per tertia illas cœli infimi & elementaris, de quibus hoc loco agemus, denotat. *Pythagorici*, ut supra explicavimus, animam ex proportione simpla, dupla, tripla & quadrupla componi volentes, per quadruplâ proportionem intellexerunt animæ potentiam sensitivam, quam *Plotinus* & cæteri *Platonici* idolum vocaverunt, quia est quasi imago & idolum qualitatis illius, qua sentitur. Et *Trismegist. Pim. 6.* ait: *Quæcunque sensus movent, idola sunt & vana quadam admirationes: nam bonum in mundo, aut mundi partibus invenire non licet: nam ut acies oculi Deum non cernit, sic neque pulchrum bonumque cognoscit. Divus Paulus hominē, animale & nos spiritum, carnalem dicimus; Etenim hæc corpora solummodo*

modò percipit, cum incorporea sensibus minimè objiciantur. Ex quibus patet, animam sensitivam de corpore participare, cum sine ejusdem organo nihil quicquam præstare aut perficere possit; imò nisi sit in corpore aliquo animato, hæc animæ functio seu potentia nihil est. Constat igitur ex elementis eam potius & eorum virtutibus ac mixtionibus consistere, quam à superiorum cælorum virtutibus derivari. Unde *Porphyrius* illam, in lib. de occasionibus in hæc verba à superioribus animæ potentiis distinguere videtur: *Anima quidem medium est inter essentiam individuum, quæ est intellectus, & essentiam in vera corpora divisibilem; qualitates enim, materialesque formæ secundum corpora sunt divisibiles.* Ubi per animam intelligit illam vivificam cæli ætherei, per essentiam individuum, intellectualem & rationem cæli empyrei substantiam, per essentiam verò in corpora divisibilem, potentiam sensitivam; quam denotat circa qualitates elementares materialesque formas, secundum corpora divisibiles versari, & ab ipsarum actionibus provenire ac derivari. Unde apud *Philosophos* definitur, *hujusmodi animam sensitivam esse actum substantialis corporis naturalis organici, quo idipsum vivit, sentit, appetit, spirat & loco progreditur, cujus potentia apprehensiva species rerum visibilium apprehendit & percipit præsentis & absentes*: nam sensus tam aptus est recipere impressiones rerum naturalium abstractas, quam cera recipit imaginem seu characterem sigilli ab annulo abstractum sine auro vel argento sibi adhærente. Atque hæc potentia apparatus tam in sensu exteriori, cui quinque subjiciuntur species; videlicet *visus, auditus, tactus, gustus, olfactus seu odoratus*; vel interiori, cujus tres sunt differentiæ, videlicet *sensus communis phantasia & memoria*. Ejus autem motiva potentia corpus animatum movetur, vel loco externe, vel spiritu & pulsu interne; quæ quidem, si sit imperans, est *virtus concupiscibilis*, spem & lætitiâ sub se continens, vel *vis irascibilis*, sub qua furor, rabies, infania, metus, tristitia, dolor & hujusmodi alia comprehenduntur. Est igitur sensibilis hæc facultas, ipsius terræ & obscuritatis filia, malorum omnium mater, carnis ad omnia mala instigator, peccandi in ea appetitum assidue excitans & objecta peccandi homini subinde præbens; nam sensu potentia apprehensiva species præsentis ad mala incitantes percipiuntur: Unde *Eva* primùm audiendo serpentis persuasiones ad peccandum alliciebatur; deinde videndo fructum esse pulchrum, oculisque & aspectu delectabilem, tetigit fructum illum, atque ad postremum eum gustavit & comedit; ita quidem, ut ad peccati hujus complementum omnes illæ quinque species concurrerint, maximè cum gustui etiam odoratus sit comes familiaris: Sed & sensus potentia motiva species ad hanc actionem concurrebant; nam concupivit & appetiit statim fructum, atque ut appetitum expleret, adivit arborem, & de fructu accepit, postmodum metu & tristitia percussa à facie Dei fugit. Ex quibus apparet, tria fuisse *Eve* ad committendum illud contra Creatorem suum inobedientiæ peccatum, incitamenta; *Diabolum* nempe, *carnem & ipsum mundum*. *Diabolus* carnem objecto aliquo tentavit. *Caro* sensu apprehensivo operante objectum mundanum apprehendit & vidit, ac diabolicis persuasionibus victa speciem illam sensibilem appetiit, potentiaque motiva eam duxit ad explendum appetitum suum, & in subjecto illo mundano viso eam mirificè oblectavit, quod tandem ei subjicitur tanquam præmium seu pœna potius suæ erga Creatorem suum inobedientiæ. Hinc igitur omnium totius generis humani malorum origo; quæ statim ab ortu suo intumescens universam protinus conditionem humanam inquinavit. Nam ipsa mulier homini etiam de fructu dedit, qui comedit, & per illud peccatum suum ex statu immortalis ad mortalitatem cum omni posteritate sua est redactus; ita ut rectè eum jam descripserit *Trismegistus Deum terrenum, sed mortalem*; nam privilegium suum immortalitatis per inobedientiam suam perdidit; &

formæ

formæ ejus omnes, quarum natura est de sublimioribus regionibus secundum ipsius *Procli* sermonem, ægrotare incipiunt, sola que hæc facultas sensitiva efflorescere; de qua rectè cum *Paulo* Apostolo dicere potuisset ille primus homo: *Video aliam legem in membris meis, captivantem me in lege peccati*: Et cum *Socratis Phædro*: *Vires nostræ sunt boni contrario mistæ, dissensionisq; mutua plena*. Hinc, inquam, mortalitatis sententia contra Adamum pronuociatur. Nam inquit Dominus DEUS *Gen. 2. De ligno scientiæ boni & mali non comedas; quocunque enim die comederis, morieris*. Hinc igitur ex Paradyto expellabatur Adam, ne de arbore vitæ gustaret & viveret in æternum, adeoque etiam ob illius peccatum omnis ejus posteritas & successio redditur mortalis: nam dicit DEUS *Gen. 6. Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quoniam caro est; caro enim corrumpit vitam suam super terram, quare interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est sub cælo*. Hoc, inquam, animæ sensitivæ seu carnalis malitiæ initium, evidens erat futurarum calamitatum prognosticon. Nam *hominem animale*, ut *D. Pauli* verbis utar, ad pessima totum compositum assiduè magis magisque trahebat; Et hominis malitiam in terra ita coalescere, omnemque cordis ejus cogitationem ad eò ad malum omni tempore intentam vidit DEUS, ut etiam pœniteret eum, quod fecisset ipsum. *Genes. 9.* Nam factum est, ut post lapsum *Adæ*, sensus & cogitatio humani cordis in malum prona essent ab adolescentiæ ejus. *Gen. 8.* Hinc pulchritudinis corporalis amor & luxuriosus fœminarum aspectus, pulchritudinisque supercœlestis & amoris sinceri ac verè ignei contemptus. Unde *Trismegistus 1. Pimand.* corporis amorem mortis causam esse asserit. Et alibi: *Qui corpus amoris errore amplectitur, is aberrabit in tenebris, mortis mala sensu percipiens; nam nisi quis corpus suum oderit, seipsum amare non potest*. At quid denique dicendum est ad nefandam illam tribulationem, quam facultas hæc carnalis in genus humanum introduxit, qua bonum à malo discernitur; quam quidem discrepantiam homo in sua innocentia ignoravit, & ejusdem ignorantia beneficio ærumnarum expererat, non erat passivus, curis & angoribus nullo modo afflictus, ab animæ perturbationibus immunis, patientissimi spiritus & mali inexpertus, utpote circa solam Creatoris solius boni bonitatem versatus. Oh summum hominis bonum! Oh inexplicabilis ejus felicitas! At verò jam suo errore ab inobedientia orto bonum à malo distinguere potest, lucem à tenebris, tranquillam animam à tumultuosa & vexationibus ac passionibus oppressa, ignis jam conscientia urere percipitur, gehennæ rabies timetur, diabolicæ invasiones assiduè animadvertuntur, damnatio humana metuitur; præterquam quod etiam infinitis cruciatibus mundanis affligitur, & vel tutissimus quoque omnium hominum, ac firmissima securitate munitus; mortis adventus lugubris, amicorum infortunia deplorabilia, nostraque assiduè formidanda; nemo in hoc mundo securus, quilibet circa proximum suum suspicax, nemo unquam satis fortunatus, aut suo statu contentus, quia boni malique gnarus. Oh summum igitur generis humani infortunium! Oh inexplicabilis ejus infelicitas à proditoria potentia sensitivæ dispositione, rebellique; & lasciva carnis humanæ intemperantia miseriarum suarum ducens originem. Concludimus igitur hanc inferiorem animæ portionem seu sensibilem ejus functionem esse quasi formam seu qualitatem elementariam magis essentialem, corporis mutationibus & perturbationibus mirificè gaudentem; de qua *Jamblicus de Mysteriis* videtur agere his verbis: *Passiones qualescunque sunt in animali, non sunt in anima qualicunque, sed in corpore, quod sub anima certam possidet qualitatem, qua & patitur & perturbetur*. Ubi videtur per hanc qualitatem sub anima intelligere inferiorem animæ portionem, quam accepit à forma elementari; quam quidem in elementi ignis capite diximus esse cujusque mutationis occasionem. Nam forma ista, licet à fonte illo spiritus vitalis sit in

prima creatione derivata, nunquam tamen propter inæqualitatem materiæ, cui includitur, quiescit, nunquam sua positione contenta est, sed semper contrarietatibus impugnata in assiduo bello versatur cum corporis tenebris, jam victa ærumnas corpori afferens & tristitiam, jam verò vincens, lætitiâ ei inducens cum pietate, si menti conveniat. Nonnunquam etiam, pace facta, communicatio est amica inter ipsam, & carnem ejus tenebrosam; quare circa voluptates inanes & vitiosas versatur, & cum carne omnia diaboli mandata parata est observare. Et tunc regia mentis luce propter tenebrosam carnis societatem privata, omnia pessima producit. De quo etiam loquitur *Mercurius Trismegistus*, quando dicit, *quod ignorantia pestis omnem terram subvertat, animam corporis vinculis inclusam corrumpat, neque sinat eam salutis iter adsciscere. sed quod in lacum corruptionis mortisq; eam submergi faciat, nec ad vitam fontem recurrere sinat.* Quomodo autem ejus dispositio menti penitus, propter malignitatem carnis & diaboli adversetur, infra latius declarabimus.

C A P. VIII.

Quibus vehiculis, seu per quæ media luces cujuslibet cœli, animam humanam constituentem, corpori jungantur.

INter Philosophos, divinas virtutes in res omnes diffusas esse animadvertentes, *Democritus & Orpheus Pythagorici*, illas *Deos* appellaverunt; quibus omnia plena esse dixerunt. *Zoroaster* autem vocavit eas *illices divinas*. *Synesius* *symbolicas illecebras*. *Trismegist.* & alii, *vitas*; ac omnes generaliter *animas & essentias*, nomen ac esse rebus tribuentes. Harum autem animarum in corpora descensum & modum conjunctionis earum cum corporibus diligenter perquirentes *Platonici* (nam animam primùm & sponte mobilem, corpus autem per se ad motum inefficax, & per consequens hæc duo extrema omninò naturâ esse contraria, eaque de causa non facillè conjungi perceperunt) animadverterunt, medio aliquo spirituali eum fieri: ita quidem, ut interveniente eo, duo illa extrema & peregrina aliquod inter se commercium habeant, & ligamenti illius ad invicem sibi copulentur, quod ipsum porrò *æthereum vitæ vehiculum animæve curriculum* appellaverunt. Atque hunc esse spiritum illum æthereum affirmarunt, qui familiaritatem cum extremo utroque habeat; non aliter, quàm aëris substantia cum contrariis sibi invicem igne & aqua: Unde & spiritus ille æthereus animam involvens in media mundi regione, hoc est, inter extremum spirituale & corporale situs, definitur esse nec anima nec corpus, sed quasi jam anima, quatenus scilicet, regioni superiori contiguus est, & quasi non anima, sed quasi jam corpus, quatenus nimirum regioni elementari est conjunctus. Hunc, inquam, spiritum animadverterunt *Platonici* esse illud vehiculum, in quo & per quod mirificæ illæ formatum dotes inferioribus conferuntur, omnisque facultas occulta in herbis, lapidibus, mineralibus & animalibus, virtute solis, lunæ & planetarum ac stellarum fixarum propagatur. At verò *Trismegistus* profundius aliquanto *Platonici* istis naturam humanam introspicens deprehendit, spiritum æthereum esse vehiculum mentis divinæ. Et quamvis *Proclus* in lib. de anima his verbis mentionem faciat indumentorum animæ humanæ; *Anima descendendo variè vestitur & tandem purgatur*, magis tamen confusè de illis loquitur: Namque in 1. *Pimand* habetur, *mentis indumentum esse animam, animæ verò indumentum ipsum spiritum*. Ubi per animam intelligit Auctor rationalem cœli empyrei substantiam, & per spiritum, informatam ætheris substantiam. Unde in *serm. 10. Fim.* eundem istum primi sermonis locum his verbis aperire videtur, per


per quæ verum mentis motum à termino suo increato à quo, ad terminum creatum, ad quem efficacissimè declarat: *Anima hominis in hunc vehitur modum; Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, spiritus in corpore.* Quibus fanè verbis haud obscurè innuit, mentem divinam & increatam lucis increatæ radium induere cœli empyrei substantiam, quo vehiculo magis deorsum in formalem cœli medii substantiam descendit; nam forma cœli medii est de vera cœli empyrei substantiæ natura, & naturaliter simile simili suo gaudet. Porrò forma illa ætherea duplicem naturam supercœlestem amplectens, in spiritus ætherei involucra involvitur, in quo, tanquam in vehiculo suo proprio in corpus limosum transportatur. Mentis igitur fons est *Monas* illa increata, quam *Trismegistus* 1. *Pimand. propriam Dei formam sibiq; similem* & *Scriptura sacra Deiforme spiraculum* vocat: Atque hanc probat *Trismegistus serm. 10. Pimand. in mole terrea existere non posse, nec terream facem etiam posse mentem ad eò divinam suscipere, aut tantum numen sustinere.* Hinc est (inquit ille) quod mens animam veluti amictum assumit, quia anima divina existens vehiculo spiritu utitur. Nec certè potest mens hæc divina in mediam regionem magis ferri absque suo vehiculo empyreo, quam animæ mediæ natura in infimam, nisi mediante spiritu medio, cum idem sit respectus inter cœlum Trinitatis & empyreum, qui est inter empyreum & medium; ac idem inter illud medium & infimum, qui est inter empyreum & medium: Etenim cujusque cœli superioris anima est sibi proximi inferiori nobilior, secundum illud *Procli de anima: Anima rationalis irrationali est nobilior, quoniam illam primus mundi Opifex procreavit, hanc Dii juniores seu ætherei, hoc est, spiritus igneus cœli intellectualis, quod etiam rationale appellant, immediatè à Deo primo mundi Opifice promanans, nobilior est spiritu cœli ætherei, utpote cui facultas solummodò datur vitam & vegetationem inferioribus, sed nequaquam rationem completam infundendi.* Atque hinc est, quod ipse *Proclus* eodem in loco asserit, *animas nonnullas ex sphaera Solari, alias ex Mercuriali & nonnullas ex Lunari descendere.* Ex quibus evidenter apparet, quod primum mentis indumentum sit longè nobilius, quam illud æthereum, cum sit quasi forma ad spiritum illum medium, à quo in descensu suo excipitur. Mens igitur in rationalem spiritum primum includitur; Spiritus autem rationalis cum contento suo divinissimo à spiritu per se vitali recipitur; qui tum ex spiritu irrationali fit, mentis & vehiculi ejus præfentiâ, rationalis & intellectualis secundum illud *Jamblici in lib. de Myster. Anima benefica voluntate divina illuminatur.* Atque ipsam nunc rectè definivit *Aristoteles in libro suo de spiritu: esse spiritum intellectualem, rationalem, semper moventem:* quatenus videlicet dotes illæ supercœlestes cum ejus natura conjunguntur. Spiritus denique hic æthereus, radiis tam supercœlestibus, quam mundanis exaltatus, propter assiduam suam cum inferioribus communicationem ac familiaritatem, in corpora aptè à Deo in creatione ad eum suscipiendum disposita & proportionata infunditur, & per universum corpus humanum transcurrens, potentiam in eis primum sensitivam à natura sua propria inducit, quam etiam cæteris animalibus, irrationalibus nempe, pariter cum hominibus largiri solet, atque tum postea etiam rationalem & intellectualem, quam virtute luminum supercœlestium soli homini conferre consuevit. Atque hoc modo
conflatur homo ille interior, facultatem intellectuam,
vegetativam & sensitivam simul
complicans.


C A P. IX.

De Theologorum opinione circa animæ creationem.


IN capite præcedente, quid de creatione animæ humanæ & ejus in corpus lutofum descensu statuunt Philosophi quique diviniore, dilucidè explicavimus. Hic verò de ipsorum Theologorum sententiis inter se discrepantibus paucis agemus. Major Theologorum chorus concludit, *animam corpori infundi & infundendo creari*, allegans ad hoc illud, *Genes. 2. Inspiravit in eum spiraculum vitæ*, id est, animam in corpore creavit. Verùm huic assertioni apertè contradicit *Origenes* cum nonnullis ex Græcis Theologis, *Platoniorum* hac in parte opinionem sequentibus, qui omnes in hanc eunt sententiam, *animas omnes pariter cum Angelis in principio fuisse creatas*. Id quod etiam alii quidam volunt, uti in *Clangore buccinæ* invenitur, quippe ubi in hæc verba expressè scribitur: *Anima, quæ hodie & post quotidie infunduntur de novo in uterum matris, non creantur à novo, sed sunt creata ex solo igne in principio primordiali universorum, ac forwentur in mente & potentia Creatoris usque ad præfinitum tempus, quando infundi debent corpori, & à corpore non recedunt, nisi spiritus prius recesserit & evanuerit, quo recesso evanescit & anima*. Atque cum his quoque convenire velle videtur *Augustinus*, ut in *lib. 7. super Genesin* habetur, nisi invenerit sacras Scripturas contrā dicentes; Unde dubitativè de anima Adæ sic loquitur: *Si non inveniat Scriptura, quæ contradicat, videtur dicendum, quod anima Adæ fuerit à principio cum Angelis creata, & postmodum voluntariè ad corpus accessisse, ad ipsum administrandum*. Sed hoc Augustini dubium, meo quidem iudicio, facilimè tolletur, si consideravimus, Spiritum Dei æternum super aquas pennis igneis vectum, omnes virtutes cujuslibet Macrocosmi partibus assiduè infundere, juxta illam nunquam satis repetitam *Psalmistæ Regii* sententiam: *Verbo Domini firmati sunt cæli, & Spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum*. Hæc enim cum ita se habeant, quidni etiam eodem modo spiritus ille, quem semel spiravit Opifex in faciem Microcosmi, sufficere ad omnem hominum propagationem, cum in mente & potentia Creatoris reservari videatur usque ad tempus præfinitum, quo infundi corpori debet? ita nimirum, ut, salvo illo *Genes. loco*, anima illa intellectualis, quæ, quatenus ipsius Dei imago est, infinita dici possit ad hominum informationem, infinite sese extendat, non aliter, quàm spiritus ille, quem in principio creationis *DEUS* Macrocosmo dedit, cujus præsentia ipse Macrocosmus infinitis quotidie dotibus, sine repetita spiritus illius creatione ornatur. Nonne etiam secundum *sanctum Johannem* i. dicitur: *in Verbo Domini esse hominis vitam, illamque vitam esse lucem, &c.* Et *Trismegist.* *lucem & vitam ipsum Deum vocando, ex iis hominem creari* dicit, quibus probat, ipsum Deum esse hominis vitam, per quam supercœlestia gustat, mentemque hominis, quasi divinam ipsius Dei essentiam increatam seu veram Dei imaginem apud ipsum Deum semper reservari pro creaturis, quas ad imaginem suam formare instituit. Porro etiam animam ex novo, hoc est, de nihilo, seu non præexistente materia creari, verisimile non videtur; cum compositionis ejus materia sit spiritus, forma verò lux, ut ipsi testantur Theologi. At verò spiritum generalem atque similiter etiam lucem illam universalem, ex quibus omnis rerum forma & materia derivatur, in principio tantummodò virtute divina ex materia non præexistente creata esse testantur *Scripturæ sacræ*. Quibus insuper accedit, quod Pater omnium Opifex, ante mundi existentiam dixit: & protinus Verbo ejus confirmati sunt cæli & Spiritus ab ore ejus progrediens cœlorum virtutes















res motum suum hauriunt. Solem etiam appellavit *Plato filium Dei visibilem*: *Æthera quoque Spiritum vita* appellaverunt Philosophi veteres, eò quod vitæ sit vehiculum, quo inferiora vivunt. Movetur ergo lux solaris à primo mobili, hauritque spiritus essentiam, à motu & lumine primi mobilis & Solis procedentem. In regione inferiori, ubi unitas cum tribus cyphris collocatur; Pater igni ritè comparatur; Filius aëri, quatenus suavis moderator atque benignus mediator est; & Spiritus sanctus aquæ propter rationes superius allagatas. Terra autem jacet quasi totius fundamentum, in cujus centro unitas etiam reperitur cum tribus cyphris. Unde patet, quod DEUS se multiplicet toties, quoties personæ recensentur in Trinitate sacrosancta, ut integra mundi materia vertatur in essentiam ejus divinam: Nec certè relicta erat terra, seu totius fundamentum vacuum; sed in illam etiam ipsa ingressus est Salvator, quoniam, ut dictum est, *terra germinabit Salvatorem*, &c. Est ergo omne, quod est, ipse DEUS. Extra mundum adest sibi in essentia super substantiali & vocatur *Adonai*. In superiori mundi regione adest mundo spiritali, & vocatur *Mens*. In media mundi creati regione dicitur *vita*. In infima nuncupatur *corpus*. Et totum in toto ac omne creatum nihil præter Deum sunt; quatenus omnia bona dicta sunt, & verò nihil, præter solum Deum bonum dici debet, à quo sola est bonitas. Nam ejus bonitate omnia existunt, & sine illa nihil in actum produci potuit; quoniam sola Dei bonitas, lux & benevolentia est rerum omnium actus, in quo, à quo & per quem omnia, quæ sunt, existunt, & sine quo nihil. Quicquid ergo actus est, DEUS est, quia solus DEUS est actus: Et proinde actus ac vita creaturarum est DEUS, quoniam in Verbo erat vita, &c.

Demonstratio luculentissima numerorum formalium, tam in personarum DEITATIS ante mundi creationem ab unitate super substantiali profluxu, quam in cosmi & creaturarum ejusdem tempore creationis promanatione, ubi declaratur, qua ratione primum digiti formales ab unitate super substantiali, demde articuli, & tum postea numeri centenarii, atque denique millenarii ad diversam mundi consistentiam producantur.

M


Vidi


Vidi Jehovah in altissimo throno super palatium mundanum elevato sedentem: illudq; palatium erat gloria Conditoris plenissimum. Esaiæ 6.





Animæ ab imperfectione ad perfectionem regressus


Animæ ab unitatis perfectione in multitudinem immerio











prietates etiam tres rapiebat à cœlo stellato, cuiuslibet ex tribus Zodiaci triplicitati convenientes, quas etiam proprietates sibi ad perfectionem officii sui in corpore humano conjunxit. Nam facultatem suam attractivam ab *Ariete, Leone & Sagittario*, triplicitatem igneam conflantibus, deprompsit; retentricem à *Tauro, Virgine & Capricorno*, concoctricem à *Geminis, Libra & Aquario*, & expultricem à *Cancro, Scorpione & Piscibus* sibi vendicavit. Deinde transeundo sphaeram *Saturni* vim suam receptivam ab eo habuit, gravitatem etiam & constantiam in proposito suo, atque prudentiam cum profunditate. Ex orbe *Jovis* justitiam, virtutum amorem, honestatem, mansuetudinem & facultatis naturalis gubernationem pro sua portione rapuit. Ex regione *Martis* vim impulsivam & irascibilem, audaciam, potentiam & fortitudinem habuit. Ex *Solari* ambitu facultatem suam vitalem hausit. Ex *Veneris* circuitu virtutem sumpsit concupiscibilem, hilaritatem & delectationem in Musica. Ex orbe *Mercurii* vim suam phantasticam & ingenii acumen, scientiarum amorem & memoriæ perfectionem acquisivit. Et à *Luna* sphaera suam crescendi atque decrescendi potestatem attraxit. Denique inferior ejus portio, quam sensitivam & animale appellamus, complexionem, humores & reliquas proprietates, organis sensibilibus convenientes, secum ad elementaris compositionis perfectionem & complementum pro sua portione in diversorium suum opacum introducit. Ex quibus evidentissimè apparet, quod anima sibi allecitet in itinere suo, ab unitate peregrinando ad multitudinem, infinitas macrocosmi proprietates ab harmonia ejusdem divina profluentes. Atque hic diligenter observandum est, quod discordiæ non pulsent animam humanam à cœlo empyreo, quoniam illud propter suam puritatem, divinitatem & simplicitatem semper versatur circa bonum, sed soni litigiosi, quam sæpissimè percipiuntur à cœlo stellato provenire, verbi gratiâ: *Saturnus* invidiosa seminaria nonnunquam disconvenienter atque discrepenter in animam infundit; similiter odium, turpitudinem vitæ, melancholiam & hujusmodi alia; *Mars* etiam nonnunquam iracundiam, seditionem, litem, derisionem, adulterium, incestum, inconstantiam & hujusmodi alia immittit in inferiora propter incongruas suas cum nonnullis naturis inferioribus pulsationes. Unde hi *Planeta infortunati* dicuntur; cujus rei rationem in Musica nostra mundana recensuimus. Elementorum autem regiones, propter extantem in illis materiæ multitudinem repertæ, sunt discordiis plenissimæ; quoniam eorum numerus binarius est discordiæ & litigii origo. Atque hinc fit, quod tot in hac regione sint altercationes, tot corruptiones rerum, earumque de una forma in aliam mutationes. Sed & ipsa elementa inter se litigarent, & invicem bellum gererent perpetuum, nisi honorabile illud medium, cujus virtute res litigantes pacis & cœcordiæ vinculis ligantur atque connectuntur, intercederet. At verò mens ab omni passione, malevolaque materiæ dispositione libera est, semperque in suo statu constans & immobilis reperitur; nec enim ab astrorum influentiis, aut intelligentiarum impulsu flectitur, sed ab omni operatione & actione rerum, quæ sedi ejus connaturali subjiciuntur, immunis existit. Unde manifestum est, quod corporibus, quibus illa prædominatur, non possint astra necessitatem imponere. Nam sapiens & benedictis mentis divinæ radiis conspersus, atque imbutus ipsis astris dominabitur; Nec certè illam in parte animæ intellectiva potestatem habent stellarum & planetarum influentiæ, quatenus spiritus rationalis proximum est mentis vehiculum & supra syderum potestatem naturaliter exaltatus: Sed tales homines, qui intellectus munera, mentisque beneficia recusantes, bestiarum more sunt sola anima vitali contenti, & irrationalitatem rationalitati præponentes, nec ullo modo spiritualibus oculis res divinas intuentes, ad terrestria duntaxat prono vultu respiciunt, animale

solummodò & sensualem vitam amplectentes, hi, inquam, virtutem cœlestem & divinam ignorant, nec ad eos arcana pertingere possunt. Hujusmodi juxta *Merc. Trismegist. sicut illi, quibus mens aut abest, aut vacare dicitur*; atque in his anima vitalis, à cœlo æthereo derivata, primum & principalem obtinet locum; Unde fit, ut hujusmodi hominibus dominantur astra, iisque imponant necessitatem, non minus quàm ipsis beluis & planetis: quoniam anima vitalis cum suo spiritu est de natura stellarum atque cœlestium, ac per consequens facilimè eorum impressiones suscipit; quippe quæ ab eorum fonte dimanat, mediisque à Deo ordinatis inde subterlabitur, & in corpus humanum migrat.

T R A.





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R V.

De Microcosmo externo.

C A P. I.

De cuiusque creaturæ corporis sive mineralis, sive vegetabilis, sive animalis origine; & quomodo animalium, vegetabilium & mineralium externa inter se differant; Similiter de Solis virtute ad animalium creationem, & de duplici rationabilitatis differentia.



Ominem internum ex triplici animæ constitutione seu actu vel radio primario, secundario & tertio conflatum esse, in libris præcedentibus satis apertè declaravimus. Hoc verò libello, palatii seu receptaculi ejus materiam, naturam & fabricam breviter & succinctè explicare nobis proposuimus, quod corpus humanum, homo externus, & teste *Johan. 4. 9. domus hominis interni* appellatur. Quod igitur ad ejus materiam attinet, ex multis sacrarum Scripturarum locis, eam esse *terram & lutum*, colligimus, *Gen. 2. 7. & ibid. 3. 19. & ibid. 18. 27. &*

Tob. 4. 9. & ibid. 16. 18. De cuius originis, naturæ, qualitatis & opacitatis ratione mentionem satis perspicuam in *Tractatu nostro primo, de Macrocosmo* habuimus; ubi demonstravimus, ipsam esse universalium spirituum tenebroforum fœcem, triplici Spiritus increati revolutione ad fabricæ macrocosmicæ centrum percussam; ita tamen, ut spiritus nonnulli densi aquarum seu spirituum universalium in hoc capite, quasi mortuo adhuc delitecant cum scintillis nonnullis lucis triplicis vix perceptibilibus, è quolibet trium cælorum seu qualibet mundi regione materiæ spiritus occulti glutinosæ & viscosæ inhærentibus ac tenebris submersis. Hinc mineralium origo à crassissimo & densissimo spiritu regionis inferioris seu sublunaris, & tali lucis scintilla; unde eorum pondus & gravitas, difficilisque dissolutio propter spissitudinem materiæ, lucis scintillas includentis, provenire percipiatur. Inde etiam fit, ut metalla & cætera mineralia

N. B. magis

magis deorsum tendant, & in venis terræ profundioribus reperiantur: Hinc etiam vegetabilium & plantarum ortus seu principium; quarum nec spiritus ita spissus & grossus est, nec scintilla seu radius ita debilis & captivus seu impeditus, ut ille mineralium; quoniam planta habet hanc suam proprietatem à spiritu in tenebris secundarum umbrarum incluso, videlicet tenebrarum medii cœli & à luce quoque tali in eo occultata. Unde fit, ut natura vegetabilium ita se habeat ad naturam mineralium, sicuti natura cœli medii se habet ad cœlum infimum, Id quod etiam demonstratur, tum per eorum situm in terra, tum per eorum naturam & dispositionem. Nam mineralia magis deorsum in terra reconduntur atque submerguntur, & more occulto vivunt, propter exiguitatem scintillarum suarum; quoniam minor ipsis est ignis portio. At è converso vegetabilia seu plantæ penetrant terræ superficiem, & in aëris ac aquæ regionem versus locum suum connaturalem quotannis sublimantur & attolluntur, sensibilitèrque vivere, & de statu ad statum movere percipiuntur. Unde spiritum & lucem liberiolem, vivaciorem & subtiliorem habere observantur, quam corpora mineralia; atque ita elevantur supra naturam mineralium non aliter, quàm ætherea regio super illam, quæ communiter elementaris & sublunaris dicitur. Ex his ergo patet, quod spiritus grossioris portio cum infinitis lucis duorum cœlorum infimorum scintillis in ea inclusis; sub opaca & tenebrosa terræ dispositione tertio die, immediatè post terrestrium fœcum ad fabricæ & peripheriæ centrum repercussionem delitescere cœperit: Non tamen tam validi fuerunt hi radii in spiritu terrestri inclusi, ut animalia potuerint producere; utpote ad quorum compositionem lucis portio efficacior, & qualitate subtilior requiritur, qua huc atque illuc super terræ superficie ferantur sine ulla illigatione aut agglutinatione pedum aut radicum suarum ad orbem terrestrem; ut scilicet quædam natent in aquis super terra, alia in aëre volent super aquis, alia huc atque illuc super terræ superficie & aquæ facie in aëre discurrant. Est igitur procul dubio majus adhuc mysterium hio investigandum, unde à posteriori altius versus unitatis punctum est ascendendum. In *Tractatu nostro Macrocosmico* Solis ortum & creationis ejus rationem immediatè à terræ foundatione & circa centrum conglobatione seu aggregatione deduximus; quod scilicet radii infiniti, cœli prioris & superioris, in viscosa spirituum spissiorum ejusdem cœli materia capti atque inclusi, simul cum umbris ejusdem cœli ad centrum fuerint percussi, quorum spiritus eos includentes, quoniam à deformitate tenebrarum nullibi præterquam in loco & puncto immunditiei purgari & emundari potuerunt, idcirco spiritus solaris, ad cœlum empyreum pertinens, obscuritatem suam eo in loco exiit, & virtute consistentis in eo lucis primariæ taliter in altum elevatus est, qualiter sursum, adhibito igne artificiali, cernimus sursum ferri; Spiritum enim hunc solarem cum sua luce longe aliter se habere, quàm spiritum illum vegetabilium, qui à cœlo medio derivatur, supra declaravimus. Nam plantæ spiritus, cum sua anima ad patriam suam ascendere appetens, sursum quidem etiam tendit à terra versus cœlum; sed quoniam elementum ignis contiguum est spiritui æthereo cum ejus anima seu luce, fit inde, ut immediatè illud surgat cum parte ætherea; & similiter quoque ulterius, quia aër contiguus est in natura sua elemento ignis, ideò ignem sine suo consortio discedere non permittit, atque hanc etiam prærogativam habet aquæ elementum apud aërem, & itidem quoque elementum terræ apud aquam: Unde propter terræ fixam & ponderosam molem impeditur ætherea plantæ pars in desiderato suo itinere per fixam & ponderosam terræ qualitatem, atque ita semper ad terram reverti cogitur. At verò spiritus solaris in suo ascensu declaravit se ex nobiliori progenie & loco excelsiori ortum, quoniam absque ullo terræ aut tenebrarum impedimento in

cor cœli sublimatus & exaltatus est. Nam communicationem taliter hic spiritus cum cœlo æthereo, qualiter spiritus vegetabilis cum terra; quippe cujus radices taliter figuntur in centro & corde cœli ætherei, qualiter illæ plantarum in terra. Hinc est quod aurea, vitalis & incorruptibilis hæc mundi planta non impediatur in suo ascensu ab elementis: quia ejus materia cum illis non est contigua, sed interposita est substantia regionis mediæ inter ignem & cœlum empyreum, seu intellectuale, unde nec ignis, nec aër, nec aqua, nec terra, hunc spiritum sursum ex terra evolantem, retinere potuit, sed solus æther, qui ei situ suo naturali contiguus est non aliter, quàm ignis ætheri. Ex his igitur patebit subtiliter intuentibus, quod Solis natura, cum sit de origine cœli empyrei seu rationalis, tum propter maximam actuum suorum vivacitatem, tum etiam propter mirificam suam in vita rerum animalium potestatem & virtutem, animalia illa cujuslibet generis, quæ die quinto & sexti diei principio creata fuerunt, vivifica sua potestate produxerit. Nam ante ejus in cœli corde apparitionem, nullum animal in infimæ regionis expanso sive super terra creatum fuit. At verò post quartum diem, in quo Sol apparebat in cœlo, à principio nempe quinti diei ad finem usque sexti, creaturæ animatæ gradatim fuerunt productæ. Ex quibus æquum erit considerare, quo animal ad suam compositionem & existentiam requirat majorem caloris & lucis quantitatem, quàm minerale aut planta, & quod varia animalium genera secundum majorem & minorem caloris ac lucis effectum procreentur. Nam in prima Solis à cœlo apparitione vapores naturæ humidæ, nebularum & spirituum materialium ex rebelli tenebrarum massa profilientes, erant adhuc crudæ & minus concoctæ, quæ deinceps magis magisque indies solaribus radiis & actibus subigebantur, atque ita obedientiores factæ, res perfectiores & maturiores subinde proferebant. Hinc in principio quinti diei, quoniam humores erant adhuc valdè crudi & indigesti, operatione Solis vivifica, in lucem edita sunt animalia crudiora. Sic enim legimus, primo die pisces & aquatilia immediatè post Solis revelationem fuisse creata; Deinde obedientiori jam facto nebuloso tenebrarum spiritu animalia magis aërea & volatilia secundo loco vitam habuerunt, lucemque viderunt; postea transacto demum quinto creationis die, animalia magis calida atque ignea vivere atque spiritum haurire cœperunt, videlicet animalia quadrupedia & reptilia. Manifestè igitur liquet, quod Solis dominium, magis magisque subinde humidæ naturæ ac massæ terrestri insultans, fuerit in causa (divina & immortalis natura sic volente) quod varia & diversa animalium genera in mundo inferiori fuerunt inventa; quorum alia fuerunt frigidiora, alia calidiora, alia terrestria, alia aquatilia, alia aërea atque alia magis ignita: Quorum sane omnium corpora à terræ portione, radiis solaribus & formalibus magis obediente, & actibus eorum magis correspondente, selecta fuerunt; Nam terra hæc est omnium elementorum mater, quia ab illa procedunt ista, & in illam revertuntur: Imò verò terra est mater & nutrix omnium rerum, quas concepit in utero suo ab igne, hoc est, à cœlo, vel actu cœlesti: quia cœlum, cujus imperator Sol est, compositorum omnium est pater; terra verò eorum mater. Hæc in visceribus suis illa, tanquam mater foetum suum, gestat. In fundum namque terræ omnes influentiæ cœlestes & præcipuè solares influunt, quæ tanquam rerum spermata, ibi veluti in matrice communi, includuntur; Unde propter varietates proportionum istarum descendantium, diversæ diversarum rerum in terra fiunt generationes, variæque oriuntur inpressiones, quæ omnes in substantia terræ lutosæ fiunt. Imò verò ipsa terra est radiorum solarium in spiritu æthereo vectorum, palatium, cui illi instar captivorum, includuntur & spiritus vitales nuncupantur; utpote quorum beneficio etiam domus istæ & tabernacula ipsorum vivere, sentire & ra-

tionis scintilla frui dicuntur. Et, quod bona pace atque licentia tum veterum tum recentiorum philosophorum sit dictum (quorum sententia est, animalia omnia præter solum hominem irrationalia esse) rationis quoque scintillas nonnullas habent cætera animalia præter hominem; quas à solari natura acceperunt, cum ejus radii participent de natura cœli empyrei & spiritu ejusdem rationali. Unde animalium natura super illam planetarum dispositionem dignitate exaltatur, & flamma caloris sui quodammodò ad cœli empyrei seu rationalis margines propter solarem naturam, cujus portionem in se retinet, penetrare animadvertitur. Nec inde ignaros replicare velim, me naturam bestiarum cum natura hominum confundere; quoniam superius ostendi, hominis naturam cæterorum animalium naturæ, infinito respectu anteponendam esse, & præter illam cum brutis quadantenus communem rationis scintillam, ulterius quoque rationem completam & discursivam simul intellectum & ipsam mentem seu radium immediatè à Deo procedentem in se habere, tali modo, quali cætera animalia hanc suam habent ab ipso Sole. Homo denique animal admirabile & quasi divinum in creatione miraculum terram quoque peculiariter à Natura naturante selectam ad existentiam suam externam requirebat, quam ea propriis manibus præparavit & ad effigiei suæ imaginem faberrimè condidit.

C A P. II.

Corpus humanum quid? Quod sit terra pura & selecta, cum supremæ regionis mundanae tenebris, primo creationis die, deorsum repercussis, præcipitata: & quomodo differat ab aliorum mixtorum tam mineralium & vegetabilium, quàm animalium materia.

HOMO igitur externus nihil aliud erat ante communicatum ei animæ spiraculum, quàm massa corporea ex luto seu limo terræ conflata, colore, ut nonnulli volunt, rubicundo; qualem fingunt Philosophi in centro terræ puram & sinceram inveniri; significando per id ipsum, quod hanc terræ particulam omnium perfectissimam DEUS ad præparandum spiritus sui vitæ habitaculum elegerit, tanquam spiritibus tenebrarum purioribus & maturioribus magis repletam, atque ita ad nobilissimum & Deiformem illum spiritum humanum suscipiendum maximè aptam & idoneam, utpote quàm *Paulus cum Xisto Pythagoreo* templum Dei appellavit. Nam perhibente veterum nonnullorum auctoritate, in terræ foundatione, die creationis tertio completa, fuit hæc terræ portio per divinam providentiam ad hoc opus præparata & destinata, seminariaque lucis & spiritus ætherei potentialia in se habuit ac possedit purissima & aptissima ad Deiforme illud fulgoris increati spiraculum, actus scilicet seu radii primarii, suscipiendum. Hanc, inquam, terræ portionem Creator ad hominis externi effigiem & essentiam formabat; ut ejus internum instar habitaculi, reciperet; quare in hujus nares spiritum suum divinum inflavit. Atque hæc procul dubio differebat ab alia terrarum specie, ad cæterarum creaturarum magis ignobilium structuram adhibita, non minus, quàm terrea auri compositio ab illa cæterorum mineralium immundorum, quoniam, teste *Platone*, formarum actus requirunt materiatarum impressiones aptas & suis operationibus dignas, hoc est, anima tale desiderat habitaculum, in quo agat & habitet quale ipsa est. Ex quibus

quibus sequitur, quod, cum mens sit radius & actus Creatoris divinissimus, immediate ab ejus ore promanans, necesse sit, ut palatium quoque præstantissimum & sibi simile requirat, in quo regnet & mirificas suas operationes præstet. Ex limo igitur & luto præstantissimo ac politissimo terræ conflatus fuit Adâ ille externus: Unde liquet, quod ejus portio terrestris non fuerit omnino arida, ut est ipsa terra grossa in natura sua, sed quod habuerit in se substantiam aquæ, quæ, ejus ariditas fuerit in lutosam quandam & limosam dispositionem redacta & temperata. Ac tamen tota corporis ejusdem denominatio à terra sumitur, eò, quod aqua grossa nihil aliud est, quàm terra subtilis & terra nihil aliud quàm aqua grossa: At sicuti elementum ignis in relatione sua contiguum est terræ grossæ, respectu siccitatis suæ, & proinde quoque in terra potentialiter existit, sic etiam in terra subtili seu aqua grossa potentialiter reperitur aqua illa subtilis seu ær, à quo aqua suam acquisivit mobilitatem; quippe quæ duo elementa in natura humiditatis sunt continua: Et tamen, quoniam nihil in Adami externi effigie, præter solam terram, videbatur vel tangebatur, ideò terra, lutum & pulvis in multis sacrarum Scripturarum locis nuncupatur. Præparata ergo fuit hæc massa in luti vel ceræ molliem, quæ ad quamlibet cujusvis imaginis figuram & effigiem suscipiendam est idonea; eamque tandem DEUS Opt. Max. manibus suis in iconem & speciem hominis externi efformavit, secundum illud *Psal. 119. 73. Manus tua fecerunt me & plasnaverunt me, &c. Et Job. 10. 9. sicut argillam fecisti me, &c.* Hoc ergo est domicilium illud præclarum & palatium excelsum, corpusque illud microcosmicum & insignis homo seu Microcosmus externus, basisve seu fundamentum illud terrestre, de quo ita loquitur *Job. 4. 9. Corpus est domus lutea hominis interni, qui terreum habet fundamentum.* Et alibi *cap. 16. 18. O terra te tegas sanguinem meum, &c.* Hic est ille homo, quem *Genesis 2. 7.* affirmavit esse factum & formatum ex pulvere terra; & quem alibi *cap. 18. 27. pulverem & cinerem* vocavit. Et *cap. 3. 19. in pulverem dixit reversurum.* Sunt etiam, ut mihi videtur, adhuc altiora quædam ad veram hominis externi cognitionem perquirenda. Unde, si secundum nostram intentionem, diligenter tres creaturarum inferiorum species, videlicet animale, vegetabile & minerale intueamur, percipiemus evidenter, quemlibet earum ordinem non modo suam animam à qualibet mundi regione accepisse (videlicet animalia magis irrationalia, à Solis anima, quæ Solis creationem à prima regione derivavit; & magis rationalia immediate à cœlo intellectuali, vegetabilia autem partim à cœlo medio & partim à forma elementari, & mineralia à luce cœli infimi) sed etiam corpora sua sibi vindicare à tenebris cujusque mundi regionis, & id quidem secundum suam in natura excellentiam. Nam universæ tenebræ in principio fuerunt terra inanis nuncupatæ à Moyse, quæ equidem terra, triplici spiritus actione ad centrum, tertio creationis die, repercussa, non amplius terra inanis, sed mineralium & vegetabilium speciebus repleta ac dives fuit appellata. Ex superiori igitur terræ inanis seu tenebrarum palpabilium portione conflata fuerunt Solis & ipsius hominis corpora; Cæterorum verò animalium corpora partim ex iisdem tenebris, & partim de mediæ regionis spiritu umbroso fuerunt composita; Similiter corpora vegetabilium participant de tenebris utriusque regionis inferioris, atque reliqua mineralium corpora ex solius inferioris tenebrarum regionis portione prodierunt. Hinc ergo est, quod corpora mineralia spissitudine & soliditate differunt à vegetabilibus, atque itidem quoque vegetabilia ab animalibus; Nam magis dura & compacta sunt corpora mineralium, minus verò vegetabilium & minimè animalium. Nónne etiam arguitur hoc apertissime ex naturarum in hiscè corporibus ad invicem collatarum diversitate, nobilitate & ignobilitate? Nónne operata est atque versata natura

Solis in animatione horum corporum animalium, quæ immediatè post ejus exaltationem & positionem in cœlo fuerunt facta, tanquam in subjecto sibi magis naturali & conveniente? Nõnne etiam situs & stationes suas acceperunt hæ compositorum species secundum positionem ipsorum cœlorum, mineralia nempe versus terræ centrum, vegetabilia autem in superiori ejus regione & animalia super ejus superficie? Quid hoc ipso apud sapientes evidentiùs? Quid verò eo apud stultos absurdius? Nõnne opaca sunt corpora mineralium, vegetabilium & animalium? Quod si igitur opaca omnia & tenebrosa, unde hæ ipsorum dispositio præterquam à tenebris? At fortassis hanc eorum discrepantiam à forma illorum provenire asseretis; Cui quidem replicationi vestræ si locum demus, quid tum postea? Nõnne solet forma subjectum suis actionibus conveniens requirere? Unde, quo nobilior erit forma, eo nobilius sibi requirit corpus vel passivum, in quod agat. Et proinde luces superiores in tenebras inferioris mundi descendentes, tenebras suis corporibus magis convenientes requirunt, in quibus habitent, Quod igitur passivum aut quæ tenebræ menti & intellectus actionibus magis conveniunt, quàm corpus humanum? Certè nullæ; quoniam experientia nos docet, quod intellectus cum mente solum corpus humanum pro suo habitaculo & non aliud eligit. Unde liquet, quod corpus humanum ex omnibus tenebrarum speciebus sit maximè cognitum & familiare divino illi spiritui intellectuæ, prorsus ac si jam tum quondam etiam ante mundi creationem corporis hujus tenebræ spiritus illius matrix deformis extitissent. Sic etiam videmus, quod spiritus cœlestis cum sua anima magis conveniat vegetabilibus quàm mineralibus, quoniam abundantior in illis, quàm in his, reperitur; Atque sic in cæteris. Ex quibus sanè luculenter nobis videre licet, qualis sit terra, seu pulvis aut lutum & massa illa corporea, ex qua DEUS formavit hominem, & quomodo illa à materia externa cæterarum specierum mixtarum differat.

C A P. III.

De hominis externi proportionibus Geometricis, & quomodo per illas mundum quàm aptissime delineare possimus.


Nõnne hoc mirabile & miraculosum hominibus ignorantia macula coinquinatis videbitur, quod in hominis etiam externi natura, positione & proportionibus Geometricis, mundi materialis idea, effigies & proportio quàm exactissimè inveniatur? Hinc à Mercurio Trismegisto non ineptè nuncupatur *homo, mundi imago & Microcosmus*; quoniam in eo, tanquam in speculo, mundi tam idealis, quàm materialis seu visibilis partes conspiciuntur. Invenimus enim, quod, ut terra est mundi majoris centrum, à quo lineæ sive diametri ducuntur ad circumferentiam & quasi omnium elementorum matrix, ex qua omnium generationes, incrementa atque multitudines proveniunt; sic etiam mundi minoris centrum sit genitalium seu pudendorum, & virgæ radices punctum: à quo si ad os mucronatæ cartilaginis, & deinde ab illo ad gutturis basin, juxta clavículas sitam, ulteriusque ab ea ad verticem capitis, mensi fuerimus, inveniemus Microcosmi proportionibus Geometricas æquali distantia tribus illis Macrocosmi regionibus seu cœlis correspondentes. Namque ab osse pubis seu à centro vel puncto generationis progrediendo & ascendendo ad os mucronatæ cartilaginis, inveniemus, cœlum Macrocosmi inferius, sive regionem elementarem cum infima Microcosmi portione in omnibus convenire, quippe in cujus

regione inferiori intestina reperiuntur, fœculenta substantia plena; adeoque hæc sphaera inferior terræ comparatur; super qua ventriculus, chylosa pituita & materia aquea redundans, collocatur, sphaeram elementi aquæ sibi in hac Microcosmi regione vendicans: Hunc tangit hepatis sphaera, elemento aëris comparata; in cujus centro seu cavitate cista fellis, elementi ignis iconem præ se ferentis, tanquam in suprema regionis inferioris parte suspenditur. Dehinc à diaphragmate ad guttur, eandem altitudinis mensuram observando, ascenditur, quæ prius inventa fuit in dimensione regionis elementaris. Hæc ergo regio thorax dicitur, quæ ita sese habet in Microcosmo, ut cœlum medium seu æthereum in Macrocosmo. Per hujus enim regionis medium transit orbis æqualitatis, in quo anima vitalis mundi hujus minoris sita est: Nam, sicut in Macrocosmi media regione Sol æqualitatis sphaeram occupat; ita sphaeram æqualitatis in hoc minori mundo cor possidere observatur, utpote in quo calidum cœleste & humidum æthereum æqualibus lancibus conjungantur, & cui etiam, tanquam Soli, reliqui planetæ obedientiam in hac regione præbent: Nam secundum Medicorum & Astrologorum doctorum opiniones, *Saturnus* in *Ariete* repertus pectori præest, & in *Tauro* cor respicit; similiter *Jupiter* per *Arietem* transiens cordi refertur, in *Piscibus* pectori; *Mars* etiam *Cancerum* ingrediens pectori præest, *Leonem* verò intrans cor aspicit; *Sol* in *Scorpione* pectori beneficus est & per *Sagittarium* transiens cordi amicissimus est, imò verò utcunque sese habeat *Sol*, cordi animalium præest, & signum ejus *Leo* possessionem firmam pro illo tenet; *Venus* *Leonem* visitans pectori refertur & prædominatur, in *Virgine* verò cordi; *Mercurius* confert cordi si in *Libra* reperiatur, in *Virgine* verò, quæ est propria ejus domus, pectori conducit; *Luna* denique per *Libram* gradiens in pectus dominium habet, *Scorpionem* transiens in cor, atque ita in hac Microcosmi regione omnes Planetarum, nec non signorum Zodiaci, effectus subalternatim investigantur. Sed tamen ipse Sol, vitæ & caloris nativi imperator, semper in hac regione primum locum obtinet, tam in hac Microcosmi machina, quam in illa Macrocosmi.

Sed jam ut ad cœlum Microcosmi intellectuale ascendamus, si à gutturis basi seu à claviculis ad verticem capitis usque respiciendo oculos nostros attolamus, similiter ibi dimensionem illam reperiemus, quam in regionibus inferioribus. Quemadmodum igitur in cœlo empyreo Macrocosmi invenitur sedes mentis divinæ, atque intellectus & rationis; sic etiam animadvertimus, quod hæc Microcosmi regio sit animæ rationalis & intellectualis; imò verò ipsius actus seu radii divini mansio & tabernaculum. Præterea hæc regio distinguitur in tres cellulas tribus cœli empyrei hierarchiis relatas; in sensus scilicet communis ventriculum, atque in ventriculum phantasiæ seu imaginationis & memorialem: Et quod miraculum non est minimum, virtute hujus cœli divinitatis, Microcosmus familiaritatem habet cum sanctis Angelis & ipsum Deum contemplatione contuetur, eumque alloquitur, atque ei unitur, Spiritu divino mediante. Atque ut in Macrocosmo reperitur, quod Dæmonum regionem inferiorem incolentiam, rabies comprimitur, ipsique adeò obedientes redduntur, atque fræno inviolabili coërcentur & gubernantur per virtutem ac potestatem Dei & Angelorum bonorum cœlum tertium & supremum incolentium; sic etiam virtute mentis atque directionibus intellectus & rationis ira à bile & impatientia orta, invidia à liene procedens, concupiscentia ex hepate prognata, & timor ac desperatio & tristitia & hujuscemodi alia corriguntur, mitia redduntur, & ex rebellibus subjecta efficiuntur. Nec certè delitescit tantum magna virtus in sola mente, & ejus adhærentibus; sed etiam miraculosum dedit hæc divina potentia effectum partibus corporeis, eam undequaque à frigore

gore defendentibus & circummunientibus. Nam ipsa experientia edocemur, quod cranei humani portio in pulverem redacta spiritus illos malignos epilepsiam & febrem quartanam inducentes è corpore humano expulerit & corpora infecta sanitatis integritati restituerit. Legimus etiam, quod in craneo hominis suspenso signum crucis infallibiliter reperiatur; quam quidem cranei portionem, si epilepticis ea adhibeatur, dicunt mira præstare, adeoque magicum esse medicamentum atque magneticum, cujus virtute spiritus ille epilepsiam inducens, veluti incantamento quodam stupescat & demum evanescat, corpus in sanitate pristina relinquens; Atque hoc quidem secretum pro certo à quodam Germano mihi traditum est. Hinc denique fit, & quidem propter admirabilem animæ divinæ potestatem, semper sua natura sursum tendentis, atque exinde magis hominum, quam cæterorum animalium os, faciem & caput ad sublimia erigentis, ut homo non respiciat prono vultu, sicut reliqua animalia, terram, sed ut ad sidera faciem suam attollat, denotans hoc ipso luculentissime, quod DEUS hominem primò creaverit, non ut terrestria respiciat, sed ut sola cœlestia contueatur, & supercœlestia contempletur. Nam ut primum terrestria respexit, Creator suam bonitatem cum tenebrarum pravitatem commiscuit, eaque ratione homo particeps est factus cum Diabolo. Ex his igitur videmus, quod, licet Microcosmi materia, tres ejus regiones constituens, sit ejusdem densitatis & crassitiei, virtute tamen pro ratione ac diversitate regionum istarum differat, & diversimodè exaltetur: unde fit, ut thorax, qui pulmones & ipsum cor comprehendit, magis levis sit & spiritalis, quam regio Veneris, quæ est inferior, seu regio elementorum, ejusque spiritus tenuitate & simplicitate differt. Nam ut aër infimæ Macrocosmi regionis differt ab æthere; sic sanguis venarum, à fonte hepatis procedens, differt à sanguine arteriarum, cujus cor est origo. Nam ut sanguis venarum habet naturam aëris; sic ille arteriarum repletur spiritibus æthereis & vitalibus, à Sole derivatis: atque ut spiritus seu sanguis arterialis ob suam tenuitatem non multum perceptibilis est; Sic spiritus rationi ministrantes in cœlo Microcosmi summo omnino imperceptiles sunt, & sola imaginatione concipiendi. Hæc eadem etiam est distinctio inter cœli ætherei & empyrei naturas. Denique videmus, quod licet apex & fastigium seu vertex totius Microcosmi sit ejusdem duritiei & asperitatis, cujus sunt cætera totius structuræ Microcosmicæ ossa, virtus tamen ejus interna mirifica sit, propter rationes superius allegatas; quæ omnia alia ossa cujuslibet Microcosmi regionis superat, & tam virtute, quam loco & positione super ipsa exaltatur. Rationibus igitur evidentibus liquet, quod ex delineatione Microcosmi & metrica regionum ejus descriptione, quales sint Macrocosmi regiones & ipsarum dispositiones; similiterque etiam è converso, cognitio Macrocosmi partibus & ipsarum naturis, Microcosmi regiones delineare & distinguere sit facilimum.

Aptissima regionum & partium Microcosmici cum illis Macrocosmi comparatio.



- A. Cholera Cistæ fellis.
- B. Sanguis Hepatis et uenarum.
- C. Pituita Ventrículi.
- D. Faex seu Stercus Viscerum.

C A P. IV.

*De corporis Microcosmici positione reſta ſecundùm quatuor
Macrocoſmi plagas.*

QUAMVIS aptam Microcoſmi positionem, quatuor Macrocoſmi plagis cor-
 respondentem invenire, & res ſit valdè ardua & difficilis, convenientem
 tamen quendam eſſe reſpectum inter hos duos mundos ex ſacrarum literarum
 fonte elicimus. In multis enim earum locis legimus, quod *in orationibus & pre-
 candi ratione facies ſupplicantis ſit verſus Orientem convertenda.* Similiter apud
Math. 24. 27. invenimus, quod *fulgor veniet ab Oriente & in Occidentem verget.* Et
Num. 35. 5. legitur: *Metimini quamque ad plagam Orientalem, &c. & ad plagam Auſtra-
 lem, & ad plagam Occidentalem, & ad plagam Aquilonarem, &c.* Porro etiam ſcrip-
 tum eſt *Job. 23. 8. & 9.* ſecundùm Pagnini translationem, ubi agitur de inquisitione
 loci & ſedis Jehovæ. *En ad Orientem ibo & non erit, & ad Occidentem, nec intelli-
 gam illum, aut ad Aquilonem, dum operatur ipſe, & non videbo, abſcondet ſe in meridie,
 nec videbo, &c.* Quem quidem Jobi locum Hieronymus ſic interpretatur, *ſi ad O-
 rientem i vero, non apparet, ſi ad Occidentem, non intelligam, ſi ad ſiniſtram, quid agam?
 non apprehendam eum, ſi me vertam ad dextram, non videbo illum.* Tremellius etiam in
 hæc verba vertit illum Jobi locum: *Si antrorſum i vero non aderit, ſi verò retrorſum,
 non animadvertam eum; cum aget ipſe ad ſiniſtram, non tamen videbo; Operiet dextram
 plagam, nec tamen reſpiciam.* Evidentiſſimè igitur ex his debitam hominis ſecun-
 dùm ejus naturam in mundo positionem percipere poſſumus. Nam ex illo
Numer. loco colligimus, hominem imprimis Orientem in omni operatione re-
 ſpicere debere, deinde circulari reſpectu Auſtrum, Occidentem & Aquilonem.
 Ex verbis autem Jobi deprehendimus, quod plaga Orientalis tam ſecundùm
 Hieronymi, quàm Pagnini translationem, faciei hominis debeat referri, hoc eſt,
 ut Tremellius interpretatur, ad antrorſum ſeu partem ejus anteriorem & pars
 Occidentalis ad ejus poſteriora; Unde neceſſariò ſequitur, quod ejus pars ſi-
 niſtra vergat ad ſeptentrionem, quemadmodum pars ejus oppoſita, dex-
 tra nempe, Meridiem reſpicit. Hanc igitur Microcoſmi ad Macrocoſmi pla-
 gas diſpoſitionem magis ei ſecundùm naturæ leges congruam eſſe nos docent
 ſacra Biblia. Jam verò naturam rei diligenter introſpicientes, inquiramus, an
 hæc Microcoſmi poſitio ad Macrocoſmi ſitum, juxta phyſicam ejus conſtitu-
 tionem cum natura mundi ſeu Macrocoſmi conveniat, nec ne. Accurato igi-
 tur intuitu invenimus, quod quælibet mundi minoris plaga, cui libet mundi ma-
 joris quadrato naturâ, temperamento & diſpoſitione conveniat. Oculorum
 enim lumen ſolari ſplendori attribuimus intellectum & rationem primo mo-
 tori, ab Oriente verſus Occaſum orbem ſuos gyranti; & cor humanum meritò
 Soli, tanquam ejus principi, comparamus; utpote in quem Jehova tabernacu-
 lum ſuum poſuiſſe ſcribitur; adeoque omnia hominis tam interiora quàm exte-
 riora Solem, tanquam lucidum Creatoris tabernaculum, præeuntibus devotis
 ad Creatorem & Dominum ſuum orationibus & gratiarum actionibus, ſaluta-
 re gaudent; cum ſit triſtitia & tenebrarum propulſator, lætitiæ, gaudii & lucis
 autor. E converſo hominis poſteriora Occidenti non immeritò referuntur.
 Nam uti Oriens diem, lucem & lætitiâ afferre ſolet; ita è contrario Occidens
 noctem, tenebras, mœſtitiâ que importat. Sic itaque etiam per poſteriora
 hominis non niſi unica via ſolusque meatus reperitur, per quem fœculenta, inu-
 tilis que ſubſtantia comparatur terræ inani, quatenus facultatem nutritivam &

vim quasi omnem spiritus ætherei (ad cordis sustentationem ab ea extractam) itidemque virtutem elementarem (ad hepatis & sanguinis nutritionem ab ea exhaustam) amisit; unde caput quasi mortuum, foex inutilis, & veluti noctis ac tenebrarum nuncius dici potest; ad eoque occidenti & noctis tenebris pars illa non ineptè comparatur. Sinistra etiam hominis pars septentrioni videtur necessario esse referenda. Nam ut ab Aquilone Boreas suos flatus frigidos & siccos, nives, grandines, gelu, glaciem & melancholicas dispositiones inducens versus Meridiem emittit. Sic lien humanus melancholiæ fons, in sinistra parte situs, flatus suos melancholicos, frigidos & siccos per universum Microcosmum & præcipuè versus ejus dextram seu meridiem per intestinum colon, dictum emittit atque dispergit, quibus hypochondria ejus quasi turbone perturbantur. Imò verò, ut ventus ille Macrocosmicus sursum tendit versus regionem ætheream, sed tandem deorsum repellitur, hoc est, ejus violentia virtute diaphragmatis ærei reverberatur. Sic etiam flatus à liene emissus sursum ad regionem thoracis, in quo cor habitat, ascendere summa ope nititur; sed à diaphragmate impeditur atque deorsum tandem repercutitur. Est ergo brachium sinistrum Microcosmi, quasi polus arcticus, quemadmodum ejus dextrum antarcticus, super quibus Microcosmus ferri videtur ad imaginem mundi majoris. Nam tibiæ humanæ sunt quasi columnæ, quibus sustentatur Microcosmus; brachia verò quasi alæ, quibus gubernatur, quatenus tam ad victum ejus, quàm ad tutelam atque defensionem conducunt. Sic avis tibiæ & pedes habet, quibus sustentatur; at verò alis dirigitur in suis negotiis. Magna denique est relatio inter dextram hominis partem & Australis plagæ naturam. Nam hepar Microcosmi in sua natura est calidum & humidum, sanguinem non aliter gignens & per rivulos corporis dispensans, ut universum hortum humanum irriget, quam Meridionalis mundi plaga nubes & pluvias ad terræ universæ fertilitatem & incrementum parturire animadvertitur. En ecce, ô viri, vera Philosophia imbuti, quàm notabilis sit relatio, & quàm admirabilis affinitas inter has mundi majoris plagas, atque illas minoris, quibus quàm exactissimè in eadem natura, conditione & situ invicem convenire percipiuntur.

C A P. V.

Cujuslibet Microsmica regionis levis anatomia.

CORPORIS humani caput, quod supra cœlo empyreo comparavimus, nonnulli ventrem supremum vocaverunt, qui collo terminatur, & scintillam mentis in ejus vehiculo rationali continet. Cujus quidem capitis externum in frontem, sinciput, occiput, verticem, tempora & faciem distinguunt Medici, iterumque observant ejus capillos, eorumque usum multiplicem & cutem densam, duram, siccam & crassam, cui capillorum radices adhærent; Ejus verò internum in cranium & ejus adhærentia atque in cerebrum cum ejus partibus distinguunt. Cranium autem dividunt in quinque futuras, quarum una posterior est, *Lambdoides* dicta, altera anterior, *coronalis*; tertia *recta & sagittalis* nuncupatur; Duæ autem reliquæ *mendosa squamosa & temporales* dicuntur. Convexam calvariæ superficiem circumambit membrana quædam ex crassa meninge per futuras enascens, quæ ideò *pericranium & periostium* vocatur. Sub hæc etiam calvaria duæ aliæ membranæ concurrunt cerebrum in orbem contegentes, quarum quæ crassior & durior est, & concavæ cranii superficie connexæ adhærens, *dura mater* dicitur, altera verò, cerebro penitus conjuncta, *tenuis & mollis* est,

& pia mater nuncupatur. Secunda denique capitis portio, videlicet cerebrum in tres ventriculos distinguitur: Et à cerebello nervi oriuntur, qui instrumenta sunt sensuum & motus. Porrò etiam in hac regione oculi comprehenduntur, ad quorum cujuslibet fabricam quinque concurrunt tunicæ; Alba scilicet, cornea, uvea, in qua pupilla & iris sunt, sagma & aranea; ac humores tres, nempe aqueus, vitreus, crystallinus. In hac etiam regione aures repiuntur & nares, similiterque lingua, ex osse bifurcato *videlicet*, dicto, & ex nervis, arteriis, venis & musculis constans. Porrò etiam aspera arteria ad clavículas usque. Secundam corporis regionem ventrem medium vocant Medici & Thoracem; quia clavibus ad diaphragma & costis utrinque circumscribitur, partes vitales continens. In hac regione præcipuam suam stationem habet cor; cujus ædificium est capsula ejus. Cordis porrò partes majores sunt thalami ejus bini; dexter scilicet, cui infixæ sunt duæ venæ, cava nempe & arterialis, atque sinister cui arteriæ, *Aorta & venosa* connexæ sunt. Minores verò auriculæ duæ, dextra videlicet & sinistra atque ostiola. Similiter hæc regio continet pulmonum substantiam, panniculosque tres, quibus est involuta, nempe *Diaphragma, Mediastinum & Tunnicam* cingentem costas, *Pleura* dictam. Tertia atque infima corporis humani regio, se extendens à Diaphragmate deorsum ad os pubis usque hepar, lienem, cistam fellis, renes, vesicam, vasa seminaria & hujusmodi alia comprehendit. *Hepatis* substantia sunt caro, & nervi, à quo oriuntur venæ, porta seu ramalis & cava ac arteriæ. *Lien* autem, cista fellis, renes & vesicæ sunt membra præparata ad usum hepatis, videlicet ad evehendas superfluitates ex hepate. Similiter hæc regio continet ventriculum, mesenterium & intestina superiora ac graciliora, duodenum nempe, jejunum & ileon, atque inferiora & crassiora, cæcum scilicet, colon atque rectum. Volumina denique integra hujus anatomie observationibus implere possemus, atque ita oculos lectorum in rebus mundo communibus tædio magis afficere, quam delectatione aut placito novitatis susurrò permulcere; quare corporis humani anatomiam leviter saltem hoc loco transire placuit, ut ad res magis novas, atque non ita vulgariter cognititas, & tamen veras ac demonstrabiles animum nostrum accingamus.

T R A.





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

LIBER VI.

De Microcosmi externi harmonia.

C A P. I.

*De comparatione harmonica constitutionis regionum Microcosmi
cum illis caelorum Macrocosmi.*



Orpus humanum, quod externum hominem supra appellavi-
mus, ex eadem materia conflatur, qua mundus. Et tamen si
mundi spiritus propter illam tenuitatem, quam à lucis proprie-
tate & praesentia accepit, diaphanus, clarus & perspicuus ac
transparentes esse dignoscatur: attamen illa spiritus ejus clari-
tas & diaphanitas inspissatione & incrassatione (quæ accidere
solet secundum plus aut minus pro majori aut minori lucis absentia, aut frigoris
incrassantis dominio) nigra, tenebrosa atque obscura fieri sæpiusculè solet,
quemadmodum in aëris in nubem densam mutatione cernitur, atque iterum
congelatione frigoris illa nubes seu spiritus aëreus condensatus mutatur in sp-
-ciem terræ albæ, ut in grandine, glacie, nive; imò verò in ipsam terram crassissi-
-mam, ut in lapide fulminis res consideratione declaratur. Nam certum est,
quod species terræ sint diversæ naturæ, hoc est, vel magis de ignis puritate vel
aëris dispositione, vel aquæ qualitate participantes. Et tamen omnes istæ ter-
-ræ species sunt ut plurimum opacæ atque haudquaquam perspicuæ. Sic cere-
-brum de igneo elemento, cor atque pulmones de aëreo, ventriculus, hepar at-
-que humores de aqueo, ac denique lien & intestina de terreo grosso participare
animadvertuntur, eò, quod hæ corporis partes elementarium illarum natura-
-rum post animæ in eas impositionem, receptacula evaserunt, uti inferius doce-
-bimus. At verò hæ omnes terræ portiones, dispositione differentes, eandem
quasi in Geometrica corporis symmetria longitudinis dimensionem habere
observantur, neque est una pars alia opacior: quod quidem contingit inde, quo-
-niam hoc externum animæ seu spiraculi vitæ habitaculum fabricatus est DEUS,
priusquam animam in illud inspiravit. Hinc enim evenit, ut licet elementum
aquæ sit dimensione majus quàm terra, & aër quàm aqua, & sic in cæteris (quod
fit, quoniam idem dilatatum requirit amplius ad suam existentiam spacium; si-
-militerque


militerque etiam, quod opacum est, dilatatione perspicuum redditur) corpus tamen humanum, quoniam illud completum fuit ante animæ in illud infusionem, manserit tale, post animæ in illud impositionem, quale fuit antea. Cujus quidem rei rationem reddere videtur *Merc. Trismeg.* hisce verbis: *Cum divina similitudinis formam animadvertit DEUS non posse omnium rerum esse diligentem, nisi eam mundano integumento contegeret, texit eam corporea domo, talesque omnes esse percepit; ex utraque natura in unum eas confundens, miscensq; quantum satis esse debuit. Itaq; hominem conformavit ex animi & corporis, id est ex aeterna & mortali natura, ut animal ita conformatum utrique origini sua satisfacere posset, & mirari atque orare cœlestia & aeterna & incolere & gubernare.* Nec quidem vana esse *Mercurii* verba, si rem rectè consideremus, deprehendemus. Nam cum mentis liberæ natura atque etiam animæ mediæ dispositio, imò quidem ipsius ignis spissioris proprietas sit, inferiora negligere atque superiora, instinctu naturæ respicere, quando sunt libera & vinculis densis soluta, necesse est, ut in corpus opacum includantur, atque organa materialia possideant, quorum directione circa corporalia, densa atque inferiora versentur. Nam animæ & multò magis mentis natura in tantum conversatur cum rebus spiritualibus & invisibilibus, ut res visibiles & corporales animadvertere non posset, nisi esset inclusa corpori opaco, ut per organa materialia, terrestria & inferiora eas intueretur. Hæc ergo est ratio, quod tam mentis, quàm naturæ radii circa res opacas operantur. Nam si à carcere corporeo liberarentur, terram relinquentes vacuum atque inanem in cœlos saltu levi insilirent. Mens ergo datur solum modò homini, ut ejus animam vitam ab animabus cæterorum viventium distinguat, eamque super alias dignitate exaltet. Et quamvis etiam anima vitalis per se tam plantis, quàm cæteris animalibus in creatione concessa sit, animalis tamen bestialis anima, à Solis virtute immediatè fortificata & aucta, tam ratione, tam motu est animâ vegetabilium præstantior, utpote quæ in iis ante Solis in cœlo positionem infusa fuit. Ex prædictis ergo videmus, corporis Microcosmici regiones tenuitate & spissitudine non differre, ad exemplum regionum in corpore Macrocosmico existentium, quoniam illud ante animæ inspirationem præparatum fuit, ac per consequens tale manet post animæ infusionem, quale fuit antea; hoc verò ab anima illa divina, quæ ferebatur super aquas, in illud immissa, præparationem ac dispositionem in spissitudine, tenuitate, loco, dilatatione & constrictione, perspicuitate & opacitate immediatè accepit. Ex hac denique simplicis massæ terrestris dispositione (in regiones nobiliores & indigniores à Creatore distinctæ atque præparatæ secundum dignitatem partium cœlorum, quibus ante seculum illam disponere atque concinnare divino suo consilio constituit *Opifex*) harmonia materialis observatur, tam corporibus cœlestibus, quàm ipsis elementis & symmetricæ partium terrestrium proportioni conveniens, ut in sequentibus dilucidius apparebit.

C A P. II.

Harmonia Microcosmica ad Macrocosmicam relatio, hoc est, de hominis externi seu corporis convenientia cum figura mundi, & de Planetarum relatione ad ejus membra.

Quod hominis diameter sit mundi diametro consimilis, & quod à centro seu loco pudendorum & genitalium circulus utriusque diametri extremitati correspondens circumduci possit, peripheriæ mundi haud dissimilis in *volum. 2. Tract. 1. sect. 1. lib. 3.* manifestè explicuimus. Ex cujus sanè debita contemplatione, hominis fabricam, in omni figuræ Geometricæ respectu, mundanæ illi conformem esse percipimus; præterquam quod humani corporis proportio metrica magis est occulta, mundi verò magis manifesta. Namque si hominis membra contracta dilatarentur ad debitum proportionis naturalis respectum, videremus perspicuè, dispositionem ejus seu figuram Geometricam esse rotundissimam. Figura ergo ejus occulta est hujuscemodi; qualis infra demonstratur; quæ scilicet primum denotat, hominis fabricam esse rotundam ad instar machinæ mundi, deinde quod quælibet stella erratica membris ejus, vel harmonia naturali, vel aliquâ præter naturam discordiâ correspondeat, videlicet *Saturnus* auri dextræ, spleni, vesicæ, dentibus, ossibus, *Jupiter* pulmonibus, hepatis, arteriis, pulsibus, semini. *Mars* auri sinistra, fellis cistæ, renibus, venis & pudendis. *Sol* cerebro, nervis, cordi, oculo dextro. *Venus* matrici, renibus, genitalibus, mammillis, gutturi, lumbis, hepatis, spermatis. *Mercurius* cerebro, spiritibus, imaginationi, memoriæ, linguæ, manibus & digitis. *Luna* cerebro, oculo sinistro viri, & dextro mulieris, ventriculo, intestinis, vesicæ & gustui. Quorum quidem Planetarum infaustis irradiationibus sive infelicibus aspectibus discordia seu morbi istorum membrorum inducuntur, qui vel totaliter hominem inficiunt; veluti infortunata *Saturni* positione, lepra totius corporis, paralytis universalis, tabes, icteritia nigra, febris quartana, mala *Jovis* dispositione Apoplexia, convulsio, &c. *Martis* pestis, febres acutæ, tertiana, quotidiana, icteritia flava, &c. *Solis*, syncope atque defectio universalis. *Veneris*, morbus gallicus, debilitas atque impotentia totius ventriculi & hepatis defectus; *Mercurii* mania, lethargia, epilepsia, &c. *Luna*, epilepsia, &c. Vel etiam infestant partes nonnullas, quas respiciunt; Sic *Saturnus* malè effectus linguæ, brachiis aut vesicæ, paralytin, mammillis cancrum, intestinis iliacam passionem &c inducit. *Jupiter* pulmonibus peripneumoniam, pleurisin costis, cardiacam cordi, anginam gutturi, spasimum & stuporem membro particulari: *Mars*, apostemata ferventia loci (ut sunt carbunculi & erysipelas) dysenteriam intestinis, vulnera faciei, &c. *Sol* cordi syncopen affert & cardiacam, oculis ophthalmiam & fluxum lachrymantem; *Venus*, matrici suffocationem, testiculis & virgæ gonorrhæam & priapismum, vesicæ diabetem, hepatis & ventriculo debilitatem, faciei pustulas gallicas, intestinis lienteriam, &c. *Mercurius*, cerebro sensus privationem, linguæ balbutiem pulmonibus tussim, ori abundantiam sputi; *Luna*, intestinis colicam, hepatis & miseraicis oppilationes & locis seu membris particularibus apostemata phlegmatica. Hic igitur Planetarum istorum in suis sphaeris ad quælibet corporis membra directiones & sympathiam sequenti modo delineavimus.


Sunt



Sunt etiam nonnulli alii, qui umbilicum ventris constituunt peripheriæ Microcosmicæ centrum, quæ quidem eorum inventio mihi non arridet, propter rationes supra à nobis allegatas. Atqui tamen talem circumferentiæ humanæ descriptionem hîc etiam depingemus, ut ab ea signorum Zodiaci cœlestis, vel stellarum firmamenti fixarum relationem ad corporis humani partes delineemus, atque ita inde ostendamus, qua harmonia hæc cum illis consonent. Circulo igitur ab umbilico, tanquam à centro ducto, semidiameter erit à planta pedis ad umbilicum. Illa, inquam, linea circularis Zodiacum cœlestem, sive cœli octavi cingulum denotabit; à cujus duodecim divisionibus tam sinistris, quàm dextris signorum radios ad quamlibet corporis partem seu membrum illud dirigemus, cui prædominatur signum, quod ei refertur. Verbigratiâ. *Aries*, caput respiciens, tam dextram oculorum & aurium ac dentium, quàm sinistræ eorum regionem. Similiterq; *Taurus*, tam sinistram quàm dextram colli, cervicis & gutturis positionem, ac præterea etiam vocem regere observatur. *Gemini*, utramque humerorum, brachiorum & manuum regionem. *Cancer*, pulmonum, pectoris, costarum, mammillarum, hepatis & splenis partem dextram pariter & sinistram. *Leo*, cor, stomachum, latera, Diaphragma regit. *Virgo*, ventrem, intestina, mesenterium. *Libra*, lumbos, umbilicū, renes, nates. *Scorpio*, pudenda, vesicam, anum. *Sagittarius*, coxas, fœmora, dextrum & lævum nempe.

nempe. *Capricornus*, genua. *Aquarius*, tibiā utramque, & *Pisces*, pedes ambos. Qui quidem signorum ad membra respectus tam sanitatem intuentur, si concordis naturalibus à Planetis respiciantur, quàm morbos: nam si discordis & antipathia cum pravis Planetarum dispositionibus concurrant, & per consequens naturæ humanæ dissonent, operationes contra naturæ institutum producunt, morbosque seu effectus corpori humano infestissimos patiunt.


Demonstratio sequitur.



Est etiam compositio Microcosmi externi cuilibet alii figuræ regulari apta atque conformis, quatenus, pro diversa membrorum protuberantium positione, diverso modo constituitur. Nam in una ejus statione directa, tibiis nullo modo extensis, sed serratis, manibusque cum brachiis ad angulos rectos à corpore expansis, atque in longum ab utroque latere completè porrectis, denotabit verissimam quadrati æquilateralis proportionem. Hujus rei demonstratio inferius sequitur, in qua declaratur, quod hujus etiam quadrati centrum sit pudendorum seu genitalium punctus; quippe cum duæ lineæ rectæ seu diametrales, ductæ ab angulo uno quadrati ad ejus oppositum, faciant interseccio-

P nem


nem seu centrum in illo pudendorum loco, in quo verum centri Microcosmici punctum esse superius luculenter explicavimus.



Hinc etiam elicimus, quod vera, genuina atque visibilis hominis externi figura *veram crucis Christi effigiem* repræsentet; prorsus ac si ipsa creatione humana hæc contrarietatis ratio, in humana effigie expressa, bonitatis & malitiæ, lucis & tenebrarum, vitæ & mortis, vitii & virtutis, æquitatis & injustitiæ unionem, & in eadem compositione congregationem denotaret, & quod vitæ humanæ incertitudo, erroribus & periculis plena, interveniente ac mediante istiusmodi, mortalis hominis similitudinem referente, divini hominis ab impiis iniquè judicati & injustè condemnati passione ac morte, cum subsecuta deinde resurrectione à mortuis & resurgentis illuminatione penitus divina ac splendore in viam unicam & veram deducente, conjunctâ exterminetur, Evangelii que libertas, quasi buccinæ cœlestis clangore, mundo annuncietur, atque ita legis vincula Christi potestate tollantur, & quod ea ratione, sicuti homo in hac figura, videlicet sub crucis effigie & creatus est & peccavit; ita quoque vicissim hominis, Deitatis virtute pleni, ac in tali itidem materiali figura per artem erecta, patientis beneficio peccatum primi hominis deleatur ac aboleatur, &c.


Hanc etiam eandem figuram exhibet humana compositio ab alio centro, videlicet ab umbilico; veram scilicet figuræ seu schematis cœlestis imaginem sua positione in figura quadrata, more Astologorum erecta, constituens, prout etiam in eadem Microcosmi positione *crux illa S. Andreae* dedicata exprimitur. Ex quibus docemur, quod, utcunque se vertat homo, semper passionis, & per consequens, compassionis signum secum ferre deprehendatur. Hac autem
humanæ

humanæ figuræ è regione explicatur secundùm nonnullorum opinionem, quod Adam primus homo circa horam meridiei creatus fuerit; in cujus medio cœlo, quoniam Aries inventus fuit, dominium in illud hominis membrum habuit, quod cœli medii angulum respexit, videlicet caput. Quod autem hujus figuræ quadratæ centrum sit in umbilico, declaratur exinde, quod lineæ duæ rectæ progredientes ab angulis quadrati ad angulos sibi oppositos, se invicem in puncto seu centro umbilici interfecant, ut in demonstratione sequenti declaratur.



De nonnullarum corporis humani partium convenientia cum figuris Geometricis; & primum quidem, quomodo in harmonia figuræ triangulari, deinde in quadrangulari, & postea in ovali ac denique in circulari convenient.

Latus unicum faciei humanæ sub figura triangulari æqualium laterum comprehenditur. Ex quo luculenter demonstratur, quod regularis & conformis sit faciei harmonia proportionibus linearum Geometricis:



Universum hominis caput in figura Geometrica exactè quadrata comprehenditur. Unde declaratur, quam completa & regularis sit capitis effigies, quod in figura cubica completè in creatione formatum fuit; & per consequens, quàm elegans sit ejus partium symphonia in mensura, numero & pondere nobis innotescit.



Pes etiam quàm aptissimè quadrati parallelogrammaticis.






Facies quoque ita effigie humana designatur, quemadmodum in arte nostrapictoria abunde explicatum est. Verbigratiâ.

Caput



Caput denique humanum imprimis figuræ rotundæ responderè percipitur, quatenus in quadrato describitur; quod in circulo comprehenditur. Quod autem circulo includatur, sic ostendimus.



Sic etiam cæteræ procul dubio corporis humanæ partes sub aliqua regularium Geometriæ figurarum comprehenduntur; quæ omnia, quoniam ad symmetricam corporis descriptionem pertinent, hoc loco omitemus.

C A P. III.

De harmonico cœlestium cum facie manuque humana consensu.

INGentem etiam symphonix consensum inter nonnullas corporis humani partes & stellas deprehendimus. Unde per *Physiognomia* disciplinam docemur cœlestia corpora, Planetarumque sedes & signacula seu characteres in facie humana contueri; quibus hominis inclinationem, tam ex parte cœlesti, quàm elementari intelligere & præfagire solemus; in tantum quidem, ut etiam hujuscemodi observatione mirabilia, tam in hominis sani dispositione, quàm tabescentis ægritudine prospexerint & divinarint, tum philosophi sapientiores, tum medicinx peritiores: Imò verò in fronte humana, tanquam in speculo politissimo, illos naturæ characteres intuiti sunt, qui talè ad ætheris & Zodiaci characteres, quos repræsentant, relationem habent, qualem Diapason ad unisonum. Unde etiam fit, ut symphonico consensu ad invicem conferantur; id quod sagaciter quoque animadverterunt philosophi symphoniam illorum au-

ditu spirituali percipientes. Eadem etiam est ratio in *chiromantia*, ut quilibet manus monticulus cuilibet distincto ætheris Planetæ attribuat, pollicis videlicet tuber *Veneri*, mons indicis *Jovi*, medii *Saturno*, annularis *Soli*, aut auricularis *Mercurio*, similiterq; etiam, ut illam in manus percussione protuberationem *Luna* occupare dicatur; uti quoque itidem veterum sapientum eruditione instruimur, quod spacium lineis triangulum constituentibus inclusum, *Marti* attribuat, ejusque triangulus nuncupetur. Qua quidem superiorum ad hominis membra adaptatione sapientes procul dubio non uterentur, nisi ingentē inter manus partes & dictos Planetas relationem atque symphoniam percipissent: Namque ipsi mirum in modum illuminati, mentisque acie in abstrusa naturæ mysteria penetrantes, characterum cœlestium in terrestria & elementaria, impressiones, arcausque significationes perceperunt, atque ita symphoniacas superiorum radiationes & influxus cum inferioribus ejusdem characteris & conditionis comparaverunt. Nec certè admirari debemus, rectè eam considerando, quod superiora in hominem symphonico consensu influxerint, si ea, quæ supra dicta sunt, atque infra dicentur, paulò accuratius inspexerimus. Nam anima, media mundi hominisque interni natura, cum sit tam secundum suum spiritum, quàm lucis portionem de substantia & forma ætheris, magnetica sine dubio virtute superiorum naturas, non violenter aut per antipathiam, sed concordia proportionibus, atque instinctu naturali ad se attrahit: siquidem experientia edocemur, quod non modo animalia, sed etiam ipsi Planetæ, veluti beneficio quodam consonantiæ Diapason, perfectionem, multiplicationem & vitæ quasi extinctæ renovationem quotannis verno tempore accipiant, quemadmodum etiam hæc eadem via, tum plantas, tum animalia, quolibet solari circuitu naturali vitæ & incrementi refectionem atque pabulum acquirere constat. Sed quoniam de harum rerum effectu in libris de *Physognomia* & *Chiromantia* copiosius loquemur inferius, ampliori hîc de ea re discurtu non utemur.

C A P. IV.

De harmonia elementari, quæ in compositione Microcosmi exterioris reperitur, & quomodo qualibet hominis externi regio cuilibet elemento, loco, natura, atque consensu partium, non tamen corporis tenuitate aut subtilitate correspondeat; similiter de ratione lucis & tenebrarum in corpore humano.

IN superioribus declaratum est, quod corpus humanum in tres regiones, tam natura & qualitate, quàm loco & situ sit distinctum. Nam quæ superior est, tametsi tenuitate & opacitate à cæteris, quo ad sensum nostrum, non distinguitur, est tamen procul dubio purissima totius compositionis pars, & ad Dominam tam nobilem recipiendam à Creatore quàm optimè præparata. Hinc enim cerebri substantiam, ratione materiæ, ab infirmarum regionum partibus colore, & substantiæ teneritate ac mollitie differre videmus, imò verò ipsa cerebri substantia naturam suam virgineam nobis patefacit, dum casta mentis dispositio atque simplex ejus existentia colore, & natura sibi similiatque conveniente delectatur. Atque hinc procul dubio est, quod licet cerebrum nobis crudum, frigidum atque humidum valdè videatur, in suo tamen occulto longè aliter se habeat; Est enim, si ignem vulgarem respiciamus, cerebri substantia ei quodammodò consentiens, quantumvis ignis mentis, seu lux illa, hominis sapientis

pientis domina, aliter sese habeat, quàm ingenium humanum potest excogitare; siquidem tenera est & spiritu tenuissimo ac castissimo obducta & ineffabili modo in se ipsa ordinata: unde patet, quod cerebri constitutio ad increata naturæ excellentiam, cujus est tabernaculum, sit referenda. Sed mentis natura est dispositionis purissimæ & formæ lucidæ, adeoque sequitur exinde, quod cerebrum quoque sit ad lucidam humidamque naturam pronissimum, atque summè ei accommodatum. Et proinde liquet, quod ejus natura occulta igni supercœlesti, humiditas autem ejus humiditati spirituali, & color porrò, utriusque complexui atque tandem loci seu positionis ejus sublimitas elemento summo, videlicet igni sit convenientissima. Ratio tamen, cur cerebrum cæteris membris neque tenuius neque perspicuius sit, ex hominis creatione elicitur, utpote in qua patet, quod hominis corpus creatum atque præparatum fuerit à Creatore, priusquam ejus animus in illud infunderetur; Cui rei causa erat, ut anima tenebris obfuscata per organa materialia, corpora cerneret, distingueret atque respiceret; quod quidem ipsa, nisi tenebrosa carne obvelata, perficere non potuisset, quoniam per se nihil intelligit præter invisibilia, hoc est, talia, quale ipsa est, dum tamen corporis adminiculo visibilia videt, atque corporeis oculis contuetur. Hac igitur via Deus tenebrosam massam sibi subjectam reddidit & tam terram, quàm cœlum suæ voluntati subegit, corporaque tenebrosa ad conditionis respectum exagitavit. Média autem corporis regio, quatenus humiditati & caliditati refertur, aëri comparari potest, quippe quæ ita se habet ad cerebrum, ut aër ad ignem, quare integrum Microcosmi thoracem elemento aëris referendam esse censemus. Quod autem ad cordis & pulmonum opacitatem & spissitudinem attinet, eadem est ejus ratio, quæ supra est allegata. Aquea etiam regio in Microcosmo est multiplex humiditatum, in infima ejus distinctione repertarum origo. Nam ventriculi chylus, sanguis hepatis grossus, & urina seu sanguinis serum aqueam spheram constituunt. Quare etiam & ventriculus & hepar & renes & cætera hujus regionis partes longè grossiores existunt in suo occulto, quàm membra superiora: quod quidem ab effectu comprobatur; quatenus videlicet hæc ipsa spiritus puriores & magis invisibiles producant. Verbi gratiâ; Cerebrum spiritus animales, qui invisibiles sunt, & cor vitales seu arteriales, qui ferè sunt invisibiles, continet; ipsa autem fœx terrea in intestinis & liene terminatur & asservatur, quæ juxta Microcosmi centrum non aliter, quam elementum terræ juxta centrum Macrocosmi, inveniuntur. Ex his ergo regiones Microcosmi externi non aliter differentiis symphoniacis distingui videmus, quàm universam elementorum Macrocosmi dispositionem qualitate & situ differre constat; quorum quidem harmoniam in tractatu nostro, de Macrocosmo, satis evidenter depinximus. Et sanè illa hujus harmoniæ compositio in regione elementari nihil aliud erat, quam similitudo universalis harmoniæ mundanæ, à mutua actione & resistentia inter fontem totius lucis & abyssum tenebrarum derivata. Nam elementum ignis se habet ad elementum terræ, ut lux ad tenebras; similiter regio humiditatis inter ignem & terram, ut spiritus universalis intermedius ad duo extrema, videlicet lucem & tenebras. Ex quibus diligenter considerare possumus, quanta sit similitudo inter corporis humani & elementorum mundanorum proportionem, & quibus dimensionibus metricis ad musicam reduci possint hæc duo, ut in harmonia ad invicem conveniant. Quod autem harmonia humana cum sympathia omnium conveniat, hoc modo demonstratur: Deus est lux; lux concordia, & concordia creationis atque existentiae origo, verbumque consonans, & pulchritudinem rerum efficiens sphasque à termino à quo, ad quem, atque iterum ad suum principium, tanquam ad unisonum movens, à quo omnes concordantiæ profluxerunt. Unde factum

factum est circumvolvendo, ut elementa & elementa paulò post sint producta. Sic etiam mens divina, lux atque concordia Microcosmi summa, humanæ creationis atque existentiae origo pulchram Microcosmi effigiem produxit, sphaeras ejusdem motu, tam voluntario seu naturali, quam involuntario seu raptò spiritus circumducens, atque ejus compositionem elementarem faberrimè complens; Hinc homo Deus vocatur, sed mortalis, ut ipse Creator solus Deus dicitur, sed immortalis: Similiter Diabolus est tenebræ & discordia atque destructionis seu privationis autor, litigiumque dissonans, quod erat primogenitus chaos filius, Dei verbi, & lucis adversarius, terræ sphaeram per se immobilem reddens, elementaque per discordem suam naturam litigare faciens. Sic etiam corpus hominis est tenebrosus, discordiæ & morborum autor, filius chaos obscurus, menti, animæ & luci oppositissimum & per se immobile. Atque hoc totum accidit, quoniam est dualitas. Et proinde, si dualitati unitas animæ, seu quaternario materiæ trinitas formæ jungatur, de discordia corporis ea in harmoniam exquisitam redigetur, eaque ratione tum tenebræ illuminabuntur, discordiæ propellentur, vita præservabitur, mors in exilium ejicietur, pax inter Deum & tenebras, seu inter corpus & animam illuminatione per divinam mentis præsentiam fiet, corpusque per se immobile jam ætum & motum à principio interno movente recipiet. Ex quibus constat, quod hæc duo extrema inter se contraria per se varios producant effectus, videlicet lux & tenebræ, anima & corpus; cum illa pariat concordiam, cujus dominio res parvæ crescunt; hoc verò discordiam inducere soleat, cujus præsentia res magnæ dilabuntur. Horum ergo extremorum contrarietatem denotat contrarius triangulorum eorum in mundana compositione situs; cum pyramidis formalis conus sit in terra, basis verò ejus in primo cælo. At verò pyramidis materialis positio in contrarium se habet, quoniam ejus conus est contiguus centro basis illius formalis; ejus verò basis centro quasi terræ statuminatur. In medietate verò, ubi sola vita reperitur, conveniunt; videlicet in sphaera æqualitatis, vel in loco intersectionis duarum pyramidum, ubi unius portio trutinis justitiæ ad portionem alterius ponderatur. Atque ut in positione differunt hæc duæ pyramides, sic etiam naturæ ab illarum basibus exilientes, dispositione oppositæ esse percipiuntur. Nam videmus, quod anima à centro pyramidis formalis egrediens, quo diutius est in corpore, eò perfectior & vivacior fiat, magisque in sua facultate & sapientia seu prudentia juvenescere observetur; cum è converso corpus, quanto majorem ætatem acquirit, tanto magis, veluti per senium quoddam decrescere & labefactari dignoscatur. Præterea, quo fortior est anima, eo debilius corpus & vice versa. Concludimus igitur, quod humanum corpus ex quatuor constet elementis: sed in carne & ossibus propter fixam eorum & solidam substantiam terream, terra maximè apparet. Similiter elementum aquæ in humoribus vim suam atque existentiam habet; aër verò, præterquam quod in sanguine infimæ regionis copioso reperitur, in pulmone etiam, tanquam in loco sibi magis proprio, habitare percipitur. Unde factum est ab origine, ut illud corporis membrum semper sit in motu, locoque ventilabri ad cordis refrigerium inserviat, ne illud, quatenus est sedes præcipua virtutis igneæ nimio calore consumatur & dissolvatur. Cordis igitur effigies est pyramidalis, & in hac sua effigie ignis flammæ accommodata; quoniam in flamma ignis sursum ascendente basin ejus, basi pyramidis similem, ejus verò summitatem more conii pyramidis acutam videmus. At verò in corpore sese res habet cum corde, ut in mundo cum Sole. Nam basis pyramidis solaris est in corpore solis, ejus verò conus deorsum tendit, contra ignis vulgaris naturam, hocque singulari voluntate divina. Nam alias res inferiores, si virtus lucis semper sursum tenderet efficacia lucis vivificæ de-

stituta

stituta atque ejus expertes relinquerentur, nec quicquam super terra vivere posset. Simili etiam ratione conus cordis humani, quo tam inferiores, quàm superiores corporis partes benevolentia ejus reficiantur, deorsum tendere animadvertitur. Sed quoniam hæc vis ignea ante spiritus divini afflatum corpori non adfuit; & verò nostra in hoc libello intentio est, de solo corpore in simplici sua natura, absque ulla hominis interni consideratione discurrere, plura de hoc subjecto verba non faciemus, sed ad multiplices ejusdem dispositiones, cum interno ejus commixtas, earumque declarationem pede veloci progrediemur, ut ita ab hoc quasi nihilo, ab hoc, inquam, luto vili, & ab his cineribus, ac terra mortua, omni adhuc gratia divina orbata, tandem recedendo, ad admirabiles lucis divinæ (paulò post illam inhabitantis, atque in eam spiraculo Deiformi inflatæ) operationes, abstrusamque illius cum corpore sympathiam, qua illa movet, hoc movetur, illa agit, hoc patitur, illa vivificat, hoc vivit, illa per hoc sentit, videt, audit, gustat, olfacit atque tangit, & virtutibus adhuc admirabilioribus stupenda in illo spiritus sui rationalis & intellectualis virtute, ad culmen & exitum felicem ineffabiliter producit, intentiori cum lætitia
 & gaudio, hilarique animo & properante
 pede acceleremus.

Q

T R A





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R VII.

De Microcosmi interno in externo
seu de mentis actu in
corpore.

C A P. I.

De hominis creatione.



Nimā humana secundū modum & rationem in libro hujus primo allegatam, proportione musica, vehiculisque spiritualibus à superioribus ad infimum cœlum subterlabens, & ad ingressum in suū domicilium præparata, in illud tandem ex terra, pulvere & luto, manibus ipsius Creatoris ad tale spiraculum Deiforme suscipiendum, uti supra dictum est, adaptatum, opificis afflatu infunditur atque inspiratur, hominemque externum vivificationis præsentis virtute movet, vivificat & animat. Atque hoc modo creatus est homo duplex in unico individuo, & factus est animal vivens, ratione atque intellectu præditum; admirabile (dico) animal, Deus terrenus, immortalis in se creatus, sed ob peccatum mortalis factus, denique imago sui Opificis ineffabilis. Sed quoniam de vitæ ejus spiraculo & de corporis ejus, in statu innocentis, puritate, munditie, perspicuitate, claritate & perfectione, similiterque de ejus in Paradysum colloca-tione, conjunctum cum ipsius Paradyssi voluptatis descriptione & explicatione alibi in *Tractatu nostro Theologico-philosophico, de vita, morte & resurrectione* copiosè egimus, leviter ea hoc loco præteribimus, ut circa veterum solummodò Philosophorum opiniones, de hominis interni in ejus externo actionibus disceptantes versemur. In priori ergo libri hujus parte, de animæ humanæ operatione, dominio & virtute, tam ex parte supernaturali, quàm ex parte cœlesti & elementari, tractabimus, quatenus anima cum corpore in sola creatione sive generatione consideratur. Creationem igitur à generatione in multis discrepare percipimus; Nec tamen istud creationis vocabulum ita strictè considerari volumus,

volumus, uti faciunt illi, qui eam definiunt rei productionem & ortum ex non præexistente materia, hoc est, ex nihilo: namque hoc modo non rectè dicimus hominem creatum esse; quatenus in primordio ejus externum è materia præexistente factum, atque ad opus præparatum extitit: videlicet ex luto & terra, quæ consentanea erat compositionis ejus materia; sed creationem potius atque rectius definimus illam, qua rerum species, antea non existentes; jam esse incipiunt. Sic enim prima hominis species exordium in creatione Adami accepit, Leonis in prima animalium terrestrium productione, &c. In hoc ergo differunt creatio & generatio, quod illa versatur circa specierum non præexistentium ortum & productionem, hæc verò in rerum seu creaturarum præexistentium propagatione, multiplicatione, speciei quæ jam tum per primum FIAT creatæ, atque ad ultimum PEREAT conservatione. In priori igitur immediate operatur DEUS Creator, in posteriori verò secunda mentis primæ imago, quæ est ipsa natura creata, seu Dei filia, ab ipso ante omnium creationem progressa & derivata.

C A P. II.

De libera spiritus mediæ dispositione, qua solet de uno vel alio extremo participare, & de beatitudinis interni hominis causa, ejusque dejectionis atque infortunii ratione.

Divus Paulus cum Xisto Philosopho conveniens animam humanam Dei templum esse constanter asseveravit, cujus rei rationem demonstrat etiam Merc. Trismegist. Pim. 12. hisce verbis: Bonus, inquit ille, Demon animam in corpore, mentem in anima, in mente Verbum, Deumque eorum Patrem esse pronunciauit, Verbum igitur imago ac mens Dei est purissima materia portio aër est; aëris anima, anima mens, mentis quæ, denique DEUS, DEUS verò circa omnia, mens circa animam, anima circa aërem, atque aër circa materiam versatur. Hinc est, quod alii hominis naturam arctius constringendo, eam ex tribus coagmentaverunt, videlicet ex anima, spiritu intermedio & corpore; per animam, mentem & animam significantes. Sed hi, ut mihi videtur, non ita exactè hominis internum distinxerunt, hoc est, hominis interni portiones, quas ex quolibet trium cælorum acquisivit, non distinctè descripserunt, & per consequens, eam reliquerunt imperfectam, cum omnis perfectio ex principio, medio & fine consistat. Platoniorum ergo sententiæ potius hoc loco à Mercurio Trismegisto non discrepanti auscultabimus, qui homini interno tria ascripserunt, videlicet *supremum, infimum & medium*. Per *supremum* intellexerunt illud divinum, quod mentem, intellectum illuminatum, lucis increatæ portionem, & actum seu radium Dei vocant, qui est hominis portio superior, in qua animæ portione Merc. Trismeg. altius ascendendo, ex consilio boni & nunquam mentientis Dæmonis, verbum inesse asseveranter dixit, cui etiam Divus Johannes astipulari videtur, *verbum vocans vitam hominum & tenebrarum lucem*, atque itidem Merc. Trismeg. appellat illud, *vitam & lucem ex quibus constat homo*. Et alibi dicit: *Verbum in te videt & audit Pimand. 1.* sic Moyses nuncupat illud *spiraculum vita*, immediate ab ipso Deo in hominem externum inspiratum. Atque hæc superior hominis portio, intellectum illustratum amplectens, est illa, per quam homo cæteris animalibus præcellens, ad ipsius Deitatis naturam accedit; Unde *Dei imago & Dei filius* non modò à Philosophis, sed etiam ab ipsis scripturis nuncupatur. Per mentem ergò *Platonici* intellectum & rationem intelligere

voluerunt. Per *infimum* autem, aëream & infimam hominis interni portionem, seu actum elementorum significare videbantur, qui est, ut testatur *Mercurius Trismegistus* loco superius allegato, totius regionis elementaris, quæ colligens sibi pro ratione ea, quæ materia existit subtilior & tenuior, formales elementorum dispensationes, atque assistentibus simul & præcipientibus duobus, seu animæ portionibus superioribus in corpus, secundum corruptam carnis & tenebrarum dispositionem agit, utpote quibus sua natura & positione magis est familiaris. Unde pronior est hæc animæ portio ad corporis & inferiorum affectus, quàm ut ex sua natura menti & rebus divinis conveniat. Atq; hæc infima animæ portio vocatur anima sensitiva, quam *Paulus Apostolus* hominem animalem appellavit, atque idolum ex corporeæ materiæ gremio eductum, quod corpore retoluto, unâ cum eo interit, aut ejus in corporis sui resoluti vaporibus non diu superest umbra, nihil participans immortalitatis, sed in hyæ deformitatem rediens, nisi ipsum quoque sublimiori potentia uniatur, cujus virtute sola immortalitatem adsciscere potest. Hæc animæ portio est potentia motrix, vivificans, corporis rector, sensuumque origo materialis, per quam ipsa animam corpore vires explicat sentiendi. Sentit enim corporalia per corpus, movet corpus per locum, regit in loco, alitque corpore corpus. In hac ergo angustæ portione due sunt virtutes potentissimæ, quarum una est *Phantasia*, sive imaginatio sive cogitatio, atque altera *sensus natura*. Per *medium* denique Spiritum intelligebant medium sive æthereum & vitalem actum a radium naturæ, utraque extrema, videlicet mentem cum anima animali connectentem. Unde fit, ut hæc media natura de utroque extremo participet, adeoque habet tum à virtute Solis, propter lucis ejus ad cælum empyreum relationem, scintillam rationis, quæ demiceps mentis & spiritus intellectualis præsentia augetur, tum etiam ab infimo extremo & elementorum subtili facultatem sensitivam. Unde fit ut hæc media natura, tanquam æquè extrema uniens & portionem intellectualem cum anima animali seu sensitiva conjungens, hoc est, mentem cum rationali suo spiritu & vehiculo ad inferiora vehens, sit in sua natura quasi libera, ita ut liceat ei vel huic vel illi magis adhærere: videlicet aut versari magis circa inferiora & sensibilia, quàm circa supercœlestia & divina, aut etiam vice versa; prorsus ac si *Deus* libero arbitrio hunc spiritum intermedium incolenti diceret: *Utrum horum mavis, accipe, vel secundum Antifitis Moysis verba: Habetis ante oculos vitam & mortem, eligite utrum vultis, vel secundum Apostoli electionem: aut sitis mundi filii, aut regni cœlestis.* Et similiter quoque hoc modo dicitur: *Adam gustasse de fructu arboris cognitionis boni & mali, qui in principio nihil nisi mentis arcana contemplatus est, & per consequens solius bonitatis fuit particeps. Sed quomodo res sese habeat, auscultate obsecro.* Hic spiritus intermedius, vitali spiritu plenus atque præterea etiam ratione tum solari tum præcipuè mentis & empyrea imbutus, ex his potestatem dat corpori vivendi in genere, hoc est, omnes vitæ functiones, mediantibus organis sensitivis, ad vitæ facultates accommodatis, corpori tribuit. At verò, quoniam omnis actio vitæ aut circa bonum, aut circa malum (cum non sit in hoc mundo quicquam præter hæc duo extrema) versatur, quorum prius est lucis donum, ultimum tenebrarum, necesse est, ut hæc spiritus in vita motio aut ad bonitatem, hoc est, ad naturam Dei & lucis patris, aut ad malitiam Diaboli tenebrarum principis tendat. Nam ut æqua lance ad utrumque simul extremum propendeat, impossibile est: Hinc enim inquit *Christus: Non potestis Deo simul atque homini inservire. Et Divus Johannes I. epist. Filii Dei non possunt esse filii mundi, nec vice versa.* Ex his igitur constat, quod spiritus hic, quasi princeps Elector, aut magis ad superiora, aut etiam ad naturam inferiorum seu animæ animalis tendat, hoc est, quod vel mundi, pravitatis, tenebra-

tenebrarum atque vitiorum naturam vel cœli supercœlestis bonitatis & virtutis dispositionem respiciat. Si igitur spiritus hic intermedius cum sua luce menti constanter adhæreat, beatificatur; quoniam hæc portio suprema nunquam peccat, malève contentit, semperque erroribus resistit. & ad optima hortatur, uti latius describit *Mercurius Trismegistus* l. Pimand. Et proinde etiam tandem virtute mentis Spiritus talis propter suam obedientiam ad Deum transfertur, juxta illud *Procli*: *Anima per acquisitam scientiam ipsi menti seu intellectui similis evadit.* At verò è converso, si spiritus ille animæ animali accedat, seu inferiori cohæreat, depravatur, inquinatur, & in tenebris submergitur atque detinetur, donec ex bono Dæmone fiat malus; quoniam inferior illa portio, animalis scilicet anima, in malo, peccato & concupiscentia semper submergitur, & teste *Divo Paulo* trahit ad pessima. Verba ejus hæc sunt: *Video aliam legem in membris meis, captivantem me in lege peccati.* Hinc etiam ortus est divinus hic *Bernhardi* sermo: *O anima, decorata & pulchra facta per imaginem & similitudinem Dei, sponsata spiritui per fidem, adjuta ab angelis, comes beatitudinis, hæres salvationis, particeps rationis, quid habes tu ad agendum cum carne?* Imò verò *Bernhardus* non vidit omnia: Nam spiritus quàm sæpissimè proditorio more animam mediam adulando ad inferiora trahit, & in corpus opacum illam includit, ubi tam ut plurimum eam relinquit solam & otiosam, & id quidem efficit blanditiis animæ sensitivæ, cui proclivior ea est adhærere, quàm menti propter humidam atque materialem suam dispositionem, quæ magis suo simili gaudet. Sed tamen, ubi animæ mediæ naturæ proportio ampla est (quæ semper in spiritu reperitur) ibi facit spiritum suum menti magis obedientem; quoniam anima media seu actus mundi, radiusque naturæ, est de natura remota ipsius mentis seu actus Dei; unde de ejus proprietate participat. Tendit ergo materia naturaliter ad opera tenebrarum, forma verò ad dispositionem lucis, uti in ignis ardentis flamma videmus. Estne hæc, ô lectores, nova atque inaudita doctrina? Estne, inquam, hæc *Platoniorum* opinio à veritate ullo modo dissentiens? Examinetis, obsecro, vosmetipsos, & rem istam tandem aliter se habere non posse comperietis. Verbi gratiâ. Alicui forsitan vestrum facinus aliquod perpetrandum proponetur, hoc est, constituet secum, aut stuprum, aut adulterium, aut furtum, aut cædem, aut prodicionem contra Principem, aut scelus aliquod consimile patrare. Sed tamè ratio, quæ est semper comes mentis, huic ejus proposito pro posse suo resistet, nihilominus fieri sæpissimè assolet, ut in fine hujus contentions, spiritualis sensus & carnis appetitus compleatur, mentisque & rationis admonitiones rejiciantur, atque ita scelus illud destinatum perficiatur. Hic ergo videmus, spiritum hunc intermedium mentis consilium neglexisse, & animæ sensitivæ adhærendo in tenebras se immerxisse; Atqui vice versa, si spiritus, timore Creatoris perculsus, & rationis vestigia sequens, menti fortiter adhæreat, facinusque conceptum relinquat infectum, ejusque consilii & propositi mali pœnitentia, & quasi odio accensus, ad meliorem vitam se convertat, evidens illic est signum, quod spiritus hujus intermedius mentem constanter fuerit amplexus, & quod animam animaleam seu idolum in contemptu habuerit. Sed quid sermone uberiori est opus? Nónne nobis liquet, quod duo sint in mundo extrema, videlicet lux & tenebræ, virtus & vitium, bonum & malum? Sequitur igitur quasi ex concessis, quod itidem quoque sit medium inter ea certum atque determinatum, quod de hoc vel illo extremo aptum sit participare, prout unius vel alterius objectum illi magis jucundum & delectabile videbitur. Et procul dubio anima humana, sive homo internus ex his partibus conflatur, quatenus perfectus & completus est, & per consequens ex numero perfecto constare judicatur, videlicet ex principio, medio & fine, hoc est, ex mente, spiritu & idolo, seu anima animali, aut quod idem

est, ex natura cœli supremi, medii & infimi. Nec tamen solum spiritum æthereum hîc intendimus, sed per spiritum, animam vitalem seu spiritum solarem ætheris, hoc est, compositionem factam ex luce vivifica & spiritu ei sua puritate optimè conveniente.

C A P. III.

De ratione; & cur mens in corpore opaco includatur, de quæ ejus in corpore humano imperio.

ADmirabile est cogitanti, qua harmonia duo illa, tum natura essentia, tum loci positione contraria, Mens scilicet & corpus, in unum coagmentari possint: Et tamen hoc, mediante spiritu interposito, fieri oculis intellectualibus cernimus. Similiter mirum videbitur, quod excellentissima hæc Dei imago, imò verò ipsissimus Dei radius ita longè à sua sede connaturali submoveatur, adeo quæ in sua conditione vilesceat, ut cum sit lux splendidissima, efficacissima, divinissima, immortalis atque purissima, conjiciatur tamen & includatur in carcerem tam tenebrosam & caliginosam ac terrestrem & corruptioni obnoxiam, adeo quæ etiam imundum & spurcum. Sed hoc divina Creatoris providentia factum esse agnoscimus, ut ipsa tum particularium naturam diligeret, & tamen circa multitudinem versaretur, tum etiam universalium dispositionem unitatemque respiceret. Hinc inquit *Jamblicus: Anima & herodes magis versantur circa multitudinem, Dii & Demones circa unitatem.* Nam lux, quo profundius descendit in pyramidem materialem ab ejus cono versus basin, eò magis inclinatur ad multitudinem, uti superius dictum est. Hac etenim via voluit Creator, ut Deus quidam terrestris, sed mortalis, multitudinem rerum particularium in terra observaret, sicuti ipse, tanquam Deus immortalis, unitatem, & res universales in cœlo respicit; Tali siquidem ratione Deus ipse Creator, tam in terra, quàm in cœlo habitare, & ubique adesse dicitur. Huic etiam nostræ opinionis hinc verbis astipulari videtur *Mercurius Trismegistus Asclep 4 cum εἰσὼδῆν, id est, divina similitudinis formam animadverteret DEUS non posse omnium rerum esse diligentem, nisi eam mundano integumento contegeret, texit eam corporea domo; tales omnes esse percepit ex utraque natura in unum confundens, miscensque quantum satis esse debuisset. Itaque hominem conformavit ex animi & corporis, id est, ex aeterna & mortali natura, ut animalita conformatum utrique origini suæ satisfacere possit & mirari atque orare cœlestia & aeterna, & incolere atque gubernare terrena, &c.* Infinita est ergo mentis potestas in corpore humano, quoniam ipsa, teste *Mercur. Trismeg. Pimand. 12.* de Dei essentia nascitur, si qua est ejus essentia, & ab essentia ejus nequaquam dividitur, sed illi potius eo modo connexa est, quo Solis corpori lumen. Atque hinc est, quod illa dominetur omnibus, neque aliquid eorum, quæ ad fatum pertinent, impossibile menti. Ideò fit, ut humanus animus sit fato superior. Et tamen, quæ fato subjecta sunt, non negligit; atque ob hanc rationem sapiens, hoc est, mentis actu præditus, astris dominari dicitur. Hinc etiam est, quod idem Philosophus agnoscere videtur omnem motum corporeum in corpore fieri à mente. Non enim erat homo externus animal vivens factus, priusquam spiraculum Deiforme in eum inflaretur. *Mercur. Trismegist. Pimand. 10.* dicit, quod anima, mentis presentia destituta nec agere quicquam nec dicere potest. Ex factis ergo factorum Philosophorum Scriptis colligimus, mentem bifariam sumi, videlicet, vel pro prima & superiori, quæ est actus & radius promanans immediate à Deo, vel pro inferiori, quæ est mentis primæ & superioris imago, aut vestigium

vestigium quoddam, exactam primæ mentis determinationem prosequens: quæ quidem mens secundaria est ipsa natura seu actus mundanus. Mens igitur prima seu radius Dei à super substantiali natura immediatè profiliens in spiritum empyreum seu rationalem ingreditur; ubi creaturas divinas, primo creationis die productas, & acie divina præditas formavit. Hujus etiam mentis primæ imago secundo creationis die in medio abyssi reluxit, cælumque æthereum & mundi materialis seu visibilis animam vivificam produxit: Quæ prioris mentis imago atque mens secunda, ipsa Natura vel radius mundanus haud immeritò nuncupatur. Atque hæc singulis animalibus, cæterisque visibilibus mundi creaturis conceditur. Quare *Mercur. Trismegist. Pimand. 12.* hanc mentem secundariam, brutorum & vegetabilium naturam appellavit. Huic opinioni ad stipulatur *Synesius* hisce verbis *Hymn. 3.* *Mens delapsa in hylem, mens immortalis, parentum divinorum propago, exigua quidem, sed illorum tota, ista & una ubique, tota in totum infusa, vastam cavitatem cælorum torquet, univ ersum hoc conservans, in diversas formas distributa adest;* Pars ejus stellarum cursus, pars angelorum cætus, pars etiam gravi nexu, terrenam sortita est formam, disjunctaque à parentibus, tenebrosam hausit oblivionem, &c. Similiter alibi idem illud *Mercur. Trismegist.* hisce verbis confirmare videtur: *Mens, inquit, DEUS est in hominibus, atque idcirco nonnulli ex hominum numero Dii sunt, eorumque humanitas est divinitati quàm proxima: Etenim bonus Dæmon Deos quidem prædicat immortales, homines autem mortales Deos. In animalibus autem irrationabilibus mens illa natura est. Nam ubicunque anima, ibi mens; quemadmodum ubicunque vita, ibi etiam & anima in viventibus absque rationis discursu.* At verò anima media in sua natura est vacua mentis primæ, quamvis ipsa sit quasi mens secunda, quæ sufficit ad vitam cujuslibet creaturæ. Hinc, inquit *Mercur. Trismegist. Pimand. 10.* *Anima, mentis præsentia destituta, nec agere quicquam, nec dicere potis est: Sapè verò mens extra animam exiit, quo quidem tempore nec audit nec videt anima, sed animali similis est ratione carenti: Tanta, dico est potentia mentis supremæ, quæ animam hujusmodi deserit corpori implicatam, & ab eodem tractam quasi ad inferos. Nam hæc æterna essentia, ut cum *Mercurio Trismegisto* loquar, ab ignaris, improbis, ignavis, invidis, iniquis, homicidis & hujusmodi procul admodum est, vel saltem vacat in suo diversorio, permittens eos Dæmonis ultoris arbitrio, qui ignis acumen incutiens, sensus affligit, & magis magisque ad patrandæ scelera armat hominem, ut turpioris culpæ reus, actori supplicio sit obnoxius, eumque sine ulla intermissione ad insatiabiles concupiscentias inflammat, cum eo pugnat in tenebris, peccatum examinat, & ignis impetum in ejus cruciatum, mirum in modum concitat atque exagitat. At verò animabus, quarum spiritus ei adhæret, aderit mens ita benignissimè & perquam faustè; quippe quæ in sanctam animam influere, illamque ad sapientiæ lumen extollere solet; benevola enim erit bonis, piis, puris, religiosis, sanctisque hominibus, præsentia sua fert illis opem, adeoque ut statim cuncta cognoscunt, ipsos ad gratias agendas, & piè benedicendum inclinat; facit, ut concedant sanè corpus morti suæ, atque ut sensuum illecebras fastidiant, utpote, qui clarè dijudicant, quàm lethifera sint sensuum lenocinia; quinetiam ipsa mens, janitoris munere fungens, incidentes in insidias corporis haudquaquam permittit finem consequi suum; aditus enim, per quos turpes blanditiæ manare solent, jugiter intercludit, libidinumque fomites omnes extinguit. Hinc *Mercurius Trismegistus Pimand. 12.* *Quibuscunque animis mens præsidet, suo illas fulgore illustrat, earum moribus malis resistens, quemadmodum Medicus eruditus agrotantis corpus doloribus afficit, urendo illud atque secundo recuperanda valetudinis gratia: eodem modo mens voluptuosam affligit animam, ut radices voluptatis evellat, maloque corpus repurgans, non aliter anima bonum procuret, quàm sanitatem corporis Medicus. Imò verò mirabiliorem adhuc mentis hujus divi-**

vinæ in corporibus efficaciam declaravit in suo sermone quarto *Pimand.* ubi in hæc verba loquitur: *Quicumque hac Dei creatura fulti sunt, secundum operum comparationem pro mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cuncta complectuntur, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & si quid est præter ea supra cælum: atque à Deo seipso exigunt, ut ipsum quoque bonum intueantur: quod sanè cum perspiciunt eam, qua hîc vescimur, vitam, miseriam quandam arbitrantur.* E converso (ut ex superioribus luculenter constat) quotquot hominum animæ mentem nequaquam fortitæ sunt gubernatricem, eadem, quæ & brutorum animæ, patiuntur. Dimittit enim eas mens cupiditatum imperio; ad quarum expletionem ardenti quodam impetu perferuntur, ritumque ferarum immoderate & irascuntur & cupiunt, & quod deterius est, non finem ponunt libidini ullum, nec malorum inveniunt passionumque terminum. *Hicce, inquit Mercurius Trismegistus Pimand. 12. velut lictorem & vindicem Deus legem proposuit; secundum illud etiam Divi Pauli Gal. 3. 19. Lex addita erat propter transgressiones. At verò in hominibus, quorum spiritus intermedius ei adhaeret, libidinis impetum cohibet, iracundia restringit ardorem, &c.* Sed quoniam mentis actiones benedictæ non omnibus conceduntur, quippe cujus essentia, licet in corpore cum anima vitali sit, attamen, nisi anima cum suo spiritu eam, neglecta anima sensitiva, quærat atque amet, illi deerit, & ab actionibus vacabit divinis: idèò modus reconciliandi formam hanc divinam, ut in anima operetur, & non vacet, imprimis inquirendus erit. *Mercurius Trismegistus inquit Pimand. 4. Mentis crateris laticè ablui non potest corporis amator; nam, nisi quis suum corpus oderit, ipsum amare non potest. Quamprimum verò is non se, sed Deum ipsum dilexerit, mentem protinus consequetur; hanc denique nactus, scientiam è vestigio nanciscetur.* Cum hoc *Mer. Trismegist.* sermone sacre Scripturæ multis in locis convenire videntur. Unde *Divus Johannes 1. epist. 2. Mundum diligens non habet charitatem Patris in se; Et ibidem cap. 3. Mundus non novit filios Dei, quia filii Dei non noverunt mundum; quia mundus totus in maligno positus est, ut cap. 5: Similiter 1. epist. D. Johan. 2. Concupiscentia carnis affecti non habent charitatem Patris in se. Et alibi: Concupiscentia est omne, quod in mundo est, quæ non est ex Patre, sed ex mundo.* Ex quibus patet, quod mens iis non adsit, qui corporis amore, aut concupiscentia mundana sunt capti, quoniam DEUS tales non novit, sed solus mundus, quatenus eorum actiones circa res mundanas versantur.

C A P. IV.

Quod mens & ratio hominis non subjiciantur fato, & quod stellæ iis non possint imponere necessitatem.

PER fatum intellexerunt veteres Philosophi operationem septem Planetarum in stellis fixis, Nam quicquid per providentiam divinam ab Archetypo ordinatur in mundo intellectuali, illud à stellis fixis & septem Planetis in mundo visibili mandatur executioni. Hoc etiam confirmatur à *Mercurio Trismegisto Pimand. 1.* fatum appellante dispositionem septem gubernatorum; cui omnia animalia, præter hominem, subjecta esse asserit; nec tamen omnes homines fato subjici voluit, quippe, quibus mens divina adest, non ita fato, ut cæteri subjiciuntur. Verba ejus ex 12. *Pimand.* hæc sunt. *Homines cuncti fato generationi & transmutationi subjiciuntur: initium quippe & finis fati sunt duo hæc; generatio scilicet & transmutatio. Et homines quidem id patiuntur, quod instituit fatum; Verum rationales homines, quibus mens at gubernatrix assistit, non eodem modo, quocæteri, patiuntur; quatenus enim ab improbitate alieni existunt, malum minimè patiuntur.* *Quisquis igitur*
mentis

mentis premiis à Deo concessis ad id. quod decet, utitur, nihil ab immortalibus discrepat, quin etiam corporis solutus compedibus, ab utrisque ducitur ad chorum beatorum simul atque Dei. Platonici etiam hujusmodi jactaverunt sermonem: Mens supra fatum est in providentia; idcirco nec cœlorum corporum influxibus, nec rerum naturalium qualitatibus afficitur; sola igitur illam moderatur religio. Sed quid amplius aliorum auctoritates hoc loco recitabimus aut allegabimus, cum rationes evidentissimæ, atque è sinceris philosophiæ visceribus haustæ, in promptu sint, quæ luculenter demonstrant, hominis mentem & rationem astris & eorum influxibus dominari, eamque cœlorum visibilium actionibus non esse subjectam. Anne æquum esse videbitur, ut rex eminentissimus à subditis gubernetur, aut eorum pœnis & passionibus subjiciatur? Iniquum equidem esset, tali imaginatione duci, quod Creator à suis creaturis ad aliquid præter suum velle cogatur, aut quod actus & radius ab eo immediatè promanans, & tamen ab ejus essentia divina nullo modo separatus, sed perpetuò ei connexus, creaturis ab ipsa mente & verbo statumini ac firmatis subjiciatur. Quid ergo habent stellæ seu creaturæ cœli intermediæ ad agendum cum creaturis cœli superioris & præcipuè cum autore & creatore earum? Deorsum igitur procul dubio dotes à cœlo empyreo per divinam Creatoris benevolentiam effunduntur, atque optato modo recipiuntur; non autem iterum à creaturis eas recipientibus sursum rejiciuntur. Nam hoc esset ingratè illud restituere, quod liberè pro se & inferioribus accipitur, & more principis tenebrarum, oblivisci beneficium Creatoris, ac superbix alis in altum ferri, & regna sublimiora insulsè petere. Alibi ergo, rem hanc aliter se habere, copiosè satis explicavimus; ubi in *Musica nostra mundana* declaravimus, Solem medii cœli imperatorem, suas dotes, à cœli empyrei sublimitate, sic volente Deo Creatore, per virtutem consonantiæ Diapason accepisse, ut de sua abundantia portionem vitæ, omni die, hora & minuta, in inferiora, itidem virtute consonantiæ Diapason materialis, in terram infunderet. Ex quibus liquet, inferiorem mundi regionem, vitæ mensuram eo modo accipere à media, quo media à superiori. Jam verò pro absurdo haberetur, si quis diceret, Solem & cœlum medium accipere vitam suam & nutrimentum formale à regione inferiori, aut supremam à media, perinde ac si quis inferret, causam procedere à suo effectu, seu principium à suo principiato. Nam sacræ Scripturæ agnoscunt operum trium primorum creationis dierum distinctionem. Res igitur, breviter loquendo, sic se habet: Anima humana, quam supra hominem internum esse declaravimus, ex tribus portionibus à triplici cœlo derivatis, conflata est, uti diximus. Nobiliorem suæ compositionis portionem acquisivit à cœlo empyreo, imò verò immediatè ab ipso Deo, in spiritu empyreo vectam; videlicet mentis radium in rationali curru sedentem: Media ejus portio, quæ vitam dat corpori, vim suam acquisivit à cœlo æthereo; quæ cum suo spiritu recipit spiritum rationis cum ejus domino. Infimam autem animæ portionem ex elementorum subtili conflata, animæ animalis & sensitivæ dispositionem esse, antea satis apertè explicavimus. Jam verò ex dictis manifestum est, quod natura cœli medii à natura cœli supremi regatur, atque illa porro ab essentia Dei: non aliter, quàm natura infima & elementaris à superioribus simul conjunctis gubernatur. Hinc ergo est, quod si media animæ portio inferiori suo membro adhæserit, mens ipsa divina communicationem cum ea habere recusabit; Unde sequetur, ut astrorum influentiæ & operationes in talem animam, & universum ejus corpus prædominium plenissimum sint habituræ; siquidem animæ istius portio, stellarum essentiis superior vacabit, neque animæ in ejus operationibus adesse invenietur. Nam cum anima media, cum spiritu æthereo seu anima elementari hunc in modum quasi fœdus iniens, sit de vera cœli medii substantia & forma, spiritu

videlicet & luce constans, non erit mirum, si stellæ & Planetæ facilem in eam impressionem faciant, eamque pro voluntate sua gubernent, atque ita illam ad omnem mundanam concupiscentiam flectant. Similiter animæ portio inferior avidissimè amplectitur eorum influentias, & pro solis Diis ipsas æstimat atque agnoscit. Atque hinc est, quod constellationum Zodiaci aliæ biliosos & cholericos, aliæ melancholicos, aliæ phlegmaticos & segnes, & aliæ lascivos ac sanguineos producant effectus. Unde *Mercurius Trismegistus Pimand. 13. Zodiacum tabernaculum ex duodecim Ultricibus tenebrarū constare dicit, quas alibi horribiles vocat; Ultricem autem unam facit Ignorantiam, secundam Tristitiam, tertiam Inconstantiam, quartam Cupiditatem, quintam Injustitiam, sextam Luxuriam, septimam Deceptionem, octavam Invidiam, nonam Fraudem, decimam Iram, undecimam Temeritatem, & duodecimam Malitiam*: Atque sub his, tanquam genere subalterno plures continentur, quæ per corporis carcerem inclusum tristem hominem sensibus patiocunt. Postea in Planetarum regna descendendo, *Saturnus* hominem à mente relictum reddit invidum, vilem, pauperem, tristem, avarum, &c. & præcipuè quidem, ubi ipse fortior fuit in illius hominis nativitate. Sic *Jupiter*, horoscopi dominus inventus facit eum ambitiosum. *Mars* rixis & litigiis deditum, compotatorem & incastum atque adulterum. *Sol* biliosum & superbum. *Venus* luxuriosum & concupiscentia ac voluntatibus mundanis submersum. *Mercurius* inconstantem & levis seu facilis credulitatis. *Luna* ebrium, segnem & negligentem. Ex his igitur videmus, quantam potestatem cælum visibile & creaturæ ejus habeant in animæ portionibus inferioribus mente & ratione destitutis; quippe simile simili gaudet; & spiritus medius cum sua luce inferiora solummodò respiciens, materiali & mundana voluptate delectatur; hocque eo magis, quoniam blanditiis animæ sensitivæ seu elementaris ad illud instigatur. Unde fit, ut obliviscatur Domini sui, atque ita, nec vexationes mundanas, nec Dæmonis cruciatus animadvertat, donec totaliter à mente relictus luat pœnas, & desperatione, seu pœnitentia nimis tarda clamitet: *Peccavi*; atque ita luto suo æternùm adhæreat, nec altiùs ascendere valeat, quoniam à divino suo Domino, per quem resurgere debebat, derelictus atque prostratus in tenebris jacet ac submergitur. Non igitur dicant amplius scrupulosi, stellas nulla necessitate agere in homines mente destitutos, quoniam eos omnimodò stellis & cælo visibili subjectos esse, rationibus jam allegatis apertissimè comprobavimus. Atque hoc modo videmus, quod extra rerum naturam non sit, de furto, cæde, stupro, aut hujusmodi aliis hominum vitiis virtute Astrologica judicare. At verò etiam salvatum est illud Antistitis axioma; *Sapientem scilicet astris dominaturum*. Nam, ut antea dictum est, cum mens influit in sanctam animam, extollit illam ad sapientiæ lumen, quæ diversorium altius & virtute potentius habet, quam est illud stellarum. Nam teste *Mercurio Trismegisto*, *Ultores illi duodecim antea commemorati, præsentia divini splendoris à decem potestatibus repelluntur: Etenim assistentia ejus descendit ad nos primùm cognitio Dei, cujus præsentia depellitur ignorantia; Deinde descendit ad nos cognitio gaudii, quo præsentia tristitia penitus aufugit: Hujus etiam potestatis actu producitur constantia, cujus adjumento aboletur inconstantia; Constantia autem est vis suavissima. Producitur etiam continentia, que est vis universarum victrix cupiditatum. Atque hic gradus justitiæ fundamentum existit, quatenus ejus ortu & accessu injustitia à cunctis operibus expellitur, nos autem absente injustitia, justii efficiamur. Sexta autem potestas etiam mentis præsentia in nos descendit, videlicet communitio adversus excessum & luxuriam, qua expulsa, etiam veritas apparebit, & deceptio mox expelletur: Unde nobis veritate præsentia bonum absolutum aderit: livor etiam discedet; Veritati enim innatum est bonum cum vita simul ac lumine nec ultra ira vindex accedet. Imò verò hujus præsentia Ultrices omnes repentino quodam impetu*

peturejicientur. Quid autem aliud intelligere videtur Philosophus iste divinus, quàm quod duodecim illæ Ultrices seu impietates & sceleris autores, quos signorum Zodiaci effectus esse, agnoscere videtur, mentis præsentia (quæ secum novem cœli empyrei virtutes, seu novem intelligentiarum ordinum, quos denarium numerum constare supra diximus, proprietates deorsum trahit) ab homine expellantur. Sic Angelorum chorus Luciferum cum turba ejus rebellante propulsavit & debellavit: Sic *Seraphini* cognitionem Dei important, cujus assistentia pellitur ignorantia: *Cherubini* exuberantiam scientiarum & donum sapientiæ Dei ac charitatis afferunt, quo tristitia exulare compellitur, similiterque inconstantia; quia scientiæ plenitudo & sapientia, donumque charitatis, quod est donum fidei, constantiam parit, atque homines à cupiditate mundana ad supercœlestem allicere dicitur: *Throni* donum judicii veri atque recti habent, unde eorum præsentia injustitia omnis tollitur: *Dominations* faciunt homines potestate spiritali excellere, & fortiter sese in prælio spiritali gerere, unde harum virtute anima spiritaliter pugnat contra tentationes carnis, luxuriam & deceptiones: Has sequitur ordo *Potestatum*, quæ mores, reverentiam & humilitatem denotant; Unde invidia tollitur virtute humilitatis: *Angelici ordines* virtutum illuminationem dant & purgationem, unde eorum virtute fraudes & præstigiæ submoventur, fallaciasque ipsorum proprietatum præsentia extirpat; similiter purgat animam ab omnibus iræ affectibus. *Dionysius* etiam narrat, *Archangelos*, qui octavum ordinem possident, id muneris & officii habere, ut Dæmones malignos, hominum fructionem habentes, propulsent, eosque impediunt, ne homines amplius excitent: nullus enim in homine invenitur affectus temeritate illa vehementior, quæ excitatur à Diabolo: Imò ipse his viis & modis tentabat Jobum, virum electum, annitens eum temeritate movere & irritare, ut ea tandem occæcatus Deum blasphemis afficeret: *Angeli* denique, qui constituunt nonum & ultimum nunciorum Dei ordinem, munere tali funguntur, ut mundi malitiam refrænent, virtuteque amoris divini, quo pleni sunt, hominum malitiam extirpent, atque ut pios contra inimicorum suorum malitiam adjuvent, quemadmodum *Gen. 32. & 2. Macchabaorum* habetur, & *Tobia*, &c. Imò verò hi non solum hominum malitiam, sed & eorum morbos tollere dicuntur. Ex his ergo Philosophi intentio potest discerni; videlicet, quod virtutementis, cum novem ejus ministris, Zodiaci malitia facillimè propulsetur, videlicet virtute decem potestatum, quorum præsentia hominis interni regenerationis fit; id quod etiam alibi expressis verbis explicare videtur: *Intellexisti*, inquit, *fili mi*, regenerationis ipsius modum, denario præsentis numero intellectualis regenerationis composita est, quæ duodenarium numerum rejicit. Viam autem & modum, quo ipse mysterium hoc agnovit, hisce nobis reliquit verbis: *Idq̄*, inquit ille, *ex ipsa generatione speculati sumus.* Nam quicumque propter benignitatem generationis, quæ secundum Deum est, sensum amittit corporeum, hoc est, cujus spiritus intermedius magis adheret menti, & non anima sensitiva seipsum cognoscit ex divinis compositum, factusque jam sapiens, divina potentia tota mente letatur. O quantus est ergo mentis actus, qui per vires intimas exercetur; in cœlo enim est, in terra, in aqua, in aère, in animalibus, in arboribus; at in hominibus quidem immensior; ac denique ante corpus, post corpus, atque ubicunque reverà colitur, atque sincerè apprehenditur, ipsi semper agit, vitiaque omnia & Diaboli præstigijs (veritatem producendo) patefacit, patefactasque propulsat. Nec mirum vobis videatur, ô lectores, me cum *Merc. Trismeg.* Zodiacum Ulteriorum prædictorum horribilium appellasse diverforium, quoniam in S. etiam Scripturis legitur, quod *Diabolus sit mundi visibilis & materialis princeps*, qui sui regni visibilis summitatem non minus possidere cupit, quàm rerum Creator in universalis peripheriæ cacumine constanter sedere creditur.

CAP. V.

*Quod mens & anima menti adhaerens passioni
non subjiciatur.*

CUM mens sit verus Dei actus ab ipsius Dei essentia ortus (ut Merc. Trismegisti verbis utar) & à natura divina nequaquam divisa, ut supra declaratum est; similiter cum sit omnium princeps & quasi centrum, ac (si dicere fas est) juxta Merc. Trismegistum Pimand. 12. & Synes. epist. Hymn. 3. sententiam loquendo, ipsa ipsius Creatoris anima, ita ut possit, quaecunque vult, efficere; dominatur enim omnibus, imò etiam ipsi legi: sequitur exinde, quod illa sola agat in omnia, & quod omnia ejus actiones (ipsa tamen secundum Dei naturam iuviolabili permanente) patiantur. Est immobilis & tamen primum rerum mobile, ac nullius actionibus obnoxia. Nam cum ipsa solummodò sit rerum actus, res aliæ agere non possunt, nisi ab ipsa agendi potestatem habeant: Quare necesse est, ut ipsa agat in seipsam & per consequens suas proprias actiones toleret, aut ut nullo alio modo patiatur. At verò, quoniam omnis actio est in subiecto seu patiente, apto ad recipiendos impressionis actus, & agenti quodammodò contrario; idcirco mens in seipsam tanquam in subiectum passibile agere non potest; primum, quia omnis ejus entitas est identitas & formalis, nihilque materiæ in se habet, nihil passioni obnoxium, nihil suæ naturæ resistens, sed partes ejus homogeneæ sunt, & ipsa unitas; quare nihil contrarietatis ei inesse animadvertitur. Hinc est, quod Philosophi voluerunt, nullum elementum purum in sua sphaera agere; sed actiones ejus in sphaeram naturæ ei contrariam imprimi dixerunt. Multò magis ergo mentem neque in se agere neque pati affirmamus; quatenus forma est purissima atque Deiformis absque ulla spiritus materialis admixtione à Deo immediatè promanans, quæ omnia efficit in hoc mundo, nihilque patitur unquam. De hac animæ portione sic loquitur Jamblicus: *Anima in corporibus pura est, neque tangitur perturbationibus, cum sit vita supernaturalis ingenita, neque dolore quopiam dissolvente, cum sit extra omne corpus.* Et in alio loco: *Cum anima sit individua & uniformis essentia secundum se incorporea permanens, cum corpore nihil communicans, nimirum passiones divisionis vel alterationis vel mutationis alicujus non admittit.* Proclus etiam affirmare videtur, ipsam animam mediam non pati, sed passiones omnes provenire à corpore, & nullomodo inesse anima: *Corporis, inquit ille, passiones in animam non pertranseunt, unde tamen si mors sit corporis, non tamen est anima malum:* Cujus certè opinionem, divinitate plenam, nunquam satis laudare aut admirari possum, quippe quæ deducit argumentum à majori passione, inde comprobando, quod minores multò minùs animæ noceant, ac si dixisset; non minores, quia non majores. Nam si mortis passio, quæ est omnium maxima, ipsius corporis vincula dissolvens, nihil ad animæ perturbationem efficiat, sed potius ad ejus è carcere liberationem conducat, multò minùs ipsa levioribus corporis affectibus perturbabitur. Sed ut ad ejus argumentum, miro ingenii acumine elaboratum, respondeamus, probando rem non absolute se se ita habere, atque ipse putavit; dicimus, hanc animæ mediæ libertatem, non esse ex se, sed propter ejus connexionem cum mente divina: Unde si spiritus ejus menti adhæreat & lucis divinæ radios amplectatur, corporis mala nullo modo sentit; sed potius ejus perturbationibus delectatur, ut eo tandem dissoluto, citius à suis vinculis liberetur. Hinc dicit Porphyrius, quod anima per se semper vigilans, in corpore tamen quasi dormiat. Et Proclus narrat, quod anima in corporibus egrotent, & quasi delirent. At, si quidem spiritus ille intermedius, animam
mediam

mediam vehens, ad carnis delicias proclivior sit & tenebrarum illecebris atque blanditiis se immergat, mentisque & lucis divitiæ oblitus, superiora & spiritualia negligendo, inferiora & corporalia respiciat, certè passionibus corporalibus obnoxius erit, timore & perturbationibus morborum & mortis non minus percussus, quàm ipsa anima sensitiva. Et tunc anima ejus lucida seu radii naturæ suo curriculo æthereo, hoc est, spiritus intermedio inobedienti inhærendo, & tanquam in speculum inspiciendo, percipiet multas tenebrarum præstigias & illusiones, quarum conspectu perturbabitur; quoniam ejus societatem mens divina, veritatis imago, propter spiritus illius inobedientiam reliquit, atque ut fallacis tenebrarum & Diaboli perturbetur, permittit. In hoc igitur speculo suo monstra hæc seu passiones phantasticas, & quasi falsitatis chimeras contuebitur, amorem scilicet stultum, odium detestabile, desiderium & concupiscentiam immanem, horrorem tremendum, lætitiã fictam, spuriam & non durabilem, dolorem intolerabilem, spem vanam, desperationem fatalem, audaciam impudentem, timorem ineffabilem, iracundiam irrationalem seu bestialem atque tremendam; atque hæc quidem undecim passiones enumerantur, quibus anima à mente derelicta affligitur. Inest tamen animæ lucidæ vis quædam, spiritum suum ita lapsam, atque tenebris immersum ad cælum revocandi. Nam cum sit ejusdem progeniei cum mente, faciliè precibus & pœnitentiæ clamore mentem in auxilium suum pertrahit, ita ut hujus præsidio ac directione rursus ad sanctum regnum & parentis palatium perducatur. Hinc divinè satus *Porphyr. in lib. de Abstin. Quando ad pristinum statum redire pro viribus affectamus, necessarium est à sensu & imaginatione, omnique irrationali quæ sequitur inde, conditione, passionibusque ejusmodi animum penitus segregare, quatenus permittit natura necessitas.* At verò, si anima cum suo spiritu contentiat, & jam delapsa cum eo in corporis & mundi amorem (si quidem mala ad finem perfeveraverit) non gustabit immortalitatis quicquam, neq; bono etiam fruetur, hoc est, non revertetur ad illam formæ & lucis perfectionem, à qua derivata est, sed semper manebit vinculis captivata, & in materiæ abyssu submersa. Nam impossibile est animæ à captivitate materiæ liberari, nisi id fiat, mentis & vivifici verbi divini Spiritus mediatione, quorum alis solummodò & non aliorum, à terra ad cœli cacumina elevari atque sublimari potest; nam facillimum est, ut materia descendat, difficilimum autem, ut ascendat & revertatur absque pennis igneis, quarum ope multò velocius vehitur & attollitur Spiritus ad cælum ponderosus, quàm fufum virtute ignis, vel globus tormenti in aërem ejaculatus. Dicimus denique, quod mentis radius in prima creatione, quò magis à fonte unitatis descendit, eò profundius in materiæ multitudinem se immerferit, uti in harmonia animæ dictum est. Unde fit, ut quamvis radius seu actus immediatè procedens à Deo sit simplex & purissimus, radius tamen ab eo productus (qui mens secunda & ipsa natura dicitur) magis vinculis & involucris materiæ (quam spiritum suprà vocavimus) involvatur, sicut in *Macrocosmo nostro* dictum est. Et proinde mentis primæ opem requirit ad suam redemptionem. Hac ergo via renovabitur mundus & virtute exaltabitur, teste *Esaia Propheta* in hæc verba: *Sol decuplo erit purior & excellentior in sua pulchritudine, quippe quæ omnia à verbi in mente residentis præsentia perficientur, quod*

ideò sibi *α* & *ω* nomen rectissime
vendicavit.

CAP. VI.

*Cur mens & ratio humana superiorem Microcosmi regionem,
cælum Empyreum inhabitet?*

IN libello nostro de homine externo ostensum est, eum in regiones tres, secundum macrocosmi dispositionem esse divisum, quarum superiorem non ineptè aut sine ratione evidentissima cælo empyreo comparavimus. Nam ut in cælo macrocosmi empyreo mentis divinæ & rationalis spiritus locus atque fedes connaturalis, secundum doctissimorum cum Philosophorum tum Theologorum opiniones existit, sic etiam à Philosophis & Medicis doctoribus rationis & intellectus locus atque diversorium in capite seu regione superiori microcosmica collocari animadvertitur. Et quidem etiam si experimèta vulgaria respiciamus, sphæra ex vitro vacuo conflata, utcunque aliquis eam violentia in aqua submergere tentaverit, semper tamen ad locum suum naturalem assurgere deprehendetur, quippe cujus contenti natura (aërea nempe) est, aquæ superinnatare. Hoc idem etiam percipimus in ligno, propter ejus aëream igneamque dispositionem. Hujusmodi igitur est quoque ratio, cur mens, cum sit omnium rerum suprema, superiorem loci partem, in quo est possideat. Nam quamvis spiritus rationalis seu empyreus sit ejus vehiculum, & anima mundana cum suo spiritu æthereo sit iterum spiritus intellectualis currus, & hisce omnibus aër sit instar plaustris, in quo mens cum cæteris in corpus introducitur; mens tamen humana culmen totius semidiametri animalis possidet, atque ut rex seu imperator divinissimus superiorem semper, tam in parte hominis interni, quàm externi sedem occupat, officiumque quasi nautæ sibi vindicare videtur, navem corpoream per fluctuosas mundi perturbationes & tempestuosas atq; procellosas hujus vitæ undas secare & tutò ad terram & portum felicitatis dirigendo. si cæteri ejus ministri, videlicet, ratio, vita, spiritus naturalis & sensus ipsi obedientes reddantur. Sed si rebelles fuerint atque gubernatoris præceptis non auscultent, naufragium proculdubio inevitabile & sibiipsis exitiale producent, in quo ipsi in mundi maris abyssum cum nave seu cymba corporali absorbebuntur atque vivi tenebrarum hiatu deglutientur, dum tamen interea nauta seu gubernator pennis immortalibus alta petens, in suam patriam benedictam cum suo spiritu rationali remeabit; quippe qui semper, quatenus fato non subicitur, ei obediens esse solet. Hinc ergo est, quod, ut navis gubernator in superioris puppis parte sedet, nautasque inferiores in suis negotiis dirigit, quò prospere & propitiè iter suum faciant; ipsique nautæ partim in inferiori puppis parte versantur, & partim in superiori, prout occasio movet; sic etiam mens superiorem corporis humani regionem inhabitat, cui cæteri ministri, videlicet vitalis anima & illa naturalis ac sensitiva, ad nutum adsunt, & parati sunt omnia ejus mandata cum diligentia perficere & expedire. Sed &, quodnam, quaeso, argumentum evidentius quaeri potest pro eo, quod mens superiorem hanc hominis regionem inhabitet, quàm quod eum inter omnia alia animalia magis erectum atque orthogonaliter stantem videmus, quippe ex quo manifestissimum est, in ejus fastigio & summitate vim atque actum eminentissimum ipsos sensus versus cælum erigentem atque attollentem existere, non aliter, quàm virtute ignis artificialis corpora gravissima in altum elevari percipiuntur: Imò verò tam efficax est hic ignis divinus (quem *Merc. Trismeg.* asserit, *igneum amictum induere solere, us primum à corpore fuerit separatus*) ut etiam non modò hominum corpora

pora ad rectos angulos erigere, sed etiam ea ad superiora rapere atque elevare percipiatur, quemadmodum infra luculentius declarabimus. Ex his igitur luce clarius deprehenditur vera mentis sedes, situs atque positio in corpore humano, & quod ea sit sola microcosmi tam interni, quam externi divina imperatrix, atque Deiformis gubernatrix.

C A P. VII.

Quod lux per universum orbem mundanum sit eadem, similiterque Spiritus idem; & quomodo lux tendat ad Spirituum purificationem & elevationem in altum.

IN quamplurimis locis, antea in libro nostro macrocosmico citatis, succinctam atque propinquissimam lucis cuiusque cœli relationem abundè & dilucidè patefecimus. Lucem enim supremæ mundi regionis primo die creatam esse mentis divinæ iconem seu imaginem explicavimus, lucemque secundariam, quæ cœlum medium secundo die informavit, esse quasi prioris & superioris radium seu simulachrum, atque tertium tandem secundæ idolum atque effigiem, similiter quod virtute lucis superioris Spiritus rationalis seu empyreus sit creatus, & vocatus radius mentis, quæ est radius Dei, & quod itidem quoque medius spiritus virtute lucis mediæ factus sit vitalis seu æthereus, seu quinta essentia, dicaturque radius mundi, anima mundi & ipsa natura agens; atque porò etiam, quod actu infimæ lucis in spiritu infimo, quatuor elementa tertio die sint producta & distincta, dicaturque radius elementorum, & quasi elementum ignis, seu tenuis lucis portio deorsum in illas partes profiliens. Hæ ergo alterationes omnes à lucis divinæ actionibus proveniunt, cujus integer conatus est, ut immunda purificet, & crassa subtiliet. Atque hac ejus actione mundi universalis Spiritus, qui teste *Divo Petro* nihil aliud est, quam *Aqua*, in regiones puritate & impuritate, tenuitate & spissitudine differentes, atque in dispositionem quatuor elementorum est distinctus. Ex quibus patet, quod universalis mundi lux sit unica, ejusdemque actionis & naturæ ab æterno fonte derivata, & quod differentiarum operationum ejus non in ipsa, sed in diversitate materiæ resistentis existant. Nam quod fortius resistit, actum fortiolem requirit, & quod debilius est in sua repugnatione, minori impressione opus habet; & tamen actionis semper eadem est ratio. Similiter passionis ratio à diversitate materiæ, spissitudine & tenuitate differentis, procedit. Nam quod densum & compactum est, difficilius agentis impressionibus locum concedit; Unde fit, quod lux cœlestis, propter minimum Spiritus sui resistentis renixum, quoad nos insensibiliter calefacere videtur, cum tamen nihilominus in officio suo lucido excelat. Sic etiam videmus, eandem lucem, propter radiorum suorum in spiritu spisso coarctationem fieri atque evadere ignem destructivum & sensui tactus intolerabilem, imò verò docemur, quod quò magis ad centrum terræ illa penetrat, eò vehementior existat ejus facultas adurens & destruens; quippe cum radii ejus tendendo magis deorsum, inveniant subinde materiam crassiorem, atque ita tandem ineffabilem in modum comprimantur. Unde fit, ut non sine maximo cruciatu adurat, ignemque vulgarem producat. Sic etiam ignis flammam nihil aliud facit visibilem, quam partium aëris rariorum inflammatarum contractio, seu radiorum lucis in aëre occultorum & dilatatorum in unum congregatio. Quo quidem modo etiam videmus aërem humidum in tenui sua natura invisibilem, contractione in nubem visibilem & palpabilem condensari,


quæ

quæ sic contracta, res madefacere observatur. Ex his ergo liquet, lucis universæ partes ab invicem non differre, sed ejusdem naturæ esse, adeoque causam differentiæ ejus quoad nos, esse diversitatem operationis. Similiter quoque materia mundi tota eadem est, videlicet aqua; quæ tamen pro majori vel minori lucis cum ea, & in ea reperitæ, proportionem differre cognoscitur. Hinc igitur docemus, quod lux inferior taliter secundum proportionem suam agit in spiritum suum æreum, qualiter lux media agit in suum; atque iterum, quod media lux in suum spiritum æthereum non aliter agit, quam lux cœli superioris in suum; & proinde, quod tota differentia consistat in eo, quod luci inferiori propter exiguitatem proportionis ejus & multitudinem materiæ magis resistitur; luci autem mediæ propter ejus cum spiritu æthereo æqualitatem (quæ qualis sit ex consentanea pyramidis formalis & materialis adaptatione supra ostendimus) resistitur minus, utpote quæ invenit spiritum in eadem proportionem sibi obedientem; atque sic etiam porrò lux superior, tanquam abundans excellenter, minori adhuc vel minima lucta agit in spiritum empyreum; utpote qui paucissimus est, & propterea incorporeus, ac planè metaphysicus dicitur, hoc est, extraneæ naturæ terminos positus. Atque hæc est ratio illa evidentissima, per quam homines, mysterio divino illuminati, & quibus per consequens Deus à priori non demonstratur, tanquam per scalam à posteriore ascendunt, ut ad Dei cognitionem perveniant: namque per abditas aquæ cum igne operationes, quas hîc in terra observamus, de lucis mediæ in suo spiritu effectibus divinare possumus; atque sic etiam ex manifestis Solis actionibus in aère, de virtute lucis primariæ in spiritu secundo judicare non erit impossibile; ac denique inventa ratione actionis lucis mediæ cum suo spiritu, ulterius actiones cœli superioris & earum effectus quadantenus efficaciter contueri non omninò diligenti inquisitori denegabitur; atque ita demum percipietur, quod lux, quæ egressa est ex fonte divino, ad materiæ purificationem, mundificationem & attenuationem tendat, & per consequens ad illius elevationem & exaltationem à re grossa ad subtilè, & à loco corruptioni obnoxio ad sedem formali luce repletissimam, quæ omni ejus appetitui satisfaciat. Nā benigna est essentiæ divinæ dispositio & propensa, ut ad rerum præservationem, salvationem, redemptionem, & à tenebris in lucis regiones promotionem semper operetur; adeoque semper in rerum deformatarum reformatione versatur, turpiumque dispositiones in pulchritudinem reducere, tenebrarumque & litigii præstigias mundo propalare atque benignitatis suæ dona unicuique conferre & distribuere, ac divini tandem amoris sui characteribus omnia obsignare gestit. Nōne ergo observamus in hac regione elementari, quod ignis flamma, naturali instinctu, neglectis superioribus atque sublimibus, petat omni conamine inferiora? Nec quidem absque sensibili ejus extinctione eam ab hac sua inclinatione avertere possumus: Sic in fusi artificialis natura observamus, quod, ut primum ignea ejus dispositio in actum deducitur, grave illius corpus contra suam dispositionem in altum attollatur. Ex quibus videre possumus, quam avidè natura lucida sedem suam connaturalem appetat, massamque suam corpoream relinquere, & ab ejus vinculis se extricare conetur.

C A P. VIII.

De inequali corporis & animæ lucidæ proportionē, & quod lux solummodo ad corporis elevationem versus cælum & impuritatis ejus expurgationem hîc in terra laboret.

CORPORIS materia se habet in proportione ad animam suam lucidam, ut spiritus infimæ mundi regionis ad lucem ejusdem; quam superius in proportione sesquialtera reperiri diximus; quatenus scilicet illic una pars lucis & tres partes Spiritus materialis inveniuntur. Hinc ergo fit, quod corpus animam gravare, & in actionibus suis impedire dicitur; ita quidem, ut quæ illa vult, hoc peragere non sinat, & contra ejus actiones, quæ tendunt eò, ut illud in altum elevet, summa ope nitatur. Quod autem anima debilior sit in corpore multis gradibus quàm materia, experimento declaratur. Nam si quis descendat è monte, corpori valdè conveniens erit hic motus; quoniam omne grave, naturali quodam instinctu, deorsum tendit; imò verò lætatur homo externus, quia facilis ei videtur descensus; qui tamen motus est contra animæ naturam & dispositionem, ut in igne & fuso declaratum est: At verò in montis ascensu defatigatur homo externus, atque anima vivifica (quæ tamen quasi scintilla duntaxat est) vehementer & pro viribus agit ad elevationem ponderis istius gravis, suumque diverforium ad hoc laborare facit: Unde manifestum est, quod corporis moles multis proportionibus animæ suæ lucidæ mensuram excedat: quoniam totus homo delectari videtur descensu, qui fit secundum materiæ appetitum, ascensu verò, qui est secundum lucis cupiditatem, gravatur. Verùm enim verò, si animæ lucidæ facultas corporis mole copiosior esset, è converso homo gravaretur descensu, atque in ascensu suo lætaretur; quippe anima lucida omni naturæ conamine tendit sursum, imò verò etiam ipse Spiritus sursum ascendere vehementer cupit cum lucis suæ scintilla, quæ semper ad tale officium prompta est, ut in fusi accensi elevatione dictum est. Et quidem etiam idem illud sequenti experimento demonstratur.



Sit A. vas aqua plenum, in cuius fundo B. candela accensa affigatur, ita ut stet perpendiculariter, si ergo subito cōprehendēdo flammam candela in orificio vitri. quod collo sit oblongiori, collum illud deorsum in aquam detruferis, & foramen C. in fundo eius obturaveris, occulta ignis facultas atque proprietas è vestigio observabitur. Nam grave corpus aqua sursum bona quantitate versus & secundum majorem vel minorem flammæ proportionem elevabitur. Percipiemus etiam, quod Spiritus aëreus quoque sit ad hoc proclivis, & in opere isto quasi quidam coadjutor. Id quod sequenti experimento vulgari declarabitur. Nam si milvum fictitium ex chartis factum, cui filum vel chorda satis longa alligabitur, vento exposueris, videbimus, ventum machinam illam satis gravem facillimè in altum attollere.



Ex quibus constat, quod non modò lux, sed etiam ejus vehiculum tendat ad corporum exaltationem; in tantum quidem, ut etiam, quando propter exiguitatem suam non potest opus illud perficere, tum soleat huc atque illuc à latere, videlicet dextrorsum & sinistrorsum, vel antrorsum atque retrorsum corpora & animalia columnis seu pedibus statuminata, sursumque & deorsum, eo modo, quo dictum est, movere. Sed, ut artificialia ista omittamus, videmus quoque eandem dispositionem in plantis; quippe in quibus lucis portiones è terra exurgentes, sursum versus locum suum connaturalem cum tota sua massa corporali, præeuntibus in auxilium Solis radiis, se attollunt. *Atque ut jam animalium disquisitioni insistamus, ab ancilla quadam audi vi, quod aliquando cattam seu fellem quandam senioremem & majorem, ob insignem ejus rapacitatem, ubi in ipso gula & ingluviei actu eam inopinantem apprehenderat, inclementer pedibus suis, zelo alio destituta, & tamen presentis occasionis opportunitatem è manibus dimittere nolens, contere, atque ita conculcando suffocare tentaverit: Ubi verò uno pede suo gutturi felis appposito, alteroque cordi ejus impresso & affixo, erecta constitit, bello exitiali sine ulla commiseratione miserum istud animalculum propter voracem ejus gulam crucians & affligens, percepit tantam in corpore ejus vim, tantumque in exigua illa parte, & quasi scintilla lucis seu actus ei inclusi vigorem atque efficaciam, ut admiratione quadam percussa assidue vereretur, ne quando, & vel non obstante etiam onere tanto, in altum elevata, dejiceretur, dum videlicet sensit, ingentem Spiritus inclusi vigorem sursum evehere, & in altum elevare corporis sui molem.* Ex his igitur evidentissimum est, quod Spiritus vitalis cum sua luce agente vim maximam habeat, non solum in rebus arte factis, in quibus videlicet spiritus aërei locum obtinet sal nitri, utpote quod nihil aliud est, quam aër congelatus, & lucis vicem supplet natura illa sulphurea, cujus natura lucida in actum deducta movetur virtute illius Spiritus, sed etiam in rebus vegetabili-

bus; quippe in quibus Spiritus æthereus radium solarem, illis inclusum, versus patriam suam sursum ducit (quò etiam ille, nisi impedire eum gravis aër cum elementis adhuc gravioribus terræ & aquæ, facillimè ascenderet) atque ad eò quoque in ipsis animalibus ignobilioribus, quibus, uti supra diximus, vis aliqua cœli rationalis inest: Unde fit, ut eorum lux ad corpora gravia elevanda efficacior atque fortior sit, quàm lux illa vegetabilium, à solo orbe solari derivata. Nam diligenter considerandum est, quod uti lux cœli empyrei fortior est, quàm lux cœli medii, atque hæc iterum fortior est, quàm lux cœli infimi, ita quoque ubi aliqua horum luminum portio prædominatur, ibi fortior aut debilior reperitur motus & effectus versus superiora. Hinc, uti antea dictum est; mineralium fixitas & immobilitas; quorum anima ex luce cœli infimi sive tertiana producta est; Unde propter lucis debilitatem & materiæ fortitudinem ac còpactam naturã circa centrũ quiescunt. Sic etiam planta, licet vivacior sit minerali, ita ut supra terram assurgat, pede tamen affigitur terræ, nec per se moveri potest. At verò animal liberum est, corpusque suum huc atque illuc localiter movere, atque saltu corporis sui onus à terra nonnunquam elevare cernitur: Unde evidentissima est creaturarum differentia in lucis & spiritus ei correspondentis dispositione. Veruntamen priusquam ad describendam lucis humanæ excellentiam, omnes alias lucis species in cæteris creaturis superantem, accedamus, obiter hîc & leviter tantum perstringendo, mentionem faciemus cujusdam experimenti à nobis excogitati; ex quo quidem duo notabilia didicimus; videlicet primò, quod lux humana sit longè dignior, excellentior & potentior ad elevandum corpus in altum, quàm lux cæterorum animalium. Namque si animalis alicujus viventis pondus exploretur, atque tum iterum idem illud animal strangulatum sine ulla sanguinis aut excrementorum amissione, appendatur trutinæ, percipietis, corpus illud mortuum longè gravius esse, quàm fuit vivum. Atque hæc quidem omnes animadvertunt differentiam inter vivos & eorum cadavera. Unde manifestum est, quod animal illud levitatem suam à luce vitali & spiritu tali habuerit, utpotè quæ egerunt assidue actione sursum tendente; Sed quoniam corpus grave illis impedimento fuit, ad latera tantum & antroorsum ac retrorsum solummodò moverunt; Atque hæc est causa, cur levius sit animal vivum, quam post mortem. Sic etiã videmus, quod homo, attracto per inspirationem spiritu aëreo in pulmones non facile in aquam submergatur; sed levitate aëris attracti super aqua detineatur. Sic etiam phiala aquã repleta & in aquam immissa subito submergetur: similiter si phiala per ignis violentiam liquefacta, in massam coaguletur, & in stagnum aliquod projiciatur, videbimus eam non aliter fundum derepente petere, quàm saxum aliquod grave: at si aëre impleatur eadem phiala, onus ejus virtute aëris elevabitur, in stagni seu aquæ superficie sustinebitur, nec ad fundum migrabit. Similiter si corporis humani vivi pondus respexeris, illudque cum mortui cadavere comparaveris, & differentiam diligenter examinaveris, cadaver ejus gravitate sua vivum corpus in pondere superare percipies; imò verò observabis, quod proportio ponderis & gravitatis in corpore & cadavere humano longè præcellat mensurã & numero corporibus & cadaveribus cæterorum animalium, siquidem hominibus fide dignis credendum sit. Quare evidens est, quod lux vitalis in homine (quæ non modò solaris est & mundana, ut in cæteris animalibus, sed etiam divina & summa, quatenus afflatu Deiformi in hominem immissa) majorem habeat efficaciam ad elevationem corporis humani in altum, quàm habet lux cæterorum animantium. Præterea etiam experimento quodam possumus indagare, quantum luminis essentialis defecerit in corpore humano vivo, ad hoc, ut potuisset in altum evehi. Nam si vivum corpus hominis habeat in pondere 200.

libras, & cadaver ejus exæquet libras 240. certum est, quod vigor lucis cum spiritu vitali in corpore vivo adhuc requisiverit 60. proportiones actuales, quibus corpus illud elevaretur in sphaeram Solis. Nam corpus solare in medio loco idè suspenditur, quoniam ex æquali lucis & materiae proportionem componitur; ita ut in medio, ubi pyramides se intersecant, collocetur, atque ita semper virtute lucis incorruptibilis in perpetuum suspendatur, donec vincula à Creatore dissolvantur, *in cuius sola potestate est, teste Apostolo, animam à Spiritu dividere.* Nec credendum est, corpus hoc nostrum sordibus pollutum, & tenebris inquinatum in tali forma elevari posse. Nam virtute lucis copiosæ transfigurabitur, quem admodum tam sacrarum Scripturarum doctrina, quam Philosophorum historiis instrui-mur. Nam primum in scripturis legimus, quod *Moyse facies adeò splenduerit, ut nō potuerint eum contueri Israëlita.* Sic etiā legimus, *Christum in monte Thabor Spiritus sancti lumine fuisse glorificatum atque transfiguratum.* Ita, *Paulus se ad tertium cælum raptum fuisse, fatetur:* Sed hi ad se iterum redeuntes, in terra mortui sunt. Veterū etiam Ethnicorum historicis monumentis proditum est: *Socratem fuisse ita transfiguratum, Solis luciferas ut vicerit lumine rotas & Alexandrum Magnum in India ingenti periculo circumventum, anima ita exarsisse, ut ipsis barbaris intuentibus, lumen effundere visus sit.* Theodorici etiam Pater è corpore toto scintillas profudisse narratur; Et scribitur de quodam sapiente, quod *scintillantes flamma ab eo hinc inde etiam cum sono profilierint;* Similiter in libro prodigiorum reperitur historia de homine quodam è cuius capite flamma ignis satis magna exilire fuerit conspecta: In Bibliis etiam sacris scriptum habemus, quod, *virtute hujus lucis & Spiritus divini Philippus Apostol. baptizato Eunuchus in India, statim inventus sit in Azoto;* Et de Habacuc similiter apud *Danielem* habetur consimilis relatio; Sic etiam 1. Reg. 18. 12. *Spiritus Jehovæ te deferet, nescio quò, &c.* Et 2. Reg. 2. 17. *Videndum, ne Spiritus Jehovæ fortè sustulit eum, & coniecit eum in aliquem montium, aut in aliquam vallium.* Narrat etiam *Philostratus*, quod virtute eadem *Apollonius Tyanæus invisibiliter transiens subito oculis in tribunali astantium apparuerit, & paulo post juxta Cumam civitatem unum ex discipulis suis allocutus sit.* Sic etiam *Enoch & Elias igneo curru & lumine ingenti circumducti, in cælum vivi fuerunt rapti;* sed in via transfigurati fuerunt, & purificati ab omni immunditie mortali, virtute luminis expurgantis ac sordes comburentis; quippe nemo facie corruptibili Deum potest intueri. Virtutem haud dissimilem attribuerunt Ethnici *Zoroastri & Romulo;* illum enim scripserunt transfiguratum, sursumque corpore sublato; hunc in tonitru stupendo à patre suo Marte in cælum raptum monumentis reliquerunt Romani. Hujus lucis divinæ cum Spiritu potestatem agnoverunt *Avicebron Maurus, Avicenna Arabs* atque *Hippocrates Cous,* & tota præterea *Chaldaeorum schola* fatetur, ac docet eam: quippe quorum omnium lucis hujus progressum animadvertentium sententia unanimes erat, stupendam quandam menti nostræ inesse potentiam, qua fieri posse narrant, ut mens, tota acie in Deum defixa, divino numine impleatur, atque sic impleta numine, effusis radiis per singula media usque ad hoc crassum tenebrosissimum, grave & mortale corpus, copioso & efficaci sue lumine circumfundens atque circumseprens illud syderi simile, ei que æquè coruscans reddat, atque adeò etiam radorum suorum plenitudine illud levitate quadam insigni, stupæ igne accensæ, seu fusi pulvere bombardico animati instar, tollat in altum, ea que ratione quoque aliquando corpus veluti spiritum è vestigio ad partes remotas transferat. Horum autem opinionibus ego, tum exemplis præcedentibus, tum etiam rationibus è philosophiæ armario seu sacrario depromptis persuasus, ad stipulari cogor; utpote quibus apertissimè video, absque mentis divinæ præsentia transfigurationem, regenerationem atque resurrectionem fieri non posse, & per consequens ex omnibus aliis creatu-

ris denegata esse, præterquam soli homini; quoniam ei soli & non itidem aliis, inest vitæ spiraculum atque sacrosanctum mentis & intellectus donum. Quod ergo lux habeat, pro majori vel minori sua proportione, facultatem elevandi corpora, in quibus continetur, supra demonstravimus: Sed quoniam, uti fieri afolet, corpora elementata in infima mundi regione prævalent animabus & lucis portionibus, ideò non habent creaturæ sufficientem hujus lucis quantitatem à sua creatione, quæ plenè suum officium queat perficere. Nec dedit Deus cuiquam creaturæ plus lucis, quàm ad sufficientem ejus perfectionem satis est; ita ut de suo lumine aliis impertiri nequeat, se manente integra. Sic itaque apparet stultitia eorum, qui conantur ex auri vulgaris portione infinitam præparare tincturam. Nam sic ipse Sol, creatura mundi visibilis nobilissima, sua virtute assidue magis magisque ratione luminis & tincturæ, ditesceret, altiorem locum subinde appeteret, & gradatim versus mundi intellectualis apicem ascenderet, quousque ad unitatis punctum, multitudinem relinquendo, pertingeret. Quare fallimur circa omnem talem potestatem ingentem, quæ, manens per se in suo statu & incorrupta, possit tantum formæ corpori corrupto præbere, ut ad excelsiora sublimetur. Unde igitur hoc donum adipiscemur, cum nullibi possit à re creata deponi? A sola mente, scilicet divino Dei radio; cujus est omnibus plusquam perfectionem tribuere, cum in solo Deo & radiis ab ipso non divisis, summum & solum plusquam perfectionis donum inveniantur. Nam quomodo possibile est, ut illud, quod solam perfectionem suæ speciei adeptum est, plusquam perfectionem dare & conferre possit alteri? A Deo ergo, ejusque Verbo & Spiritu, quibus mentis radii sunt continui, hauritur donum illud, & in homines sanctos infunditur; ac vi quadam magnetica & harmonia admirabili attrahitur ab unitatis essentia in hæc inferiora, modo ac ratione ea, quæ sequitur. Quoniam in quolibet homine est virtus ista à radice creationis ejus (quæ tamen fortitudine & debilitate operationis in diversis hominibus variat) revelatur à nonnullis sanctis, Prophetis & Sapientibus via, qua à fonte lucido per radium continuum istius virtutis divinæ, ad inferiora & per consequens in ipsum hominem attrahatur. Nam pia anima menti adhærens, facillimè replebitur piis donis. Hinc in suo *Hymn.* ita cecinit *Synesius*: *Mens solos jam curat intellectuales mundos; bona enim inde hamani Spiritus origo individue divisa est: Ac mens delapsa in hylam, mens immortalis, parentum divinorum propago, exigua quidem, sed illorum tota, ista & una ubique, tota in totum infusa, vastam cavitatem cælorum torquet, univ ersumq; hoc conservans, in diversas formas distributa adest; Pars ejus stellarum cursus, pars angelorum cætus pars etiam gravi nexu terrenam sortita est formam, disjunctaque à parentibus tenebrosam hausit oblivionem, cæcis sollicitudinibus terram admirata. Inest tamen, inest aliquid lucis apertis oculis; inest etiam iis, qui huc delapsi sunt, in cælum revocans quadam vis, cum fluctibus emersi vita, lati sanctum ingrediuntur iter ad regiam parentis aulam: Beatus, qui voracem hyle vitans latratum, & è terra emergens, saltu levi vestigia ad Deum dirigit: Beatus, qui post fata, post labores, post acerbias terrenas curas, ingressus mentis vias, altitudinem videt divina luce refulgentem, &c.* Concludimus igitur, quod, ut Deus dedit omnibus creaturis perfectionem in creatione & sacrosancto suo tabernaculo, sic etiam in sola ejus sit potestate, plusquam perfectionem illis impertiri. Nam si in creaturæ potestate esset plusquam perfectionem dare, necesse esset, ut hoc faceret aut creatione nova, aut ut tale munus aliunde acciperet. At si in ejus potestate esset res creare novas, ipsi Deo, cujus solius est creare, æquiparanda foret; si autem hoc tale donum aliunde acciperet, sequeretur, eam illud à solo Deo, rerum omnium Opifice, comparasse. Ut ergo nulla creatura in se est infinita, sic etiam plusquam perfectio infinitum à creatura dari non potest. At verò, *si quis* (& quidem non
adeò

adeò absurdè) *objiceret*, quod, virtute unius scintillæ ignis, infinitæ possint multiplicari, & præsentia unius candelæ innumeræ aliæ accendi, & quod proinde, cum ignis & lux sint creaturæ, sequatur, creaturas posse infinitum lumen & tincturam similibus largiri. *Respondemus*, quod lux sit vera Dei imago, & quasi ipsius Dei præsentia. Unde dicit *Augustinus*, quod, *quantum lucis aliquid in se habet, tantum Dei sibi vendicare videatur*. Quomodo autem lux illa divina se in hylam ad mundi creationem disperferit, satis evidenter nos docuit divinus *Synesius* loco immediatè præcedente citato. Nec quidem est ulla lucis seu ignis multiplicatio in candelarum multitudine illuminatarum per unam scintillam, sed est lucis in aëre dispersæ & attenuatæ atque propter raritatem invisibilis manifestatio; ita quidem, ut ignis sit ubique & semper permanens, sed nobis invisibilis ac intellectu solummodò & aëris variatione percipiendus; ille verò inspissatus & coarctatus objectum seu materiam & Spiritum, quibus inhæret, coloratum, clarum ac lucidum reddit. Sic etiam aërem invisibilem in nubem visibilem converti videmus, hoc est, aërem tenuem & invisibilem fieri densum & visibilem coagulatione & coarctatione. Est igitur ignis vulgaris nihil aliud, quàm ignis dispersi coacervatio & congregatio, non autem ulla multiplicatio; neque enim unquam plus aut minùs ignis est, aut erit in mundo, quàm fuit in creatione. Magnetica ergo & mirabilis est lucis proprietas, cum unica ejus scintilla infinitas ad se attrahat. Atque hæc est ratio, cur ignis in spissius subjectum contractus, urat atque destruat, quoniam vehementer agit ad dissolutionem, pro ratione ac modo, quo spissitudo subjecti ad fortem resistantiam est parata. At verò e contrà idem ignis per universum aërem expansus, corpora fovere atque reficere observatur. Hoc ergo est argumentum, quod ignis è folio Patris luminis egrediatur, quoniam videlicet quo ad nos, in infinitum videtur multiplicari; at verò, in se est quasi unitas formalis, à qua omnes res, tanquam à forma, quatenus etiam est solus actus mundanus, procreantur. Unde evidenter liquet, quod lux immediatè in creatione à solo Deo, tanquam formarum in rebus creatis fonte unico derivetur. His igitur rectè consideratis percipiemus, quod actus mundanus nihil aliud sit, quam radiorum Dei in creatione progressio ac diffusio, & quod vice contraria Spiritus universalis sit quasi medium recipiens illos radios, & quod itidem materia ex spiritu cubico conflata, sit quasi subjectum, eorum impressiones in se recipiens, & quod totum denique in hoc mundo nihil aliud sit, quam ignis in spiritum implicatio; ex quibus duobus ignis per se & in sua natura sursum tendit, Spiritus verò sine ignis ad miniculo deorsum. Sic factus est mundus, & ex mundo seu mundi elementis creaturæ. Non est igitur mirum, si ignis natura sit crassum attenuare, & ex foedo pulchrum facere, tenebras propulsare, res mortuas vivificare, & de potentia in actum deducere, &c. Cum totum hoc sit Opificis intentio, videlicet res increatas creare, informes informare, inanimatas animare, damnata salvare, turpia mundificare, dejecta attollere, tenebris obruta liberare atque illuminare. Ex quibus manifestum est, divinæ essentiæ imaginem esse lucem, ubique per universum expansum dispensatam, & aquis mundanis instar crocæ

tincturæ cum liquore junctæ,

permixtam.

CAP. IX.

De animarum humanarum communicatione.

EX præmissis videbitur quibusdam difficile, corporeis solummodò oculis ea intuentibus, quod anima unius hominis virtute splendoris sui spiritualis possit cum anima alterius, etiam longè distantis, communicare & familiaritatem habere, non aliter, quàm unus homo solet cum alio fermocinari, quatenus carnis umbraculo tegitur atque obscuratur. Imò verò ipsa lux solaris, à qua anima media creaturæ derivata est, tenuiori substantiæ opacæ impedimento, quàm est impenetrabile corpus humanum, abscondi & obscurari potest, uti tempore pluvioso apparet; quare multò magis anima hominis è cælo delapsa. Similiter sequendo hæc *Merc. Trismeg.* dicta: *Anima naturarum orbata, bonique conscia, orbata oculis, corporeis sese passionibus implicat, &c.* patet, quod anima corporea mole obtecta, oculis quasi destituta sit, ita ut quæ extra sunt & in tenebris conspiciere non possit. Hisce autem dubiis *respondemus*, rem quidem ita se habere consideratâ animâ, quatenus vitam solùm respicit, quæ est solummodò media in animæ humanæ compositione portio. At verò quatenus cum sua domina mente, sine qua anima humana esse non potest, unitur, eatenus corporis parietes non magis possunt radios ejus comprimere & retinere, quàm aqua torrentis crystallini potis est impedire radios solares, ne ad fundum usque penetrent. Nam *Merc. Trismegistus*, inquit, *quod mens sua acie ad superna exigi possit.* Atque alibi rationem allignat, videlicet *Pimand. 12. Quia mens ab essentia Dei nequaquam divisa sit, sed illi potius eo modo connexa, quo solis corpori lumē.* Quare mentē appellavit *Deum in hominibus*, dicitq; *hominum humanitatē esse divinitati quàm proximā;* Unde homines appellavit *Demon ejus bonus, mortales Deos.* Ex quibus manifestum est, quod mentis humanæ acies, lucisque ejus radii sint tam subtiles & penetrabiles, ut corporis pori, ejusve massa tenebrosa eos nullo modo possit impedire, quò minùs id ipsius Creatoris solium penetrent & ubique per mundum versentur. Hinc fit, sicuti dictus ille *Philosophus* testatur, *ut presentia mentis, quàm Dei naturam nuncupat, homo intelligentia sua complectatur cuncta, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & si quid est præter ea, quæ sunt supra cælum, atque adeò se ipsam erigat, ut ipsum quoque bonum intueatur.* Anima ergo media supremo atque Deiformi dono erigitur, & cum eo viam præbente porosque opacos aperiente, radios suos invisibiliter huc atque illuc ad exteriora effundit. Nec quidem mirum hoc est, cum mens illa sit æctus, immediatè à Deo promanans, cui, ut cum *Psalmissa Regio* loquar, *tenebre non sunt tenebre sed nox ei tam est clara quàm ipsa dies.* Atque hic radius Dei est quati diviniæ ejus sapientiæ scintilla, sine qua non est possibile, ut anima humana de rebus manifestis judicet, quæ ante oculos sunt, multò minùs de illis, quæ in cælo. Sed hujus rei veritatem ex sequenti *Sapientis* sermone *Sap. 9. 15.* apertè videre licet: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficilia æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt invenimus cum labore: quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum tuum sanctum de altissimis, &c.* Necessè est ergo, ut scintilla radii divini, homini inclusa, ab alto reficiatur, cujus copia regeneratio fiat atque perfecta inter mentem auctam & Spiritum intermedium unio. Hinc prophetia, & rerum in partibus remotis gestarum præfagium; Unde soliti fuerunt *Propheta* quasi *visores* appellari. Hinc etiam somniorum veritas, rectaque rerum per visiones explicatio; quoniam virtute splendoris istius spiritualis & invisibilis, duarum inferiorum portionum radiis uniti, tota animæ

animæ humanæ vis non aliter emittitur è corpore humano, quam lux & radii Solis visibiles ex corpore solari, ita ut quis in *Anglia* manens radium animæ suæ tanquam nuncium, aut *Romam*, aut ad *Indos*, aut aliò, & vel hoc ipso etiam instanti, sine impedimento mittere possit, ita quidem ut ipse voluntate præeunte, oculis contemplationis, qui quidem sunt verè spirituales, illa videre & meditari valeat in partibus longinquis, quæ nos oculis corporeis in proximis & vicinis locis contuemur. Imò verò, quod amplius, anima unius, per radiationes & aspectus, animam alterius procul dubio ore spirituali alloqui potest & solet, non minùs quàm lux unius candelæ potest conferri & jungi radiis lucis alterius: sed propter corporalis nostræ compositionis stupiditatem nos hæc mysteria discernere, aut percipere non possumus: Unde fit, ut sensu obtuso & hebetè hæc intuentes, frivola ea atque impossibilia pronunciemus, meramque stultitiam & vanitatem appellemus. Et tamen percipimus oculis apertis, flammam ex ligno opaco ardente exilientem, lumine suo omnia nocte nigra illustrare, spiritumque medium seu aërem sua præsentia movere, & candelam accensam proportionè debita imagines in charta delineatas circumducere, & procul dubio susurrationem quandam cum humido suæ lucis medio seu vehiculo habere, prout strepitum colligere possumus, quem flamma cum aëre miscet; sed quoniam grossis nostris auribus talia audire, aut saltem audita intelligere negatur, prorsus ea stultè rejicimus, cum, teste *Salomone* omnium sapientissimo, in loco superiùs allegato, *anima mentis secreta percipere non possit, nisi adsit illuminatio ab alto*. Atqui nos persuadere nobis non possumus res ullas verè esse, nisi videamus eas, & cum *Thoma* illa non credimus, quæ non tetigimus. Nonne ex radiorum Planetarum & stellarum applicationibus, videlicet ex sextili, quadrato, trinove aspectu, similiter ex oppositione & conjunctione mirabiles in hæc inferiora effectus infundi, quotidiana experientia edocemur, ac si esset quædam luminis cum lumine de rebus, quæ in terra actæ fuerunt, vel de præsentia aguntur, consultatio: At stulti exertissimè solent clamare hæc deridendo; Quid nobis cum cælo & stellis? Ingrati homines, qui suorum parentum cognitionem & agnitionem respuunt, & impudenter rejiciunt, rebelles contra Deum Creatorem suum, præstantissimum machinæ ejus ornamentum nullius usus, & penitus inane esse existimantes. Quid denique est vestra corporalis locutio, nisi proportionalis mentis discursus, instrumento corporali per sonum & tonum sensibilem ita expressus, ut corpora aliorum, mediantibus eorum animabus, mentis locutoris intentionem intelligere queant, nec corpus tales sonos recipiens ea distinguere potest sine sua anima rationali? Anne igitur vultis, ut hujus sermonis intentio sit ab anima, tanquam motore, vel ab instrumento? Ratione igitur indignissimus erit censendus, qui animarum communicationem negaverit, cum lucis sint longè subtiliores, excellentiores & rationabiliores, quàm lumina seu ignes, qui vivaciter in hæc inferiora agere observantur, imò verò luminum & radiorum stellarium actus (aspectus admirabiles & prægnantes facientes) multis gradibus superant animæ lucis, quatenus mentem producere habent; imò quidem etiam anima humana in eo Angelis æquiparanda est, quorum communicationem & discursum intuitivum ad invicem, nec ullus Philosophorum, nec Theologorum, cum idem istud in prophetia Danielis & alibi inveniatur, negabit. Quibus exactè consideratis luculenter apparebit, animas humanas inter se, alias cum aliis, virtute radii divini communicationem & irradiationem sive aspectum similem, qualem non habent nonnulla stellarum cælestium lumina cum luminibus aliarum stellarum, & quod ipsæ ad invicem susurrum spiritualem, seu discursum intuitivum miscere dignoscantur, non minus quam ipsi Angeli, qui suo more ad invicem loquuntur. Hinc etiam oritur mirabilis animæ humanæ potestas in re Geomantica, videlicet in furti detectio-

ne, & de morte aut vita alicujus longè distantis, declaratione. *Quemadmodum ego ipse quondam Oxoniis degens à Domino Cox quodam amico meo interrogatus de fratris ejus in Hibernia bellum sequentis scilicet militantis, valetudine, virtute anima mea, pacata & non perturbata, sed ad hoc negotium omninò intentæ manum meam tali modo gubernatam vidi, ut facta punctorum projectione & figura Geomantica constructa, per animæ meæ informationem indicarem fratrem ejus in bello fuisse peremptum, atque vulnere à tergo confossum, quod quidem uti prædixi, eventus docuit. Nam telo per dorsum trajecto vulneratus, & tandem inde mortuus fuerat. Sed quoniam de admirabili hujus scientiæ operatione suo loco alibi tractabimus, ubi eam verissimam animæ scientiam esse declarabimus, hoc loco illa omitemus. Cæterùm accidit etiam nonnunquam, impedito quadantenus isto animarum aspectu, vel per nimiam ab invicem distantiam, vel etiam per illuminationis divinæ defectum & debilitatem, ut ipsæ animæ aliquantisper relinquunt corpora sua quasi mortua atque evolent, quousque eis per radiationem anima personæ absentis, de cujus salute aut negotio agitur, occurrat; quemadmodum solet frequenter illis in *Biarmia* evenire, quorum mentionem facit *Olaus Magnus* in sua Historia; quod videlicet, cum quis ipsos adit, ut de statu amici procul absentis eos consulat soleant duo hujus conditionis & farina homines in conclave quoddam ingredi, & quod illic foribus occlusis, alter eorum, serpentem æneam manu una tractans, & altera marculum tenens, serpentem istud marculo suo, mussitationibus magicis intermixtis percutiat: Quo factò, de repente alter, veluti privatus anima, in terram concidit, & deinde post bonam temporis intercapedinem, revertente in corpus ejus anima, ad pristinam vitæ suæ sanitatem & integritatem rediens, surgit, & statum ac valetudinem personæ in remotissimis locis degentis reverà narrat. In *Chronicis* etiam Gallicis invenimus, quod Rex quidam, nomine *Gontranus*, in venatione fortè fortuna à venatorum societate digressus, & unico tantum amico comitatus sub magna quadam arbore defessus recubaverit, & tandem capite in gremium istius comitis sui reclinato, placide obdormiverit: Interea temporis dormiente rege hic ejus comes percepit animalculum quoddam ex ore Regis egredi valde tenue, & ex aère vix visibiliconflatum; Cujus ille motionem & viam diligenter observans, deprehendit illud versus parvum quendam torrentem deproperare, & anxie ibi transitum quarere per tutum aliquem vadum locum. Ipse igitur surgens gladiumq; suum evaginans, illum utriusque ripæ imposuit, atque ita quasi pontem aliquem stravit; per què in continenti animal istud ad ulteriorem aqua partem properavit, & in foramen sub montis pedem ingrediens, ibi non diu manens, per eandem viam rediit, & in corpus Regis iterum est ingressum. Accidit autem, ut *Gontranus* ultro experges factus narraret huic comiti suo, omnia ea sibi in somnio occurrisse, quæ comes iste regius in animalculo seu animalis quasi idea viderat; videlicet indicavit, se per somnium valde fuisse in transeundo flumine turbatum, & tandem invento ponte ferreo securè transivisse vadum, atque tum in speluncam quandam sub monte immenso ingressum, invenisse ibi thesaurum incomparabilem: Unde, audita comitis sui de animalculo relatione, per speluncam in montem ingressus est, & thesaurum ibi ingentem adinvenit. Verùm enim verò, ut Spiritus supremus suas impressiones divinas fortiter in animam humanam infundit, ibi his majora perficiuntur; & quidem etiam non egredientibus è corpore, animæ viribus, sed integrè manentibus. Sic *Divus Paulus* se in tertium cælum raptum fuisse fatetur: sic Prophetæ sancti secreta aliorum etiam in longè distitis locis percipere, & oculis quasi mentis, seu animi divini radiis, veluti sancto quodam splendore & charitate videre consueverunt, quemadmodum in multis sacrarum Scripturarum locis uberrimè demonstratur.*

C A P. X.

Quòd mentis, ex illapsi divini Spiritus afflatu, illuminatio, sit caussa prophetia.

Vaticinium sive Prophetia, juxta veterum Philosophorum opiniones, est, qua homines ordinis vitæ, sanctioris perciti, tum rerum presentium causas eliciunt, tum futurarum etiam eventus prævident. Volueruntque Sapientes hanc oraculi virtutem vel à Diis vel à Dæmonibus in homines descendere, quippe à quibus spiritum hunc divinum afflatum atque infusum tradiderunt. Quorum quidem sententia à verbis sacrarum Scripturarum non multum discrepare videtur. Nam Deuteronom. 13. 1. hæc scribuntur: *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, &c. non audies verba illius Prophetæ vel somniatoris, quia vos tentat Dominus Deus vester.* Similiter: *Qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine aliorum Deorum, interficietur.* Deuter. 18. 22. Unde constat, quod per Deos Philosophi Ethnici intellexerint idem, quod sacra Biblia per Jehovam, seu personas in Trinitate, seu Deum unicum, solum & verum: & per Dæmones idem, quod Scripturæ sacræ per Deos alienos. Et tamen videmus etiam, intelligentias illas talia portenta edere non posse, nisi permissione divina cum à Deo, tanquam à summo fonte, omnis spiritus divinus affluat & non aliunde. Unde dixit Jehova: *Non audietis verba somniatoris seu Prophetæ, quoniam vos tentat Deus vester; ac si dixisset; Ministros suos excitavit ad vos tentandos.* Nam ipse Satan contra Dei permissionem nihil potest, ut in historia Jobi declaratur, & per hæc verba Prophetæ Michæ, 3. Reg. 22. *Vidi Dominum sedentem supra solium suum, & omnem exercitum cæli ei assistentem supra solium suum à dextris & à sinistris, & ait Jehova: Quis decipiet Achab Regem Israël, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galhad? Et dixit unus verba hujusmodi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum, &c. Egrediar, & ero mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Jehova: Exeas, decipies enim & prævalebis, &c.* Unde manifestum redditur, quod prophetiæ nullæ absq; Dei permissione fieri possint, & quod spiritus Prophetiæ procedat vel immediatè ab ipso Deo, vel mediatè ab aliqua intelligentiarum seu spirituum ejus; qui itidem agunt vel spiritu mendaci ad punitionem peccatorum, vel spiritu prodigia & signa vera nonnunquam producente ad tentationem Sed prophetiæ omnes à Deo immediatè procedentes semper veræ sunt & infallibiles, quoniam *nullum ex verbis Dei in terram vanè cadere potest.* Unde 1. Samuel 10. 5. *Propheta fidelis signum est, cum nullus ex sermonibus ejus cadit ad terram.* Et Deuter. 18. 22. *Si Propheta in nomine Jehovæ prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* Sed his relictis ad institutum redeamus. Vaticinatio hæc fit secundum Platonicos propter superiorum animorum in nostros descensum seu influentiam, quam illapsiones vocant. Et Merc. Trismegist. eam vocat *Dæmonum sensus & Dæmonum animos*, quos Eurideas & Pythones veteres dixerunt, hominum ingredi corpora solitos & eorum uti vocibus ac linguis ad futurorum prædictiones: Hujusmodi fuerunt fœminæ illæ *Pythone*, quæ Spiritu divino percitæ & extra se quasi raptæ, ac supra oraculi tripodem, juxta antrum situm, stantes, oracula Apollinis, propheticomore, voce audaci proferebant, quemadmodum apud Diodorum Siculum & alios legitur: Hujusmodi spiritu possessas fuisse decem illas *Sibyllas* testantur auctores, quæ multa de Deo Christo carminibus scripta post se reliquisse feruntur. Et *Merlinus* ille *Angliæ decus sempiternum*, cujus simili

lem Europa nunquam ulla ætate produxit, virtute hujus spiritus divini, multa expressit mirabilia, atque de rebus Angliæ futuris more mirabili propheta vit, non ope & virtute Diaboli, ut stulti referunt, sed Spiritu vero; quippe qui verissimo Prophetæ argumento supra designato præditus fuit; quoniam scilicet nulum quasi ex verbis ejus cecidit in terram. Prophetarum enim verorum verba à Deo disponuntur, imò verò Spiritus Dei in Prophetas ingrediens, eorum linguis & vocibus, tanquam instrumentis seu organis ad suam voluntatem futuram hominibus publicandam, utitur. Atq; hinc est, quod Propheta non potest transgredi præstitutum Jehovah, faciens rem bonã vel malam, ut *Num. 24. 13.* habetur. Nã *Propheta illud facit, quod edixit ei Jehova, & nihil præterea. Nũ. 22. 2. & 20.* Quod autem *Platonici* dixerunt, vaticinium fieri spirituum seu animorum illapſionibus & descensu in animos nostros, hoc idem quoq; confirmare videntur sacra Scripturæ multis in locis: Nam de *Balaamo* dictum est; *Adfuit ei spiritus Jehovah viro scilicet aperto oculis, qui visionem Omnipotentis vidit excidens, sed reiectus oculis,* id est, donato luce spiritus divini. *Et excidens,* hoc est, extra se raptus, excidentibus sensuum facultatibus: quæ ratio est videndi visiones Dei. Sciendum est igitur, quod juxta Philosophos, tria sint vaticinationis genera, triplici Spiritus divini in homine actione diversa distincta: videlicet *Furore, Raptus* seu *Ecstasis;* sub qua visio comprehenditur & somnium. Atque hoc idem ex sacris *Num. 12.* colligimus; ubi declaratur, quod *Prophetis se notum facit Jehova, aut per visionem, aut per somnium eos alloquendo;* prout etiam exemplis infinitis sacrarum Scripturarum illud comprobatur. Similiter Prophetas illos pellit iste Spiritus infano atque furioso, quoad nos, more. Nam legitur *1. Sam. 19. 24. de Saule: Exuens autem ille vestes suas Prophetico more agebat; ipse coram Samuele itaque excidit nudatus tota die & tota nocte.* Similiter ad ampliorem Spiritus Dei illapſionis probationem dixit *Samuel ad Saül 1. Sam. 10. 5. Et diruet Spiritus Jehovah super te, ut Prophetes cũ iis, & mutaberis in virum alium.* Per multos etiam alios locos ex sacris literis hinc demonstrare possemus Spiritus sancti descensum & infusionem in viros vitæ piæ, sed quoniam illi neminem in sacris bene versatum latent, hoc loco eos prætermittendos censemus, ut ad intentionem nostram properemus. Illa igitur, quæ jam dicta sunt, posuimus nostri discursus fundamentum, quò melius possimus secundum intentionem nostram explicare mentis divinæ in hominibus potestatem & immensam ejus cum Spiritu Jehovah familiaritatem, atque ita demum producere rationem prophetiæ & veræ rerum futurarum prædictionis. Atqui prophetiam veram solo Spiritus divini beneficio fieri & provenire docemur *Num. 11. 25.* Quod etiã prophetiæ per ænigmata & similitudinem nobis Deum exposuerint colligimus, *Num. 12. 7.* Quomodo autem hæc fiant, breviter pro captu ingenii nostri explicabimus. *Mercurius* dicit, *mentem esse ipsius Dei essentiam,* seu ab essentia Dei nequaquam divisam, sed illi potius eo modo connexam, quo Solis corpori lumen. Imò verò dicit, hanc mentem in hominibus ipsum Deum esse, atque idcirco ex hominum numero quosdam esse Deos, eorumque humanitatem divinitati quàm proximam existere; non multum scilicet in eo discrepans ab *Esaie* Prophetæ opinione, cujus verba sunt hujusmodi: *Annunciate nobis, que futura sunt, & dicemus, quia Dii estis vos.* *Divus Paulus* etiam, cum *Xisto Philosopho* conveniens, *animam vocat Dei templum.* Et *Platonici* dixerunt, Spiritus seu animos Deorum descendere in animos hominum; ac si dixissent, radium divinum seu mentem aut Spiritum sacrosanctum (quem *Mercurius* vocavit *Deum ignis & Spiritus numen;* atque alibi, *spiritum intellectualem,* & alibi, *spiritum igneum,* cujus spiritus divini flatu primum mundi mobile vehi atque circumduci asserit) in animam humanam descendere, & se ipsum cum mente ab eadem stirpe derivata conjungere. Qua quidem superiorum connexionem & unionem, anima ita illustratur fulgore

gore divino, ut ex se quasi rapta hominem reddat alium, quàm fuit antè, juxta illa superiùs allegata *Samuëlis* verba: *Et mutaberis in aliam virum*. Videmus quidem communi experimento, quod solaris virtus ovi testam, spiritu seu rore Majorali repletam, sursum elevare possit: Quantò magis igitur poterit hic splendor illustrans spiritum humanum, cranii testæ inclusum, spiritualibus suis radiis in altum elevare? cùm tanta sit hujus numinis divini efficacia, ut hominis oculos, lapsu Adami clausos, reddat apertos & habiles ac idoneos ad videndam visionem Omnipotentis, atque ita aures ejus spirituales dilatando, reddat eum capace[m] verbi, ita ut *audire possit & intelligere sermones Dei fortis & noscere notionem Excelsi*, ut Num. 24. 15. 16. Est enim talis anima, juxta *Mercurii sermonem Pimand 11. mente Deoq[ue] plena, quam Platonici reverà stantem & non cadentem vocaverunt*. Sed per pauci sunt, inquit *Mercurius Trismegistus, qui hujusmodi mentem lustrore exuberantem adepti sunt*. Nam cùm mens hujusmodi influit in sanctam animam, extollit illam ad vera sapientiæ lumen, ut ipse testatur *Pimand. 10.* Et alibi inquit: *Quicumque hac natura divina fulsi sunt, secundum operum comparationem pro mortalibus immortales habentur, intelligentia suarum cuncta complectuntur, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & si quid est præter ea supra cælum, atque adeò seipso erigunt, ut ipsum quoque bonum intueantur Pimand. 4.* Et quod amplius est, præterita & futura ac præsentia longè à nobis distantia in speculo hoc divino virtute luminis illustrantis cernimus. Hinc dixit *Balaam* Num. 24. 17. *Video illud, non tamen nunc; contemplor illud, sed tamen non propinquum, &c.* Præterea etiam præsentia hac divinâ fiunt, & eduntur multa miracula à Prophetis; Unde innuere videtur *Jamblicus*, quod divinitus afflati non vivant ipsa vita animali seu naturali, sed quod totus eorum actus sit ipsius Dei, à Deo simpliciter dependens, & à Deo peractus in mente vel anima simpliciter, ut in instrumentis ab omni motu proprio vacantibus: Atque hanc esse rationem asserit, quod multi ex Prophetis admoto igne non uruntur, ignem videlicet repellente Deo intus afflante: Cujus quidem verba etiam sacris Scripturis in historia *Schadrach, Mesach & Habednego* confirmantur *Dan. 3.* Nonnulli etiam, quamvis comburantur, nihil tamen sentiunt, nec pungentia percipiunt, nec rodentia, vel ulla tormenta. Præterea concludit, Prophetarum actiones non esse humanas, quoniam per invia vadunt. Sic *Petrus* portam carceris clausam penetravit. *Christus* ambulavit super undis maris. *Moses* per ignem in præsentiam Dei ferebatur: Et *Elias* igneo curru in cælum elevatus est: *Moses* per mare rubrum, *Josua & Elias* per flumen Jordanum transiverunt mirabiliter. Quæ etiam omnia *Jamblicus* narrat *sacerdotem in Cataballis egisse*. Quibus arguere videtur, Prophetas tempore eo, quo inspirati sunt, nec vitam humanam vivere, nec animalem sensibus impetuque utentem, sed divinam, & quod anima eorum otietur, quoniam Deum ibi esse dicit pro anima & movere, tanquam animam excellentiorem. Sed his *Jamblici* rationibus astipulari penitusque adhærere non possumus: quin potius animam humanam in homine inspirato ita se habere, & tali ferè motu movere putamus, quali Planetæ ab ortu versus occasum motu naturali dicuntur. Namque ut primum mobile, teste *Merc. Trismeg.* raptim Spiritus divini flatu fertur ab oriente versus occidentem, & tamen motus stellarum naturalis ab occasu in ortum non tollitur seu extinguitur; sic etiam res sese habet in Microcosmo, numinis divini afflatu concitato. Etenim Spiritus divinus procul dubio, menti quasi primo mobili conjunctus, raptò quodam motu rotat mole[m] humanam; ita quidem ut Microcosmus totus videatur taliter moveri, & circumduci atque agitari hoc motu raptò, qualiter totus Macrocosmus ad motum primi mobilis circumrotatur; dum tamen interim nihilominus in Macrocosmo sphæræ planetariæ, & in Microcosmo anima media, quæ est de natura stellarum, suo motu proprio movere dignoscuntur, licet propter violentiam

contrariæ cogitationis apud nos haudquaquam movere percipiuntur. Mens igitur seu Spiritus divinus internus, cum spiritu divino externo & divinitus infuso conjunctus, hominis sphaeram intellectualem movet contra motum sphaeræ animalis, quæ ab anima media ducitur; atque ita, licet anima quiescere videatur, motu tamen suo proprio movetur; sed Spiritus cum mente Dominium habens, tum super animam, tum super corpus, rapit totum hominem viventem ad visionis divinæ contemplationem, ipsamque animam unit secum, statumque humanum ad tempus relinquere facit, & divinitati eam connectit, secundum illum *Samuelis* sermonem supra allegatum: *Et mutaberis in alium virum, quam fuisti antea, &c.* Videmus etiam, quod candela accensa, & solaribus radiis exposita propter gloriosum Solis splendorem videatur virtutem suam penitus amittere, ita quidem, ut lux ejus, quasi submersa Solis gloriâ & claritate oculis humanis non appareat, dum tamen reverà tale lumen est, quale erat antea, & in actione ac virtute sua non diminuitur, sed potius calor & actus ejus virtute Solis exaltatur. Sic etiam res sese habet cum anima inspirata. Nam si secundum *Jamblici* sententiam anima humana cum mente omninò ab actione vacaret, aut etiam in corpore penitus quiesceret, necessaria utique consequentia corpus illud discedente rursus spiritu isto divinitus infuso, maneret inanimatum, aut totaliter etiam actionis virtute orbarum, quoniam lucis & actus primi proprietates est, ut vel semper agat, vel etiam, ubi non agit, esse desinat. Imò verò potius sequitur, quod majoris actus & splendoris præsentia & illustratione agat, atque adeò promptius etiam, quoniam vis unita solet esse fortior. Proinde contra hæc *Jamblici* rationes, necesse est, ut Prophetæ inspirati actio non solum procedat à Deo seu Spiritu divino, in eum extraordinariè infuso, sed ut etiam ipsa anima cum mente, quasi rapta Spiritus divini præsentia, motu naturæ incognito, corporique alieno & non solito concitetur. Unde nulla hujus motionis ratio ab anima & sensu percipitur, animæque potestates sursum evectæ, inferiorum obliviscuntur, & superiora Dei mysteria, sensu intellectuali raptæ, contemplantur. Pia ergo anima mentem ad se allicit, mensque pium suum vehiculum amplectens, & splendore divino illud fovens, magnetica suæ divinitatis virtute radios ad se divinos, divino Spiritu refertissimos attrahit, ut eorum pulchritudine, & dotibus animam illam pro merito remuneretur, atque ad viam cœlestem à terrena deducat, juxta illud *Merc. Trismeg.* dictum *Pimand.* 10. *Anima bona, cum omnia habuerit virtutis pietatisque, mandata, certè aut Deus aut mens efficitur.* Hic igitur diligenter observare debemus, quòd miraculosa Prophetarum opera non fiant aliqua virtute vel stellarum vel illius portionis animæ humanæ, quæ ab iis derivatur, ut nec ab ipso corpore, sed mera & libera Dei potestate. At, si quis fortè dixerit, animam mediam posse causam esse immediatam hujusce virtutis seu muneris divini, demonstrabimus argumento inviolabili, rem aliter sese habere. Nam, cum hæc animæ mediæ portio, unico homine comprehensa, & caduco corpore obumbrata sit, impossibile est, ut habeat ad divinum opus potentiam aut virtutem satis efficacem. Unde patet, quòd, si quis sit divinitus inspiratus, sequatur exinde, eum habere beneficium divinum, illustratione sancta de super influente, per quam & actionis Dei videtur esse particeps. Nam si opera divina essent ab anima, sequeretur, animam esse naturâ & virtute propria compotem sapientiæ & divinitatis; & per consequens, etiam omnem aliam animam habere eandem divinitatis proprietatem. Atqui omnis anima longè à tali virtute abesse dignoscitur. Nam, quæ perfecta videtur esse anima, illa respectu divinorum est adhuc imperfecta. *Quare non anima* (ore *Jamblici* jam mihi uti liceat) *ut prima motrix, sed divinitas est causa promovens ad divina opera.* Quod quidem nisi esset, frustranea foret religio, quoniam absque Dei cultu compotes essemus divino-

rum operum, si scilicet opera divina ab animæ mediæ virtute immediatè protrahantur. Ex his igitur constat secundùm nostram intentionem, quod animæ humanæ portio media omnem suam vim & essentiam acceperit à luce intellectuali; quemadmodum medii cœli lux suam decus accepit à luce externa cœli empyrei; quæ & ipsa suam gloriam à splendidissimo unitatis fonte mutuata est. Et per consequens certum est ipsam suum bonum à mente & cœlo spirituali accepisse. De hoc autem subjecto verba plura hoc loco non faciemus, quoniam de *Vaticinio Tractatum integrum inferius publicare constituimus.*

C A P. XI.

Quomodo homines virtute mentis illuminatæ, seu inspiratione divina, non modò res in longinquis & distitis locis actas percipere, sed etiam secretas hominum procul absentium susurrationses intelligere, & mira atque ineffabilia præstare possint?

Virtute mentis divinitus inspiratæ, vel spiritus divini ab alto emissi & menti humanæ uniti possibile est omnia omninò miracula, quæ cor humanum concipere, aut imaginari ulla ratione potest, perficere & expedire, quoniam omnes virtutes seu potestates, quæ in mûndo ejusque creaturis reperiuntur, in Spiritu sancto comprehenduntur, & in eo manent. Hinc igitur miraculosæ illæ Vatum seu Prophetarum operationes, quarum respectu illi in Scripturis sanctis appellantur *viri aperti & relecti oculis. Num. 24.* Et communiter *Videntes* dicti sunt, sic *1. Samuel. 9. 9. Eamus ad Videntem.* Et ibidem. *Estne illic Videns.* Similiter, quod viri hujusmodi Dei seu divino Spiritu afflati appellantur *Videntes. 1. Chron. 19. 29. & 2. Chron. 12. 15. &c.* Nec mirum, cum non modò futura prævideant (unde inquit *Balaam Num. 24. Video illud non tamen nunc; contemplor illud, non tamen propinquum*) sed etiam præsentia, quæ in remotissimis & longè distitis locis aguntur, sic *Jahaziel* de longè Ammonitas & Moabitas in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruël, castra sua posuisse aperte conspexit, regemque *Josaphat* & totam Judæam admonuit, ut contra eos ascenderent & pugnarent. *2. Chron. 20.* Similiter *Elizæus* secreta regis Syriæ, contra Israëllem pugnantis, detexit; imò quidem vidit eorum actiones, & cognovit eorum consilia, quemamodù legitur *4. Reg. 6.* Atque hæc omnia & infinita alia miracula præstiterunt virtute & assistentia Spiritus divini, in cujus splendore, oculos eorum dirigente, res gestas in distitis locis conspexerunt, & mediantè Spiritu castissimo & politissimo, etiam voces & sermones atque consilia hominum in remotis ab illis locis degentium, non secus, ac si in propinquo essent, audiverunt & intellexerunt. • Ea sanè, quæ impossibilia videri non possunt illis, qui seipsos rectè cognoscunt. Nam qui hominis interni virtutem ritè considerabit, utpote ex anima media, tanquam subjecto, & ex mente, tanquam forma divina constituti, percipiet, virtute mentis posse res adhuc magis arduas ad optatum finem perducere, cum ejus potestas tam latè sit expansa, ut etiam Spiritus illam comprehendere nequeat, sed ubique & in omni loco adest, & tamen est incomprehensibilis, quatenus est de essentia Dei. Hinc ergo *Merc Trismeg. dicit, hominem hac Dei natura fultum, intelligentia sua cuncta complecti, qua in terra sunt, & qua in mari & si quid est, præter ea supra cælum, atque ad eò seipsum erigere, ut ipsum quoque bonum intuea-*

tur. Nam videmus in communi experientia, quod si mentis nostræ aciem convertamus Romam, in continenti nobis, ut vel maximè etiam quoad externum hominem in Anglia maneamus, offerat sese persona, & locus vel res antea illic coram nobis acta, ita, ut de subito, & quasi in ictu oculi eam contueamur, &c. Atque sic etiam in locis quibusque remotissimis, videlicet in Judæa, &c. Imò verò simplicem humanæ mentis radium contemplatione teria ad ipsum Deum erigimus. Quid ergo perficiet hæc admirabilis essentia, si illustretur divino Spiritu, à quo, tanquam Dei radio, prius promanavit. Sed profectò corpus humanum tam lethale & præstigiolum est animæ sine hujus gratiæ divini influxu, ut, quæ videntur animæ, non sint, & quæ revera sunt, ei non videantur. Unde fit, ut totus homo non illuminatus tali Spiritu, rapiatur fallaciis. Imò verò quilibet sensus exterior, circa propria objecta fallitur: multò magis igitur interior, qui carnis umbraculo circumquaque tegitur. Idque videtur *Proclus* confirmare hisce verbis: *Materia, inquit ille, omnia habere videtur, cum nihil reverà possideat.* Hinc fit, ut homines carnales sint ita diffidentes & increduli, eaque prorsus negent, quæ sensui non sunt subjecta, deridentes philosophiæ, internam hominis naturam describentis, veritatem, & ipsos naturæ mysticæ ac spiritualis scrutatores. Neque enim, quæ non viderunt, aut cum *D. Thoma* tetigerunt, ulla ratione admittere volunt. Nam ut homines Spiritus divini præsentia illuminati solummodò spiritualia respiciunt, corporalia autem omnia, pro falsis & nugatoriis ea habendo, aspernantur, sic etiam vice versa, homines mundani & circa sensum duntaxat occupati spiritualia pro chimæris & præstigiis habere solènt, corporalia verò & sensibilia pro infallibilibus, atque ita decipiuntur. Cujus certè rei rationem luculenter nobis declarat *Salomon. Sap. 9.* his verbis: *Cogitationes mortalium timida & incerta pro providentia nostrâ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam & terrena habitatio deprimis sensum multa cogitantem & difficilia æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam & miseris Spiritum tuum sanctum ab altissimis, &c.* Ex quibus patet, quod homo externus non possit fieri internus, nisi divina illuminatione illustretur. Unde ex dictis in *1. epist. Job.* percipimus *alium esse filium mundi, & alium filium Dei, & quod filius Dei non debeat mundum aut tenebrosos ejus actus percipere, quoniam mundus non cognoscit Dei filios aut ejus actus.* At verò nunc rationem adducemus, cur inspirati virtute & præsentia Spiritus divini, ejusque conjunctione & unione cum mente hominis interni possint hominum non præsentium voces & susurrationses secretas elicere & percipere. Spiritus sanctus disciplinæ, licet ubique per orbem universum se expandat, omnibusque rebus virtutem, motum, actionem, sonumque & ipsam vocem tribuat; non tamen suo auxilio omnibus adest potenter, sed solis iis, quibus Deus eum ex clementia sua abundanter concedit. Nam in nonnullis simpliciter adest ad vitæ functionem, aliis duplici proportione & nonnullis triplici, &c. Unde varia oriuntur Spiritus illius dona à *Divo Paulo* recitata. Hic, inquam, Spiritus sacrosanctus abundanter à Deo in nonnullos inspiratus, hominem, in quem effunditur, voces quælibet animalium pro placito audire & intelligere facit, eò quòd ipse est causa productionis sonorum vocalium: Unde, cum super Apostolos in forma ignis cecidisset, ipsos reddit in qualibet lingua peritos: Narratque *Philostratus* Apollonium Tyaneum virtute quadam divina avium garritum & loquelam seu vocum istarum significationem intellexisse. Imò verò hic Spiritus divinus, spiritum universum gubernans, & per ejus membra universa expansus, narrat homini, in quo habitat, & quasi resonat ei easdem voces & tonos, qui in locis remotioribus audiuntur: Nec quidem impossibile hoc videbitur sapienti, cum ipse *Apostolus*

Paulus

*Paulus, se virtute istius Spiritus raptum fuisse dicat, in cælum tertium; ubi se mirabilia vidisse, & verba ineffabilia audivisse fatetur. Videmus etiam familiari exemplo, quod flamma ignis accensi nocturno tempore longè lateque videatur; idque in constanti & è vestigio fieri novimus sine ulla mediæ resistantia. Docemur etiam experientia in filo, in longum aërem protenso, quod si unica ejus extremitas percutiatur, altera etiam opposita ad illius ictum vibret. Sic etiam superior chordæ musicæ fortiter intensæ pars unica percussa totam chordam resonare fonosque edere faciet. Quid ergo præstare non poterit lumen luminum, & spiritus spirituum vivacitate sua divina, tam in multiplicatione unius vocis per infinitum aëris spatium ab uno ad alium, quam in visione rei per remotam locorum distitorum distantiam? Hæc omnia paucissimis verbis innuere videtur Sapiens. Sapient. 1. hujusmodi sermone: *Benignus est Spiritus sapientia, & non liberabit maledictum à labiis suis, quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus & linguæ ejus auditor; quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis; propter quod, qui loquitur iniqua non potest latere, &c.* His igitur consideratis evidens est, quòd, cui Spiritus divini præsentia copiosè conceditur, illi & vocis & visionis scientia detur, secundum illud Num 24. 15 *Balaam auditor sermonis Dei fortis, & noscens notionem excelsi, visionem Omnipotentis videt excidens, sed reiectus oculis, &c.* De aliis etiam miraculis ex hujus Spiritus illuminatione dimanantibus, multa passim in sacrosancta Scriptura legere & percipere licet; quæ omnia hoc loco recitare lectori, forsitan tædiosum foret & supervacaneum videretur.*

V T R A.





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R V I I I .

De Microcosmicæ animæ mediæ actu in corpore.

C A P. I.

*De animæ vitalis cum spiritus sui ætherei proprietatibus
in corpore humano.*



Uenam sit portio hæc mundana, animæ humanæ medium constituens, *in libro hujus primo* apertè & luculenter explicavimus; videlicet, quòd in se considerata, sit quasi scintilla lucis animæ mundi à sphæra æqualitatis descendens; quam mundi animam, radium mundanum, naturam rerum, actum secundum, quintam essentiam, vitæque animatorum originem appellavimus; & id quidem, quatenus per se in sua natura, & absque mentis, aut animæ sensitivæ admixtione consideratur. At verò quatenus est media portio per se, tã in mundi universalis, quã humanæ animæ cõpositione, eatenus, rectè à *Merc. Trismeg. Pimand. 12.* definitur esse vita mentis vacua, & secundum esse suum dividitur in materiam, quæ est spiritus purus, & formam, quæ est lux in eo Spiritu, tanquam vehiculo, vecta, & in illum, tanquam in proprium suum passivum, indefinenter agens. Unde forma seu lux illa propriè à Philosophis calidum animati innatum dicitur, & Spiritus hic æthereus humidum radicale vocatur. Hæc duo essentialiter juncta vitam constituunt, & proinde, authore Porphyrio, non moriuntur; atque eorum sola virtute & præsentia quatuor elementa in compositione tanta justitia librantur, & Spiritus hujus ignei vinculis ita ad invicem concordi pace connectuntur, & ad vitales ac symphoniacas motiones ordinantur, ut vita animalis & plantæ, imò & ipsius mineralis compactissimi hinc procreetur. Vinculorum ergò animæ istius violatio totalis mortem & dissolutionem inducit; partialis verò morbum & ægritudinem; utpote quæ nihil aliud est, quàm relaxatio vinculorum harmoniæ cœlestis, & dissensio unius elementi effrænatis ac rebellis adversus suos socios natura ei inconvenientes; de quibus post-
eà

ea. Rationem verò, cur hæc anima in corpus humanum voluntate divina infundatur, duplicem esse demonstrarunt Sapientes. Priorem scilicet respectu mentis, quæ est animæ portio superior. Unde *Merc. Trismeg. Pimand. 10. Quoniam terrea sæx mentem adeò divinam suscipere, atque tantum numen partibili confirmatum corpore sustinere nequit, assumpsit mens animam, veluti amictum; quin etiam anima, divina existens, vehiculo Spiritus utitur, Spiritusq; animal totum percurrit, &c.* Atque hanc ob causam à *Paulo & Xisto Philosopho* anima hæc non ineptè *templum Dei* appellatur, ut antea dictum est. Vice versa ipsam animam pro labore & officio ejus benedicto infinitis modis remuneratur mens, quatenus illa in hac suum summum bonum habet. Nam anima hæc mente Deoque plena fuit in homine ab origine, ut testatur *Mercurius Trismegistus*, cum sacris Scripturis in hoc conveniens. Hinc evenit, ut, sicuti anima secundum seipsam est causa vitæ, sic etiam mens cum ipsa conjuncta, ipsaque ei firmiter adhærens, sit causa vitæ piæ, sanctæ, honestæ & beatæ, quæ est vitæ æternæ initium. Atque inde *Merc. Trismeg. Pimand. 10.* utitur his verbis: *Anima humana, non omnis, sed pia beatq; divina.* Et alibi: *Anima bona, cum omnia subierit virtutis pietatisq; mandata, certè Deus aut mens efficitur.* Præterea anima per mentis præsentiam acquirit scientiam; per acquisitam scientiam ipsi menti seu intellectui similis evadit, ut testatur *Proclus de anima.* Hinc est secundum *Merc. Trismeg. quod anima menti unita dicitur stans & non cadens.* Atque *Jamblicus* etiam peroptimè animæ corpori inclusæ impotentiam explicat his verbis, ubi simul etiam infinitam illam utilitatem, ex mentis præsentia actui animæ obedientem, indicare & ostendere videtur. Anima humana in una specie comprehensa est, & caduco corpore nimium obumbrata, ideò nullum habet ad divinum opus potentiam efficacem. Si quando verò videmur tale aliquid quodammodò posse, solùm id agimus illustratione divina de super influente; per quam & actionis divinæ videmur esse participes: Atque alibi hujus rei iteratò mentionem facit in hæc verba: *Quoniam, inquit ille, anima, qua perfecta videtur, ad divina adhuc est imperfecta.* Non enim anima, sed divinitas est ipsa causa operum divinorum; alioquin non esset ad hæc religio necessaria, sed absque Dei cultu compotes essemus operum divinorum, si hæc ipsa animæ fierent potestate. Quibus, ut mihi quidem videtur, evidentissimè demonstravit, mentem primò omnium requiri ad animæ humanæ compositionem, & deinde ipsam animam mediam ab ea suum summum bonum acquirere: nam aliàs supervacanea esset oratio ad Deum pro gratia & illuminatione, si anima vitalis haberet illam proprietatem ex seipsa, atque sic etiam nulla inter hominem & brutum esset differentia. Denique remuneratio animæ quàm maxima est illa, quam à mente accipit, quòd in mentis virtute consistit ejus post mortem resurgendi potentia. Nam ut anima cum suo spiritu fuit in causa, ut mens in corpus descenderet, propter Spiritus ejus inclinationem ad res materiales; sic etiam mens est potestas illa, cujus pennis vivificis anima in suam sedem connaturalem exaltatur. Unde miserrima est illa anima, quæ, mentè negligens, corporali animæ adhæret; nam facta talis animæ & corporis dissolutione, mens fugit propriis alis sursum, & relinquit eam in luto terreno seu hylæ voragine obscuratam. Constat ergo, qualis sit merces seu præmium illud, quod anima media à mente divina accipit pro labore suo, quo eam natura sua instar vestimenti seu munitenti alicujus, mediante Spiritu, texit, & intactam à pessimo corpore conservavit. Restat igitur jam inquirendum, quodnam beneficium, aut qualem gratiam inferior animæ portio seu elementorum filia, aut anima sensitiva huic animæ mediæ soleat rependere pro ejus in se benevolentia, qua non modò cum Spiritu suo descendit, & vitam ac motum ei, corporique ejus secum attulit, sed etiam præterea excellentissimam illam gemmam supercoelestem deorsum

secum in eam vexit & introduxit. Hæc itaque, licet dispositione ei sit a ppositissima, tantò magis tamen ejus præsentia exaltatur, quantò magis valet animæ mediæ portionem ad se allicere, & per consequens tantò majori superbia inflatur, quantò eminentiorem victoriam obtinet ejus princeps (tenebrarum nempe) adversus lucis divinæ portionem, illic præsentem & principis luminis imaginem præ se ferentem: Hinc fit, ut infima illa animæ humanæ portio tentet primo loco deliciis & voluptatibus mundanis spiritum intermedium, quo deinceps possit tantò meliùs & faciliùs animam ejus, sollicitante ipsam hoc Spiritu, decipere. Nonne tentavit hac via serpens Evam, fœminam seu patientem, ut postea Adamum, virum seu agentem, circumveniret, in tantum quidem, ut etiam illi ambo inde sint Dei præsentia orbatî & privati? Nimirum hac ratione, humida Spiritus natura seu Eva, & lux cœli agens seu Adam, consentiendo animæ animalis seu sensitivæ consilio & adhærendo ei, perdiderunt mentis divinæ præsentiam. Hinc eorum infortunium & damnum; quod nunquam reparari aut refarciri potuisset, nisi copiosa illa mentis fugientis præsentia, quam à mundi Salvatore & mentis secundæ infusione, in qua Verbum Dei est, accepimus. Hinc ænigmatica nostra explicatio descriptæ voluptatis Paradisi aperta est, quam *Tractatu nostro Theologico-philosophico de Vita, Morte & Resurrectione* exposuimus. Namque Adami anima per copiosam mentis præsentiam ad sola superiora contemplanda propendebat: Ubi autem illa blanditiis animæ sensitivæ, & falsis ac malignis Diaboli instigationibus adhærere præligebat, ibi avolabat mentis portio, & quasi in locum ejus, mors succedebat; atque sic itidem quoque denuo, iterata mentis copiosa in hæc inferiora infusione, in qua Verbum est, hominis interni regeneratio, & tam interni, quàm externi resurrectio sequitur. Sed jam Philosophorum autoritatem producemus, loquentium de blanditiis & illecebris animæ sensitivæ seu idoli, & de incommodo quoque ejus lethali ac infelicitate ineffabili verba facientium. *Merc. Trismeg.* dicit, quòd anima, natura rerum bonique conscia, orbata oculis, corporeis sese passionibus implicet, & quòd necesse sit, ut mentis oculis circumspiciat, ne funditus pereat. Et alibi dicit, quòd anima impia & corpus amans, in natura propria remaneat, ac seipsam nimium cruciet. Et alibi: animam propter ejus à mente disjunctionem vocat non stantem sed cadentem; Sic etiam in suo *Pimand.* 10. asserit, quòd anima mentis præsentia destituta, nec agere quicquam nec dicere potis sit, dicitque hanc animam ab anima brutorum nullo modo differre. Hujusmodi igitur est carnalis & mundanæ animæ spes; hujusmodi animalis animæ stipendium, quòd vitali seu mediæ reddit pro descensu ejus è cœli; hujusmodi ejus receptio; hic hospitalitatis carnalis finis; hæc ejus divitiæ; quarum effectus nihil sunt aliud, quàm fraudes, mendacia, præstigiæ, illusiones & nihil certitudinis; cùm omnis veritas solummodò à mentis radiis & virtute dimanet, ac nullatenus aliunde proveniat. Et certè infelicissima fuit hæc animæ fors, qua, in hujusmodi obscuram hylæ abyssum descendendo, tanquam in diverforium & carcerem obscurum, ac à sua dignitate prorsus alienum, & quidem contra voluntatem suam, commigravit. Id quòd etiam fatetur *Jamblicus* hisce verbis: *Anima, que deorsum labitur, occurrit, trahens secum signa vinculorum atque pœnarum, materiâliumque Spirituum compositione se gravatam ostendit, turbationibusque materiæ dissimilibus occupatam.* Quam quidem *Jamblici* opinionem confirmare videtur sapiens. *Sap. 9.* loco supra allegato: *Corpus, inquit ille, quòd corrumpitur, aggravat animam & terrena habitatio premit sensum seu animum multa cogitantem, & vix possumus discernere ea que ante nos sunt.* Huic etiam, meo quidem judicio consona est *Platonis* & *Procli* opinio, quæ vult, quòd non sit naturale animis cum corporibus vitam degere, & in generatione versari, sed econtrà separari, & quòd immaterialis & incorporea vita potius sit animis consentanea; ajuntque, quòd
quando

quando in generatione versantur, similes sint hominibus pestilentem habitantibus regionem, & quòd, cum extra generationem vivunt, similes sint prata colentibus. Hæc ergo est ratio, propter quam *Proclus* in libro suo *de anim. formâs omnes in corpore agrotare affirmavit*. Atque eadem de causa quoque *Porphyrius* dixit, animam, quæ in se semper vigilantissima est in corpore dormire. Hinc etiam dixit *Synesius*, quòd *pars anima mundana gravi nexu sortita sit formâ, disjuncta à parentibus tenebrosam hausit oblivionem, cæcis sollicitudinibus terram admirata injucundam*. Quibus omnibus corporis perturbationibus cum inclusa anima affligatur, non est dubium, quin ejus descensus in corporeum hominis tabernaculum sit contra ejus naturam; non secus quàm ignis dispositio, qui semper sua proprietate superiora petit, cogitur nonnunquam violentia deorsum tendere. Unde ergo est innaturalis ista inter hæc duo extrema conjunctio? Certe à voluntate divina, ut tam inferiora, quàm superiora ditaret benedictionibus suis vivis; & præcipuè, *ut homo, ad Dei imaginem factus, tam inferiora, quàm superiora intueatur*. Nam animam mediam misit Conditor universalis in hominem ratione duplici: Primò videlicet, quoniam ut *Merc. Trismeg.* verbis utar, *neque terrea fœx mentem adeò divinam suscipere, neque tantum numen partiabili confirmatum corpore sustinere potuit. Assumpsit ergo mens animam velut amictum; quia etiam anima, existens divina, vehiculo spiritus utitur; Spiritus autem animal totum percurrit*. Secundam porrò rationem adducit *Merc. Trismeg. Pimand. 3.* *Anima, inquit ille, humana velata est carnis umbraculo, ad cælestium Deorum discursum suscipiendum, ad opera Dei & naturæ progressus, ad bonorum signa, ad potestatis divinæ cognitionem: portio quadam tributa est ad bonorum malorumque judicium, ac varium bonorum artificium invenendum, &c.* Ex quibus manifestū est, quòd anima in sua natura bona sit & utilissima ad hominis constitutionem. Imò verò est media illa natura in animæ humanæ compositione, sine qua duo ejus extrema adinvicem jungi nequeunt. Sed per carnis ad voluptates mundanas proclivitatem & præstigiosas partis sensitivæ illecebras decipitur; atque ita per nimiam corporis opaci obumbrationem tenebrosam, à parentibus disjuncta, haurit veritatis oblivionem, orbataque oculis, corporeis sese curis & passionibus implicat. Hinc *Merc. Trismeg. Pimand. 10.* *Cum compactum corpus animam in suam molem dispergit atque distrahit, tunc illa oblivioni subjicitur, pulchriq; & boni visione privatur. Oblivio autē ipsa improbitas est, &c.* Unde necessariò requiritur ad ejus salutem illustrationis divinæ assistentia, cum sine ea nihil boni aut sancti in hac vita producere queat. Beatus ergo, cujus anima menti divinæ firmè adhæret. Beata anima, quæ voracem hylæ vitans latratum & è terra emergens, saltu levi, mentis alis provecta, vestigia ad Deum dirigit. Beatus Spiritus, qui post corporis fatum & dissolutionem, post labores dueros, acerbisque curas terrenas, mentis vias ingressus, cacumen & altitudinem felicitatis videt divina luce refulgentem. Beatus ergo Spiritus cum anima, terque beatus, qui menti fidelissimus constansque perdurat ad finem, namque talis felicitatis poculum prælibabit, & de æterno immortalitatis fructu gustabit. Ne respicias igitur, ô anima mea, præstigiosa carnis & mundi blandimenta, lata te, secundum propriam tuam dispositionem, ad superiora erigas; sis igne communi nobilior, cujus est semper versus superiora tendere, ac inferiora contemnere & naturali instinctu averfari. Nam cum sis decorata & pulchra facta imagine & similitudine Dei, sponsata Spiritui per fidem, empta & redempta sanguine Christi, adjuncta ab Angelis, comes beatitudinis, hæres salvationis & particeps rationis, quid habes tu ad agendum cum carne, cum sensu & cum mundo? At verò jam de ratione, qua hæc anima cum mente & Spiritu in corpus ex luto conflatum, ingrediatur, paucis

agemus.


C A P. II.

Quomodo anima cum sua Domina Mente, mediante Spiritu aethereo, in corpus infundatur; & de actionum ejus faustarum, infaustarum & mixtarum ratione.

Mercur. Trismeg. asseveravit, quòd *Verbum in mentem, mens in rationem, ratio in animam, & anima in spiritum, atque hic in aërem, & deinde omnia, per mare aëreum deorsum subterlabentia, cum illo & in illo, tanquam ultimo vehiculo, in corpus transferantur.* Nos etiam quodammodò hoc idem probaremus, nisi mentem ipsum Verbi Dei radium putaremus. Nam teste *Divo Johanne, cap. 1. in ipso Verbo vita erat, & illa vita erat lux hominum, &c.* Unde cum Jehova protulisset verbū istud: *Fiat homo, &c.* transit lutum, manibus Dei præparatum in animal vivens, & virtute spiraculi, cum Verbo ab ore ejus egressi, productæ fuerunt omnes virtutes humanæ. Atque ita Adamus factus est animal rationale, discursu utens simul atque vivens. Neque enim credendum est illorum figmentis, qui artis pictoriæ periti, Deum in forma hominis externi depingentes, atque ita loco eum circumscribere non erubescunt, comminiscuntur, ipsum immediatè os suum lutosæ faciei Adami applicuisse: siquidem os atque membra Dei ubique pro placito ejus divino reperiuntur; imò verò ubique adsunt, & tamen nusquam circumscribuntur. Nam ipse Deus oculis intellectualibus, ubique videtur per univèrsum expansus, omnia sua præsentia implens, ita ut secundùm sacrarum Scripturarum doctrinā, *terra sit scabellum pedum ejus, atque cælum sit ei, quasi solium & thronus.* Unde, quicquid ipse loquitur in cælis, illud è vestigio & in ictu quasi oculi in terra immediatè completur. Dixit ergo in cælo sedens: *Fiat terra, & virtute Verbi firmata fuit terra, & id quidem in continenti.* Dixit etiam: *Fiat homo,* locutus ita è cælis sanctis: & defubito atque in instanti factum est, quod præcepit; nam Verbi impressio spiraculum vitæ per ejus nares infudit, &c. Ut autem mundus dicitur imago Dei atque triplex regionum ejus distinctio triplici personarum Trinitatis proprietati refertur; unde & primum in creatione locum habuerunt, sicut in *Tractatu nostro Microcosmico* dictum est; sic etiam homo, qui est imago mundi, & per consequens imago Dei, hoc divino & deiformi afflatu accepit. Nactus est ergo homo immediatè ad suam existentiam virtutem Verbi atque Spiritus Creatoris; & per consequens particeps est essentiæ divinæ, non minus, quàm ipse mundus particeps est Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas: Accepit etiam portionem à visibili Jehovæ Creatoris folio seu throno, videlicet à cælo: quippe à quo animam suam vivificam est adeptus: Ab elementis etiam, in quorum regione scabellum pedum Jehovæ ponitur, accepit puritatem formalem, ex qua ejus idolum seu pars sensitiva fit: atque tandem à terra seu centro totius machinæ vendicavit sibi lutosum seu externum & opacum sui interni diverforii subjectum. Sic itaque Jehova non aliter inspiravit in Microcosmum spiraculum vitæ sexto creationis die, quo ipse conditus fuit, quam in Macrocosmum die primo. Constat igitur, quòd Verbum à Deo loquente ad hominis divini animalis creationem, quasi verus supersubstantialis radius emissus & Spiritu sacrosancto stipatum, ac deorsum tendens per Spiritus intelle-

ctualis

ctualis expansum, pro vehiculo secum rapuerit ejus portionem, & quòd deinceps in medio cœlo ab ejus luce & Spiritu receptum, & cum illis ulterius in aërem regionis elementaris profiliens, ad postremum in Adami nares intraverit, atque ita ad centrum usque penetrans, cujuslibet mundanæ regionis portionem, pro levitate vel gravitate ejus, in corporis humani regiones introduxerit, eamque in illo mirum in modum disposuerit. Atque sanè experimento infra descripto edocemur, quod necesse sit, ut mens cum suo vehiculo supremam Microcosmi regionem possideat, cum ejus in Macrocosmo locus sit cœlum empyreum; & ut itidem quoque pars formalis, videlicet anima media cum Spiritu æthereo, media hominis regione fruatur, videlicet thorace, ad exemplum illud, quo Sol cum suo Spiritu mediam mundi regionem sibi vindicat; atque demum, ut pars sensitiva, igneæ sphaeræ contigua, infimum Microcosmi ventrem occupet, uti elementa possident locum mundi inferiorem. Experimentum autem illud est tale. Impleatur aqua pars vitri quarta, cui artificialiter superinfunde vinum rubrum, ita ut superinnatet aquæ, uti fieri potest mediante crusta panis, atque ita capiat vinum istud secundam vitri quartam, deinde suaviter ei arte of-funde optimum Spiritum vini, ut itidem ille superinnatet vino priori, & impleat ea ratione tertiam vitri quartam, quo facto accendatur Spiritus iste, ut ardeat: Ita hoc experimento demonstrabitur, qualiter ætherea natura natet super aëre seu elementari, uti vinum super aqua, atque tum postea, qua ratione natura empyrea superinnatet æthereæ & Spiritus denique igneus empyreæ, ut in demonstratione sequenti.



Ex hisce igitur colligendum est, quomodo hæ naturæ in homine se habeant, videlicet Spiritus empyreus in cerebello, Spiritus igneus & intellectua-
lis seu mens in cerebri apice juxta piam matrem, ubi Spiritus æthereus in mini-
ma quantitate reperitur, ut in cono pyramidis materialis dictum est. Vinum in
sua natura Spiritui & luci æthereæ refertur, quòd natat super aqua seu aëre mū-
dano. Atque hoc vinum aptissimè Spiritui arteriali potest comparari, cujus te-
nuior

nuior pars est Spiritus vini, regionem empyream constituens, crassior verò pars est phlegma seu aquea substantia, aëri & aquæ seu sphaeræ humiditatis in cœlo infimo æquiparata. Ex quibus evidentissimè apparet, quòd cœli ætherei Spiritus participet de natura cœli tum inferioris, tum superioris tam in mundo quàm in homine. Atque hæc est ratio illa infallibilis, qua exactè docemur, quòd cœli empyrei natura sit ita contiguitate ac quasi continuitate conjuncta cum natura cœli ætherei, respectu Spiritus, ut aër cum aqua; & quòd tali nexu æther aëri connectatur, quali aqua terræ; atque iterum Spiritus empyreus ad mentis radios se habet, ut aër ad ignem, atque mens ad Spiritum, ut ignis ad aërem, vel æther ad ignem. Hinc igitur luculenter constat, qualis sit partium hominem interiorum constituentium positio in ejus externo: videlicet, quòd mens cum ratione in capite, tanquam in cœlo empyreo seu sede sua naturali commoretur, & quidem etiam vendicantibus sibi illic locum superiorem radiis mentis. Deinde, quòd anima cum Spiritu æthereo cor in medio ventre tanquam orbem solarem inhabitet; Et quòd denique Spiritus aëreus cum anima animali ventrem infimum pro sua statione naturali eligat, ubi hepate pro suo diversorio seu laboratorio utitur. Spiritus rationalis actum dat sensibus, vires suas invisibiles per organa nervorum in universum corpus diffundens; ita ut cum ratione & judicio res videre, audire, palpare, gustare & olfacere possimus. Anima virtutis cum suo Spiritu medietatem Microcosmi, non aliter quàm Sol cœli visibilis centrum possidens, per arterias sursum & deorsum radios vitæ universaliter per hominem externum transmittit, ut eorum virtute vivere atque movere possit. Anima animalis seu idolum, aut virtus aërea, ex elementorū formis conflata, & virtutē suam, partim ab elementis accipiens, partim superiorum officia sibi usurpans, in hepate agit & operatur, ut chyli alimentum in sanguinem ad usum suum transmutet, quem sursum etiam & deorsum per venas in universam suam machinā corpoream ad partes compositionis elementaris in suo statu integro conservandas effundit & dispergit. Contigua ergo est mens rationi; quare omnes operationes gubernat. Contiguus Spiritus rationalis Spiritui æthereo; & proinde per radios utriusque naturæ agunt: nam arteriæ communicant cum nervis & nervi cum arteriis: ac præterea etiam arteriarum ramusculus cerebrum obtegens, recte ibi admirabile constituit: rami verò nervorum admirabiles sunt, & mentis veram sedem arguunt. Nam ut Deus in cœli altitudine sedens, est omnium rerum radix & unitas deorsum solummodò in mundum radios sui actus infundens, rationemque & vitam ac sensum creaturis tribuens; Sic etiam ipsa mens in culmine Microcosmi posita, est radix omnium nervorum, quorum rami deorsum solummodò decurrunt, ut inferiora rationis & sensus moderatione reficiant. Etenim Deus in Macrocosmo & radius essentiae ejus in Microcosmo non emittens sursum ab essentia sua radios, tanquam ab eorum radice, arguit, quòd nihil sit rerum, quas creavit Conditor supra ipsius existentiam, non magis, quàm numerus potest ultra unitatem retrogredi. Inferiores ergo Spiritus sunt quasi subditi superiorum, quorum omnium Rex atque Imperator est mens; Cui si anima in medio regnans fuerit obediens & fidelis, felicissima erit hæc Respublica, sin rebellis, infelicissima, & anima ista pro sua inobedientia luet pœnas. Hinc fit, ut mentis radii per Spiritum intellectualem terribiles sint animæ rebellis; gratiosi verò & amabiles obedienti. Nam rebeli animæ curas, tristitiam, timorem, diffidentiam, desperationem, iracundiam, rabiem, odium, gulam, ebrietatem & hujusmodi alia afferre solent; dum è converso obedienti gaudium, lætitiā, audaciam in veritate, fidem, spem, patientiam, mansuetudinem, amorem spiritualem, temperantiam, & id genus alia inducere animadvertuntur. Quomodò autem hoc sese habeat, breviter ita accipiatis: *Galenus de loc.*

loc. aff. & diff. symptom. Et Avicenn. prima primi doct. 6. Et Galen. 2. differ. respirat. cap. 5. & 6. & secundo de motu muscul. cap. 6. Similiter de symptomatum diff. cap. 3. & de puls. diff. 1. Et Avicenn. secunda primi doct. 3. summ. 2 c. 1. 2 3. 4. Et Conciliator 82. Et Avicenn. de Med. cord. cap. 7. ac multi alii Medici in eo convenientes scriptis suis tradiderunt, actionem hominis interni esse aut voluntariam & animale, aut involuntariam: Illâ homo aut tempus aliquod respirat, agit, fingit, aut semper; unde agunt sensus, ut Visus, Auditus Odoratus, Gustus, Tactus: quæ motio actiuosa dicitur & princeps, imaginationem, ratiocinationem & memoratiorem comprehendens. Involuntariam autem in Vitalem diviserunt & Naturalem. Hic obiter observandum erit, quod regio superior, propter mentis & rationis præsentiam imperet, atque instar Dei prohibitu, hoc est, voluntariè agat. At verò actionem regionis vitalis uti & naturalis, quam animale & idolum supra nuncupavimus, involuntariam esse percipimus, & quasi à potestate superiori vel numine excelsiori gubernatam. Ex dictis igitur autoribus colligimus, quod actio involuntaria vitalis consistat, vel in cordis dilatatione tantum, unde lætitia, spes, confidentia, amor, misericordia, humanitas; vel in cordis dilatatione & contractione simul; unde pulsus motio, in systole & dyastole consistens; vel in cordis contractione tantum; unde tristitia, desperatio, metus, odium, invidia, ira, furor, pudor, & huiusmodi alia procedunt. O viri Christiani, respiciatis, obsecro, quàm propinquè hi Medici, Ethnici & Philosophi ad veritatis umbram appropinquaverint! Quid enim meliùs & rectiùs per ea depingere potuissent, quàm illam nostram de creatione opinionem & intentionem? Nam in primis actionem vitalem, in media hominis regione sitam atque radicatam, & similiter quoque naturalem, in ventre infimo collocatam, involuntarias esse percipimus, hoc est, ex ordinatione & dispositione potestatis superioris dependere: Deinde in regione media, utpote in cujus corde seu medietate vita consistit, aperte videmus actiones trium mundi regionum; quatenus in cordis dilatatione nascitur lætitia, spes, amor, confidentia, misericordia, humanitas & consimiles sanctæ animæ actiones, quæ mentis & Dei dona infallibilia esse dignoscuntur, ac proinde denotant animæ obedientiam, & ejus cum mente societatem, communicationem, amicitiam & fidelitatem. Quantum enim gaudium & lætiam, qualem fidem & confidentiam, & quàm ineffabilem amorem, misericordiam & humanitatem Deus sanctis atque bonis animabus infundat, copiosè declarât Scripturæ sacræ, *Merc. Trismeg.* assertionem multipliciter confirmantes. Hinc lubens illa & parata ac prompta propugnaculi vitæ dilatatio, ut benedictiones à Deo & mente ejus immittas, cum gaudio excipiat: Non enim timet Dei actiones, quas semper sibi salutare deprehendit, sed eas avidè, tanquam summa sua bona, appetit & appetendo accipit. Nam experientia docemur, nihil perturbationis aut mali animæ posse accidere, ubi prædicta Dei & mentis dona reperiuntur. Talis ergo erat actio Adami, in Paradiso adhuc viventis; Etenim donis & beneficiis mentis impletum erat cor ejus, semperque ad actiones divinas & superiores suscipiendas apertum atque dilatatum: Unde & ostia seu portæ in suprema cordis parte reperiuntur, significantes, quod corde super vitæ beneficium & gaudium expectet: Atqui Adam post suam inobedientiam ab hac voluptate exquisita exclusus fuit; nimirum gaudiis supremi cœli, quatenus cum cognitione mali communicavit, privatus fuit; Unde jam summam suam voluntatem habet à cœlo medio, utpote cujus natura est, de utroque extremo participare, videlicet de bonitate regionis summæ, & de malitia regionis infimæ. Nam quatenus ejus natura componitur ex dispositione & proprietate utriusque extremi; videlicet ex luce formali & spiritu materiali, eatenus fit, ut cor

istius regionis agat partim dilatatione, & partim contractione: Unde pulsus oritur, in cujus motione materia contrahit, forma autem dilatat, hinc systole & diastole. Atque per hujus actionem involuntariam anima cum suo Spiritu, partim donis à Spiritu empyreo & mente desuper infusis, partim autem malignis tenebrarum vaporibus, sursum alis perturbationum & litigii vectis afficitur. Hinc vitæ humanæ inæqualitas, modò læta, modò tristis, modò spe affecta, modò desperatione afflictæ, jam amore capta, jam invidia infecta, nunc misericors, nunc crudelitati & rabiei immerfa, nunc mansueta & subito ac quasi in instanti perturbata. Nonne etiam percipimus, easdem cœli medii proprietates, eosdemque effectus nobis ab alto, fatali quodam modo infundi? Sanè ita Joviales & Venereas atque Solares influentias ut plurimum bonas, Saturninas verò & Martiales plerumque tristes, feroces atque infaustas nobis esse, quàm sæpissimè per experientiam Astrologicam edocemur. Illa denique actio involuntaria vitalis, quæ consistit in cordis contractione, miserabilis est & infelix animæ mediam Murocolmi regionem incolenti. Nam per hanc ipsam anima illa, jam tum à felicitate regionis supremæ ad statum mediocrem delapsa, ulterius adhuc dejicitur ad infimam infortunii abyssum, quippe quæ omnem spem & solatium à suprema regione accipiens, in tenebrarum voragine submergitur. Nam quoniam animam sensitivam magis respicit, quàm animam rationalem & mentem, ideò à mente & ratione perfecta deseritur: unde curis, dubiis, tristitia, desperatione, metu, odio, iracundia, pudore & dolore opprimitur, nihilque præterquam hylæ tenebrose latratum horrendum invenit, omniaque ei tremenda videntur, quoniam veræ rationis oculis privatur, mentisque luce illustrante destituitur. Non tamen horribilia ista percipit, nisi demum, ubi in voluptatem sensitivam ventris inferioris lapsa, diu in ea, mentem & supercœlestia negligendo, hæsit, & tandem in memoriam redit loci, ortus & originis suæ, videns, se quasi laqueis materialibus captam esse, ita ut extricare se ab illis sine mentis divinæ penis & auxilio non possit. Ita enim animadvertit tandem, se per inobedientiam suam neglexisse mentem. Hinc dolor, hinc lachrymæ; hinc apud eam suspicio & timor assiduus, ne propugnaculum suum brevi invadatur & destruat; hinc frequentes ejus contractiones, atque assiduæ & omni ratione carentes passionnes ac perturbationes. Sed clamabunt nonnulli ratione destituti, quomodò sit possibile, ut hoc fiat; Et cum omnia ista sint in natura, dicent; ostendas nobis rationem hujus rei naturalem, quò meliùs hæc ita se habere intelligamus, & ne hæc tuas rationes profus rejiciamus. Quibus etiam incredulis respondemus, quòd, sicuti Sol mundi, in cœli centro positus radios suos mediante Spiritu tam sursum quàm deorsum ejaculatur, adeoque etiam radii ejus desuper profilientes gratia divina sunt refertissimi, quibus vitam in inferiora infundit, & verò etiam non fieret hoc ipsum, nisi magnetica quædam vis esset in sole, à creatione ei indita, ad talia præstanda, sicut etiam res sese habeat in illa animæ mundi mediæ portione (quæ ex sole est) in hominis thorace seu medio ventre sita: Nam si avide à superiori mente beneficia expectet, & pietatis magnete sibi bonum ab ea attrahat, faciliè & sine negotio, ejus dona ad inferiora ventris infimi defluent; atque dum rami ejus arteriales sursum tendentes Spiritu lucis exuberabunt, quoniam animæ natura sursum versus supremam regionem cum natura ignis spectat, atque motu suo superiora per appetitum quendam divinum captat; Atque tum inferiores ejus rami, aut sæculenta seu crassiori Spiritus vitalis latice replebuntur, aut magis vacui manebunt, cum præstantior eorum pars, gaudens mentis visione sursum jam aspiret.

aspiret. Atque tunc anima, si in hac actione sua constans fuerit, beatitudinem acquirat, secundum hanc *Mercur. Trismegist. sententiam Pimand. 10. Anima bona, cum omnia subierit virtutis pietatisque mandata, aut Deus aut mens efficitur.* Unde etiam ille talem animam alibi vocavit *animam stantem, & non cadentem.* Hæc ergo est anima illa, quam donis supra dictis, quibus propugnaculum ejus seu cor dilatatur, gaudere diximus. At verò vice versa, si contra divinæ naturæ constitutionem, hujus animæ vitalis radii & purior Spiritus illius latex, per inferiorem arteriarum ramum descendendo, blanditiis Spiritus seu animæ inferioris ventris auscultaverint, tunc ibi retinebuntur, carnisque illecebris venenatis inficientur; atque ita Spiritus impuriore in ramo arteriali, ratione gravitatis & situs sui cum malo & regione inferiori conspirantes, loco veræ quintæ essentiæ sursum elevabuntur; quos mentis radii propter ipsorum impuritatem fugiunt: Atque hac via radii animæ obscuriores, & deorsum aliàs naturaliter tendentes, jam sursum elevati eclipsin producant inter solem mentis, & lunam animæ in ventrem inferiorem delapte. Hoc est, ergo Microcosmi interioris chaos, cujus elementorum confusionem hîc oculis veris discernere possumus, & cujus irregularis dispositio non nisi sola illuminatione divina (cujus actibus etiam Dæmones obedire coguntur) ad concordiam reducitur. Hinc illæ animæ infirmitates & passiones, quas supra commemoravimus, videlicet tristitia, desperatio, metus, &c. De quo *Mercurius Trismegistus* loquitur *Pimand. 10.* quando dicit, *quòd anima impia in natura propria remaneat, ac seipsam nimium cruciet: Et alibi: Anima in corpus humanum delapsa, siquidem mala perseveraverit, non gustabit immortalitatis quicquam, necque bono etiam fruetur.* Hinc igitur oriuntur omnes terribiles melancholiæ effectus, à quibus ratio est aliena; hinc mania, Lysanthropia, insania, incubus, somnia pavorem excitantia, apparitiones vanæ, & id genus infinita; quæ omnia per unionem mentis cum anima in tenebras depelluntur, penitusque evanescent, & nihil aliud esse deprehenduntur, quàm præstigiæ & illusiones Diaboli sub tenebrarum velamine tectæ, quibus miserrima anima, nebulis tristitiæ submersa cruciatur, ut de Dei & mentis benignitate desperet. Habemus ergo hîc in Microcosmo omnes Macrocosmi regiones seu ventres. Atque ut in regione infima aër ubique ferè expansus est, & aqua caloris operatione subtiliatur ac vertitur in aërem, atque ex aëre subtili elicitur ignis, sic etiam videmus, quod in infimo hominis ventre, chylus ventriculi quem mari Macrocosmi comparavimus, virtute hepatis operantis fiat sanguis, & in aërem convertatur, videlicet in massam sanguineam, occultam naturam cæterorum elementorum in se habentem; cujus subtile seu ignea natura in cistam fellis detruditur; pars verò serosior deorsum effunditur, tanquam in locum infimum fontium, seu abyssum terræ, atque itidem quoque portio crassior parti illi, quæ terræ comparatur, nempe lieni, committitur. Similiter videmus, quod Spiritus vitales in corde, tanquam in domo sua & radice, in qua præparantur cibum suæ naturæ consimilem ab aëre externo eliciant, videlicet æthæream naturam, aëri invisibiliter inhaerentem, qua inspiratione tacita Spiritus vitales quotidie, & omni minuta, tanquam vitæ pabulo aluntur & reficiuntur, & nutriunt vincula illa membrorum corporis, quibus elementa concordia pace connectuntur, ne ob eorum defectum elementa, libertatem nacta, ad invicem discordent, atque ita vitæ concordia discordiis interrumpatur; unde aut morbi periculosi, aut mors & integra totius resolutio sequeretur. Spiritus etiam rationalis subtilissimum alimentum & quasi pabulum sibi simile accipit ab aëre attractotum per os & nare,

tum etiam subtili corporis inspiratione per tenues capitis meatus. Mens autem perpetuò immobilis & constans in sua natura manet, ut essentia illa super substantialis, à qua derivata est. Hinc igitur patet, quòd facultas naturalis cœli infimi agat ad nutritionem partium hominis sibi similibus, videlicet elementarium & corporalium: Unde constat, quòd partes solidæ ab ea nutriantur, & in eodem statu, sanguinis appositione, unione & assimilatione alantur & conferuntur. Ex hujus etiam laticis rubei undis cor sibi illud æthereum, quòd ei debetur, ad suum palatium per diapedesin attrahit. Similiter facultas vitalis, mediam regionem gubernans, calidum innatum cum humido radicali nutrire cognoscitur; quorum incremento vitales Spiritus uberius per universum corpus dispensantur, atque vincula elementorum inviolata conservantur. Facultates denique animales, proprio quodam nutrimento fortificatæ, sensum reddunt integrum, imaginationem promptam, memoriam felicem & musculorum motum ac actum, mediantibus organis nervorum efficaciorum. Mens autem in regione superiori semper ad patriam aciem suam dirigit, & perpetuò in supercœlestium meditationibus versatur, hominemque ad sublimia contemplanda allicit, atque ad Dei cognitionem, cultum, reverentiam & amorem, illum totum rapit; si anima se ei obedientem præbeat. Unde dicit *Proclus de anim.* quòd *anima per acquisitam scientiam ipsi menti seu intellectui similis evadat.* &c. Rationalis Spiritus has mentis ideas harmonia quadam insigni in animam bene dispositam per primæ regionis cribrum seu diaphragma ad secundam infundit; animaque his rationis influentiis inspirata, gaudet vehementer, & quasi rapta superiorum contemplatione, non respicit inferiora, nisi quasi officium ejus exigit, ut vitæ actiones in ea infundat. Anima naturalis seu infima hominis internæ pars, mundi concupiscentiis plena, tentat primò Spiritus ætherei appetitum blanditiis carnalibus, quoniam ipse est de materiæ elementaris natura, atque is deinceps, idoli illecebris deceptus, fallit ulterius ipsam animam, eamque secum ad inferiora trahit, atque ita ambo miserrimè decipiuntur. Nonne enim hoc idem Evæ & Adamo contigit? Illecebræ autem hujus animæ sensitivæ sunt amor corporis & mundanorum concupiscentiæ ac voluptates, quæ ab hepate oriuntur; Vindictæ, iracundiæ, ambitionis, contentionis & arrogantia laudes extollit cista fellis; Gulis & ebrietatis stimulis irritatur ventriculus; invidiæ dispositionem, atque vitam curis & sollicitudine plenam affert lien, animamque ad suum diverforium melancholicum invitat; carnis & coitus voluptate animam trahunt membra virilia, &c. His ergo, si media anima consentiatur, & in theatrum harum iniquitatum dilabatur, Spiritus quoque ratio coacta mendaxque facta, & à veritate mentis aberrans, rationibus rerum falsis pro veris utitur, ac res præstigiosas & fallaces fingit esse veras, atque ita anima ob ejus rebellionem miserè decipitur.

C A P. III.

*Quomodo anima media, quandoque immortalis, & quando
mortalis nuncupetur, & qua ratione in loco
esse dicatur.*

DE animæ immortalitate in *Tractatu nostro de Microcosmo lib. 4. cap. ultimo*, verba fecimus. Hic verò de ejus mortalitate, cum ejus immortalitatis ratione agere nobis proposuimus. Anima quidem reverà nunquam mori dicitur, quatenus est imago & similitudo Creatoris; imò quidem est ipsa Creatoris radii scintilla; Unde impossibile est, ut mortis termino claudatur; quippe quæ quatenus est Dei actus vitam, & esse suum nunquam amittere potest. Cæterum secundum quandam suam mobilitatem, qua potest vel melior vel deterior fieri, mortalis æstimanda est; Morti enim tum subjici existimatur, cum benè vivere perdit; quamvis tunc etiam immortalis dicatur, quatenus miserè vivere amittere non potest. Unde, si animæ animali cohæreat & carni, mundoque subjiatur, mori dicitur, hoc est, de felicitate in miseriam detrudi. At verò, si constanti contemplatione ementi affigitur, vivere & immortalitatis nomē acquirere, & feliciter obtinere putatur. Simili etiam modo, respectu incorporei Dei, corporea est, cum nihil invisibile & incorporeum naturā credendum sit præter solum Deum, id est, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, qui ex eo incorporeus & invisibilis dicitur, quod infinitus & minimè circumscriptus est, simplex, sibi & omnibus modis sufficiens in seipso, & cum ubique sit, in seipso invisibilis & incorporeus esse dignoscitur: Omnis verò rationalis creatura corporea est, hoc est, ex Spiritu, tanquam materia & luce, tanquam forma, conflata. Sic angelos & omnes virtutes corporales esse dicimus, licet non subsistant carne: Ex eo intellectualis naturas corporeas esse affirmamus, quod loco circumscribuntur; sicuti etiam anima humana, quæ carne clauditur, adeoque etiam exinde in loco & localis esse, dici potest: In loco scilicet, quoniam hîc & alibi præsens est; localis verò, quia, quod alicui præsens est, totum alibi non est. Non tamen habet anima corporalem dimensionem, nec corporalem circumscriptionem, quoniam corporalis quantitatis expers est; Sed quia per præsentiam & operationem concluditur, ipsamet localis dicitur; Veruntamen non sicut corpus, cui, secundum locum, principium, medium & finis assignatur. Respectu incorporeæ naturæ, quæ incommutabilis ubique est, corporea dicitur anima, quoniam tale aliquid non est ipsa, nec tamen per loci spatium sistitur vel movetur, ut majori sui parte majorem locum occupet, & breviori brevior, minorque sit in parte quàm in toto. Per omnes siquidem particulas corporis tota simul adest, nec minor in minoribus, nec major in majoribus, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Sicuti enim Deus est ubique in toto mundo, & in omni creatura sua, sic anima est ubique in toto corpore suo, tanquam in quodam suo mundo, Microcosmo nempe; Intensius tamen est in cerebro, quemadmodum Deus uberiùs esse dicitur in cælo empyreo, & ibi rationaliter agit; Similiter in corde, tanquam in Sole mundi ætherei; ubi efficaciter & vivaciter operatur; sicuti Deus dicitur esse in cælo. In membris verò cæteris totius corporis, prout digniora sunt vel indigniora, magis aut minùs remissa atque efficace esse percipiuntur. Ex his igitur videmus, quòd, quamdiu anima se in cælo

continet, de cœlesti felicitate gustare videatur, & ipsi Deo, à quo est, mirum in modum æquiparari, atque immortalì beatitudine Spiritum quasi haurire. At verò, si cum Lucifero deorsum in materiæ multitudinem se immergat, cœlùmque relinquendo, in inferiorem abyssum, superioribus minimè obediendo, eorumque ritus contemnendo se dejiciat, morte, hoc est, tenebris & sepulchro quasi oblivionis contegi ac cooperiri videbitur, atque ita à vitæ immortalis felicitate collapsa, respiciendo mortalem vitæ cœlestis felicitatem, mori atque mortalis fieri metaphorica locutione non insultè dicitur.

C A P. IV.

*Quòd spiraculum vitæ non modò hominibus, sed etiam brutis datum sit,
& de utriusque spiraculi differentia, similiter de
animarum creatione.*

Quoniam ex sacris Literis colligimus, quòd spiraculum illud vitæ non modò hominibus, sed etiam aliis animalibus datum sit (nam *Genes. 7.* ita legitur: *Univerſi homines & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, sunt mortua.* Et ibidem *cap. 6.* *Interficiam omnem carnem, in qua est Spiritus vitæ*) idcirco dubium oriri potest haud exiguum, quænam sit differentia inter vitæ spiraculum hominum & brutorum. Pro cuius dubii solutione intelligendum est, quòd *vita spiraculum* in creatione sit duplex: Primum videlicet collatum mundo ad complendam fabricæ ejus constitutionem, & à Jehova primo die in hylam inflatum, ut ex nihilo, seu nondum ipso actu existente, aliquid, imò omnia in actû produceret. Hinc mundum appellavit *Merc. Trismeg. Dei Filium, & Platonici omnes, Dei imaginem.* Ex hoc ergo spiraculo divino immediatè creatus est mundus & informatæ sunt aquæ, ex quibus juxta *Geneseos* doctrinam mundus fuit factus; *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas, &c.* Atque virtute hujus Spiritus vivifici & ignei, mundum informantis, omnes mundi creaturæ, veluti quodam afflatu mundi, à Deo tanquam radice sua profluente, mediatè *vita spiraculum* acceperunt; ita ut non ineptè dixerint *Platonici* cum *Merc. Trismeg.* in eo convenientes, quòd *Deus sit mundi Pater, mundus verò creaturarum omnium genitor.* Hoc est, Deus primum cum Verbo Spiritum suum vitæ inspiravit in mundum, cuius præsentiam mundus, & ejus creaturæ omnes suas virtutes tam vivificas, quàm alias acceperunt, juxta illud *Psalmistæ Regii. Verbo Domini firmati sunt cæli & Spiritu ab ore ejus omnes virtutes eorum.* Ex quibus constat, quòd bruta & vegetabilia & mineralia vitas suas à mundi anima immediatè acceperint, mundus autem suam vitam & spiritum suum ex afflatu Dei hauserit, & per consequens manifestatum est, quòd Spiritus vitæ elementaris mediatè, & non immediatè à Deo processerit, & quòd unicum illud spiraculum vitæ semel ad mundi existentiam in hylam principiò inflatum sufficiat ad continuandam virtutem creaturarum omnium usque ad ultimum PEREAT. At verò homo omnium animalium princeps, & exinde non minùs quàm ipse mundus, Dei imago & simulachrum appellatus, unde & *Microcosmi* nomen nactus est, hanc eandem gratiam à Creatore, ultimo creationis die adeptus est, quam mundus die primo. Nam eodem modo, quo Deus inspiravit in deformem & tenebrosam hylam ad mundi existentiam primo creationis die, eodem, inquam, modo idem spiraculum inspiravit Jehova in obscuram

tam hominis externi massam; idque non immediatè, videlicet uti cæteræ mundi creaturæ illud à mundo acceperunt, sed immediatè ab ipso Creatore factum est. Unde homo tam completus est in sua essentia, quàm ipse mundus: imò verò nulla est in mundo natura, quæ non reperiatur itidem in hac nobilissima creatura homine, quemadmodum supra luculenter explicavimus. Hinc igitur ut mihi quidem videtur, nullum potest relinqui dubium aut scrupulus in illa opinione, quæ asserit, animam ex traduce provenire. Namque, si primum vitæ spiraculum sufficit ad perpetuitatem mundi, & continuationem creaturarum ejus, quippe, ut *Psalmista* loquitur, à *Spiritu oris ejus procedunt omnes virtutes mundi & creaturarum ejus*; quidni sufficiat itidem secundum ejus spiraculum, ut præstet idem sine repetitione & renovatione in successione hominum, quòd primum in continuatione & præsertatione specierum in cæteris creaturis? Quare videtur contraria opinio potius derogare potestati Dei, quàm ei aliquid honoris addere; quatenus scilicet videtur arguere, Deum non fuisse tam fortem & potentem in fine suæ creationis, quàm fuit in principio: namque alias crederetur Spiritus ejus esse tam fortis in fine, quàm in principio, & per consequens idem præstare in Microcosmicæ speciei conservatione, quòd præstat in Macrocosmo & ejus creaturis. At verò, si unicus Dei afflatus hominum mortalium successionem continuare & conservare potest usque ad ultimum *PEREAT*, quid opus erit pluribus, cum, teste *Philosopho*, frustra fiat per plura, quod potest fieri per pauciora. His igitur consideratis videmus, primò quidem, quanta sit differentia inter spiraculum vitæ in brutis, & illud, quòd est in homine, videlicet, quod illud sit immediatè à mundo, unde & ratione manifesta destituitur; hoc verò immediatè à Deo, unde intellectu & ratione perspicua exornat hominem internum, sua nobilitate conjungens eum cum suo Creatore: Deinde videmus, quòd spiraculum divinum in homine nullo modo differat ab eo, quòd fuit mundo communicatum. Atqui unicum idemque mundi spiraculum sufficit ad perpetuandam semper speciem & virtutem mundi ac creaturarum ejus. Quare etiam spiraculum hominis itidem sufficiens erit ad continuandam speciem humanam, & per consequens non erit opus assidua animarum creatione: De hoc autem argumento plura non dicemus, quoniam supra de hujus dubii ratione satis apertè disceptavimus.

C A P. V.

De natura & gradibus diversis animæ in corpore, & de ratione & vigoris & fortitudinis corporis, ac de ratione differètiarum in speciebus creatis, & quomodo spiritus medius hominis à medio spiritu aliorum animalium differat?

SEquitur ex illis, quæ præcesserunt, quòd multi sint animarum inferiorum gradus, & quòd animæ humanæ dignitas cæteris omnibus sit anteposenda. Sed quoniam percipimus, unum hominem superare alium ingenii præstantia, animæque & rationis ubertate ac promptitudine, in alio autem deprehendimus præstantiores mediæ animæ effectus, quatenus scilicet vivacior & agilior est aliis; atque iterum alium corporis vigore robustiorem, & viribus potentiorum ac validiorem cernimus, necessarium esse putamus, hujus rei rationem diligenter perquirere. Sciendum igitur in primis est, quòd rationis & ingenii effectus à mentis & spiritus rationalis actu promanent. Unde fit, ut mentis scintilla fortificata & rationis radius multiplicatus in se, producat fortiores effectus,

fectus, reddens hominem ingenio acutiorem, ratione graviolem & contemplatione divina longè cæteris profundiolem, quoniam longiùs & fortiùs emittit radios suos invisibiles & spirituales. Unde evenit, ut animæ meditationes altius versus Dei solium elevet & extollat. Hinc dicit *Proclus de anima*: *Anima perfectiores ad inventionem sunt promptiores: imperfectiores verò magis externis indigent adminiculis: illa enim magis ex se mobiles sunt, minùsque deterioris natura participes; hæ verò minùs ipsa movent, magis sortem corpoream patientes. Hæ quoque quando perficiunt, à corpore videlicet resurgentes, seq̃ ipsas à materia colligentes, sæcundiores inventricèsque evadunt, protinus circa illa, in quibus antea erant steriles & ambigua, propter ignaviam ineptam vita à materia contingentem, sordidumq̃, torporem ex generatione contractum.* Per quæ *Proclus* videtur majores vel minores animæ rationalis effectus ascribere, non fortitudini aut debilitati ejus in sua essentia, sed potius bonæ malæve corporis seu opaci ejus velamenti dispositioni: quæ licet aliquid faciat ad adjumentum, vel impedimentũ, tanta tamè est mentis, spiritui rationali præfidentis, potestas in homine, ut si modò sit efficax & plena in sua actione, ejus influentiis resistere nullo modo possit corporis caligo & opacitas, quoniam splendor divinus in ipsis tenebras illuminat; imò verò *tenebra nō sunt tenebra ei, sed nox ei est tã clara, quam dies.* Præterea *verbum*, quod teste *Mercurio*, in mente est, *vita existit, & lux illuminans in tenebris, ipsaq̃, mens, quam Merc. Trismeg. Dei animam & essentiam vocat Pimand. 12. dominatur omnibus.* Copioso ergò hujus Spiritus afflatu & plenitudine fiunt ex hominibus simplicibus, prophetæ verissimi & divinissimi, ex pusillanimi animosissimus, & ex artis vel scientiæ ignaro peritissimus, si modò sacris Scripturis fidem aliquam adhibeamus. Et proinde sequitur, quòd corpus non sit mentis actionibus impedimento, sed quòd potius, aut ipsa, agere nolens in corpore maligno, vacare dicatur, aut etiam Spiritus ejus à Summo non sit auctus & multiplicatus. Hinc dicit *Mercurius*: *mentem non omnibus dari; Et alibi dicit, quòd omnibus detur, sed in aliquibus, nempe in malignis & impiis non omninò agat, vel vacet.* In aliis enim agit quidem, sed parcè, in bonis autem, piis atque regeneratis abundanter operatur, & illapsionibus in alio multiplicatur. Hinc igitur videmus, rationem varietatis in actionibus mentis, & quòd operationum ejus diversitas sit causa exaltationis & dejectionis in homine, cum intensior ipsius benevolentia seu plena præsentia reddat sapientem, ejus verò neglectus & absentia ignaros & à bestia non multum differentes. Ratio autem, cur unus homo sit alio agilior & vivacior, consistit in bona animæ mediæ dispositione, quæ quoniam inest tam animalibus irrationalibus, quam rationalibus, eisdem in quolibet animali profert effectus. Hinc animalis levitas in saltu, velocitas in cursu, facilitas in motu & vita. Atque hæc dispositio ut plurimum accidere solet etiam iis animalibus, quorum corporis membra non sunt valida, sed debilia: Unde liquet, quòd hæc animalis facultas oriatur à fonte mediæ regionis, videlicet à corde, in quo anima media seu vitalis & ætherea fovetur. Causam igitur majori vel minori animæ mediæ actioni præstat multitudo vel exiguitas radii mundani seu lucis secundariæ, aut animæ mediæ cœli, quæ etiam anima mundi dicitur. Atque hinc agnoscimus cum *Proclo*, quòd corpus multum facere possit ad impediendas operationes hujus animæ: quoniam hæc est illa animæ humanæ portio, quæ dicitur gravari fœce terrena & onerari carnis umbraculo. At verò hujus animæ affluens proportio invito corpore suos producit effectus, quemadmodum experimentis inferiùs descriptis luculenter demonstrabimus. Unum etiam animal ejusdem speciei differt ab alio corporis & membrorum robore. Nam hic homo, vel ille equus hoc vel illo fortior & validior est compositione. Qui quidem hominis seu animalis habitus non ab anima media, sed à facultate naturali seu infima, vel animæ animalis seu idoli natura procedit, cu-

jus est membra corporis in sua fortitudine & vigore conservare, partesque solidas, debilitate & macie consumptas, reddere validas atque robustas. Dispositio ergò fortior vel tenuior istius infimæ portiois animæ humanæ consistit in bono vel malo istius facultatis habitu. Nam bona hepatis constitutio bonum producit sanguinem & copiosum; & per consequens pabulum optimum subministrat membris, quo solidiora & robustiora fiant, mala verò malum, paucum & malè nutrientem generat sanguinem; atque ob hanc causam membra malè nutrit, debiliaque relinquit. Membrorum & corporis universi robur est vel animæ agili & vivæ junctum, vel segni & tarda gubernatum. Talis fuit in robore *Herculis, Caci & Antei* differentia. Talis in *Jovis & Titani* filii discrepantia. Hujusmodi in brutis differentia, distat mus à bufone, equus & cervus à bove, porcus à cane, testudo à fele, &c. Quæ omnes animæ portiois differentia procedunt à majori vel minori actus lucidi proportionem. Nam major lucis substantialis quantitas vivaciorem producit effectum; minor verò minorem; idque cernitur in diversis individuis ejusdem speciei. *Exempli gratiâ*, videmus, quod duplicata pulveris bombardici portio multiplicet vim tormenti bellici expultricem; ac per consequens onus globi ferrei vel plumbei altius vel remotius ferre dignoscitur.



Hinc etiam oritur omnium in quolibet animalium & plantarum genere specierum differentia. Nam ut infinita quasi puncta numerantur inter terminum à quo, ad quem, sic etiam infinitæ sunt animæ vitalis & naturalis proportionem atque gradus, quibus una species ab alia differre, & unum individuum ejusdem speciei ab altero discrepare animadvertitur. In hoc tamen differt graduum dispositio in diversis individuis ejusdem speciei ab illa diversarum specierum, quòd scintillæ animæ in individuis ejusdem speciei reperiuntur in majori quidem quantitate, sed in eodem spiritu; at verò in speciebus diversis differentia talis est, ut, sicuti differunt lucis natura & proportio, sic etiam dispositione spiritus, in quo anima illa natat & vehitur, dissentire videantur. Sic spiritus mineralium, qui est ex tenebris infimi cœli, differt à spiritu vegetabilium, qui est partim ex spiritu medio, & partim ex infimo: Unde vegetabilia mineralibus ortu & natura cognata sunt, sed eorum spiritus sunt diverfi. Sic etiam spiritus animalis vitæ est simpliciter à cœlo medio, & lux ejus vitalis etiam ejusdem conditionis: quemadmodum porrò quoque spiritus humanus partim est ex cœlo empyreo, utpote à quo ejus spiritus rationalis derivatus est, & partim ex cœlo æthereo, à quo spiritum suum vitæ accepit; prout etiam ejus lux mixta est cū spiritibus diversis, uti antea dictum est. Atq; hæc est causa varietatis in rebus creatis. Spiritus igitur

& lux in homine differt à spiritu & luce aliorum animalium non minùs, quàm spiritus vini inflammatus & ardens ab oleo & liquore in lampade accenso. Nam, ut ignis ex spiritu vini componitur ex spiritu partim aëreo & partim æthereo (unde tenuior ejus pars accensa non comburit) ignis verò lampadis retinet solummodò naturam aëream & magis crassam, ut rem inflammabilem comburat, sic etiam res sese habet in differentia inter utrasque illas animas; hominis scilicet & brutorum. Nam ut spiritus vini longè est oleo subtilior, & tamen ambo sunt spiritus; ita quoque spiritus utriusque speciei sunt ambo quidem spiritualis dispositionis, sed differunt raritate & puritate ut spiritus vini ab oleo, vel aër ab æthere, vel æther à spiritu intellectu.

C A P. IV.

Quòd anima humana per se unitatem amplectatur, respectu verò materiae inclinet ad multitudinem.

Anima humana per se in sua natura & origine unitatem amplectitur; quippe cujus princeps & summitas est ipsa mens, seu radius ipsius unitatis, unitati seu essentiae supernaturali ita connexus & continuus, ut radius Solis corpori ejusdem. Per mentem igitur erigitur media animae portio ad unitatem; uti videmus in natura ignis, qui sursum ascendens, angulum acutum facit, oculis corporeis visibilem, significans hoc ipso, quod alis spiritualibus ad conum pyramidis materialis ascendere vehementer tentet & appetat; quippe in extremo coni seu anguli uniformitas, & sola unitas invenitur. Præterea anima media, cum sit radius mundi, seu lux secundaria, vocatur etiam, ut testatur *Merc. Trismegistus*, mens secunda seu mentis primæ imago. Unde manifestum est, quod ejus unitas sit origo, à qua ejus actus scaturivit. Patet igitur, quod hominis interni portiones, quatenus formalis est in sua essentia, fontem suæ existentiae per se & naturali quasi instinctu respiciant: Sed ita factum est divina voluntate, ut cum *Proclo* loquamur, ut anima descendentem adnata sint ex mundo multiformes vitæ, vestesque variae, trahentes quidem ipsam in compositionem caducam. Id quod etiam *Jamblicus* sic confirmat: Anima, inquit, qua deorsum labitur, trahens secum signa vinculorum & pænarum, materialiumque spirituum, se gravatam ostendit, perturbationibusque materiae dissimilibus occupatam. Unde manifestum est, animæ substantiam de lapsam esse à statu unitatis in abyssum multitudinis, hoc est, à puritate simplici in foedam & immundam compositionem. Hinc dicit *Proclus*. Animæ in corpus descensus se junxit quidem illam à divinis animis, à quibus intelligentia & potestate simplicitate, puritateque implebatur. Conjunxit vero se generationi & naturæ, materialibusque rebus, à quibus oblivione & errore & ignorantia est imbuta. Quid autem sit unitas formalis & divina, & quomodo in se constans, immutabilis, indivisibilis, non multiplicanda existat, nec aliquid ab ea abstrahendum aut ei addendum, cum ipsa sit totum & sine ipsa nihil, in *Tractatu nostro de Numeris divinis & abstrusis* satis luculenter declaravimus. Quod autem materia, quò magis à cono suæ pyramidis versus ejus basin descendit, eò magis subinde magisque multiplicetur, quoniam deorsum tendendo grossior semper evadit, ita ut in superiori regione gradus ejus numero denario augmententur, in media autem centenario & in infima millenario, suo loco etiam antea in eodem *Tractatu* tam verbis quàm demonstratione viva delineavimus. Hinc ergo manifestum est, secundum *Procli* & *Jamblici* opiniones supra expressas, quod anima, quò magis deorsum, hoc est, versus pyramidis materialis basin tendit, eò magis multitudini materiae immergatur.

Multi-

Multitudo autem materiae, informari appetens, animam illam universalem & circa unitatem versantem, dividit in partes infinitas, easque dat cuilibet multitudinis membro: Hinc specierum & individuorum multitudo; hinc animae uniformis, in partes divisae, ignorantia, sui ipsius oblivio & errores; hinc eius existiusmodi captivitate mœstitia. Nam juxta *Proclum agrotant animae, atque delirant quasi in corpore humano*; vel ut *Porphyrus vult, perpetuò in corpore quasi dormiunt*. Ob hanc rationem dicit *Jamblicus, quòd animarum proprietates sit declinatio ad multitudinem, & motum generationis, licet per se, & in sua natura respiciant unitatem Deitatis, quae est permanens in seipsa, & tamen immobilis motionum causa*. Nam cum natura animae sit semper movere, quatenus est actus simplex, eatenus suo motu per accidens, mediante generatione, multitudinem producit. Etenim corpora animas includentia, easque oculis orbantia, solent animarum motus ad suos appetitus, qui circa multitudinem versantur, convertere. Atque hinc fit, ut animae in corporibus motio generationes & individuorum cujuslibet speciei incrementum producat. Hoc idem etiam evenit in corporibus humanis, formam nobilissimam includentibus, quorum solummodò est, virtute splendoris divini, animam cæteris creaturis magis exaltatam possidere; Unde fit, ut ipsa, quam vis in suo carcere vinculis spiritualibus ligata, nonnunquam tamen suae patriae reminiscatur, ejusque acies radiorum divinatorum pennis in altum aliquando eleveatur, secundum illud *Jamblici: Anima in mudo intelligibili audit harmoniam divinam, cujus hic reminiscitur, quando audit melodias, habentes divinae vestigiū; reminiscens verò ad eam vehemèter afficitur*. Similiter juxta *Synesium; inest etiam iis, qui huc delapsi sunt, in caelum revocans quadam vis, &c.* Imò verò sanctis hominibus, & quidè etiam in hac vita revelatur via, qua possit anima humana, relinquendo multitudinem, ad unitatem redire, quam *Mercurius* viam regenerationis vocat; videlicet spiritus divini afflatum & illapsionem. Atque etiam *Proclus* videtur modum quendam nobis depingere, quo à multitudine ad unitatem reverti possimus; videlicet scientiae acquisitionem: Unde dicit, *quod anima per acquisitam scientiam fiat menti similis, hoc est anima multitudinè, per scientiae virtutem & illuminationem, relinquendo, accedit ad unitatem*. Nam omnis multitudo tam diversa est in se, ut alia aliis in re qualibet contraria videantur. Unde opus erit, si ad unitatem, ubi nulla est contrarietas, ascendere velimus, ut ad scientiam veram nos conferamus, in qua multitudo contrarietatem habet nullam: Nam tametsi affectus affectibus contrarii sint, similiter sensus sensibus, cogitatio cogitationibus, & opinio opinionibus; nulla tamen scientia scientiae contraria reperitur. Etenim in scientia propositionum & notionum multitudinem congregamus in unum, scientiarum quoque numerum uno quodam vinculo connectimus; adeoque tantum abest, ut illa sibi ad invicem sint contraria, ut etiam notio notioni, scientiae inferiores superioribus ministrent, atque ita haec ex illis sua habeant exordia. Sic videmus quam plures Geometriae notiones unico Theoremati, ejusque demonstrationi conferre: sic puncta, lineas, angulos & superficies cum notionibus suis, corpori seu trinae dimensionis referri animadvertimus: Sic numerationem, additionem, subtractionem & multiplicationem inter se aliam ab alia dependere videmus, & ad divisionem ac radicis extractionem necessarias esse: sic etiam regulæ seu propositiones de sonis, tonis, semitonis, Diatessaron, Diapente, Diapason & notiones temporalium signorum proportionales designantes ad symphoniam unicam veritatem conducunt; Et licet tales notiones in multitudine sint, rem tamen unicam denotant, videlicet melodiam; Sic Arithmetica, Musica, Geometria & Optica Astrologicae veritatis cognitioni conducere percipimus. Non ergo contrarietas est ulla in scientiarum multitudine, cum conducant ad unitatem, sed in multitudine materiae, quae distrahit & vagatur semper

ac discedit ab unitate. Oportet igitur intellecta scientiarum multitudine, ab illis, quæ solummodò unum aliquod proponunt, ad ipsam unum deproperare. Quocirca deponantur compositiones, divisiones & multiplices discursus, atque ad intellectualem vitam & simplices contemplationes fiat transitus. Nam ut *Procli* verbis utar, *scientia non est summus cognitionum apex, sed eâ eminentior est intellectus, animæq; illustratio*: namque per solum intellectum fit, ut terminos, alterum nempe unitatis, & alterum multitudinis cognoscamus. Fugienda ergo est multitudo per gradus cognitionum suo ordine præcedentes: sed & procedemus deinceps quoque similiter per gradus cognoscibilium ad idem istud probandum. Sensibilia evitanda sunt omnia; quoniam congesta sunt & dividua ac penitus mutabilia. Ab his igitur ad essentiam incorpoream nos transferamus. Omne enim sensibile habet adventitiam unitatem, & per se ipsum est dispersum ac infirmitate plenum. Propterea & bonum ejus est partibile ac adventitium & à seipso distans ac dissidens, atque in sede residens aliena. Cùm verò ascenderimus illuc, & in corpore fuerimus collocati, conspiciemus animalem illum ordinem super corpora mobilem ex seipso, per se agentem, in se & ex se suam substantiam possidentem. Multitudinem ergo animis alienam relinquamus, ætheraque res indendo, atq; sursum adhuc ulterius ascendendo, nos ad intellectum & intellectualia regna conferamus, ut rerum possideamus unitatem, ibique naturæ illius contemplatores fiamus. Eam spectabimus naturam in æternitate manentem, vigentem vitam, intelligentiam vigilantem, cui nihil deest vitæ. Hanc itaque ubi invenimus, facillimè observabimus, quanto sit animis accommodatior & melior, & videbimus an in ipsa inveniatur ulla multitudo, & an uniformis sit vel multiformis. Hic percipies ergo summum illud bonum, ad quod anima humana semper cupit pertingere. Hic rerum omnium creatarum fons & origo. Hic gaudii & lætitiæ culmen ac fastigium. Hic vera & sola simplicitas & veritas illa, de qua *Plato* & *Pythagoras* agunt, quando nos admonent tantoperè ad multitudinem fugiendam, ut veritatem simplicissimam consequamur. Quod sanè ut faciamus, modum & viam nobis præscribunt, à *Procli* via haud dissentientem; videlicet quòd multitudinem variam evitare debeamus primò quidem affectuum, deinde sensuum, tertio imaginationum, & quarto opinionum inde dependentium. Atque horum quidem censuræ non videntur ullo modo ab intentione nostra differre. Nam, cùm anima tenebris sit inclusa, utitur sensu, quasi aliquo duce suo. Unde ejus acies deinceps in tertio, circa tot subjecta versatur, ut incertitudinè & inconstantia in anima pariant, at ita animæ radii, tot tantisque sensuum objectis & eorum cõtemplatione distracti, aciem suam obtudi sinunt, ita ut ad unitatis thronum & sedem penetrare nequeant; eoque modo dubia & incerta fit anima, quò se debeat ad veritatè inveniendam vertere, quatenus scilicet non minùs fallitur in materia, quàm ipsius quoque materiæ circa eam versantis præstigiis decipitur. Quare non ineptè dicit *Proclus*: *sicut materia videtur omnia habere, cùm nihil verè possideat, sic & anima, duplici ignoratione laborans, videtur sibi, quæ non habet possidere*. Atque hoc fit propter multifarium sensus effectum. Quæ res sensus externi multitudo in primis abjicienda est. Denique etiam non debemus imaginatione nostra concipere ficta, vana & falsa, quæ sunt instar phantasmatum in aëre conceptorum; quoniam hæc itidem ab unitate illa distrahunt, quæ est sola veritas. Atque præterea quoque hominum opinionibus sibipsis & veritati contradicentibus, omnimodò credendum esse haud existimamus. Sic itaque demum postea per gradus scalæ millenariæ versus unitatem regrediendo ad cælum medium ascendemus, ubi majorem certitudinem & perfectionem reperiemus. Tum deinceps ab eo per gradus scalæ centenariæ altius nos elevando ad mundum intellectualem perveniemus, per

cujus gradus denarios scandendo ad regium unitatis formalis palatium tandem pertingemus; atque ita hac via anima à multitudine liberabitur, & in pristinam suam simplicitatem remeabit.

C A P. VII.

Cur anima hac media vegetabilibus & plantis vitam vegetativam solummodò dederit, cum animalibus quibuscunque sensum cum vegetatione tribuat?

DE varietate & differentia inter animam vegetabilium & animalium fecimus quidem verba nonnulla in superioribus. Hoc tamen loco latius adhuc de ista animæ in hisce creaturarum generibus differentia & discrimine disceptabimus. Declaravimus alibi in præmissis, vegetabilium animas esse ex limpidiori mediarum tenebrarum secundo creationis die è medio mundi cœlo deorsum reverberatarum spiritu, cum lucis secundæ potionibus seu scintillis ei inclusis. Atque hanc eandem quoque esse animalium omnium animam itidem ibi demonstravimus. Sed nonnullis forsitan absurdum hoc, aut vix probabile videbitur, quod eadem lux cum tali spiritu (cùm hæc tanta inter se differentia distent) sit utriusque animalis origo; quippe quod arguent, res eandem à seipsis ita differre non posse. Quibus respondemus, quod non differat anima plantæ ab anima animalis, nisi secundùm plus & minus. Rationem autem, cur planta minus de natura media, animal verò uberiores ejus portiones habeat, breviter hîc declarabimus. Quod plantæ & vegetabilia, è terræ poris exurgunt, tertio creationis die fuerint cum ipsa terra creata, nos docent sacræ Scripturæ; quo quidem tempore radii cœlestes non fuerint in Solem contracti, sed diffusi per universum spiritum mundanum & præcipuè circa spiritum cœlestem dilatati & dispersi. Sed ut secundùm vetus illud axioma Philosophorum, *vis unita fortior est; sic ea dissipata est debilior*. Hinc ergo factum est, ut anima plantæ non esset adeò valida, luminosa, clara atque ad functiones suas præstandas ita efficax, atque est anima animalium, utpote quæ orta est ex radiis cœlestibus coarctatis, atque simul in corpus solare collectis & unitis: Namque tertia creationis die ante Solis creationem lux fuit æqualiter circa terram dispersa & densa atque crassis hylæ vaporibus mixta atque involuta: unde factum est, ut obscura esset, & non magis Solis pulchritudini comparanda, quàm nubis fulgidæ splendor Soli, aut aër illuminatus igni comparari potest. Sed postquam omnes cœli radii ad solarem spiritum sursum è terra cum lucis suæ scintillis exilientem, congregati fuerunt, mirabiles subito radiorum simul contractorum effectus se mundo patefecerunt, ac primò pisces, deinde volatilia & deniq; animalia procreata sunt, atque ita secundùm solaris domini incrementum seu prædominationis ejus in rebelles materiæ vapores, sursum sese à terra in elementarem regionem elevantes & exhalantes, operationem, subinde singulis diebus anima gradatim fortior & potentior producta & per creationem in lucem edita fuit. Hinc ergo admirabilis Solis operatio in creaturarum perfectiorum productione luculenter demonstratur & per consequens vegetabilium defectus explicatur, utpote ad quorum creationem concurrerunt solummodò radii lucis dilatati & spiritus grossiores; ita quidem, ut nullum Solis, nobilissimæ scilicet & vivacissimæ illius creaturæ auxilium, quæ ex radiis cum spiritu simul contractis producta est, operi vegetabili interfuerit. His igitur iterum iterumque reputatis, percipie-

mus, quod vegetabilium spiritus sit grossior & spissior, quam spiritus animalium, quippe cujus radii erant debiliores; quoniã spirituum rarefactio & purificatio consistit in multitudine & vigore radiorum lucis; ita ut, qualis est lucis potentia, videlicet major aut minor, talis etiam sit spiritus raritas & puritas, major scilicet aut minor. Sed lux ante Solis creationem erat magis dilatata: Ergo minus potens, & proinde sequitur, quod in plantis animæ portio sit in spiritu grossior, & in luce paucior ac tenuior, quàm in animalibus. Ob hanc igitur causam accidit, ut animæ utriusque hujus animati generis ab invicem differant. Quinimò etiam aliam differentiam reperimus inter naturam atque essentiam dictarum illarum animarum, cum anima animalium profluens à Sole, solaris naturæ proprietatem sibi vendicet, quam suprâ ex luce & Spiritu è tenebris cœli empyrei exilientibus conflare diximus; & proinde eam rationis esse participem suprâ demonstravimus. Anima autem vegetabilium ex spiritu & luce tenebrarum cœli ætherei seu medii originem ducens, neque spiritum & lucem habet rationis competentem, neque simplicitate & puritate formæ cum anima animalium comparari potest. Unde fit, ut, cum plantæ tardæ sint in suo motu & terræ affigantur, atque immobiles maneat, videamus, animalia esse levia, subtilia, agilia, velocia, & huc atque illuc voluntate quadam moveri. Hæc ergo est vitarum in utroque illo animatorum genere differentia, hæc in una dignitatis, & in altera depressionis, abjectionisque ratio, cum alia sit igne & Spiritu cœlesti ditior; alia verò paupertate & humiditate magis dejecta.

C A P. VIII.

Quòd anima vitalis ex calido innato & humido radicali componatur, & quòd de natura Solis participet; Similiter de cordis pyramidalis figura, & quòd sit animæ vitalis palatium; & quomodò hæc anima, mediante Spiritu, per universum corpus dispensetur.

QUoniam tam Philosophi veteres, quàm Medicorum principes solent calidi innati & humidi radicalis, ex quibus mixtis vitam oriri dicunt, non infrequentem facere mentionem, operæ pretium videtur, ut hoc ipsum calidum & itidem quoque humidum istud breviter declarem. In secretis naturæ peritiores dicere solent, calidum à motu, & motum ab actu seu principio movente derivari. Nec certè quicquam aliud est calidum, quàm motionis effectus, quemadmodum nec motus quicquam est aliud, quàm lucis visibilis vel invisibilis actio seu actus. Unde manifestum est, quòd ubi calidum est, ibi motus etiam adsit, & per consequens cum motu lux essentialis, tanquam motor. Hinc ergo fit, ut à nonnullis calidum pro motus effectù, aut sola qualitate, aut nonnunquam pro ipso motore accipiatur: Nam apud Hippocratem reperimus ita scriptum: *Illud mortale, quod calidum appellamus, cum omnia essent perturbata, in supremam regionem provolavit, quam veteres æthera vocaverunt.* Hic igitur calidum non pro mera qualitate, seu accidente accipiebat Hippocrates, sed pro re essentiali & immortalitate prædita; videlicet pro universa luce substantiali, ex cujus natura atque illa animatorum portio derivata est, quæ calidum innatum appellatur, sine cujus motu & calido effectù vitæ creaturarum induci nullo modo potuissent, quoniam ejus præsentia rebelles elementorum compositorum dispositio-

nesobedientes fiunt, & quietè retinentur: imò verò, quò major est hujus calidi proportio, eò efficacior & excellentior est vitæ actus, & salubrior totius elementati compositio. Ex quibus liquet, quòd natura ista nihil aliud sit, quàm radius seu scintilla lucis secundariæ seu æthereæ, immediatè cum spiritu æthereo in creaturas infusæ; qui quidem Spiritus est quasi vehiculum, pabulum, passivum & humidum illud, cujus præsentia & interventu calidum & lux (per metonymiam, effectum pro causa accipiendo) vehitur deorsum (quia Spiritus ad Spiritum relationem habet) agit in subjectum benè dispositum. Atque hic spiritus ideò radicalis dicitur, quoniam conjunctus est cum calido in prima creatione: Vel est quasi radix & arbor solarium fructuum; vel est radix atque origo materialis creaturæ, per cujus artus seu membra discurrit. Sic etiam lux vel calidum illud dici potest innatum, quatenus est primus terminus & punctum, à quo movetur ad generationem; Vel dicitur innatum, quasi connatum cum humido illo naturali, quod Spiritus est æthereus, in quo vivit, atque vitam tribuit creaturæ, cui inest. Quibus optimè reputatis, percipiemus, hoc calidum innatum in suo humido radicali nihil aliud esse, quàm illam quintam essentiam, per cujus consonantiam in Diapente, dissonantia quaternarii, qui est numerus par atque imperfectus, ad concordem pacem reducitur. Mira ergo de hujus quintæ essentiæ virtute & potestate tradiderunt Philosophi, tam Theorici, quàm in Chymiciæ praxi versati. Namque videntur agnoscere, eam nihil aliud esse, quàm unionem Spiritus ætherei cum lucida ejus anima: quare asseveranter dixerunt, quintam rei essentiam esse idem, quod est anima illa vitalis, quam ex sphaera media ætheris (quam sphaeram æqualitatis vocaverunt, & in quam animam mundi posuerunt) emanare affirmarunt. Nam etsi rustici & rei literariæ prorsus ignari, norunt & experientia deprehenderunt, plantas & arbores quotannis revirescere, & denuò veluti juvenescere, atque ejus ubertate, tanquam à fonte glorioso, luminis visibilis multiplicationem habere. Porrò etiam Philosophorum sagaciorum sententia est, Solem & hominem procreare hominem. Ex his igitur evidens est, quòd vitæ creaturarum sint de essentia Solis & ejus quasi seminaria ab ejus fonte perenni deorsum emissa. Hinc dixerunt nonnulli, quòd cœlum sit quasi mundi universi pars mascula; terra verò & ejus elementa pars foeminea; imò verò, quòd terra sit matrix universalis, in se recipiens aurea cœli & Solis semina, quæ in materiæ utero per digestionem in creaturas innumerabiles cujuslibet speciei transeant. Sed jam, quid ego per experientiam circa ea in creaturæ vegetabilis anatomia invenerim, dicam. Ejus profectò animam vitalem subtilissima inquisitione inveni, in qua verissimam animæ in Spiritu suo natantis iconem atque imaginem deprehendi; cujus certè intuitu, Solis cœlestis compositionem in materia & forma percepi: Crystallinam enim figuram immobilem adinveni, radiis lucis repletissimam; qui quidem radii huc atque illuc per illud medium extendi videbantur. Hæc quidem materia mobilis ignis appositione subitò liquecebat, & instar sanguinis efficiebatur; at qui subitò deinde in pristinam suam formam immobilem, instar cristalli undique radiis aureis decorati redigebatur. Hinc evidenter observavi, quid esset vegetabilis illius Spiritus, quid lux, quid calidum innatum, quid humidum radicale, quid agens & quid patiens, ac quid denique ejus anima vitalis, quid quinta essentia, & quid vinculum elementorum, ea in concordi pace ad invicem colligans; Vidi etiam satis apertè, quòd indumentum atque vehiculum illie esset Spiritus: Unde oculis intellectualibus percepi, quòd eadem ratione mentis divinæ indumentum sit anima, qua Spiritus est indumentum animæ. Cognitis igitur jam, quid sit anima, quid Spiritus, quid calidum innatum, & quid humidum radicale, quid quæ vinculum elementorum in corpore, inquiramus tandem, quomodo

anima hæc tota in totum, & in quamlibet corporis partem infundatur, & quænam sit præcipua hujus animæ sedes in corpore humano: Sic enim dicitur Dei solium esse in cælo, cum tamen sua præsentia ubique adsit; vel potius (ne scilicet divina terrenis comparemus) videmus, solare corpus esse in cæli corde, & tamè ejus radii atque præsentia per actum ubique reperiuntur. Cognoscimus igitur diligenti inquisitione, quòd animæ vitalis sedes præcipua non minùs sit in corde, quòd est in medietate mediæ regionis Microcosmicæ situm, quàm Solis sedes est in medio cæli. Hujus vitæ palatii figuram & positionem, si rectè consideraverimus, percipiemus, illam ad effigiem & similitudinem ac situm pyramidis mundi formalis à creatione ordinatam ac dispositam esse; cum ejus basis sursum tendat, ejus verò conus deorsum. Quo innotescere videtur, quòd hoc organum corporeum, sit instrumentum maximè circa formam vitalem occupatum: quippe cujus figuram pyramidalem procul dubio nobis delineaverunt radii vitales, quorum natura est deorsum versus terram radios suos ejaculari. Inest ergo hic vivificus Spiritus cum regia sua luce in corde, tanquam in sphaera sua propria. Unde radios suos, qui sunt essentiæ ejus connexæ, per universum corpus non aliter dispergit, quàm Sol è sua sphaera media in cælo ad partes mundi infimas, & remotissime distitas suos radios emittere & ejaculari solet. Cur t ergo per venas in massam vel mare sanguineum, & undas corporis aëreas, tandemq; per artus & partes solidiores, non aliter, quàm radii Solis, per elementa in mare aëreum & aqueum, ut tandem terrâ & ejus membra densa reficiant. Atq; hinc est, quòd sacris Literis docemur, sanguinem esse animarum quasi vestem & receptaculum. Quomodò autem id fiat, à Philosophis divinis succinctè demonstratur. Anima per medium suum deorsum vecta, infunditur primò in punctum cordis medium, quòd est centrum corporis humani, & exinde per universas corporis partes membraque diffunditur, quando curram suum naturali jungit calori, per calorem Spiritui ex corde orto; per hunc se immergit humoribus, per illos inhæret membris; atque his omnibus æquè sit proxima, licet per aliud in aliud transfundatur; quemadmodum calor ignis aëri & aquæ inhæret proximè, licet per aërem deferatur ad aquam. Ita patet, quòd immortalis animæ æthereum vehiculum corpore claudatur crassiore & mortali. Similiter dicit *Merc. Trismeg. Spiritus in venas & arterias, sanguinemque diffusus animal undique ciet, molèmq; corporis suspensam tenet atque circumfert anima in spiritu, ratio in anima & mens in ratione.* Quibus quidem verbis peroptime nos docet, quomodò omnes hominis interni particulae, mediante Spiritu, per universum corpus humanum dispensentur. Non tamen in hoc ei ullo modo adstipulari possumus, quòd mens, aut ratio, aut anima vitalis in omnia corporis membra per Spiritum transferantur, atque æqualibus portionibus ubique in suis essentiis adsint. Sed dicimus, mentem in rationali Spiritu superiorem Microcosmi regionem inhabitare, tanquam locum digniorem; & animam possidere regionem ejus mediam, tanquam sedem suam connaturalem. Sed tamen dicimus, hæc ita se habere ibi in regionibus suis, ut Deus in cælo supremo & Sol in medio. Nam Deus in cælo sedens radios suæ præsentia in omnes mundi partes mittit, juxta illud *Sapientis Sap. 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et *Jerem. Fecit cælum suum solium & terram scabellum pedum suorum.* Sic etiam mens humana, à divina stirpe derivata, radios suæ præsentia per nervos, tanquam per media in inferiora corporis ubique dispergit, ipsa tamen in Microcosmi cacumine supra Spiritum intellectualem, tanquam ventorum alis vecta, constanter sedet. Similiter ut Sol, positionem in cæli corde possidens, formam inferioribus suis radiis communicat, & ubique per elementa sua virtute, lumine essentiali & influxu diffundi dicitur; sic etiam animæ essentia, in corde humano constanter sedens, radios suos vitæ in omnes

hominis

hominis partes, tam solidas quàm fluidas, dispergere cognoscitur, ipsa tamè in corde manēte, non minùs, quàm Solis essentia in cœli medietate seu corpore solaris; quòd cordi non ineptè refertur. Spiritus igitur aëreus, corpori familiarissimus per universa ejus membra in formam sanguinis & humoris influit atque perfunditur, secumquè fert vestigia Spiritus ætherei, in cujus rivulis radii lucis ætherei seu radii naturæ feruntur; in quibus intellectus & rationalis Spiritus, quasi atomi nonnulli, vel potiùs habitus insensibiles ab alto emittuntur, super quibus & in quibus Spiritus Domini & tenuissimi ipsius mentis radii immediatè natare percipiuntur. Sic ex fonte quodam, in quo habetur vel croci massa, vel sanguinis congeries, vel pannus etiam recenter in atramentum intinctus, videmus rivulum totum ab eo egredientem tingi, cum tamen principium tingens in ipso fonte semper requiescat. Hinc igitur quodlibet corporis membrum, ratione viam monstrante, juxta mentis præstitutum ad bonum vel ad utile movetur. Hinc etiam fit, ut quodlibet membrum ratione radiorum animæ vitalis, moveatur tam secundum rationalis Spiritus directionem, motu videlicet voluntario, quàm secundum vitæ facultates motu involuntario. Movet n. anima media artus & mēbra hominis ad vitā, gubernatq; ratio illum motum, ut ad mentis instituta fiat, nisi anima illa, animæ naturali subdita, cursu irrationali cum brutis moveatur. Fit ergo lux media motor in animato primus, ejusque Spiritus seu vehiculum, illud, quod in primis movetur: cujus denique motu exagitur atque impellitur corpus ad functiones suas perficiendas. Nam hujus rei demonstrationem evidentissimam ab inferiori luce contracta seu igne communi cum aëre defumere non erit impossibile; cum præsentia ignis videamus aërem externum moveri, & huc atque illuc duci juxta ignis seu vitæ illius motum. Hinc etiam percipimus, imagines in charta depictas simul cum ipsa charta, virtute candelæ illuminatæ, circumduci, quemadmodum infra dicemus, ubi lux candelæ motum excitat, motus autem aërem commovet, & aër motu ac agitatione sua corpoream chartæ & imaginum dimensionem circumducit.

C A P. IX.

Quòd anima sit quasi lucis cœlestis scintilla; quòd pabulo sibi proprio nutriatur; Et de ratione, cur anima lucida aëre recenti destituta præfocetur.

ANimam cujuslibet creaturæ esse, quasi lucis infinitæ per spiritum univ-
sum expansæ, scintillam, multis observationibus, respectuque considera-
tione dignissimo docemur. Nam si diligenti attentione *primi hujus voluminis tra-*
ctatum pervolutaveritis, demonstrationibus fide dignis deprehenditis, quòd
cœlum empyreum sic se habeat ad æthereum, uti hoc se habet ad cœlum infi-
mum & elementare. Quibus ignem istum elementarem, quem artificialem
vocant, simili modo atque eadem ferè proportionem in aëre suo medio movere
probavimus actusque suos præstare, quo ignis ille cœlestis & solaris in suo vehi-
culo æthereo movet; itidemquè etiam æthereum in suo spiritu operationes
producere similimas operationibus ignis seu lucis supercœlestis primo die
creatæ in ipsius spiritu. Quod quidem inde evenit, quòd ignis noster communis
ab æthereo & æthereus ab empyreo immediatè derivatur. Hanc tamen diffe-
rentiam inter unius & alterius aëtus invenimus, quòd ignis empyreus multò
magis imperet, quàm ignis æthereus, quoniam ejus spiritus quodammodò pa-
Z tiens

tiens, totaliter quasi igneus & propter suæ proportionis exiguitatem & substantiæ tenuitatem, formalis redditur. Unde fit, ut ultra humanæ imaginationis, rationem formæ suæ obediens efficiatur. At verò ignis æthereus, quia cum æquali spiritus portione jungitur magis in suis operationibus seu actu per spiritus illius resistantiam impeditur: atque hinc accidit, ut hæc lux suum spiritum tanto imperio non gubernet, quanto lux illa cœli supremi: Infima denique lucis portio propter materiæ ibi residentis multitudinem fortissimè impeditur, & per materiæ spissitudinem ac resistantiam coarctatur; quemadmodum in *Tract. 1. volum. 1. cap. De igne artificiali*, luculenter expressum reperietis. Hinc igitur manifestum est, eandem esse motus rationem in igne infimo, quæ est in medio, & eandem in medio, quæ est in supremo. Actus verò inferioris propter materiæ resistantis copiam & abundantiam magis retunditur, quàm actus cœlestis, & iterùm etiam cœlestis ille eandem ob causam magis reprimitur, quàm supercœlestis. Concludimus itaque, quod liceat nobis per experimenta in hac regione infima à mutuis ignis & aëris actionibus desumpta, indagare mysteria superiora, & mutuas cœlorum operationes quodammodò persentiscere. Hinc igitur elicimus, quòd cum ignis vulgaris, veluti scintilla seu flamma candelæ accensæ potestatem habeat aërem ambientem tali modo exagitandi, ut machinam ex charta conflata, qualis in qualibet ferè tonsoris officina nocturno tempore conspicitur, circumducatur atque moveatur, non sit dubium, quin tali etiam scintilla lucis cœlestis seu calido innato suum spiritum æthereum seu humidum radicale movente, machina particularis microcosmica huc atq; illuc ducatur; idque virtute spiritus moti, aëremque internum suo motu provocantis. Experimentum sequitur, atque etiam secundùm rationem *Heronis Alexandrini* descriptum habemus exemplum simile in sequenti Fig. 1.


Hero Alexand. Prop. 71.

Si in ara aliqua accendatur ignis, animalia choreas ducere videbuntur. Etenim ara perspicua vel transparentes erunt, siue vitrea siue cornea. Demonstratio est talis ut Figura 2. apparet.

Probatur



fig. 2.



Probatur etiam, hunc ignem inferiorem affinitate proximum esse igni cœlesti, & vel eo solo, quod sua virtute in debita proportione solet ova excludere & pullos producere, æquè feliciter, atque calor gallinæ naturalis à superioribus derivatus. Namq; hoc experimentum non modò in Africæ partibus, sed etiam in ipsa Europa compertū & manifestatū fuit, ac diebus hisce nostris cōprobatū; videlicet, quod pulli fornacis temperatè calidæ beneficio è conchis seu corticibus propriis educti, & in lucem editi sint. qui tamen secundum naturæ consuetudinem vixerunt. Similiter in hypocausto calefacto flores & virgulta nondum pullulantia de subito virtute caloris ignei efflorescere, & interiora sua protrudere percipimus. Sed, ut ad ignem cœlestem jam ascendamus, nōne dicimus, Solem & hominem procreare hominem? Ubi per Solem tota cœli substantia ignea accipitur, ex cujus scintilla cum hominis specificatione homo generatur: Nōne etiam videmus, quòd vermes terræ, ex terra corpora sua, & ex regione ætherea formam seu animam, qua vivunt, accipiant? Unde ipsos per putrefactionem generari volunt Philosophi. Hæc etiam erat *Poete* sententia in *Pythonis* serpentis generatione ex radiis Solis & limo terræ, post diluvium cum modico humiditatis aqueæ commixtis. Simili experientia etiam nosmetipsi edocti sumus, totam corvi alicujus mortui substantiam in loco Soli exposito seu aprico suspensam vivifica Solis virtute in vermes innumeros, & quidem spatio paucorum dierum fuisse conversum. Apud nonnullos etiam auctores legimus, apes ex capite bovino, cœlesti calore operante, in magna copia prodiisse; quæ certè animas suas non ex re mortua, sed à cœlestibus radiis habuerunt. Anne etiam multum inferior est hoc igne, calor ille fimi equini, cujus virtute pili fipissimè in vermes & angues convertuntur? Cujus generis animalia ego hisce meis conspexi oculis. Quid etiam de illo monstro censendum putabimus, quod *Dracronis* formam præ se ferens, in spelunca quadam, aquas putridas & fœculentas, cum sanguine animalium è culina cujusdam nobilis Anglici per canalem eò defluentes, recipiente repertum fuit. Id sanè, quòd animam suam procul dubio à luci putredine calore plena, corporis vero substantiam à materia putrida & quasi menstruosa ad exemplum illius *Pythonis* accepit. *Didorus Siculus* etiam narrat, quòd post Nili inundationem, cum aqua ferè exliccata fuerat, & terra media luti formam, aridior jam facta, à Sole acquiriverat, multæ bestię fuerint quasi de novo creatæ, inter quas nonnullas tradit secundum mediocritatem solam creatas, alias verò completa forma inventas fuisse. Quibus omnibus exemplis manifestum est, animas vitales, corporibus viventibus aptas, aliud non esse, quàm radios quasi & scintillas cœlestes ab universi fonte lucido derivatas, quas naturæ ætus suprà nominavimus. Cùm itaque res ita se habeat in duobus his cœlis inferioribus, quidni etiam proveniant ratio & intellectus ab universo illo fonte lucis supercœlestis, cujus sunt radii, cùm sint ætus istius Creatoris; quos radios supercœlestes & divinos nō modò dixerunt Philosophi, sed etiam Theologi peritiores? Hic autem in memoriam nobis venit dubium aliquod resolutione non indignum, videlicet: *An anima pabulo aliquo nutriatur nec ne?* Certum est, quod anima non minùs requirat ad suam præsentiam pabulum suum proprium, quàm alia in natura opus habent suo alimento: id sanè quod multis argumentis potest demonstrari. Nam corporis cujuslibet actionem ab anima provenire videmus: At verò tota ejus operatio versatur circa nutrimentum, videlicet in cibi appetentia, ejusdemque præparatione, attractione ad ventriculum, retentione, sanguificatione & cæteris consimilibus. Quare videtur anima vitalis tam ad suplius, quàm ad læa machinæ sustentationem alimentum requirere. Deinde experientia docetur, quòd, si æris pabulum à corde propter defectum inspirationis per unicam horæ quartam avertatur, protinus ipsa quasi

animæ lux extingatur & moriatur. Observamus etiam, quòd ignis requirat aëris præsentiam, tanquam suæ vitæ pabulum. Nam si ignis ardens in loco muris circumdato occludatur, ita ut aër illuc ingredi nequeat, subito extinguetur, & quasi interficietur: Unde certum est, quòd ignis inferioris pabulum sit aër, & quòd ignis ætherei nutrimentum sit Spiritus æthereus. Sed quid hoc? Anne igitur morietur anima vitalis? Certè quoad nos, moritur, & quoad nos alimentum requirit, cum tamen, si oculis intellectualibus lucis naturam consideremus, eam neque pabulum requirere, neque emori constet. Nam, quamvis anima & lux atque ignis aëreum sibi fomitem appetere videatur, non tamen hoc facit necessitate cibi, ac si vivere sine eo non posset; sed ut passivum ea ratione adipiscatur, in quod, tanquam in subjectum benè dispositum, agat. Nam impossibile est, ut lux, quæ est merus actus, subsistat, nisi in aliquod subjectum agat: semper n. agit, nec secundum plus vel minus in aliquod subjectum agere desinit. Non tamen eò spectant actionis ejus effectus, ut seipsam nutriat, sed ut subjectum patiens primum calefaciat, & per calorem suum attenuet, atque subtiliet, atque ut tandem illud subtiliatum exaltet, & ex re corporea spiritualem faciat. Hinc igitur videmus, quod cum aliud pabulum sufficiens invenire non potest, in quod agat, proprium suum tabernaculum consumat; quemadmodum in tabidis videmus: Unde certum est, eam non operari propter se, sed propter materiam tum spiritualem, tum materialem, cum quibus habitat. At verò humidum illud innatum, & connatum ei, est ipsi conveniens, & in perpetuum cum ipsa durabile; estque quasi *Psyche* cum *Cupidine* in completo amore conjuncta. Et quamvis ignis, combusto ligno, aut exeluso aëre subito videatur præfocari, non tamen moritur, sed propter deficientem aëris spissioris successionem dissipatur per aërem aut inclusum aut apertum, atque ita invisibilis rursus, uti antea fuit, efficitur. Nam universus aër igne invisibili impletus; qui quidem ideò invisibilis est, quoniam per medium est dispersus atque rarefactus. Videtur igitur ignis extingui & exanimari, cum ad suam naturam invisibilem revertitur: siquidem ea, quæ in corpore & materia videmus, aliter & contrario modo se habent in anima. Nam corpus, quò magis senescit, eò magis debilitatur, dum è converso anima, quo diutius in corpore vivit, eò magis juvenescit, atque scientia, consilio & prudentia ditescit: sic etiam corporis pondus est in gravitate, animæ verò in levitate & subtilitate; utpote in quarum gradibus consistit ejus perfectio. Atque sic in cæteris. Constat igitur, quomodo anima suum pabulum requirat, & quomodo tum mori & extingui putetur,

cum reverà regeneratur & liberatur
à corporis angustis



TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R IX.

De animæ sensitivæ actu in corpore.

C A P. I.

*De animæ sensitivæ seu animalis vel portionis inferioris
hominis interni proprietatibus in corpore
humano.*



Uamvis anima media ex natura sua sit conditionis liberrimæ, atque infinitæ dignitatis, scientiæ, pulchritudinis & perfectio- nis; tamen, quatenus cum mente, quam secum portat sub una specie comprehenditur, & caduco corpore nimium obum- bratur, eatenus deprimitur, & contra suam naturam ad infe- riora contemplanda, tanquam oculis destituta spiritualibus, prona efficitur. Atque hinc est, quod à sensu contra suam naturam ducitur, &, deorsum contra illam naturam suam prospiciendo ad contemplandas & admi- randas res viles ac abjectas proclivis redditur; quoniam dispositio ejus natura- lis, quando libera est à corpore, ipsam, juxta flammæ igneæ naturam, sursum tendere atque superiora intueri monet. Habet ergo anima media corpori in- clusa duos ductores; quorum superior atque dignior eam allicit ad bonum, &, ut meditationes cœlestes tractet, hortatur. Inferior verò ad res malas & viles atque ad effectus tenebrarum amplectendos eam sollicitat; ita, ut anima hæc vi- deatur in medio duorum extremorum, conditione & dispositione differentium collocari, secundum illud *Porphyrii in Occas. Anima media est inter essentiam indivi- duam, quæ est intellectus, & essentiam in vera corpora divisibilem.* Qualitates autem, materialesque formæ secundum corpora sunt divisibiles. Hujus etiam infimæ in homine interno portionis cum media conjunctionem miserabilem sic de- scribit *Proclus: Anima in corpus descensus se junxit, quidem illam à divinis animis; à qui- bus intelligentia, & potestate, puritateq; implebatur; conjunxit verò generationi & natu- ræ materialibus rebus, à quibus errore, oblivione & ignorantia imbuta est.* Nam anime descendenti adnata sunt ex mundo multiformes vitæ, vestesq; variæ, trahentes quidem ipsam in compositionem caducam, obstantes autem contemplationi separatorum. *Jamblicus* etiam in mysteriis hoc idem asseverare videtur: *Anima, inquit ille, humana, à corpore*

corpore caduco comprehensa atque obumbrata est; quare nullum habet ad divina opera potentiam efficacem. Si quando verò videmur tale aliquid quodammodo posse, id solum agimus, illustratione divina desuper influente; per quam & actionis divinæ videmur esse participes. Similiter alibi: Anima, quæ deorsum labitur, trahens secum signa vinculorum atque pœnarum, materialium spirituum onere se gravatam ostendit, turbationibusq; materiæ dissimilibus occupatam. Ex his ergo Philosophorum assertionibus evidens est, quod corpus humanum, ejusque spiritus connaturalis (quem supra nuncupavimus animæ idolum, animam naturalem, elementari potentiam elementarem, corporisq; reëtricem, sensuum originem, perquam anima in hoc corpore vires explicat sentiendi, sentitque corporalia per corpus, movetque corpus per locum, regit in loco, alitque in corpore corpus; animam sensitivam & cum D. Paulo hominem animale) sit causa erroris, peccati & concupiscentiæ in anima media, & quòd in tenebris ac ignorantia submergatur. Nam hæc hominis interni portio ducit hominem ad pessima: De qua loquendo D. Paulus, *Vidco, inquit, aliam legem in membris meis, captivantem me in lege peccati.* Huic ergo idolo, inquit Plotinus, *si anima, mentem negligendo, adhæreat, depravatur & demeretur, donec efficiatur malus Daemon.* De hac infima hominis interni portione, ejusque dispositione & natura cum sufficienter in præmissis locuti sumus, brevitertantum hoc loco & veluti per transcursum agemus.

C A P. II.

Qua ratione anima media ad inferiora alluciat, ita ut superiora negligere soleat.

CUM anima humana in se sit *rationalis, concupiscibilis & irascibilis*, per cõcupiscibilem qualitatem subjecta est affectibus appetendi vel amandi aliquid; Et proinde sciendũ est, quòd, sicuti multa sunt appetitus & amoris objecta; sic etiã reperiantur illa non in una tantum mundi regione, sed in omnibus, & quòd per consequens, alia eorum magis alluciant ad Deum, alia ad mundum, & alia ad Diabolum: Nam objecta voluptatum & appetituum in regione grossa & terrestri à Deo animum avocant, & ad vitia eum convertunt. Amor ergo sensualis est carnis appetitus implere, & hominis externi naturæ se subicere. Namq; ut ex duobus substantiis consistit homo, videlicet anima cum ratione, & carne cum sensibus ejus, hoc est, anima & corpore, sic etiam est amor alius particularis corpori seu carni, & alius animæ rationali proprius & peculiaris. Quare, si anima attrahatur deorsum voluptate sensuum, qui sunt ex carne, submergitur in tenebris. At verò vice versa, si virtute rationis illuminatæ sursum attollatur, luce immortalis clarificatur. Præcipua igitur amoris elementaris vis in regione infima Microcosmi reperitur, videlicet in vasis seminariis, cū impetu luxurioso, vel voluptate coitus, qua hominum animæ more brutorum præcipites feruntur. Atque sanè, respectu hujus appetitus & objecti ejus, quid interest, obsecro, inter hominem & brutum, quum utriusque appetitus vis ad vasa seminaria referatur, in quibus amoris carnalis voluptas reconditur? Hinc ergo fit, ut locus istius objecti in infimæ regionis base ponatur, quòd innotescat nobis, hujusmodi amorem nihil aliud esse, quàm concupiscentiam terrestrem, brutalem atque animæ cœlestis ad terrestria seductricem. Et certè per pauci sunt homines, qui alium amorem præter istum, cujus comites gula, pigritia & hujusmodi alia, cognoscunt. At verò ipsa anima à carnis umbraculo libera præstantiorem in cœlo medio novit amorem, ac castum & virgineum, ubi ejus concupiscentiæ effectus magis

magis clari sunt, atque simplices & trutinis Astrææ justis librati, quippe quæ hoc in loco cum castissima Psyche in simplici matrimonio conjungitur, & circa castam ac puram mundi vitam versatur. Sic etiam in secunda hominis regione gaudium, lætitiâ, spem, misericordiam & alios hujusmodi pios atque castos filios generat. Imò verò cum concupiscibilis in anima proprietatis ratio prudenter, fortiter & justè instituitur, tum accipit à Spiritu illuminationis donum, à cujus effectu in quatuor castissimas exurgit filias, patria supercœlesti natas, quas virtutes Cardinales vocant, videlicet prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque justitiam; quæ quasi origines & cardines sunt omnium virtutum. Nec quidem hoc præstat sola concupiscibilis animæ proprietatis, videlicet amor per se; sed cum irascibili conjuncta, quæ est odium: Nam per odium mundi & sui proficit in amore Dei & proximi, per contemptum temporalium & infimorum crescit desiderium æternorum & supernorum. Non est igitur in objecto concupiscentiæ inferioris ulla via conducens ad superiora, sed potius ejus quasi obstaculum; neque profectò liberi carnales sunt alii, quàm mundi & plane adulterini respectu illorum cœlestium, quos producere debent homines, ut ad Deum transeant. Horum autem filiorum, tam spuriorum seu adulterinorum, quàm casta generatione ortorum, mentionem egregiam fecit *cap 3 sapient. Un-* etiam respectu generationis carnalis, ibi dicitur, quòd *felix sit sterilis & non coinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectu animarum sanctarum*, id est, liberis spiritualibus fruatur. *Et spado, qui non operatus est per manus iniquitatem, &c. Dabitur enim illi fidei donum electum & sors in templo Dei acceptissima.* Similiter *Sap cap. 4. O quàm pulchra es casta generatio cum charitate; immortalis enim est memoria illius, quoniam apud Deum nota est, & apud homines.* Hinc igitur viri sancti præteritorum seculorum, ut castè & sine carnali appetitu viverent, alteram duxerunt vitam, quò objecti seminalis incrementum diminuerent, & concupiscentiæ mundanæ prædominarentur, quoniam observaverunt, quòd actu luxurioso & coitus impulsu, castæ eorum cogitationes inquinarentur, atque animæ operationes circa Deum occupatæ à cœlo ad inferiora sensibilibus carnis illecebris avocarentur: Imò quidem de pravo hujus appetitus effectu conquerebatur ipse *Apostolus Paulus*, dicens: *Video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati.* Concupiscibilis ergo proprietatis regionis Microcosmi inferioris ducit hominem ad pessima. Hinc enim ita legitur *i. Job. 2. Mundum diligens non habet charitatem patris in se, quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentiæ carnis est, & concupiscentiæ oculorum, ac superbia.* Et *ibid. cap. 3. Quare mundus non novit filios Dei, quia filii Dei non noverunt mundum.* Et certè credo ego, futurum, ut quasi sancti nomen promeretur, & miraculosas operationes perficere valeret, si quis, tentationes carnales constanter superando, semen suum in vasis propriis, intactum continuaret. Nam quotannis multiplicaretur ejus lux; quæ quidem absque sui emissionem in tantam lucis copiam excresceret, ut universum hominis illius tabernaculum obscurum illuminaret, corporisque massam, veluti transfigurando eam, alis igneis sursum elevaret. Sed huic virtuti duplex resistit obstaculum; quorum unum est pollutio sive inquinatio feminis, contracta infinitis mixtionibus; quippe quam non amat lux divina, quatenus circa unitatem versatur. Atque alterum est immensum illud dominium, quòd caro habet cum sensibus in compositione humana, animam quotidie noctesque diesque sollicitans ad appetitus sui complementum; ita ut neminem ferè ex matre natum putem, qui semen suum intactum sibi ipsi ita conservaverit, ut alius ejus portionem non tradiderit. At si talis aliquis reperitur, ille profectò, uti existimo, mirabilia tam in prophetia, quàm in morborum curatione, & in vitæ suæ prolongatione propter multas rationes, quas omnes hoc loco recitare fortassis tædiosum foret, præstare poterit. &c.

C A P. III.

Quomodo anima à sensu carnali obfuscat, & sui ipsius obliviscatur: Et qua ratione, tum ipsa per vitia seu sensualia in naturam corporis transeat; tum etiam è converso caro per virtutem in naturam spiritus migrare soleat. Similiter de virtutibus animæ in genere atque de sensibus.

QUemadmodum anima hæc media, menti adhærens, seu radiis sapientiæ illuminata, suum principium respicit, summumque bonum contemplatur atque seipsam cognoscit; ita quoque mentis radiis, divinaque illuminatione destituta passionibus corporeis consopitur & per sensibiles formas extra se abducitur eaque extra se quærit, quæ in seipsa potest invenire, imò verò obliviscitur omninò quid sit, vel quid fuerit, & quod nihil aliud se fuisse meminit, nihil, præterquam quod videtur, esse credit: solo sensu circa corpora & imaginatione circa corporum & locorum similitudines versatur, & in eis sive vigilando, sive dormiendo exercetur. Absentia ergo radiorum mentis est causa tantæ amicitiae inter corpus & animam; secundum quam amicitiam *nemo carnem suam odio habet*. Nam licet carnis seu corporis societate prægravetur, secundum illud *Sapientis: Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, &c.* attamen ineffabili modo diligit illud, amatque; carcerem suum; & ideò libera esse non potest, sed doloribus eius vehementer afficitur; formidat interitum, quæ mori non potest; timet defectum, quæ per naturam non potest deficere, oculorum speculatione pascitur, sonoris delectatur vocibus, suavissimis gaudet odoribus, & larga epulatione reficitur. Et, licet his rebus nullatenus utatur ipsa; gravi tamen mœrore affligitur, si illæ subtrahantur. Hinc etiam nonnunquam surrepunt vitia rationi contraria, dum anima oblectamentis corporis largiùs indulgendo noscitur locum præbere peccato. Modus autem, quo id fit, est hujusmodi: per sensus progreditur anima ad corpus movendum & vivificandum: novem quoque foramina sunt in humano corpore, quibus secundum naturalem temperantiam influit & effluit omne, quo idem corpus vegetatur & regitur: Sunt etiam utriusque quædam similia; corporis scilicet, supremum, & spiritus, infimum, in quibus, licet sine personali naturarum confusione, attamen unione facile conjungi possunt. Similia enim similibus gaudent, itaque anima, quæ spiritus est, & caro, quæ verè corpus est, in suis extremitatibus facile & convenienter uniuntur. In phantastico animæ quidem corpus non est, sed simile corpori, ut in harmonia sequenti dicitur, nec in sensualitate carnis, quæ ferè spiritus est & sine anima fieri non potest. Sicut autem supremum animæ, nimirum intelligentia sive mens gerit imaginationem sui superioris, id est, Dei; unde & suscipere eum potuit, & ad unionem personalem, quando voluit, absque ulla naturæ diminutione suscepit; ita simili modo supremum carnis, id est, sensualitas animæ gerit similitudinem, & ad personalem unionem, ejus essentiam suscipere valet. Nec illud mirum est, cum etiam in sensu & memoria pecudis sit quædam immutatio rationabilitatis, & in ejus appetitu immutatio voluntatis, atque in his, quæ refugit immutatio reprobationis: spiritus enim corporeus, qui verè est corpus, sensu naturali inter multa discernit, & vi concupiscibilitatis eligit, & vi irascibilitatis reprobatur. Constat igitur ex his, quod convenientissima hæc sint media carnis & animæ; videlicet sensualitas carnis, quæ ignis est, & phantasticum spiritus, quod igneus

vigor dicitur. Hinc, inquam, fit mira ista societas, quæ est inter carnem & animam, inter spiritum vitæ & limen terræ. Cum autem anima, tenens suum rationale, & sine carne, sit rationalis, concupiscibilis & irascibilis, sequitur, quod per rationabilitatem habilis sit & idonea, ut illuminetur ad veritatem cognoscendam infra se, & supra se, & in se, & juxta se. Nam ita cognoscit Deum supra se, seipsam in se, Angelum juxta se, & quicquid cœli ambitu continetur infra se. Similiter per concupiscibilitatem & irascibilitatem habilis est ad affectus aliquid appetendi vel fugiendi, amandi vel odio habendi. Et proinde de rationabilitate omnis sensus animæ oritur; quemadmodum de duobus aliis omnes affectus; videlicet de concupiscibilitate gaudium & spes, & de irascibilitate dolor & metus oriuntur: qui quidem quatuor affectus animæ sunt omnium tum vitiorum, tum virtutum quasi principia quædam & communis materia. Atque mirum videtur haud exiguum, quod idem animæ affectus prolem atque filios naturæ tam contrarios producere queat, quales sunt vitia & virtutes, cum *virtus definiatur habitus mentis benè compositæ; vitium autem è converso, habitus animæ malè dispositæ; & tenebris obrusæ*. Sed, ni fallor, eadem est differentia inter rationem illuminatam & obscuram seu tenebrosam, quæ est inter virtutem & vitium. Nam ratio illuminatione carens prompta est, ut in tenebris & errore vertetur, atque vitia cujusque generis producat; cum tamen eadem ratio illuminata ab intelligentia gubernetur, & in via veritatis dirigatur. Atque hoc est illud, quod superius diximus, videlicet, quod Spiritus menti adhærens virtutes producat, mentis verò radiis destituta, vitia & errores generet, aut sibi contrahat. Hinc, inquam, est, quod animæ rationalis illuminatione carentis, vis concupiscibilis gaudium carnale & voluptates mundanas parit; quatenus scilicet impudentiam, gulam, ventris illecebras, segnitiam, ambitionem, avaritiam, vanam, gloriam & infinita alia hujusmodi vitia gignere, & tanquam effectus producere solet. Sic etiam ejus vis irascibilis rabiem, furorem, iram belluinam, rixas, bellum, odium injustum, injuriam, timorem, pudorem, audaciam & pusillanimitatem, prodicionem, dissimulationem, falsitatem seu mendacium, atque innumerabilia alia illius naturæ generare atque proferre animadvertitur. Cum tamen vice versa, si anima rationalis à mente illuminetur, ejus vires (concupiscibilis nempe & irascibilis) fructus contrariæ naturæ producant; videlicet virtutes, quæ habitus sunt mentis benè compositæ: nam in mentis lumine componimus, instituimus & ordinamus animæ affectus ad id, quod spectare debent, & quomodo debent, ut virtutes perficere possint: Unde fit, ut sine tali lumine prædicti animæ affectus in vitia faciliè dilabantur. Cum ergo adfuerit splendor sanctus animabus nostris, tum prudenter, modestè, fortiter & justè amores ac odia nostra instituentur, atque in virtutes illas quatuor insurgent originales seu cardinales; scilicet in prudentiam, fortitudinem justitiam & temperantiam. Similiter per odium mundi & nostri proficimus in amore Dei & proximi; per contemptum temporalium & inferiorum crescimus in desiderio æternorum & superiorum. Ex his igitur videmus, quod, ut anima sua præsentia corpus seu carnem vivificat, sic quoque ipsa per hujusmodi virtutem vivificam ita fit corpori isti colligata, ut nec, cum vult, possit seipsam inde segregare, nec etiam, cum vocem Creatoris audit, inibi retineri. In vita equidem animæ consistit vita corporis, & è morte corporis descendit mors animæ. Sicut enim anima viventem facit carnem vitæ suæ, & de fonte naturæ suæ irrigat eam animando, sic caro per corruptelam materiæ suæ occidit animam, si cupiditatibus illicitis eam illigaverit. Et, cum altera innitatur naturæ alterius, transit unaquæque in victricis naturam; ita ut aut carnem spiritualem reddat anima suis virtutibus, aut etiam animam efficiat carnalem victrix caro. Anima ergo menti adhærens, contemnendo

mnendo carnis sensuumque illecebras, victrix dicitur. At verò si ea, menti obedientiam minimè præstando, blanditiarum & præstigiarum carnis ac animæ animalis toxicum hauriat, atque exinde per istas carnis & concupiscentiæ blanditias deorsum ad res viles & terrestres admirandas ac contemplandas impellatur & pelliciat, victrix trophæum sibi vindicat caro. Anima tamen de morte nihil habere potest, nisi quod per vitia ei obvenerit; nec quidem caro de vita quicquam possidere potest, præterquam quod ab animæ societate hauserit; sicut nec altera in alterius naturam transire potest, nisi priùs fuerit aut vitiis infecta, aut virtutibus imbuta & infecta. Anima igitur mente illustrata affectionibus suis prædictis exercetur, & virtutes parit; dolor namque circa peccata, timor circa supplicia, desiderium circa promissa, & gaudium circa præmia sunt quædam virtutum exercitia. Cæterùm variæ sunt virtutes, in quibus versatur anima pietate divina imbuta, dum aliis instruitur & armatur contra vitia; videlicet quatuor illis originalibus, quæ & *cardinales* dicuntur. Nam per *prudentiam* scit anima, quid debeat facere; per *temperantiam* se regit atque gubernat in prosperis; itidemque per *fortitudinem* in adversis; ac per *justitiam* scit, quid cuique reddere conveniat. Porro etiam monet ac docet eam, *prudentia* quidem scire quid possit, *fortitudo* autem facere, quod potest, *temperantia* nō præsumere, quod non potest, ac tandem *justitia*, non velle plus quàm potest. *Prudentia* ergo ejus est in eligendis, *temperantia* in utendis, *fortitudo* in tolerandis, atque *justitia* in distribuendis. *Prudentia* est nihil pœnitendum appetere, nec quicquam præter justum velle facere; *Temperantia* est, nihil nisi turpe timere, & quicquid agimus aut cogitamus ad rationis normam dirigere; *Fortitudinis* est, terrenas cupiditates non jam reprimere, sed penitè oblitisci, *Justitia* denique est, omnem animi cogitationem ad Deum erigere, & quasi nihil aliud sit, eum sola mentis acie intueri. Aliis virtutibus initiatur ipsa anima: atque tales virtutes *sacramentales* vocantur; cujusmodi sunt *fides, spes, sacramentum, baptismus, inunctio, confirmatio & cæteræ*, quibus Deo consecratur. Aliis proficit & conjungitur Deo, quales sunt *humilitas, puritas & charitas*. Nam *humilitas* animam Deo subjicit, *puritas* conjungit, atque *charitas* unit. Sunt etiam virtutes minores & in re viliori, videlicet in corpore versantes, quibus anima corpori jungitur, quarum infima est *naturalis*, media *vitalis* & suprema *animalis*. Et sicuti Deus trinus & unus, omnia tenet, omnia implet, omnia sustinet, omnia excedit & complectitur; sic anima his tribus viribus per totum corpus diffunditur; non quidem locali descensione, sed vitali intensione. Naturalis namque virtus operatur in hepate sanguinem & humores alios, quos per venas ad omnia corporis membra transmittit, ut inde augeantur & nutriantur. Vis ista quadrifaria est, quoniam dividitur in *appetitivam*, cui attractio ministrat; *retentivam* qua attractum retinet, donec utilis perficiatur concoctio, *distributivam*, bonorum ciborum chylosos humores, omnibus membris perfundentem, prout cuique expedit, atque *expulsivam*, nociva & superflua, seu fœculentam atque inutilem substantiam expellentem & evacuantem: Animæ verò virtus media, *vitalis* scilicet, quæ in corde habet suum imperium, versatur in fervoris atque caloris cordis contemperatione, aëremque inspirando & expirando vitam & salutem toti corpori distribuit, aërem namque puro sanguinem purificatum per totum corpus impellit per arterias seu venas pulsatiles; ex quarum motu temperiem & intemperiem Medici cognoscunt: Virtus denique *animalis* in suprema corporis regione, videlicet in cerebro adinvenitur, atque inde quinque sensus corporis vegetat, jubet etiam vocem edere, membra movere. Hæc animæ virtus tribus cubiculis seu ventriculis præcipuè utitur, quorum unus est anterior, à quo omnis sensus, alter posterior, à quo omnis motus; tertius inter utrumque medius est rationalis. Primam

ergo cerebri regionem incolit vis animalis, id est, imaginativa, quia in ea corporalium rerum imagines continentur, unde & Phantastica dicitur. In media regione seu conclavi vis rationalis collocatur, quæ ibi examinat & judicat ea, quæ per imaginationem præsentantur. In ultimo hypocausto sita est vis memorialis; quoniam ibi commendantur atque committuntur memoriæ ea, quæ sunt indicata.

C A P. IV.

De sensuum exteriorum origine; Cur ipsi in facie exprimantur; quòd sint cause errorum in homine; similiter de imaginationis ortu.

IN anteriori parte cerebri seu facie sensus ita fiunt. Est quoddam in corpore subtilissimum & actuosissimum, atque exinde animæ maximè simile & vicinum, imò verò quasi effectus exterior virtutis operativæ in ipsa anima, quod Philosophi lucem vocaverunt. Hæc lux centralis primùm per oculos diffunditur, & emicat in radiis oculorum ad visibilia intuenda; deinde auditum, odoratum, gustum, & tactum per mixturam quandam, primò quidem cum aëre puro, deinde cum aëre caliginoso atque nebuloso, tertio cum corpulentiori humore, & quarto cum terrena grossitudine constituit, atque ita quinque sensus cum ipso visu seu sensu oculorum perficit. Ubi tamen visus solus propter puritatem sui actus excellit. Isti sensus in sola facie expressi sunt, ut opinor, quoniam sufflavit Dominus Deus in faciem hominis spiraculum vitæ, cum factus est in animam viventem. Anterior quippe pars posteriori meritò præponitur; quia ista ducit, illa sequitur, ab ista sensus, ab illa motus, sicut consilium præcedit actionem. Istæ vires tam animæ, quàm corporis dici possunt, quia ab anima in corpore fiunt, nec sine utroque produci possunt. Sed ut hanc rem adhuc luculentius declarem, intelligendum est, quod corpus humanum ex quatuor elementis componatur; & quod in carne & ossibus terra maximè discernatur. aqua autem in humoribus, aër porro continetur in sanguine & pulmone; quippe qui semper in motu existens est, quasi cordis ventilabrum, ne id nimio calore consumatur atque dissolvatur, quoniam sedes ignis ætherei est in corde. Hinc ejus pars una est acuta, sicut igneæ flammæ summitas, pars altera autem lata, sicut flammæ basis. Est autem quædam pars ignea aëre seu æthere temperata; quæ à corde ad cerebrum ascendit, tanquam à cælo corporis æthereo in cælum ejus empyreum. Hæc autem purificata & colata per oculos, aures, nares, cæteraq; instrumenta sensuum foràs progreditur, & ex contractu externorum formata, quinque corporis sensus constituit, visum videlicet & auditum & odoratum, & gustum & tactum; qui tangendi sensus ab anteriori parte cerebri ad posteriora transiens, inde per cervicem & spinæ medullam per totum corpus, virtute nervorum inde orientium diffunditur. Porro ipsa vis ignea, quæ exterius formata est, sensus dicitur; eademque forma per illa ipsa sensuum instrumenta, per quæ egreditur, & in quibus formatur, natura operante, introrsum ad cellam phantasticam, usque retro trahitur, atque imaginatio efficitur. Post eadem imaginatio, ab anteriori parte capitis ad mediam transiens, ipsam animæ rationalis substantiam contingit & excitat discretionem, in tantum jam purifi-

cata

cata & subtilis facta, ut ipsi spiritui immediatè conjungatur; verè tamen corporis naturam retinens, & proprietatem seu potiùs similitudinem. Quæ quidem imaginatio in brutis phantasticam cellam non transcendit. In rationabilibus autem purior fit, & usque ad rationalem atque incorpoream animæ substantiam contingendam progreditur ac defertur. Est itaque imaginatio similitudo corporis, per sensus corporeos ex corporum contactu extrinsecus concepta, & per eosdem sensus introrsum ad partem puriorem corporei spiritus reducta, eique impressa, in summo scilicet corporalis spiritus, & in imo rationalis corporalem informans, & rationalem contingens spiritum; quem voco aërem vel potiùs ignem, qui præ sui subtilitate videri non potest, & corpora interius vegetando vivificat. Quædam autem vegetat hæc vis, & non sensificat, sicut arbores, herbas & universa in terra germinantia, quædam vegetat & sensificat simul, ut bruta animalia, in quibus quædam sensum habent, imaginationem non habent; quædam verò tum sensum, tum imaginationem. Cùm itaque plus sit sensificari, quàm simpliciter tantum vegetari; constat profectò, hanc vim subtiliorem esse; Ubi autem magis subtilis est, ibi magis spiritus est. Et proinde magis equidem incorporeæ naturæ appropinquat, cùm imaginationem format, quàm cùm sensum præstat. Nihil enim in corpore altiùs, vel spirituali naturæ viciniùs esse potest, quàm id, ubi post sensum vis imaginandi concipitur. Quod quidem adeò sublime est, ut, quicquid supra illud est, non sit aliud, quàm ratio. Hinc igitur manifestum est, quod sensus & imaginatio consistant ex spiritu corporali; sed ille ex magis denso & perceptibili; hæc verò ex subtiliori & rationali spiritui in sua tenuitate proximo; ita, ut Spiritus ille sensus aëri, imaginationis verò ætheri assimilari possit; ex quibus mundus visibilis constat. At verò, si ad terminos pertingere velimus, necesse erit spiritus nostros adhuc altiùs per unum gradum depurare. Quod, ni fiat, à rebus corporeis & sensibilibus ad spirituales & intellectuales, à mundo visibili ad invisibilem, à tenebris ad lucem, à diaboli potestate præstigiola ad Dei aspectum & veritatis investigationem pervenire impossibile erit. Ex sensibili igitur spiritu & intellectuali conflatur animæ animalis seu sensuales & sensitivæ seu idoli existentia atque potentia, cujus violentia animam ad carnem & mundanas voluptates magis pronam esse, superiùs declaravimus. Hinc animæ animalis cum mente luctatio, quia ut rarò fit mentis radiorum receptor, sic carnis radii à sensu & motu animali oriuntur. Vis ergo animalis non aliter à mente, quàm Lucifer à Deo, producta fuit: Lucifer cū materia & tenebris participans, contra suum Creatorem rebellis factus est; Anima animalis seu sensitiva, ex nihilo in actum nobilem mentis operatione prolata, auctori suæ existentia rebellis facta est, cum carne & corpore se jungit, illamque movet contra rationis illuminatæ leges, nisi radius divinis impediatur, atque fræno justitiæ sacrosanctæ gubernetur, secundum illud *Sapientis Sap. 9. Difficilia estimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, invenimus cum labore; Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam & miseris spiritum tuum de altissimis? Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui sunt in terris. & quæ tibi placent, didicerunt homines. Nam per sapientiam sanati sunt, quicunque tibi placuerunt Domine à principio.* Unde manifestum est, quod sensuum & carnis inobedientia splendore & virtute spiritus ab alto descendenti tollatur, & quod eorum malitia in bonitatem convertatur, atque ita nunquam satiatus corporis appetitus jam sapientiæ divinæ præsentia quiescat, confopiat, & obediens rationi illuminatæ reddatur. Sed de

his sensibus latius in capitibus
sequentibus.

C A P. V.

De sensibus exterioribus; & primùm de visu & auditu, & cur sensus fallantur circa propria objecta.

Sensus ergo exteriores, quos numero *quinque* esse suprâ declaravimus vim suam atque effectum ex virtute ignea, per nervos & alia organa, tanquam per instrumenta dispersa, accipiunt, per quæ, mediante etiam vivifico musculorum colore, spiritus sensibiles deorsum à facultate animali moventur, musculosque & cæteras partes, secundùm rationis instinctum, motu involuntario movere animadvertuntur. Horum autem sensuum duo sunt *principales & simplices*, videlicet *Visus & Auditus*, ut in capite antecedenti demonstratur. Alii verò *minus principales*, nempe *Tactus, Olfactus & Gustus*. Illos igitur *principales* vocamus, quoniam simplices partes constitutionis mundi respiciunt, hoc vero *minus principales*, quatenus integram mundi substantiam ex materia & forma constantem amplectuntur, atque motu suo affectant. Partes autem simplices compositionis mundi vocamus simplicem illam materiam spirituales, quam universali nomine aquas à scripturis dictam & appellatam esse, suprâ meminimus, atque lucem, quæ est formalior mundi pars, ut pote cujus præsentia aquæ seu spiritus universales, potentiales adhuc & informes è nihilo facti sunt actuales & formales. Spiritus igitur seu aër universalis est medium, circa quod versatur Auditus; Et lux est objectum unicum, quod videtur, & per quod corpora dicuntur colorata, & in quo res omnes percipiuntur. Nam nihil, præter lucida videtur; quoniam, quicquid cernitur, illud in lucis splendore intuemur. Visus igitur circa divinam versatur iconem, cujus virtute gloriam Dei, immediatè ab ejus facie cum splendore insigni egredientem, Israëlita, Mose duce, conspexerunt, & etiamnum eandem, ab illo mediatè per infinitas reflexiones procedentem, quælibet animalis mundi creatura oculis prædita, cum lætitia contuetur: Quod quidem hoc ipso maximè confirmatur, quòd tam fortis atque efficax est lucis proprietas & natura super omnia illa, quæ in mundo existunt, & præcipuè super spiritum, qui secundùm in mundo locum sibi vendicat, ut res nulla atque adeò etiam ne quidem ipsius spiritus diaphani densitas, penetrativam ejus facultatem impedire queat. Ejus verò super spiritum aëreum excellentiam exinde percipimus, quòd in fragore tonitruali priùs discernitur lux fulgoris, quàm sonus seu crepitus ad aures proveniat. Ex quibus evidens est lucis efficacia super illam materiæ & per consequens, quòd sit ipsius Creatoris effigies seu imago, cujus motui & influentiæ nihil resistere potest: Nam ut voluntas Dei immediatè absque omni obstaculo perficitur; sic etiam lucis effectus è longinquo, & vel in icu quasi oculi, cernitur atque conspicitur sine ullo medii impedimento, quippe quòd, ut Deus est unitas, quæ in se multiplicata semper resultat in seipsam, in tantum quidem, ut etiam ipse semper idem futurus sit, quòd fuit ab initio, sic etiam lux procul visa, cum sit tantum unica, taliter ad oculi aciem pervenit, qualiter è nube vel alio subjecto egreditur, sine ulla suæ essentiæ divisione. At verò sonus seu vox vel fragor dividitur, atque in aëre multoties multiplicatur, & in multiplicatione partim continuatur, partim dividitur. Unde fit, ut bombardæ crepitus minor videatur emitti, quam reverà est. Ex his igitur evidens est, quòd sensus visus tantis gradibus auditui præferendus sit, quantis lux

Spiritui,

Spiritui. Similiter, quòd visus sit sensus simplex, & magis activus, ac per se, quatenus virtute actus lucidi completur, auditus verò sensus quidem itidem simplex, sed magis passivus & per accidens, quatenus medium illud, per quod auditio fit, subijcitur actionibus lucis, sonosque ad aures perducit variis reverberationibus & multiplicationibus. Admirabilis ergo est visus effectus, cum ejus virtute iconem & similitudinem Dei, in multiformi iridis colore, atque etiam mille aliis viis possit verus artifex, opticam speculorum disciplinam sequendo intueri, non sine admiratione stupenda, prorsus, ut videatur artificis istiusmodi obtutu in memoriam revocari divinorum illorum colorum Deitatis & gloriæ ejus, quam olim, dum adhuc libera fuit, in patria sua supercœlesti oculis spiritualibus conspexit. Quàm ineffabilis ergo sit hujus sensus potestas propter objecti sui nobilitatem, & quàm admirabilia, quàm abstrusa & abdita nobis revelare valeat, humanum ingenium vix unquam mundo, si quidem id licuit, explicare potuit. Similiter etiam ipse Spiritus, qui est medium, sine quo auditio fieri non potest, miraculosa & arcana per lucis divinæ præsentiam in se comprehendit; quæ quidem sapientes propalare, aut in publicum emittere & promulgare noluerunt; imò quidem non ausi sunt; ni Domini maledictionem vellent incurrere. In his igitur duobus consistit omnis magiæ tam naturalis, quàm supernaturalis operatio, omnis vitæ animalis gubernatio & universalis mundi actus, cœlorumque effectus & syderum executio. His videt oculus mundi omnia, quæ in mundi cavitate geruntur; his intuentur angeli hæc inferiora, & ad thronum Dei usque respiciunt; his solent animalia distinguere bona à malis; his intelligitur unius hominis intentio per alterum; his res à re differre cernitur; atque his harmonia unius animæ, corpori inclusæ, cum harmonia alterius consonare aut dissentire percipitur. Imò quidem integrum volumen horum duorum sensuum laudibus, & virtutibus implere possemus, nisi ad alia nos avocaret subjecti hujus necessitas. Sed hîc unico verbo Lectorem intelligere velim, quòd paucissima vera atque certa, infinitas autem falsitates & præstigias oculi corporei intueantur; cujus rei ratio est tenebrarum in nobis dominium, quod fallaciis nos decipit, atque ea nobis apparere facit, quæ talia non sunt, qualia videntur. Nam quicquid cernitur, videtur in corpore, quod quidem in se nihil est, quippe quod, quicquid habet à forma lucida recipit. Materiam ergo sequimur; formam verò negligimus, atque ita decipimur, quoniam materia est ex tenebris, tenebræ autem ex nihilo, & proinde quoque, quod corporeum, per se & in se nihil. Sed si quid est, hoc esse suum omne à forma, quæ est à luce, accipit, à cujus fonte est vita rerum; nam verbum, in quo & ex quo vita, est sola veritas, & quicquid extra hanc veritatem existit, præstigiosum est, & à principe mendaciorum. Sed Ethnicos jam Philosophos audiamus. *Proclus* uno quasi verbo hoc omne concludit: *Materia*, inquit ille, *omnia videtur, cum nihil reverà possideat*. Videmus etiam in varietate speculorum variam ejusdem rei figuram & discrepantem corporis illius dimensionem apparere, cum tamen unica sit rei veritas. Sic eandem faciem in speculo convexo longitudine contractam, latitudine verò ultra modum laxatam atque extensam animadvertimus, in concavo autem videmus illam secundum longitudinem, horribili modo productam & extensam, secundum latitudinem verò mirabili ratione contractam. At verò in speculo plano atque polito, hanc eandem iterum effigiem justo modo, & secundum oculi naturalis indicium dispositam conspiciamus. Fallimur ergo omnes; & quæ vera sunt, discernere impossibile est, nisi id fiat in splendore & veritate sancta; in qua omnia, prout revera sunt, intuemur: Quot enim præstigias, illusiones & fascinationes inducere soleat diaboli auxilio magus impius, tam historiarum relationes, quàm orales narrationes infinitæ nobis indicarunt; quarum tamen effectus

nihil sunt aliud, quàm visus deceptiones, & res vanæ, quæ non sunt verè tales, quales esse videntur, non magis, quàm hominis pictura est revera ipse homo, cui assimilatur. Hinc inquit *Sapiens, Sap. 9* *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficilia estimamus que in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum tuum sanctum de altissimis?* Ex quibus verbis patet, quod sola veritas sit ab alto; cujus cognitionem si ignoremus, impossibile est, ut rem aliquam rectè sciamus. *Quis enim juxta doctrinam D. Johan. potest seipsum rectè cognoscere, qui lucem in se comprehensam, cujus præsentia illud est, quod est, non comprehendit, & per consequens veritatem sui ipsius ignorat, nescitque quid ipse sit, multò minùs, quid res alia.* Hic igitur docemur, quàm fallax, incerta atque misera sit vita humana absque vera Christi cognitione, qui est sola veritas, vita atque lux rerum, cum sine ea omnia sint vana, præstigiola atque fallacia. Hoc etiam unicum experimentum circa sensum auditus vos observare velim, quod medium ejus sit tam aqua, quàm aër spissus, nec aër quicquam aliud, quàm aqua tenuis. Nam cum *Nemosus Languidochia in Gallia viverem, in fonte ejus famigerabili sine fundo: ut dicunt, quoniam ejus profunditas non cognoscitur, vespertinis horis aliquando circa Solis occasum, animi & refrigerii causa natavi, & duobus lapidibus seorsim utraque manu acceptis, immersti me satis profunde, experimenti faciendi gratia in aquam inter scopulos nudos ubique protuberantes, atque ita sub aquis manens, lapides istos ad invicem collisi. Unde factum est, ut sonus horribilis & vix verisimilis audiretur.* Quibus certior reddebar, auditum, propter mediis spissitudinem multis gradibus evidentiorè & vehementiorè fieri in aqua, quàm in ipso aère, utpote in quo omnia sunt magis benevola, mitia & naturæ humanæ convenientiora.

C A P. VI.

De Tactu, Olfactu & Gustu.

UT Deus in hominis creatione mentem & rationem in summam atque nobilissimam ejus regionem, videlicet in caput, deposuit atque collocavit; sic etiam bajulos seu ministros quinque ei adjunxit, quorum usu & motu, vel potius per quos, tanquam organa corporalia & sensibilia, vires suas circa res percipiendas exereret & exerceret. Nam animi humani natura est, per se sine corpore aut sensu, res spirituales & insensibiles intueri & contemplari. At verò, quatenus res sensibiles respicit, necesse est, ut mediante corpore, ejusque sensibus exterioribus, agat, utpote sine quibus de rebus crassis, visibilibus, tangibilibus & hujuscemodi aliis judicare non potest: Quinq; ergo sensus offerunt conspectui rationis, quæcunque ei ad corporum cognitionem sunt necessaria; eaque illi ostendunt, quibus adjuvatur in cognitione rerum, circa corpora visibilia, audibilia, tangibilia, &c. versantium. Hi autem corpori humano inserviunt, nō aliter, quàm ad navis directionem nautæ, cujus nauclerus & dux principalis, seu rector & ductor est mens in ratione, magnetica quadam virtute iter dirigens, ac navis cursum in ejus summitate ex acus marinæ, polum Arcticum respicientis, proprietate & directione observans. Per hos autem suos ministros de accidentibus externis, navi obvenientibus, & de prospero ejus itinere, aut de scopuli, periculum navi comminantis, ratione admonetur, ut, quod malum ei

ei in via imminet, evitet, & quod bonum ei ac salutare est, sapienter eligat. Cuique autem horum bajulorum seorsim sua proprietas distincta assignatur. Nam visus versatur ex sua proprietate circa decem; videlicet circa lucem & tenebras, colorem & corpus, figurā & actus, remotionem & propinquitatem, motum & quietem; quæ tamen omnia, uti suprâ dictum est, ad solam lucis proprietatem reducuntur. Nam tenebræ cognoscuntur per oppositionem lucis, color discernitur per lucis in corporis superficie operationem, & sic in cæteris. Auditus proprietas est versari circa sonos duplices; videlicet circa voces animales & non animales; quarum illæ aut rationales sunt, pertinentes ad loquelam humanam, vel irrationales, ut rugitus leonum, hinnitus equorum, garritus avium, &c. hæc verò vita animali destituuntur, ut sonus tympani, fistulæ, strepitus ventorum, tonitru, &c. De his autem duobus, tanquam præcipuis rationis bajulis multa hic non scribemus, quoniam de internis ipsorum dispositionibus suprâ locuti sumus. Sed solummodò vos obiter observare velim, quòd mentis lux invisibilis & spiritualis per organum opticum emissa, luci quæ externæ occurrens, sensum visus reddat cæteris nobiliorem. Similiter rationis & vitæ spiritus, per aures expirans, eodem modo cum medio aëreo resonante conjunctus sonum in mentis palatium introducit, ubi à sensu communi & virtute imaginativa recipitur, ut à consiliariis & ministris regiis, nimirum à spiritu rationali & intellectu examinetur, atque ab eorum scriba memoria veluti ad acta recordationis referatur. Unde hic sensus propter hanc suam excellentiam dignitate visui est proximus loco & natura. Nam quicquid lux sonora sua actione producit, hoc etiam spiritus iste intellectui mediante organorum auditus integritate, repræsentat. Tres autem sensus exteriores minus principales vocavimus, quoniam subijciuntur duobus prioribus virtute & necessitate; siquidem ex materia magis mixta constituuntur. Nam ut ex duobus illis prioribus, alius magis versatur circa lucis proprietates, & alius spiritum in suo motu & actione respicit; sic etiam tres isti posteriores de utraque natura, videlicet de luce & Spiritu simul mixtis in majori vel minori proportionem participant. Nam tactus, qui est vis palpabilis inter duas pelles contenta, quarū una est in superficie corporis, & alia carnes tegit, hæc, inquam, potestas fit ex spiritu subtilissimo, effectu caloris, seu lucis inperceptibilis virtute, à cerebro per nervos in universum corpus depulso & infuso, quorum actione & passione ad invicem tactus sensus, tam in partibus corporis interioribus, quàm exterioribus operatur. Hujus autem motus seu operatio sensibilis est, vel in calido, vel in frigido, vel in aspero & lævi. Ex quibus patet, quòd, ut sensus duo priores versantur circa essentiam lucis & materiam spiritus, sic etiam *Tactus* magis circa activas utriusque qualitates occupetur, videlicet circa calidum, quod luci refertur, à lucis motu immediatè promanans, atque frigidum, quod quidem magis propriè tenebris atque materiæ attribuitur, cum materiæ resistentis vis, contra formæ actiones à frigido proveniat. Cæterum *Gustus* alio modo à prædictis partibus compositionis mundi vim suam acquirit. Nam ut *Tactus* operatio est in dijudicatione inter intensiorem aut remissionem graduum calidi & frigidi; sic *Gustus* seu *Saporis* actio versatur præcipuè circa passivas lucis & spiritus dispositiones; videlicet circa humiditatem spiritui propriam & siccitatem lucis comitem: Unde fit, ut majori vel minori humiditatis aut siccitatis prædominio saporis alterari percipiamus. Hinc dulcedo, amaritudo, falsedo, unctuositas, acetositas, insipiditas, ponticitas, acritas, &c. Quòd autem hæc omnia fiant ad saporis diversitatem, experimento notabili docemur. Nam percipimus, quòd stiptica qualitas & austeritas sint siccitatis terrestri participes; quam quidem siccitatem à frigore congelativo acceperunt; & quòd itidem deinceps aciditas stipticitatem sequatur, ordine progrediendo

diendo à terræ seu spiritus frigore condensati natura versus solventem ignis & lucis regionem; Deinde adhuc altiùs à cruditate ascendendo versus temperiem ad pondus seu dulcedinem ad saporem insipidum pervenitur, ubi stiptica frigoris potestas omninò radiis appropinquantis lucis resolvitur; atque jam tandem ad dulcedinem pertingimus, in qua benefica aëris & Jovis dispositio, & exacta formæ cum materia, seu lucis cum spiritu, convenientia sentitur. Atque hæc est media via progressus inter cruditatem & adustionem. Quare ulterius progrediendo ad falsedinem accedimus, quæ est primus adustionis gradus, deinde ad acritatem, & ab acritate denique ad amaritudinem fit transitus; à qua ad bilis adustionem & nigredinem pervenimus, in cujus actione completa ignis tandem rotatur in terram. Videmus ergo, quod vitriolum congelatum stipticitate sit plenum, & quod oleum ejus, cui ignis violenti portio adhæret, stipticam suam dispositionem in aciditatem convertat. Videmus etiam, quod vice versa Sal Tartari adustionis amaritudinem quodammodò sapiat, quod aëris seu spiritus externi admixtione in oleum convertum, acritatem in se habet. Si ergo æquali qualitatibus, non corporum proportione acidum oleum cum acri illo permisceamus, dulcedinem satis evidentem inducimus. At verò, si portio acidi superet portionem acris, insipidus sapor cum quadã ponticitate resultabit, si acris, falsedo & principium acrimoniæ; Et in his diversis oleorum actionibus & passionibus salia producentur diversarum naturarum; Videlicet in principio motus ab austero gustum aluminis, in medio sacchari, atq; in fine salis nitri reperimus. Edoctus etiam sum experimento quodam certissimo, quòd per liquoris ex aceto, vitriolo & antimonio conflati commixtionem cum aloë hepatica, & eorundem ad furnum panis adhibitionem, Aloës illa omnem suam amaritudinem perdat atque nihilominus suaviter & sine ullo incommodo corpus, cui adhibetur, expurget. Denique docemur, quòd *Olfactus* etiam potestas in lucis cum Spiritu commixtæ operatione consistat. Sed hujus actio differt ab actionibus duorum præcedentium *duplicatione*. Nam primò, ut Tactus vis & potestas absolute inter corporis membranas est inclusa, & versatur circa frigidum & calidum; ac porrò Gustus in linguæ proprietate consistit, & circa distinctionem effectuum humiditatis & siccitatis operatur; sic Olfactus, nec agit necessariò circa calidum & frigidum, nec circa humidum & siccum, sed Spiritus cum luce mixti substantiam respicit. Namque odoratorum vapor, ex lucis redolenti Spiritus suavissimi actione exiliens, non aliter in spiritu communi, videlicet in aëre, natat & natura sua invisibile eum aromatizare solet, quàm crocus in aquam limpida immerfus, totam aquæ substantiam sua tinctura visibiliter occupare & tingere cernitur; aut quemadmodum atramentum in aquam claram infusum, illam in colorem nigrum vertit, sic enim odores quoque rerum de proprio suo subjecto invisibilem in modum per aërem ambientem expanduntur, illumque suavi suo odore implent. Atque ita etiam, si malus aut foetidus sit odor rei, simili modo commune medium inficit. Sensus autem olfactus est hujusmodi qualitatis in aëre delitescens index, an scilicet illa sit naturæ grata vel injucunda. Optima igitur debet esse sensus Olfactus dispositio & æqualis ejus lucidæ ac spiritualis naturæ temperie proportio, ut medium odoribus perfusum optimè suscipere, susceptoque eo, de illius in bonitate vel malitia temperie & qualitate rectè judicare possit. Quod autem ad odorum diversorum naturas attinet, sciendum est, rem odoriferam, quòd magis est circa lucis essentiam & spiritus seu ætheris substantiam in qualitate & proportione temperata, eò esse suaviorem & naturæ humanæ jucundior; siquidem ea assimilatur naturæ humanæ, quæ inter omnes aliorum animalium naturas est in calido innato & humido radicali temperatior & efficacior; ita ut ipsi Dæmones, teste *Pfello*, humanæ naturæ contactu

artus suos gelidos maximè refovere appetant. At verò odores foetidi fiunt tales ex parte elementi ignis, videlicet propter spiritus sui impuritatem & comburentem lucis naturam. Namque egomet ipse experientia sum edoctus, quòd *omnis foetor sit ab elemento ignis, cum spiritu seu aère impuro mixti*: Deinde etiam aër foetorem aliquem, sed minorem quàm ignis, producit propter suam impuritatem & immunditiem, quam habet à cæteris elementis. Tota autem suavitas, qua anima delectatur, à cælo profluit, ubi æther cum luce in pace concordi & lancibus atque trutinis Astræa pondera & proportiones æquales obtinet; quemadmodum & ipse in corporum anatomia chymica sæpius cum admiratione sum expertus. Manifestum igitur est, quòd omnis foetor, seu odor naturæ humanæ gravis, injucundus atque ingratus sit ab humido aèreo, vel aqueo impuro & corrupto, per calorem igneum combusto, atque ita præter naturam. At verò odor suavis, bonus atque sensui gratus à puro spiritu cum calore tali oritur: Terrea verò natura, quatenus est frigiditatis constringentis fons atque origo, sensui huic magis officit, magisque eum impedit in sua actione, quàm ut ei ullo modo prodesse possit. Imò verò & cujuslibet sensus facultati contraria est frigiditas, organa potius stupore afficiens, quàm ullum iis auxilium præbens. Nam omnimodò contraria est facultati sensuum; quippe quorum perfectio temperatam caliditatis præsentiam requirit, qua operentur. Hanc autem auferre solet frigiditas sua prædominatione. Similiter pororum atque organorum dilatatio ad completam sensuum functionem requiritur. Atqui frigiditatis est, meatus obturare & occludere. Sensus etiam spiritus subtiles appetunt, quibus velociter & efficaciter functiones suas expedire possint. Frigiditatis autem est, condensare atque inspissare, quòd subtile erat, & per consequens sensibus in sua natura est oppositissima. Hinc ergo est, quòd frigiditas pororum obturationem & tunicarum incrassationem, oculorum cæcitatem inducere solet, atque etiam incrassationem & condensationem humorum in nervo optico. Lædit itidem auditum, obturando organa & inspissando ac desiccando materiam glutinosam & torpore atque stupore afficiendo membra; unde & Tactui adversa est frigiditas. Obturat etiam nares & naturalem organorum calorem extinguunt, cujus virtute sensus debebant odores rectè distinguere. Gustui partes linguæ stupefaciendo obest, cujus beneficio sensus hic operari solet; & nonnunquam mortificationem & gangrænam faucibus atque gingivis inducere observatur. Quibus omnibus rectè intellectis, certum est, quòd frigiditas terrea non sit causa odoris sive foetidi, sive suavis; sed semper odoratus & olfactus sit propter caloris præsentiam. Et quamvis nonnulli fortassis objicient, quòd *ipsum opium, cum sit frigidum, odorem foetidissimum emittat*, attamen illud non sit propter frigiditatem medicamenti; sed ab occulta potius dispositione calida promanare dignoscitur. Nam in eodem sæpè simplici qualitates & naturæ contrariæ esse animadvertuntur. Verbi gratiâ: *Fumaria seu fumus terra*, quamvis operatione frigida & sicca sit, quin tamen amaritudinem suam ab igne hauserit, nemo equidem mentis sanæ dubitabit. Atque ita sensuum exteriorum dispositionibus atque naturis fatis luculenter, ut nobis quidem videtur,

explicatis, finem huic parti breviter
imponemus.

CAP. VII.

*De facultate naturalis quòd vegetatio omnis fiat ab hepate
seu massa Microcosmi aërea.*

DE facultate naturali in sanguinis generatione, corporisque partium & elementorum in compositione, præsertatione, nutritione, atque in eodem statu sustentatione aliquid in præmissis locuti sumus. Hic verò ostendemus, quod præcipua corporis vegetandi ratio ab hac hominis interni facultate dependeat. Sciendum igitur in primis est, quòd omnis corporis vegetatio & multiplicatio tam in animalibus quàm in plantis ab aërea procedat dispositione. Neque tamen potest aërea natura hoc præstare per se, nisi à superioribus tam Macrocosmicis, quàm Microcosmicis adjuvetur. Nam facultas naturalis secundum Astrologorum sententiam à Luna & Venere præcipuè gubernatu, quippe quæ vim & spiritum naturalem, vegetativum & genitalem augent foventque; quibus etiam Jupiter in sua dispositione mirificè in tali opere se jungit, quatenus est humidus & calidus in gradu temperatissimo. Nos verò experientia notabili instructi, solis operationem præ omnibus aliis, tam vegetatione quàm multiplicatione, locum in hac facultate possidere deprehendimus. Nam in cujusdam admirabilis nutrimenti vegetabilis anatomia aquam per se superfluum vidimus, quæ in vegetabili illo erat loco urinæ, vel ut sanguinis serum in homine; Deinde aërem tenuissimum observavimus, qui longè aliter se habebat, quàm ipsa aqua, & tamen liquidam possidebat formam, ad salis oleaginei naturam magis vergentem; eratque familiaris tam cum ipsa aqua propter suam humiditatem, quàm cum igne propter suam caliditatem. Unde facilimè se jungebat cum utroque extremo; dum tamen ignea pars cum aqua nunquam conjungi potuit. Atque sic inde fiebam certior, istud vegetabilis internum esse ejus aërem; quem ubi levissimo igne volatilem reddidi, observavi, ipsum instar grandinis in salem albissimum in summitate vitri conversum atque congelatum; qui tamen sal albissimus defubito caloris appositione seu minimo calore in oleum aureum dissolutus est. His ergo obiter instructus sum, quòd aër mundanus sit à aqua quasi sicca, quæ si congeletur, nil præterquam sal sit. Hujus etiam rei experimentum in salis petra observatione declaratur; qui secundum omnium Philosophorum atque Chymicorum sententiam nihil aliud est, quàm aër congelatus. Residuum autem istius aëreæ partis, quòd in sal non congelabat, in liquorem album crystallo similimum deorsum in vas recipiens descendebat. Sed videor mihi jam tum audire vos susurrantes in hæc verba: Quid ex hoc? Quomodo multiplicativam & genitalem proprietatem in aëre, aut in hoc liquore inesse dicis, si eum aëream plantam naturam esse concedamus? Cui vestræ petitioni respondeo, quòd tanta sit vis magnetica inter naturam istius laticis albi & naturam solis, ut ipse etiam solo aspectu & intuitu naturam vivificam atque tincturam multiplicativam à sole & cælo sibi attrahere absque omni controversia soleat; quòd quidem nos hisce oculis non sine admiratione insigni conspeximus. Namque exposito solis radiis humore isto, qui erat instar albæ aquæ limpidissimæ, spacio paucarum horarum percepimus, ipsum attraxisse tincturam & rubedinem tantam à solari facie, ut etiam rubino factus esset rubicundior. Ex quibus evidenter deprehendimus multiplicationem granorum & seminum, ejusque rationem consistere in

natura aërea, & quòd hic humor granorum in terra, per putrefactionem à suis vinculis liberatus, potestatem habeat attrahendi sibi magnetica quadam virtute multitudinem radiorum vitæ, attractosque retinendi. Nam ingens videtur esse amor inter naturam hujus limpidissimi liquoris patientis & lucis vivificæ solis agentis: Unde credo fabulam istam inter *Apollinem & Nympham Syringam* inventam fuisse. Hinc ergo fit, ut ex unico grano multa oriantur, videlicet, quoniam multæ vitæ scintillæ in unum vehiculum aëreum contrahuntur. Sed fortasse meras hæc imaginationes esse, atque à rebus necdum satis explicatis dicetis. Audiatis igitur, quæso, ampliorem hujus naturæ vegetabilis demonstrationem & profectò rem, nisi oculis propriis eam vidissem, vix mihi ipsi verisimilem. *Quidam Gallus mecum hic Londini degens, cui nomen erat Palmarius, partem hujus liquoris, magis sæculentam & impuram in ollam satis amplam reposuit, illamq; lamina ferrea itidem ampla obtexit: Ut autem nonnullis diebus elapsis, laminam fortè fortuna respexit, effectum hujus liquoris admirabilem observavit; meq; cum admiratione ad locum convocans, laminam mihi indicavit, cujus faciem superiorem ex omni parte infinitis quasi stipulis ferreis, sursum ex lamina* (haud dubie virtute vegetativæ in liquore isto naturæ) *quasi ex terra in forma segetis lamina ista tectæ, exsurgentibus repletam vidimus, quarum altitudo erat quasi dimidii pollicis. Unde manifestum est, quanta vegetationis virtus fuerit in hac natura aërea, quippe quæ ipsius etiam metalli naturam tali modo ad quandam vegetationis dispositionem alterare voluit. Nec satis erit, ut quis dicat hanc fuisse potiùs vegetabilis illius quintam essentiam seu ætheream ejus portionem, quàm aëream; quoniam invenimus illius naturam absolutè inter aquæ & ignis dispositionem positam, & cum utroque extremo convenientem, & prætera aliam in eo vegetabili naturam conspeximus multis gradibus aëreæ anteponendam, quam veram non solius lucis, vel ejusdem Spiritus, sed utriusque simul portionem extitisse deprehendimus; quippe quæ erat limpidissima, radiis solaribus plenissima, nec mobilis, nisi calore & violentia colliquefescens exagitaretur. Atque hæc procul dubio erat illud naturæ balsamum, cujus glutine elementa ad vegetabilis compositionis existentiam in pace conglutinantur, vitamque & motum accipiunt; cui quidem prædicta pars aërea videbatur concatenatione magna in compositione uniri. Nec sanè potuit ulla fieri specierum multiplicatio absque hac natura, quippe quæ toti & cuilibet cõpositionis parti vitam distribuit. Atque hinc fit, ut Sol sit parti aëreæ ita familiaris, quatenus scilicet ea de hujus quintæ essentiæ natura participat. Ex his igitur patet, quænam alimenti pars ad hepatis, sanguinis & partium solidarum compositionem, ac in habitu convenienti præservationem conferat, & quæ ad vitalis in anima facultatis sustentationem requiratur. Ætherea enim pars ad cordis thalamos per diapedesin & alios meatus ei convenientes transmittitur, quæ arteriis pabulum vitæ necessarium subministrat. Ignea alimenti portione impletur cista fellis: Aërea ante descripta quasi tota in sanguinem venosi generis, virtute operativa ipsius hepatis, transformatur. Aquea pars crassior & impurior per renes colatur & secernitur à massa sanguinea & ad vesicam transferatur. Terreæ autem portio magis inutilis partim in prima concoctione à ventriculo per intestina vehitur, atque facultate expultrice evacuatur, & partim in venoso genere reperta in lienem excluditur. Massa denique tota sanguinea, cujus major pars est de natura aërea (quoniam hepar, quod est fons sanguinis, reperitur esse constitutionis aëreæ) habet in se aliquid magis subtile & electum ex quatuor elementis, quo artus atque membra corporis universa quotidie nutrirî & foveri cognoscuntur. Nam facultas naturalis summa cum discretione cuilibet membro secundùm ejus nobilitatem sui laticis portionem tribuit: Unde alii puriores hujus partes, aliis verò grossiores secundùm eorum naturalem*

compositionē distribuere observatur; videlicet quintam ejus essentiam cordi, aëream ejus dispositionem hepati, pulmonibus & partibus simplicioribus, carni portionem ex elementis bene proportionatam, nervis & tendonibus aqueam cum terrea, & denique ossibus absolute terream, sed, bene depuratam. His igitur mirabilis facultatis naturalis dispositio & operatio, tam in vegetatione, quam in multiplicatione explicatur; & quod facultas hæc naturalis non plus possit absq; benevolæ animæ vitalis aspectu, quam Luna sine radiofa solis præsentia, & quod nulla multiplicatio aut generatio fiat à solo homine, aut alio animali, aut planta; sed quod omnem vim habeat à cælo; videlicet à Luna, Venere, Jove, & præcipuè ac præ omnibus à Sole, utpote à quo etiam cæteri Planetæ habent suum esse; Et per consequens (contra stultas nonnullorum opiniones) quod nulla generatio fieri possit, nisi anima vitalis à cælo per aërem descendat & per aërem corpori inclusum infundatur.

C A P. VIII.

De rebus naturalibus in genere, quæ juxta Philosophorum & Medicorum opiniones ad duplicis hominis constitutionem requiruntur.

Homine jam interno in externo ad eum modum, quo dictum est supra, circumsepto, & ambobus hominibus simul junctis, unumque hominem constituentibus, qui de utraque natura participat, hominemque partim mortalem & partim immortalem reddit, conveniens esse videbitur, hujus hominis ex duobus compositi naturam, seu res naturales in eo contentas, ita atque tali modo describere, ut duplici ejusdem compositionis rationi respondeant. Dicimus igitur juxta Galeni, Avicennæ, Rasis atque aliorum opiniones, quod res naturales ad duplicem hominem pertinentes sint novem, videlicet: Aut ^a principia, scilicet, summa caliditas, summa frigiditas, summa humiditas, & summa siccitas, per se sine omni materiæ ratione considerata. Nam si materiæ inessent, facerent elementa. Rationem autem harum qualitatum simplicium in primo libro Tractatus nostri Macrocosmici reddidimus, ubi declaravimus, caliditatem fuisse lucis actionum & motus effectum; frigiditatem autem, tenebrarum seu materiæ comitem; humiditatem intermediam qualitatem esse diximus, à mutua caliditatis in frigiditatem actione, & frigiditatis resistentia procedentem; siccitatem denique demonstravimus nihil aliud esse, quam humiditatis absentiam. Unde in locis intermediis non reperitur, sed in extremis tantum cum qualitibus, agente scilicet & patiente.

Aut ^b elementa, ut ignis, aër, aqua, terra, quæ per excessum etiam dicuntur calidum, frigidum, humidum, siccum. De quibus itidem in Tractatu & libro supra allegato copiosè locuti sumus.

Aut ^c humores, qui sunt vel ^d naturales, & illi quidem aut primarii, ut bilis flava, cujus complexio est ignea; Sanguis, qui aëreæ est complexionis; Pituita, quæ aqueæ; & Melancholia, quæ terreæ est complexionis: aut secundarii, ut innominatus, alimentarius, carniformis & primogenitus, ex quorum absentia oriuntur quatuor siccitatis genera: Vel ^e non naturales, cujusmodi sunt ^f. Bilis non naturalis, vitellina, porracea, æruginosa, ifatidis cærulea; ^g Pituita non naturalis, qualis

^a 1. Gal. de nat. hum. 19. & 1. de Elem. secundum Hipp. cap. 6.

^b Gal. de Elem. Avic. prim. pr. d. 2. ^c Gal. lib. de Astrabil. de nat. hum.

^d Gal. com. 1. de hum. ^e Gal. com. 1. de nat. hum. ^f Avicenn. prim. pr. d. 4.

qualis est vitrea seu cruda, dulcis, acida & salsa, ^h atra bilis non naturalis, acida, radens, & quæ est adusta pituita. Nam quamvis *Avicenn. prima princ.* sex faciat melancholiæ species, nos tamen eas cum nonnullis aliis convenienter ad tres reducimus.

Aut ⁱ corpus, quod *Galenus* dividit vel in salubre & insalubre, atque utrumque facit, aut simpliciter tale, idque vel semper, vel ut plurimum, atque tùm vult, quòd utrumque sit vel exquisitum, exquisitius, exquisitissimum, aut nunc vel hoc instanti tale, videlicet salubre vel insalubre. Vel in neutrum, hoc est, nec salubre nec insalubre, per negationem extremorum aut per participationem extremorum simul & quidem æqualiter & inæqualiter, vel successivè.

Aut partes ^k vel similes, aut ex natura rei, cujusmodi sunt fibræ, membranæ, panniculus, caro simplex, adeps, ossa, cartilago, ligamentum, nervus, medulla, aut sensus judicio, ut venæ & arteriæ, aut ^l ex sanguine factæ, licet in se exangues sint, ut, os, cartilago, arteria, vena, nervus, adeps, glandula, membrana, medulla; Vel ^m dissimiles, quæ sunt aut instrumentales, ut manus, pectus, pes, &c. aut ipsum instrumentum ⁿ principale, ut cor, cerebrum, hepar, testes, ^o ministrans, ut arteriæ, nervi, muscoli, venæ, vasa feminaria, tam præparatoria, quàm delatoria; per se regens, & non regitur, ut ventriculus, intestina, lien & renes; ^p nec regens nec regitur, ut os, ligamentum, membrana, cartilago, glandula, pinguedo.

Aut temperamentum ^a temperatum; hocque vel ^b ad justitiam, seu in singulis generibus, vel ad pondus, seu simpliciter intemperatum: estque vel ^c sanativum, quod, intra sanitatis terminos comprehensum convenit cum temperamento temperato ad justitiam; vel morbificum, quod excedit limites sanitatis. Atque hæc quatuor temperamenta considerantur vel in qualitatibus primariis cum materia & sine ea, ^d vel in quatuor temporibus anni, ^e vel in quatuor ventis, ^f vel in septem atatibus, ^g vel in qualitatibus secundis, quæ sunt visibiles, audibiles, tangibiles, odorabiles, gustabiles, ^h vel in saporibus, quorum alius est astringens, alius austerus, alius acerbus, quartus acidus, quintus dulcis, sextus amarus, septimus salus, & octavus acris, vel in medicamentis simplicibus.

Aut virtus, quæ est triplex, videlicet, vel ⁱ animalis in cerebro, atque hæc est vel ^k sensitiva visus, auditus, odoratus, gustus & tactus ^l vel motiva, quæ facit motum voluntarium in universo corpore; vel ^m princeps, videlicet sensus communis & imaginativa virtus in primo ventriculo, æstimativa, cogitativa & ratiocinatrix in secundo, & memorativa in tertio & posteriori. ⁿ Vel vitalis in corde, quæ per arterias dispersa, motum producit vitæ necessarium, qui quidem motus à motu animali multum discrepare videtur eo, quod involuntarius est, & continuus, tùm etiam, quia diversis utitur organis. Nam virtus animalis ad motum suum voluntarium & pro voluntate intermissum, utitur nervis & musculis pro suis instrumentis. Vitalis verò arteriis, quemadmodum & naturalis venis, vel ^o naturalis in hepate, quæ est Aut ^p primaria, eaq; vel nutritiva per appositionem, unionem & assimilationem, cujus defectu Atrophia, Anasarca & Morphæa provenire solent; vel augmentativa in longum, latum & profundum; vel generativa per immutatricem, quæ semen deducit, & per formatricem, quæ deductum semen format. Aut ^q secundaria, quæ est primarum ministra, & est vel attractrix per fibras rectas, vel retentrix atque concoctrix per fibras obliquas, vel expultrix per fibras transversas.

Aut actio, tam ^r voluntaria sive animalis, quæ est ^s vel ad aliquod tempus, ut respirare, egerere, mingere, ^t vel ad semper, eaq; est triplex, videl. sensatio, motio, quæ actuosa dicitur, & princeps, imaginatio scilicet, ratiocinatio & memoria; quàm ^u involuntaria, quæ est vel vitalis, & consistit aut in cordis dilatatione tantum cujus effectus sunt, læticia, spes, confidentia, amor, misericordia, humanitas

^h Avicenn. prim. pr.

ⁱ Gal. 1. ar-

^j us parva.

^k Gal. de

^l Elem. c. 8.

^m & de diff.

ⁿ morb. c. 3.

^o Gal. 2. de

^p nat. fac.

^q Gal. de

^r Elem. c. 8.

^s Gal. lib.

^t de art. cur

^u ad Gal.

^v Avicenn.

^w prim. pr.

^x d. 6.

^y Avicenn.

^z ibid. doc. 5.

^{aa} cap. 1.

^{ab} Gal. 2. de

^{ac} Temp. c. 1.

^{ad} Gal. de

^{ae} diff. fib.

^{af} Gal. lib. de

^{ag} diff. feb.

^{ah} Gal. lib. 1.

^{ai} de Temp.

^{aj} cap. 4.

^{ak} Gal. 3. de

^{al} hum.

^{am} Gal. 2.

^{an} Temp. c. 2.

^{ao} Gal. 1. de

^{ap} Elem. c. 9.

^{aq} Gal. 5. de

^{ar} simpl. med.

^{as} fac. cap. 16.

^{at} Gal. de

^{au} symp. diff.

^{av} cap. 3.

^{aw} Gal. de

^{ax} simpl. diff.

^{ay} cap. 3.

^{az} Avicenn.

^{ba} prim. pr. c. 6.

^{bb} Gal. de

^{bc} simpl. diff.

^{bd} cap. 3.

^{be} Gal. in

^{bf} sympt. de-

^{bg} puls. c. 34.

^{bh} Gal. lib.

^{bi} de nat. fac.

^{bj} Gal. ibi-

^{bk} dem Avic.

^{bl} prim. pr.

^{bm} cap. 1. 3.

^{bn} Avic. ib.

^{bo} cap. 3.

^{bp} Gal. de

^{bq} loc. aff. &

^{br} diff. simpl.

^{bs} Gal. de

^{bt} diff. respir.

^{bu} c. 5. & 6.

^{bv} Gal. de

^{bv} sympt. diff.

^{bw} cap. 3.

^{bx} Gal. de

^{bx} doc. aff.

^{by} Gal. 1. de

^z aut diff. puls.

7 Gal. ibid.
Avic. se-
cund. prim.
doct. 3. sum
2. 1. 2. 3.

7 aut in ejus contractione & dilatatione simul, quæ systole & diastole dicitur, ex cu-
jus motu vario pulsuum diversitas oritur; quæ consistit in tempore, unde pul-
sus creber, sive velox tardusque dicitur, vel in tribus dimensionibus, unde dici-
tur, longus, brevis, latus, strictus & subtilis, altus & elatus, profundus, occultus &
submersus, magnus atque parvus; vel in robore virtutis seu in percussione venæ ad di-
gitos; sic pulsuum vocamus vehementem & fortem, debilem & languidum, vel in
corpore arteriæ; atque ita dicimus pulsuum esse durum aut mollem; vel in primis
qualitatibus; quo modo pulsuum considerando, eum calidum, frigidum, humi-
dum & siccum dicimus, vel in plenitudine arteriæ; atque ita plenus dicitur pulsus
vel vacuus; vel in tempore quietis; atque ita creber appellatur, spissus & frequens,
aut rarus, resolutus & lapsus; vel in rhythmo; atque tunc nuncupatur talis motus
arhythmos & eurhythmos; vel in equalitate vel inæqualitate, hocque; vel in pulsu u-
no, & tunc dicitur æqualis, dispar & inæqualis, vibratus & dicrotus, crapuzans bis
feriens, seu bis pulsans, innuens, circumnuens, intercurrentes; vel in pluribus pul-
sibus & dicitur collectivus; estque talis motus vel deficiens seu intermittens &
interceptus, forricinus, mutilus decurtatus, deficiens decurtatus, atque decur-
tatus reciprocus; vel in compositione; & tali modo pulsus dicitur undosus, ven-
miculans, formicans, hecticus seu tremulus, convulsivus atque ferratus. De
his autem copiosè tractat Gal. 1. de caus. puls. cap. 5. 6. Et lib. 1. de præ sag. ex puls. cap. 3. Et
2. de dignosc. puls. cap. 2. & lib. 3. de differ. 3. cap. 5. Imò verò lege omnes hos Galeni li-
bros, videlicet de diff. puls. De dignosc. puls. De caus. puls. De præ sag. ex puls. De puls. ad
Tyron. De synopsis. puls. &c. ut in cordis² contractione tantum, cujus effectus sunt
tristitia, desperatio, metus, odium, invidia, ira, furor, verecundia, &c.

2 Avic. de
med. cord.
cap. 2.
2 Gal. de
Nat. fac. A-
vic prim.
prim. doct.
6. cap. 2. 3.

Vel^a actio involuntaria est naturalis, eaque aut secundaria, videlicet attractio,
retentio, alteratio, expulsio; aut primaria, videlicet, nutritio per appositionem, u-
nionem & assimilationem, auctio in longum, latum & profundum, generatio
per immutationem & per formationem. Atque hoc modo breviter per epitom-
en ista tradidimus, & succinctè Medicorum de novem rerum naturalium
speciebus, duplicem hominis compositionem concernentibus, opiniones pro-
posuimus. In capite verò sequenti principia nostra circa compositionem hu-
manam, ejusque elementa, humores, corpus, virtutem atque actiones secun-
dum nostram intentionem explicabimus.

C A P. IX.

*De principiis nostris Microcosmi, & quomodo tam cum principiis divinarum
literarum, quam cum intentionibus omnium Philosophorum
& Chymicorum convenient?*

JAm porrò demonstrabimus, quomodo hæc nostra doctrina seu Philosophia
in omnibus tum Theologorum, tum etiam Philosophorum & Medicorum
veterum opinionibus in physiologiæ humanæ descriptione consona sit & con-
veniens; ac primùm quidem, methodicè progrediendo, à principiis omnium
primariis exordiemur. In primo igitur primi nostri Tractatus libro, ubi de principiis
egimus, luculenter declaravimus, quod omnium rerum principia sint Tene-
bræ, Aquæ seu Spiritus intermedius, & Lux; diximusque, tenebras esse de formi-
tatis originem & privationis formalis causam immediatam, declarando, eas
non esse merum accidens, sed pro re quadam non imaginabili tenebris obruta
accipiendas esse; quæ quidem videbatur esse inter aliquid & nihil. De talibus te-
nebris Aegyptiacis loquebatur Moses in Exod. quas palpabiles vocavit. Erãt ergo hæ
tenebræ

tenebræ quasi velamētum rei vix imaginabilis & omnino informis. Hoc agnovit *Moyſes Genes. 1.* quando dicit, quod tenebræ fuerint super faciem abyſſi. Per terram etiam inanem tenebras omni luce informante deſtitutas intellexit; ex quibus mediante luce, terra germinans, viſcens & fertilis tertio die creata atque repercuffiva lucis virtute in machinæ centro producta fuit. Hic ergo veram habemus materiam primam Peripateticorum deſormitate amictam. Hic luce clariùs videtis, tenebras eſſe eorum principium per accidens privationem rebus inducens. Hic etiam Platonice hylæ myſterium, quod ſomnio comparaverunt, diſcernere poteſtis; at verò Spiritus Domini, quem *Mercur. Triſmeg. Pimand. 1. Deum ignis* appellavit, ſeipſum in tenebris revelans; *Tibi, inquit Pſalmiſta, tenebra non ſunt tenebra, ſed nox eſt tam clara tibi, quam dies.* Tenebrarum tegumentum diſcuſſum eſt, & deorſum obliqua revolutione reverberatum ad fabricæ centrum; atque ita illud informe, quod in tenebris erat occultum, & forma omni carens, nunc lucis pulchritudine decoratum, appellatur nomine aquarum ſeu ſpirituum. Unde immediatè poſtquàm dictum eſt, quòd tenebræ fuerint ſupra abyſſum, perhibetur abyſſus illa in aquam eſſe converſa per præſentiam lucidi fontis Spiritus. Unde ſcriptum eſt: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Hic ergo habemus materiam ſecundam *Ariſtotelis* & ſpirituum univerſum *Platonicorum*, &c. Habemus etiam formam formarum, videlicet Spiritum divinum, & lucem ab ejus ſola præſentia primo die creatam, cujus virtute & aſſiſtentia omnia ſunt informata, & in actum deducta. Quibus luculenter ſatis explicatur, quòd tria noſtra principia ſint illa ipſa, quæ *Moyſes* diſtinctè nominavit, videlicet tenebræ, aquæ ſeu ſpiritus, & lux; & promde quòd ea ſint efficaciffima & infallibilia, utpote cum quibus omnia omnium Philoſophorum principia convenire obſervantur. Quæ enim alia ſunt *Ariſtotelis* principia quàm hæc noſtra, ſeu potius *Moiſaica*? Quid enim aliud *materia* ejus *prima*, quàm *abyſſus* (quare eam dixit hylam) & *privatio* ejus ſeu *materia deſormitas*, quam vocavit *tenebras*? Quid ejus *materia ſecunda* præter illam, quam ipſi Philoſophi cum *Moyſe* agnoverunt eſſe *aquam*? Quid ejus *forma*, cujus virtute, ut ipſe fatetur, *materia prima* & *potentialis* in *ſecundam* & *actualem* reducitur, (unde eam etiam actum primum vocavit) præterquàm *Spiritus divini* fructus, ſeu effectus, ſeu lux primo die creata? Hoc idem etiam eſt *hyle Platonica*, quod abyſſus *Moiſaica*, & idem ejus *idea*, quod *Spiritus radii*; idemq; porrò ejus *Spiritus intermedius*, quod aquæ, quibus Spiritus Domini incubabat. Quòd autem ad rerum principia ſecundaria omnia attinet, nonne ab hiſce primariis illa per conſequentiam deſcendunt? *Galenus* & *Hippocrates* quatuor ſummas qualitates fecerunt principia. Quomodo autem hæc à noſtris principiis actione diverſa promanent, antea in *tractatus primi libro primo* declaravimus; videlicet caliditatem ex lucis effectū, frigiditatem ex hylæ gremio & aquarum centro, humiditatem ab actionibus & paſſionibus intermediis prodiſſe diximus; ſiccitatem verò oſtendimus nihil aliud eſſe, quàm humiditatis abſentiam. Unde, quia humiditas in loco intermedio invenitur, neceſſe eſt, ut ſiccitas incolat utrumque extremum. Poſtea etiam ipſa quatuor elementa, à dictis qualitatibus orta, vocant principia corporis humani. Quæ quidem nos rectius in tria reduximus. ſumendo integram humiditatis ſphæram cum *Arteſio* & *Avicenna*, pro unico ſolo elemento & duo extrema produobus cæteris. Diximus etiam, quòd elementa in ſua ſubſtantia nihil aliud ſint, quàm aqua; quæ groſſior aut tenuior facta propter lucis majorem aut minorem præſentiam (nam major lucis portio magis ſubtiliat, minor verò minùs) differentias diſtinctas producit in ſua maſſa, quæ elementa dicuntur. Deinde groſſiora adhuc principia nominaverunt ex elementis facta, ex quorum unione corpus humanum conſtat, videlicet quatuor humores; quos itidem quoque

nos in tres, secundum elementorum discrimen contraximus, videlicet, ut elementorum materia erat aqua seu spiritus, sic humorum materia erat chylus; atque ut materiae elementaris nimia calefactione igneum elementum productum fuit, sic etiam nimia chyli concoctione bilis generatur. Unde videmus, quod homines hepate calido praediti aptiores sint ad bilis procreationem. At vero si nimium aduratur, in terram revertitur non minus, quam lignum in carbones & deinde in cineres. Unde ex eadem sphaera habemus ignem & terram. Nam in elementari rotatione & circulatione, ignis cum terrae siccitate convenit. Est tamen & terra simplex in sua natura, quae naturalem melancholiam & sanguinis faciem producit; quae vero grossior, frigidior & crudior est, aqua animalis portio. Atque ita habemus bilem naturalem seu flavam & melancholiam naturalem, atque illam, quae ex bile adusta inter humores animales numeratur. Sphaera autem media magis aut minus participat de utroque extremo. Est tamen ex vera natura sphaerae humiditatis. Nam pituita aquae refertur, quae ob suam propinquitatem cum terra crudior atque frigidior est; sanguis vero, aeri comparatus, maturior est & magis coctus, quatenus bili seu elemento ignis comparatur. Tota ergo humorum massa universo elementorum Spiritui assimilatur, sphaeraque intermedia a sensibili utriusque humoris extremi actu non aliter producitur, quam sphaera humiditatis ab actione frigoris ter restris & caliditate elementi ignis. Nam frigiditas est terra, ut actionibus ignis occurrat, exiliens, sua dispositione frigida & sicca atque congelativa in media via inter ignem & terram, resistit actionibus ignis deorsum descendentibus. Ignis vero calor dissolutivus liquefaciendo & relaxando vim frigoris congregativam, in spiritu seu aqua intermedia operantem, resolvit ipsam in quendam madorem, qui secundum magis vel minus in spissitudine relinquitur, pro majori vel minori sua appropinquatione ad alterutrum extremum. Caeterum, quoniam hic radiorum caliditatis & spirituum condensorum frigiditatis concursus fit in ipso quasi centro inter ignem & terram, idcirco evenit inde, ut versus inferioris aereae regionis peripheriam nubes assidue congregari videamus. Haec ergo est vitae causa, videlicet caloris actio in humore ad impediendos frigiditatis insultus congelativos, qui, si dominium habuerint, mortificationem secum adferent, ut in gangraena malo demonstratur. Atque hinc fit, ut calidum innatum semper comitetur humidum radicale. Nam sine calido humidum facillime praesentia frigoris congelabitur, quae est causa mortis. Nam ut calor est causa motus & vitae; sic est converso frigus est causa quietis & mortis: Ut autem lucis & tenebrarum effectus se habent in Macrocosmo, sic etiam itidem se habent effectus animae & corporis in Microcosmo. Nam animae praesentia & actu caloris ejus, sanguis fit fluidus, ejus vero absentia congelatur, motusque omnis tollitur. Similiter, ut aqua a tenebris derivata est, ex qua conflata sunt elementa, sic etiam a corpore omnium humorum materia orta est, unde substantiam corpoream & visibilem habet. Hinc ergo corporis sanitas & infirmitas, vita & mors, ab humoribus procedit, eorumque successione membra corporis oriuntur & nutriuntur. A caloris facultate bonae corporis virtutes & actiones oriuntur, tam voluntariae, quam involuntariae, quae est converso a frigoris dominio depravantur. *Verbi gratia.* Animales actiones congelativa frigoris facultate corrumpuntur, ut in paralyti, catoche, apoplexia & hujusmodi aliis. Spiritus vitales tetris melancholiae vaporibus inquinantur, corque contrahitur, unde tristitia, metus, ira, desperatio, cordis tremor, syncope, & multa alia hujusmodi prava accidentia inducuntur. In parte naturali per frigoris malitiam, facultas attractiva, expulsi-
va & concoctrix laeditur, membraque atrophiam, hydropem & infinitis aliis infirmitatibus afficiuntur. Sed ad principia nostra redeundo, videmus, quod ab illis ad
homi-

hominis compositionem oriuntur tria principia, ab omnibus tam Theologis, quàm Philosophis, Medicis & Chymicis approbata; videlicet *corpus, spiritus & anima*, ac si quis diceret, *terra, aër & ignis*, vel *tenebræ* (ex quarum congerie terra est, & ex terra corpus, uti supra demonstravimus) *aqua* seu spiritus tenebris exutus, & *lux* spiritum informans atque in eo habitans. Nonnulli etiam hæc tria in duo contraxerunt, videlicet in *animam & corpus*. Et tunc appellationi animæ spiritum incluserunt, qui semper est animæ vehiculum; unde animam ejus spiritum vocaverunt. Sed quid jam tandem de *Paracelsi* principiis censendum sit, uno verbo dicemus, & quòd cum nostris etiam convenient, breviter ostendemus. Ipse tria rerum omnium posuit principia; videlicet, *Sal, Mercurium & Sulphur*. Quæ, si diligenter rem consideremus, ex nostris principiis immediatè effluere atque promanare percipiemus. Nam ex terræ seu tenebrarum centro sal extrahitur, & terræ cum igne mixtæ refertur; Sulphur verò seu rerum anima & tinctura, à luce, tanquam animarum, tincturarum & vitarum origine procedit; Mercurius autem partim de sale & partim de igne participans, spiritui in intermedio non ineptè assimilatur. Nam aërem universalem Macrocosmicum secundum suam materiam esse salelem petreæ, superius probavimus, & secundum formam suam nihil aliud esse, quàm ignem dilatatum, & ubique per orbem Macrocosmicum expansum. Unde ejus pars superior in infima mundi regione dicitur *ignis*, ejus verò totum in regione media dicitur *ather*, quasi *athaër*, id est, *igneus spiritus*, & porrò ejus totum in suprema regione, per excellentiam vocatur *empyreum*, hoc est, *totum quasi lucidum atque igneum*. His igitur manifestè, ni fallor, explicatur, tum quòd hujus nostræ Philosophiæ principia cum omnibus aliis tam Theologorum, quàm omnis generis Philosophorum opinionibus convenient, & quòd præter lucem, spiritum atque tenebras seu terram non sint aliqua alia principia naturalia excogitanda; tum etiam, quòd hæc tria in sua dispositione referantur ad illa tria principia infinita, & increata unius essentiæ; tum denique quòd unumquodque horum creatorum principiorum habeat respectum ad triplicem dierum primorum creationem; videlicet lux, ad primam, indicans Deum, cujus imago lux erat, fuisse ante omnia: Deinde spiritus seu aquæ, ad secundam, in quarum medio firmamentum, quòd cælum nuncupatur fuit positum: Tertia die terra ex tenebrarum congerie ad opificii centrum conglomeratarum facta est: Atque tum immediatè ex his principiis corpora composita sunt producta; videlicet herbæ viventes, semen proferentes, & arbores seu plantæ, fructum juxta genus suum producentes. Imò verò ante horum principiorum productionem ipsæ stellæ erraticæ cœli non fuerunt creatæ; quoniam eorum crassum ex terreo subtili factum fuit. At verò *Angeli atque Intelligentiæ*, quatenus ex simplicissimo spiritu & luce primo die in cœlo empyreo creati producti sunt opus non habuerunt, ut tertii principii ortum ad suam existentiam expectarent; quare *primo die fuerunt creati*. Omnes autem creaturæ mundi visibilis trium principiorum prædictorum opem ad suam existentiam requirebant; inter quas hominem, nobilissimum illud subjectum, quòd præ manibus nostris habetur, præcipuè nominamus, qui ex corpore (quòd sacre Scripturæ in multis locis terram & tenebras appellarunt) triplici spiritu intermedio, & anima seu lucis proportionem itidem triplici, tribus Macrocosmi regionibus correspondente, componitur. Atque ita humanæ creationis rationem breviter proposuimus & declaravimus.



TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R X.

De triplici animæ in corpore visione.

C A P. I

De primo genere visionis, qua videlicet anima res corporales percipit per sensum; & quomodo in hac sua visione aliquando decipiatur?



Tria visionum in animâ esse genera ab effectu in fallibili animadvertimus; quorum *primum* est *corporale*, quo per corporis sensus corpora rerum colorata eorumque dimensiones & alia sensibus obvia percipiuntur. Nam quamvis substantia & conditio animæ sit invisibilis, & per consequens invisibiliter in corpore maneat; attamen ipsa è corpore prospiciens & invisibiliter quasi egrediens, per corpus corpora videt, videlicet cælum & terram atque creaturas in iis, oculis nostris conspicuas. Atque hæc animæ visio, mediantibus corporis sensibus externis, perficitur. *Secundum* visionis in anima *genus spirituale* est, quo corporum similitudines spiritu solummodò, & non ratione seu mente, cernuntur. Quicquid enim materiale est, & tamen corpus non est, illud rectè meritoque spiritus dicitur. Idcirco quadam vi occulta & spirituali ita rapitur anima, ut loco corporum expressas eorum similitudines, tanquam in speculo videat. *Tertium* visionis *genus* est *intellectuale*, quo res illæ, quæ nec corpora, nec corporum formas habent, conspiciuntur; quales sunt, ipsa mens, Deus, justitia, sapientia & omnis animæ affectio bona. Nam visione intellectuâ nunquam fallitur anima. Autem intelligit anima, & verum est, quod intelligit; aut si verum non est, non intelligit. In visione verò corporali quàm sæpissimè errat & fallitur anima, secundum vetus illud & verum axioma Philosophorum; *sensus fallitur circa proprium & verum objectum, cum in ipsis corporibus fieri putat quod videtur apparere in phantasia*. Verbi gratia. Nav: ganubus videntur terra, civitates, arbores & similia moveri; similiter in terra firmè consistentibus sursumque cælum intuentibus

bus videntur sydera stare; quæ tamen omnia ab ortu in occasum, & è converso moveri diligens homines docuit observatio. Porrò etiam divaricatis oculorum radiis, res una duplam habere formam videbitur, & in aqua baculus fractus apparebit, & multa id genus alia. Imò verò inter omnes alios sensus maximè *visus*, quamvis præstantissimus, decipitur. Nam videmus in speculo aliquando majus idolum, aliquando minus & nonnunquam æquale; similiter in alio dextra videbitur esse sinistra, & è converso; sic etiam quod sursum est, deorsum se habere videbitur, & vice versa. Aliquando idolum apparebit extra speculum, ut in concavis probatur; aliquando verò intra speculum; Et in uno itidem speculo, videlicet in concavo oblongo, res videbitur justo longior, in convexo verò brevior æquo, in plano verò apparebit, prout in sua forma naturali existit: Attamen in planis speculis dextra videbitur esse sinistra, & sinistra esse dextra; atque sic in cæteris infinitis, de quibus optica scientiæ peritiluculenter egerunt; Imò verò & nosmetipsi in scientia nostra optica, in libellis de radiis refractis & reflexis hæc omnia succinctè & unico quasi verbo delineavimus. Sensus etiam *auditus* interdum animam fallit, dum aliquis, ululatum cattæ seu felis, vel canis audiens, putat eum esse clamorem vel querelam aliquam mulieris vel hominis aut infantis. Similiter tormenti bellici strepitus pro tonitru non rarò accipitur, voxque unius hominis pro tono alterius habetur; sic etiam in Musica nonnunquam dissonantia pro consonantia approbatur, & vice versa. Porrò etiam per *gustum* decipitur anima, quatenus ipse circa proprium objectum fallitur. Sic aquam aromaticis admixtionibus in vini colorem & saporem Medici periti convertere norunt & solent, ita ut ab ægris pro vero vino accipiatur, quod quidem etiam meipsum vario artificio præstitisse non eo inficias; Sæpiculè etiam fallitur gustus, rem unam pro alia propter naturarum similitudinem accipiens. Hallucinatur etiam anima in sensu *Odoris* sive *Olfactus*; quatenus sæpissimè videmus, quòd ex odore sæpè res aliud, quàm revera est, esse creditur; atque hoc quidem tam boni, quàm mali odoris ratione accidere percipimus. *Tactus* denique animam decipit modis infinitis. *Hinc Isaaci anima decepta fuit à Rebecca*. Ex quibus evidens est, quòd visio illa animæ corporalis, quæ sentibus exterioribus pro organis suis utitur, circa objecta corporea fallatur. Atque hîc est primus visionis in anima gradus, quo corpora sentimus, quam quidem functionem anima per quinque corporis sensus expedire solet.

C A P. II.

De secundo gradu visionis animæ, quæ est in imaginatione seu phantasia, & quomodò anima in ea nonnunquam fallatur, patiatur, atque aggravari videatur?

Secundo genere visionis animæ, quo non corporea, sed corpori similia, atque Sadeò etiam nosmet ipsos non aliter, quàm corporibus similes, intuemur, res in spiritu phantastico conspiciuntur, quemadmodum imago in speculo politissimo. Atque ut imago corporis in speculo se habet ad corpus, quod extra speculum existens, imaginis figuram suâ præsentia exhibet: sic etiam corpus in sensu externo visorum icones atque effigies spiritui imaginationis im-

tur. Sensum igitur & animæ per eum visionem regioni mundi inferiori comparamus, in qua corpora verè visibilia sunt trina dimensione circumscripta. Imaginationem autem & illam animæ visionem, quæ per eam fit, effigiebus celestibus referimus, quæ tales videntur, quales non sunt. Sic *Aries cæli* videtur habere arietis terrestris simulachrum. Et *vialactea* talis esse videtur, qualis non est, sed potius similitudo est rei illius, quæ videtur esse. Intellectum etiam & animæ per eum visionem rebus supercælestibus tribuimus, in quibus nec corpus, nec alicujus rei corporeæ aut sensibilis imago invenitur, quales sunt Deus, mens rationalis & intellectualis, ratio, virtutes cardinales, castitas, pietas, & quæcunque alia sunt ejus generis, quæ intelligendo vel cogitando enumeramus, discernimus & definimus, ut supra dictum est. Animadvertendum autem est, quòd intellectuali visione, nunquam fallitur anima. Aut enim intelligit anima, & verum est, quod intelligit; aut, si verum non est, non intelligit. In visione autem corporali sæpè fallitur anima, ut dictum est in capite præcedenti. Sed & fallitur anima in visione spirituali, de qua hîc agemus, atque illuditur; quoniam ea, quæ videt, aliquando vera, aliquando falsa, atque nonnunquam perturbata & interdum tranquilla sunt. Ipsa autem vera aliquando futuris similia, vel seorsim aut secretò dicta, aliquando obscuris significationibus, & quasi figuratis locutionibus, vel oraculo, visione, somno, insomnio atque extasi animæ pronunciata videntur; de quibus verba hîc ordine & methodo justa faciemus. Hinc igitur apparet, animam non esse corpoream, sed potius corporis quasi similitudinem, quæ non est corpus; quemadmodum spiritus non est corpus, sed de corporis & lucis natura participans, quoniam dormienti & in somno alicui veluti corporeus apparebit, neque tamen id corpus ejus est, sed anima, nec verum corpus, sed similitudo corporis ejus. Jacebit enim corpus ejus, ambulabit anima; tacebit lingua corporis ejus, ac loquetur ipsa; clausi erunt oculi tui, videbit autem tem illa; & ita in ea tota ac integra cernetur similitudo carnis ejus. In hac similitudine quasi per loca cognita & incognita discurrit, & sentit læta vel tristia. Anima autem mortui, sicut dormientis, in ipsa similitudine corporis sui sentit sive bona sive mala; quæ tamen non sunt corporalia, sed corporibus similia, & quasi Narcissi imago in latice fontis, quibus animæ corporibus exuta, afficiuntur, sive benè sive malè, cùm & ipsæ suis corporibus similes sibimetipsis appareant: sunt tamen vel vera lætitia vel molestia translata de substantia spirituali in substantiam spiritualem, ut reflexio de uno speculo in aliud. Certum nempe est, quandam spiritualement naturam in nobis esse, ubi corporalium rerum similitudines aut formantur aut formatae ingeruntur, sive cum præsentia aliquo corporis sensu percipimus, ita ut continuò eorum similitudo formetur & memoria recondatur; sive cum absentia jam tum ante nota, vel etiam, quæ non novimus, cogitamus, ut inde formetur quidem spiritualis intellectus. Innumerabilia etiam pro arbitrio & opinione fingimus, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur. Innumerabiles itidem aliæ rerum formæ in animo nostro depinguntur, cum vel facimus aliquid, vel facturi sumus. Aliquando etiam spiritu rapiente, tollitur anima, ut videat hujuscemodi sive bona, sive mala. Anima quoque intensione cogitationis, vel aliqua vi morbi (ut in delirio è febre orto accidere solet) aut commixtione cujusdam alterius spiritus sive boni, sive mali, fallitur atque patitur. Nam corporalium rerum imagines in spiritu exprimuntur, & tanquam corpora, ipsius corporis sensibus præsentantur; ita ut absentia videantur adesse, tanquam præsentia, atque ut ea, quæ non sunt præ oculis, adesse credantur. A dormientibus etiam multa videntur, vel nihil, vel aliquid interdum significantia. Unde sæpè imagines rerum corporalium tanta expressione objiciuntur in somniis, quanta præsentantur ipsa corpora vigilantibus, in tantum quidem, ut

etiam

etiam inter visionem dormientium & veram cognitionem vigilantium non discernatur, sed continuò iis caro moveatur, & contra propositum suum, vel contra mores licitos, concumbere sibi videantur, ac quod naturaliter collectum est, per genitales vias emittant; quam quidem actionem Medici *nocturnam pollutionem* nuncuparunt. Hunc motum casti vigilantes cohibent & refrænant, quem dormientes ideò compescere non possunt, quia in potestate non habent imaginis corporalis expressionem, qua caro naturaliter movetur, unde sequitur illud, quod cohibitum sequi solebat, & quod sine peccato à vigilantibus fieri non potest, fit in spiritu, & multa pro arbitrio finguntur, vel præter arbitrium demonstrantur, dum corporalium rerum imagines apparent. Ipsa namque anima, quæ motu proprio semper in motu est, quia à corpore non finitur, vel etiam planè non finitur corporalia sentire, aut ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, idcirco, corpore sopito, spiritu ipsa agit, sicuti imagines corporum cogitando ex se ipsa versare assolet, aut subjecta intuetur, cum ad ea videnda aliquo spiritu assumitur. Notare autem vos velim, *ô Lectores æquo animo opera hæc nostra legentes*, quod non de mente jam loquamur; quam supra probavimus, nulli passioni aut mutabilitati obnoxiam esse, sed de anima media in corpore, sensibus & spiritu corporali, imaginationi attributo, mixta, quæ si per sensum corpori jungatur, hoc est, si visione corporali visibilia corporea intueatur, corporea dici potest ab effectu, si per phantasiam circa visionem spiritualium & similitudines corporum versetur, spiritualis dicitur, atque ita quoque, si per intellectum circa visionem, in qua nec corpora, nec corporum similitudines conspiciuntur, occupetur, rationalis & intellectualis appellatur. Namque hæc anima si menti adhæreat, tùm ejus visio circa mentem & intellectum magis versatur. Si verò magis animæ sensitivæ subjiciatur, tunc visionibus ejus inferioribus utitur. Est ergo hæc anima substantia spiritualis, ex luce & spiritu medio conflata, & per consequens simplex & indissolubilis, incorporea, passibilis & mutabilis respectu abundantia spiritus sui, qui passibilis est; at verò, quoad formam suam lucidam, permanens, fixa atque immutabilis. Quò ergo magis deorsum inclinatur, eò magis spiritu submergitur, & per consequens passioni subjicitur. Quò verò magis sursum elevatur versus mentem, eò minus aggravatur perturbationibus materiae. Hinc ergo in mentis regione, ubi intellectuales visiones facit, semper vera intuetur, propter ejus libertatem à passionibus & eximiam lucis potentissimæ operationem. At verò in inferioribus suis visionibus falsa pro veris, quàm sæpius speculatur propter grossitiem medii, in quo natat. Sic remus vel baculus rectus, aquæ immixtus, propter medii spissitudinem, frangi atque incurvari videbitur; Unde res tales id videbuntur, quod reverà non sunt, atque ita fallitur anima: Caret etiam anima pondere, figura & colore, quatenus invisibilis & sensu non capienda. Nec quidem etiam pro parte capienda est, sed pro creatura Dei, neque etiam de substantia Dei, nisi in quantum participat de ejus bono lucido: neque est de materia quatuor elementorum, sed ex nihilo cum quinto spiritu essentiali creata, siquidem Deus eam ex semetipso fecisset, nequaquã vitio, passioni, mutabilitati aut miseriae esset subjecta. Porrò etiam, si ex elementis fieret, esset corporea. Initium ergo habet, sine verò eam carere certum est. Et cum spiritualis sit atque ætherea, nihil habet terreni secum mixtum aut concretum; nihil humiditatis aëreæ aut aqueæ, nihilque caliditatis & siccitatis elementi ignei. Ut igitur ejus natura est invisibilis, sic etiam invisibiliter in corpore manet, & de corpore invisibiliter egreditur, per corpus corpora videt, veluti cælum & terram, & quæ in iis conspicua sunt oculis nostris. Per spiritum autem corporum similitudines intuetur. Quicquid enim corpus non est, & tamen aliud est, non insulse dicitur Spiritus. Per intellectum ea videt, quæ non

corpora sunt, nec corporum formas habent, quemadmodum in superioribus deductum est.

C A P. III.

*De animæ visionibus, similiter de somniis & quinque ejus generibus :
De Phantasmate, Ephialte, & tandem
de Extasi.*

EORUM, QUÆ NŌ SUNT CORPORA, SED SPIRITUALES CORPORUM SIMILITUDINES, quales cernimus per imaginationem, alia sunt visa usitata, alia dormientibus apparent, atque nonnulla in extasi percipiuntur. Quæ sunt *visa usitata & humana*, ea vel ex spiritu nostro existunt, vel ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur; secuti, cum vel carne vel animo homines fuerunt affecti, non solum vigilantes in similitudine corporum versant animo curas suas cogitando, verum etiam dormientes somniando tractant illud, quo indigent. Namque & negotia sua gerunt ex animi cupiditate, & epulis poculisque inhiant, si fortè sitientes elurientesve obdormiverint. Vigilantibus etiam occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes, quibus divinarent, novimus; sicut *Caiphas Pontifex* prophetavit, cum ejus intentio prophetandi voluntatem non haberet. Videmus ergo ex supra dictis, quòd multa videat anima, & quòd eadem natura sit omnium visionum, sive in vigilantibus, sive dormientibus, sive ægrotantibus; quoniam res hujusmodi, quæ videntur, non sunt ex alio genere, quàm ex natura spiritus, de quo vel in quo sunt similitudines corporum: Obscuratas namque vias habet sentiendi, ut videat, quæ somniantes vident. Visa siquidem Phreneticorum similia sunt visis somniantium, similia sunt cogitationibus vigilantium. Dormientibus quidem in cerebro consopitur via sentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit, ideoque ipsa intentio, in aliud versa, cernit visa somniorum, ac si corporales species adessent; ita ut sibi dormiens vigilare videatur, & non corporum simulachra, sed ipsa corpora intueri. Nec certè sine admiratione insigni contemplor, & contemplando afficior stupore haud exiguo, quanta celeritate & facilitate anima fabricetur imagines corporum eorum, quæ per corporis oculos videt. Qualiscunque tamen illa visorum natura sit, proculdubio corpus non est. Non enim corpora visa illas imagines in spiritu faciunt, nec eam vim habent, ut aliquid spirituale forment; sed ipse spiritus in seipso celeritate mira id præstat, utpote spiritualis, intellectualis atque rationalis. Quæ dormientibus apparere videntur, secundum *Macrobio* opinionem, in quinque genera distribuuntur, videlicet in *oraculum, visionem, somnium, insomnium & phantasiam*. *Oraculum* definit esse, cum in somnis parens, vel aliqua gravis, sanctaque persona, seu sacerdos, vel ipse Deus, eventurum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum aut devitandum, denunciat. De quo sacre Scripturæ multis multa locis disertè tractaverunt, & *Jamblicus* in suis mysteriis permulta recitavit. *Viso* est, cum id quis videt, quod eo modo, quo apparuit, evenit. *Somnium* est figuris tectum, & sine interpretatione intelligi non potest, hoc est, ænigmatibus obductum. Unde *Num. 12. In os alloquitur Jehova Moysen, & ostendit, non per somnia & ænigmata & figuras, ut solebat cateris Prophetis se patefacere; sed palam Deum aspexit, atque similitudinem Jehovæ intuebatur*. *Insomnium* est, quando id, quod vigilantem fatigavit, ingerit se dormienti: cujus generis sunt cibi cura, vel potus, vel aliqua studia, vel artes, vel infirmitates; namque secundum studia, quæ quisque exercuerit, somniare solet; Similiter solitarum artium simulachra, de præsentibus impressa, apparent

bunt in infomniis. Porrò etiam, juxta infirmitatis diversitatem, diversa incidunt infomnia, & secundùm morum ac humorum varietatem itidem quoque illa variantur; cum alia videant sanguinei, alia cholericici, alia phlegmatici, & alia melancholici; isti vident rubea & ignea; illi alba & nigra. *Phantasma* est, quando quis dormire vix cœpit, & vigilare se adhuc existimat, ac aspiciere sibi videtur alios quasi in se irruentes, vel passim vagantes formas, discrepantes & varias, easque vel lætas vel turbulentas: sub quo quidem genere *Ephialtes* seu *incubus* & *sucubus* numeratur; quem fama est, quiescentes subito atque inopinatè invadere, atque eos suo pondere gravare. Quod quidem juxta Medicorum opinionem nihil aliud est, quàm quædam fumositas à stomacho vel corde ad cerebrum ascendens, atque ibi vim naturalem comprimens. In *extasi* ab omnibus corporis sensibus anima alienatur & avertitur, magis, quàm in somnio, sed minùs, quàm in morte. Anima in hac non fallitur, sed ipsa mente divinitus adjuvatur, sicuti in *Apocalypsi Johannis* exponitur. Magna quidem est hæc revelatio, siquidem, cum bono spiritu assumitur, anima falli non potest; quia sancti Angeli miris modis visa sua per facilem quandam ac præpotentem unionem vel mixtionem, vera reddunt, & visionem suam ineffabili quodam modo in spiritu nostro reformant. Ipsi siquidem hisce corporibus indicandis & ministrandis præsumunt, & eorum significativas similitudines in spiritu ita disponunt, & tanta potentia quadantenus tractant, ut eas possint hominum spiritibus revelando commiscere. Inde est, quòd *Angelus Jehovæ apparuit in somnis Joseph, dicens: Noli timere, accipe Mariam conjugem tuam. Et iterum. Tolle puerum & fuge. Deus autem per Prophetam Joël dicit: Et effundam de spiritu meo super omnem carnem, & juvenes visiones videbunt, & senes somnia somniabunt, &c.*

C A P. IV.

De hominum in bestiarum effigies per præstigiosam veneficarum operationem transformatione. Quomodo Dæmones boni vel mali assumant hominis spiritum; Et qua via Dæmones mali futura prænuncient, ac deludant falsis apparitionibus?

Accidit aliquando, secundùm nonnullorum fide dignorum opiniones, ut, arte quadam venefica mulierum & potestate Dæmonum, homines in lupos & jumenta conversi, instar brutorum, necessaria quæque portent, operèque hoc completo, iterùm ad se & pristinam formam suam redeant, ita tamen, ut mens interim in illis non fiat belluina, sed rationalis humanaque conserveatur. Id quod etiam *Divus Augustinus* in Italia suo tempore evenisse fideliter nobis scriptis suis consignatum reliquit. Sed hoc, ni fallor, ita intelligendum est, quòd Dæmones quidem nesciât creare naturas, sed tamè possint aliquid facere tale, ut videatur esse illud, quod reverà non est. Neque enim ulla arte aut potestate magica vel diabolica animus, sed ne corpus quidem, aliqua ratione in membra & lineamenta belluina verè converti potest; sed in hominem quidem phantasticum potest; quippe qui etiam cogitando vel somniando per rerum innumerabilium genera variatur, & cum corpus non sit, corporum formas mira celeritate capit. Consopitis igitur & oppressis corporis humani sensibus, figura sanè corporea ad aliorum sensum produci potest, ita tamen solummodò, ut ipsa

Dd vera

vera hominum corpora alicubi jaceant, viva quidem, sed multò gratiùs atque altiùs, quàm somno, sensibus obseratis; phantasticum autem illud, veluti formatum in alicujus animalis imaginem, aliorum sensibus occurrat & appareat: Quo quidem casu, talis sibi homo iste videbitur, qualiter solet sibi nonnunquam in somnis apparere, ac si onera portaret. Quæ scilicet onera, siquidem vera sunt corpore, portantur à Dæmonibus, ut homines isti præstigiis dediti per eorum actiones illudantur, dum partim vera hominum, partim falsa jumentorum corpora vident. Humanum etiam spiritum aliquando bonus & interdum malus assumit spiritus: nec facile discerni potest, à quo spiritu sumatur, nisi in eo, quòd bonus instruit ad bona, & in viam veritatis ducit, malus verò fallit, & fallacibus suis machinationibus animam, etiam in manifestis bonis, deludit, ut eam, cum sibi in talibus creditum fuerit, ad suam voluntatem sequendam pertrahat & seducat. Sic plerumq; humanum spiritum rapit, ut occulta amborù mixtura, quasi idē spiritus esse videatur spiritus vexati, & spiritus vexātis: quemadmodū in Dæmoniacis & quadam mala Epilepsiæ specie affecta quondam observavimus. *Dum enim Marsiliis Gallie degerem, puellam quandam Dæmoniacam inter presbyteros signo crucis agit. atam animadverti, que dum scientiarum esset penitus ignara, proprio quasi afflatu verba nonnulla græca protulit, & multa tam de præteritis, quam præsentibus non sine magna astantium admiratione multitudini indicavit.* Quod reverà à proprio ejus Spiritu provenire non potuit; sed propter factam cum eo Spiritus maligni commixtionem talia quasi unico flatu protulit. Atque hîc notatu dignum esse putamus, quomodò spiritus malignus cum maledicentis spiritu, ad impij in maledicente proposito executionem, se jungere soleat. Namque hujus puellæ mater invalida & ægritudine confecta, propter istius filiæ suæ neglectum, sive quòd ea, uti quidem ferebatur, aliquid pecuniæ perdidit, sive quòd in nugis illud consumpserat, diris eam imprecationibus infectando, in hæc tandem verba proruperat: *Velim* (inquit illa) *ut diabolus cum legionibus suis in corpus tuum subito ingrediatur.* Quo quidem malitiosè enunciato, effectus è vestigio secutus est voluntatem. Nam puella subito à Dæmonibus malis & quidem, uti ipse Diabolus per os puellæ confessus est, à sex Legionibus obsessa fuit, atque miserè ab iis excruciat. In spiritum igitur à matre malevolè & nefando modo efflatum protinus ingressi sunt Dæmones, atque ita Satan propter propinquitatem naturæ inter spiritum matris & filiæ, facilimè in spiritum filiæ penetravit, vehens secum turbam Dæmonum. At verò animadvertendum est, quòd Dæmonibus permittatur spiritum hominum possidere, attamen impossibile sit illis in lucidam mentis & rationis regionem penetrare; quoniam illa est tantùm sedes & tabernaculum Trinitatis, non aliter, quàm Sol cœlestis, uti testatur *Psalms 118 Regius*. Et tamen dicitur Satan implere mentem alicujus & principale cordis. Sed hoc intelligitur fieri, non quidem ingressu in eam, & in sensum ejus, sed fraude, iniquitate, omniq; malitia, qua animam illam rationalem ad se allicit atque seducit, decipiendo eam & faciendo per cogitationem, ut bona & virtutes ei videantur illa, quæ reverà sunt falsitate, vitiis, præstigiisque plena. Est enim Diabolus fallax, nequam & fraudulentus deceptor animarum. Non igitur participatione naturæ seu substantiæ animæ rationalis, ut quidam putant, occupat Diabolus lucidam hominis animam, aut incola ejus efficitur; sed ex parte suæ compositionis cum spiritu hominis aëreo junctus, per fraudulentiam, deceptionem atque malitiam dicitur possidere mentem ac animam, hoc est, obfuscando rationis splendorem per phantasticas imaginationes in spiritu sensuali hominis obsessi, quas excitare solet suis artificiis, ita ut ea videantur esse, quæ non sunt. Veruntamen sensus Diabolo subjectus redditur. Unde lingua obsessi loquitur, & phantasiæ apparitiones ille, uti quidem autumat, certas & infallibiles videt,

videt, cum reverà illæ nihil sint, quàm præstigiôsæ illusiones & à Christi veritate omnino dissentientes. Nam illud bonum, quod Deus impertitus est creaturis suis, sola Trinitas intrare solet; Diabolo autem spissiorē possidere datur spiritum, hoc est, aëreum, in quo fallit sensum & imaginationem. Et tamen per astutias ejus, mens, hoc est, verus atque immediatus Dei radius, non minùs patitur Diaboli ineptias, quàm Sol cœli fert nubis aëreæ obscuritates, aut tonitruorum fragores & strepitus. Quæ, licet terræ atque terrenis videantur esse tenebrosæ spissæque nubes, aut tonitrua horrenda, aut Dracones volantes tremendi aut Cometæ prodigioli, &c. nullatenus tamen illis perturbatur Sol cœli, sed semper constans est in motu suo, semper idem in sua pulchritudine & splendore; quia Deusei semper adest, cum sit ipsius tabernaculum. Simili, inquam, modo se etiam res habet inter Diaboli præstigias obfuscationum, & mentem seu radios lucis in homine. Nam licet oculi trepidi reddantur, atque sensus vanis Diaboli figmentis illudatur, imaginatioque nebulis atque meteoris falsis opprimatur, (unde fit, ut in media aëris regione videamus, quòd nubes aliæ Draconum effigies, aliæ montium, aliæ castellorum, aliæ hominum inter se belligerantium atque infinitorum aliorum imagines habere videantur, cum reverà nihil sint tale, quale apparent, imò quidem mera figmenta & accidentia, sive simulachra vana existunt, & magis quidem vana, quàm ulla pictorum, quoniam citò evanescent) attamen ratio illuminata atque mens regia se habet, ut ipse Sol mundanus, firma, immobilisque in sua veritate & fide existens. Unde fit, ut contra homines illos, quibus adest fides, hoc est, quorum animæ menti adhærent, nihil possit Diabolus suis illusionibus; quoniam illi per lucis claritatem fallacias ejus intelligunt; sed quorum animæ carni & sensibus obligantur, hi omnia, ob fidei & radiorum mentis defectum, credunt esse talia, qualia Diabolus ea apparere facit, atque ita ignorantia submerguntur, tenebris obruuntur & in teterrimam hylæ abyssum dilabuntur, vivi que, sed quasi mortui, in ea sepeliuntur. Cogitemus ergo nos mortales de mentis excellentia, in quam Diabolus ingredi non potest, ut nec in animam menti adhærentem, quoniam est Dei templum atque tabernaculum. Quare mentis aspectum fugit Diabolus, ut ipsissimum aspectum Dei, unde *Lucifugus* dicitur. Et tamen tanta Dæmonum est potestas, tantaque acie præditus est eorum sensus, ac tanta celeritate in aëreo motu præcellunt, ut non sit mirum, si terrenorum corporum sensum acumine, celeritate atque virtute motus facilimè superent. Hinc ergo fit, ut quædam nunquam cogitata prænuncient, quæ homines propter corporis sui tarditatem admirari videntur. Porrò etiam Dæmonibus propter tantam vitæ suæ extensionem longè major rerum experientia accessit, quàm hominibus ullis propter vitæ brevitate acquiri potest. Ideò quædam futura per exactam characterum naturæ significationem & positionis eorum rationem prædicunt, & quædam alia mirabilia præstant, quibus homines mentis radiis non illuminatos ad voluntatem suam alliciunt & seducunt. Atque hinc est, ut, teste *Augustino de civitate Dei*, quædam mulierculæ Dæmonum illusionibus & phantasmatis seductæ, credant & confiteantur, se nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea & cum Herodiade ac innumera fœminarum multitudine equitare, earumque visionibus obtemperare. Similiter de tali veneficarum cohorte egomet per *Lotharingiam* à flumine Rheno non multùm distitam, transiens audi, quæ paulò ante meum adventum, credulæ suæ stultitiæ pœnam luerant, igne vindice à vitæ suæ impuritate in mortis abyssum missæ. His enim serena quadam nocte, splendente Diana, Satanas sæpissimè variis figuris apparuerat, circa quem ipsæ choreas cum ingentili lætitia ducentes, ipsum pro suo Deo unico habuerant. Nam Satanas, qui se in angelum lucis transfigurare solet, ubi a-

nima malicijus mulierculæ incredulæ seduxit, ipsamque per infidelitatem ejus sibi subjugavit, illicò transformat se in diversas personarum species & icones, atque animæ illi, quam captam tenet in tenebris, & quasi in somnis deludit, modò tristia, modò læta, & modò incognitas, modò cognititas personas ostendit, atque ita eam per avia quæque seducit. Et cum solus spiritus infidelis hoc patitur, non in animo seu mente, sed in phantasia, sensu & corpore illud ei evenire existimatur. Idcirco nimis stultus & hebes est, qui hæc omnia, quæ spiritui apparēt, reverà corpori evenire arbitratur, cum *Ezechiel* & alii Prophetæ, itémque *Johannes Evangelista* & Apostoli in Spiritu, non in corpore, viderint visiones. Denique quod ad *umbras mortuorum* vel viventium, eorumque apparitiones attingit, sciendum est, quòd, cum homines mortui vel vivi aliis dormientibus vel vigilantibus apparent, non videantur uti sunt, sed solummodò in quibusdam similitudinibus rerum. Fieri autem istud credimus operationibus angelicis, per dispositionem providentiæ Dei, bene cupientis bonis vel malis, secundùm inscrutabilem altitudinem judiciorum suorum, sive hinc instruantur animæ mortalium, sive fallantur, sive consolatione erigantur, sive terreamur, prout unicuique vel exhibenda venit misericordia vel irroganda justitia. Sed quoniam de his in *Tractatu nostro de morte, sive anima à corpore dissolutione*, latius loquemur & discurremus, hoc loco ea omitemus.

C A P. V.

*De tertio visionis animæ genere, videlicet intellectuæ,
quod nunquam fallit.*

Tertium visionum animæ genus est intellectuæ, ut suprà dictum est, quo illæ res, quæ nec corpora, nec corporum formas habent, conspiciuntur. Atque hujusmodi quidem visione nunquam fallitur anima. Atqui in visionibus sensibili & phantastica sæpè deluditur & seducitur, propter rationes superiùs à nobis allegatas. Idcirco per solam visionem intellectualem potest animus ad veram sui ipsius agnitionem pervenire, & nullo modo per priores illas visiones sensus & imaginationes, quippe quæ potius fallunt animam, & faciunt, ut sibi illud videatur, quod verè non est. Per recessum igitur à sensibus & corporum simulachris ad sui ipsius & Dei cognitionem pertingere solet homo internus, cum hic solus sit modus, quo sibi incognitus dicit se cognoscere. Sed hic labor, hoc opus, quippe assidua opus est cōsuetudine & constantia magna recedēdi à sensibus, ut scilicet homo animū suum à multitudine abstrahat versus unitatē, hoc est, ut ipsum ad se revocet & in seipso retineat. His equidē sensibus impeditur anima, ne cernere se ipsam & creatorem suum valeat, quo ipsa sola & simplex sine oculis respicere debet. Quare necesse est, ut relictis gradibus sensibilibus ad rationis metam, calcando viam justitiæ transcendat. Nam anima rationalis inter eas, quæ à Deo factæ sunt, omnes superat, & proinde, quando pura est, proximaque Deo, atque adeò etiam, in quantum quidem charitati mentis cohæret, lumine illo intellectuæ perfusa & illustrata, utique non per corporeos oculos, sed per sui ipsius principale, hoc est, per intelligentiam Deum cernit, in quo est perfectissima pulchritudo & beatissima visio, qua quidem visione ipsa fit beata. Removeere igitur debet à consideratione sua omnes notitias, quæ per corporis sensus extrinsecus accipiuntur: quippe quòd corporalia, eorumque similitudines, atque
ipsi

ipsi quoque sensus & imaginationes circa ea versantes, & in memoria, cum ea recordando reminiscitur, hærentes ad exteriorem hominem pertinent, quamquam istis anima veluti nunciis quibusdam, exteriora percipiat. Anima quoque simplex est & libera, cui nihil est seipsa præsentius, interna quadam & non simulata, sed vera præsentia. Videt se in se; nihil enim tam novit, quam id, quod sibi præstò est, nec quicquam ei magis præstò est, quàm ipsa sibi. Nam se cognoscit vivere, meminit se esse, velle, cogitare, scire, judicare, hæc, inquam, omnia novit anima in se, nec imaginatur ea extra se, si aliquo sensu corporis illa tangat, sicut corporalia quæcunque tanguntur; ex quorum cogitationibus nihil ei accedit, ut tale aliquid se esse putet, quicquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est. Nihil enim tam in anima illuminatum, quam ipsa anima, nec quicquam animam sic cognoscit, ut ipsa anima; cum enim quærit anima, quid sit anima, profectò novit, quòd seipsam quærat & novit, quòd ipsa sit anima, quæ seipsam quærit; nec enim aliud de se quærit, quàm seipsam. Dum ergo se quærentem novit, se quidem tota novit. Quod si novit, utique omne, quod novit, tota novit. Et si inventa parte non se totam quærit; attamen, quòd se tota quærit, tota sibi præstò est, & nihil ei præsentius esse potest, quàm ipsa sibi. Quòd autem de se quærit, quid antea fuerit, vel quid futura sit, vel qualis jam sit, quærit, hoc est, quàm similis vel dissimilis Deo, quàm humilis & devota, quàm pulchra & quàm sancta. Sed quia in istis est corporibus, quæ cum amore cogitat, & cum quibus amorem miscere consuevit, non potest sine imaginibus eorum videre seipsam. Nam tanto glutine ei cohærent hæc, quæ foris sunt, animalia, ut etiam, cum absunt ista, præstò sint eorum imagines cogitanti. Quapropter fecernere eas à se non potest, ut se solam inspiciat & videat. Redeat ergo anima ad se, & stet in se, nec sicut absentem se quærat, sed velut præsentem se curet cernere & discernere; & intentionem voluntatis, quæ per alia vagatur, statuatur in seipsa, & se cogitet, ut seipsam cognoscat & diligat. Ita videbit, quòd nunquam se non amaverit, nunquam nesciverit, sed quòd, alia secum amando cum his se confuderit, ita ut sine magno labore ab iis separari non possit, quibus magno amore adhæsit. Quapropter ea phantasia corporalium imaginationum deformatur, eisdem altè impressis & soluta corpore illis non exiit. Si enim à corruptione corporalium affectionum hîc non mundatur, exuta corpore tenetur passionibus corporalibus. Nam maxima, sicut dictum est, cohærentia est inter spiritum animæ & corporis; ita ut si spiritus animæ cohæreat spiritui corporeo, neglecta mentis pulchritudine & benedictione, tunc ille spiritus elementaris & sensitivus post animæ egressum è corpore adhæreat, & connectat sese ejus spiritui aëreo; atque ita talibus tenebitur passionibus anima corpore exuta, qualibus subjacebat in corpore existens. Nam ut in plantæ incremento videmus, quòd spiritus æthereus cum sua anima seu lucis scintilla, versus suam patriam volans & tendens, sursum supra terram sese elevat, cujus alterius connectitur portio elementi igni, utpote quod contiguum est cælo æthereo; at igni iterum aër cõglutinatur propter loci sui dignitatem, atque aqua aëri, & denique aqua terra, atque ita activa lucis & spiritus ætherei voluntas grosso & gravi illo spiritu fœculento deprimitur, ita ut contra velle suum in aëre detineatur, & magis sursum ferri aut attolli nequeat. Sic etiam, si anima ætherea hominis, portioni mentis non adhæreat, sed à radio divino, qui est de cælo empyreo, & nullum cum elementis habet nexum aut familiaritatem, negligatur, eodem ferè modo se habet, ut animæ plantæ aut bestię. Nam ignea elementorum vi colligatur cum corpore & cum aëreo spiritus sensitivi, & nonnunquam cum tenuiori quoque portione concatenate, ita ut à loco gaudii & lætitiæ deprimatur, ac in loco passionibus illis, quibus in corpore humano perturbata fuit, obnoxio detineatur; quoniam o-

mnes animæ passiones malæ fuerunt in spiritu grossiori, sensuum videlicet & phantasiæ, qui quidem spiritus adhuc ei corpore jam exuta cohæret. At verò, si anima in corpore, carnis voluptates respuendo, rationi illuminatæ, intellectui atque menti adhæserit; tunc in potestate mentis erit, eam cum adhærente ei spiritu grosso, prius purificato, sursum, extra & supra regionem passibilem, vehere, atq; ex loco perturbationum & terrorū in locū lætitiæ & gaudii elevare. Hæc enim est via veræ resurrectionis à morte in vitam, hoc est, à tenebris in lucem cum suo corpore glorificato, quod nihil aliud est, quàm spiritus corporis sensibilis, virtute radorum mentis illustratæ ita rectificatus, ut subtilitate sua possit omnia penetrare, & per portas ac fenestras clausas trāire: Id sanè, quod aliis spiritibus corpore exutis denegatur, si historiis tam veteribus, quàm recentioribus fides aliqua est adhibenda. Sed & tanta est perfectio animæ cum spiritu corporeo glorificato, ut etiam ei, ab omnibus omnium elementorum vinculis immuni, cœlum æthereum rescindere, & per regionis supremæ cribum, evehentibus eam & sursum elevantibus mentis ab omni passione liberæ alis penetrare à Deo concedatur. Studeat ergo anima in hac vita, dum scilicet cum corpore suo opaco adhuc est conjuncta, ut menti adhæreat, quò hac ratione se à corporis & sensualis spiritus inquinamenti liberet & emundet. Quod quidem, si fecerit, egregia hæc erit merces ejus, & insigne hoc ejus præmium, quòd, cum hinc, id est, à suo corpore exierit, nihil corporei aut immundiciei secum trahet, sed ab omni corporali passione erit immunis. Hic obiter vos notare velim, quòd huic animæ multa nomina secundum operis ejus diversitatem imponantur. Nam ut integra anima mundana, ex parte infima sive elementari, & ætherea ac multiplici empyrea, sic etiam spiritus ejus medius (qui & anima media vocatur, & cujus est, pro libitu participare de utroque extremo) dum sentit, & circa carnales & terrenas operationes versatur, dicitur sensus; dum vegetat & vivificat, vita nuncupatur; dum recordatur, memoria; dum discernit, ratio; dum sapit, animus; dum intelligit, mens; dum contemplatur spiritus; atque dum vult, voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, sed nominibus tantum; quippe illa omnia non sunt nisi unica anima, proprietatibus quidem diversa, sed essentiâ una. Sic enim eundem spiritum continuum esse videmus à circumferentia mundi ad ejus centrum; atque sic etiam lucis pyramidem contiguatam intelligimus à terra, ubi incipit ejus conus ad peripheriam mundi. Et tamen à n spiritum istum universum, quàm lucem, varias in se habere proprietates, secundum majorem vel minorem lucis quantitatem, aut juxta majorem vel minorem spiritus tenuitatem percipimus. Unde fit, ut grossior spiritus portio sit mutabilis, corruptibilis & infinitis alterationibus subjecta; Ejus verò pars media, temperata multorum planetarum, proprietate ad invicem differentium, orbis distinguit, & mediocris in remissiori aut intensiori gradu exilit, atque tandem regio ejus suprema est formalissima, subtilissima; intellectualissima, atque divinis intelligentiis, ordine & natura distinctis, impleta. Quæ quidem omnes differentia in uno & eodem spiritu fiunt propter varietatem proportionum lucis omnia operantis. Ut igitur unus idemque dicitur hic spiritus, & tamen varias in se habet operationes; unde & terra, aqua, aër, ignis, æther, spiritus igneus & intellectualis appellatur, sic etiam eadem anima dici solet sensus, imaginatio, vita, ratio, intellectus atque mens, licet unus atque idem sit spiritus à Deo creatus, radiis que multifariis adornatus, quorum diversa operatione, varia sortitus est nomina. Sic videmus, quòd in infima mundi regione defectus lucis sit causa tot & tantarum mutationum. At si Deus huic spiritus regioni tantam gratiam conferret, quantam spiritui humano per mentem, subito in excellentiam superioris mundi regionis exaltaretur. Non enim differt spiritus portio inferior à superiori, nisi

nisi quod illa pauperior est lucis affluentia, hæc verò infinitis gradibus opulentior. Quia non potest hæc infima spiritus portio sublimari, nisi Deus in eam infundat abundantiam suæ formæ, qua universa, cœlum nempe & terra fient nova & inquinamenti omnis expertia. Sic etiam, nisi in homine Deus animæ mediæ spiritum illuminasset ab alto, impossibile esset, ut regeneraretur in hac vita, aut resurgeret in vita altera ad vitam æternam. Infima ergo spiritus mundani portio efficietur, per lucis mediæ additionem, vitalis & vivifica, atque ætherea, cui si iterum proportio lucis spiritus empyrei addatur, mutabitur illa subtiliatione & illuminatione in spiritum rationalem & intellectualem, & ultimo illuminationis gradu, tanquam ipsa mens seu spiritus divinus ornabitur. Sic quidem sese res habet in anima; quæ in grosso spiritu sensus nuncupatur, cujus rectificatione sensibilibus corporum imaginationes introducuntur, atque tunc imaginationis & phantasiæ nomen sibi vindicat; ac si hic spiritus adhuc extra omnem sensum purificatione & corporalium pollutionum sepositione ad interiorem & medium cerebri thalamum per verticis latera penetrare valeat, ratio vocatur, cui præest & supereminet intellectus, qui à mente gubernatur. Atque hæc omnia sunt unus & idem spiritus, variis quasi *Prothei* transformationibus mutatus, hoc est, diversis proprietatibus & naturis subalternatim præditus. Concludimus igitur ex his, quòd duplices sint animæ actiones, cum alio consilio erigatur ad divina, alio verò prodendat & inclinatur ad mundana & carnalia. Ejus autem inclinatio est hujusmodi. Cum scilicet sit subtilis & invisibilis, videri non potest, sed per potentias suas se extendit & ostendit. Per concupiscibilitatem enim appetit, per irascibilitatem contemnit & odit, per rationalitatem inter utrumque discernit. Si ergo anima versatur circa Deum, tunc exultat & gaudet in suo bono, quippe quòd Bonum animæ est Deus. At si versetur circa mundana, tunc lætari & exultare videbitur in bono carnis. Nam bonum carnis est mundus cum abundantia jucunditatis ejus. Sed mundus est exterior, Deus verò est interior, imò verò nihil Deo est interius, cum sit rerum quasi centrum. Unde necesse est, ut nos, ab hoc mundo revertentes, & quasi ab imo sursum ascendentes, attollamur. Ascendere autem ad Deum est intrare in seipsum, & non solum se ingredi, sed ineffabili quodam modo ad intima sui penetrare. Qui enim interiora transiens, & intrinsecus penetrans, seipsum transcendit, ille verè ad Deum ascendit. Ab hujus igitur mundi distractionibus cor nostrum recolligamus, & ad interna gaudia illud revocemus. Et si in his illud retinere non possumus, saltem ab illicitis & vanis cogitationibus istud restringamus, ut aliquando illud in divinæ contemplationis lumen figere valeamus. Hæc enim est requies cordis nostri, cum illud in Dei amorem per desiderium figitur. Hæc est vita animi & cordis nostri, cum Deum suum contemplatur, & ista contemplatione suaviter reficitur; Et dulce est semper ad considerandum, quòd ad amandum & laudandum semper dulce fuit & suave; Nihil enim ad beatam vitam præstantius videtur, quàm velut clausis carnalibus sensibus extra carnem mundumque convertere affectum quempiam intra seipsum alienatoque affectu à mortalium cupiditatibus sibi soli & Deo loqui. Cum denique duplex sit animæ vita (nam aliâ in carne vivit, & aliâ in Deo) benedictus æstimabitur, qui, in carne benè vivendo, in Deo etiam optimè vixerit. Nam qui vivet in Deo, ille suum quasi esse cognoscet, esse ipsum Deum, & Dei verbum, atque per hujus rei contemplationem lætitia atque gaudio ineffabili perfunderetur. Hinc ergo est, quòd *Mercur. Trismegist.* dicit; *Crede, quòd in te videt & audit verbum Dei.* Nam recte *Euangelista Johanne, in Verbo erat vita, & illa vita erat lux hominum, &c.* O quàm nobilis existit spiritus ille, qui vera sapientia ductus, oculis spiritualibus percipit se ex luce & vita conflatum esse. Nam ille Deum, omnium patrem, cognoscit,

cognoscit, quoniam, teste *Mercur. Trismegist. lux & vita Deus est & Pater, ex quo natus est homo.* Spiritus igitur, apprehendens seipsum ex vita & luce compositum, ad vitam rursus & lumen transcendet. *Deus nobis huiusmodi felicitatem concedat, ut veris & spiritualibus mediis ad illum & in illum, à quo primordialiter processimus, fideliter redeamus. Amen.*

Trium Animæ Visionis generum in Microcosmo, eorumque regionum, objectorum, rationumque discernendi luculentissima demonstratio.

Hic



Hic demonstrantur tres animæ visiones, videlicet quatenus illa est *sensus*, quatenus *imaginatio*, & quatenus *ratio, intellectus & mens*. Cùm verò est *sensus*, corpora & res visibiles videt, audit, odoratur, gustat & tangit, prout sunt, hoc est, immediatè sensibus exterioribus ea omnia in compositione percipit. Profundiùs ergo versatur anima in multitudine rerum, dum *sensus* appellationem tibi vendicat, & per consequens remotior est à divinorum & spiritualium contemplatione. Unde fit, ut *sensus* cistam solam seu corticem rerum intueatur, seu cooperimentum & tegumentum veritatis; ipsamque veritatem in centro delitescentem cernere, & sensuum exteriorum organis percipere non possit. Anima ergo sensitivæ objicitur mundus corporeus & visibilis, cujus terræ portioni Tactus correspondet, aquea Gustus, aë ea grossæ & mixtæ Odoratus, aëreæ simplici & tenui Auditus, & igni cum æthere Visus. In anteriori porrò interioris montis seu capitis Microcosmici parte residens anima dicitur *imaginativa*, vel ipsa phantasia & imaginatio; quia rerum corporalium & sensibilibus, non quidem veras imagines, sed similitudines & quasi umbras intuetur. Unde mundi & rerum mundanarum ideas & icones speculatur, quatenus est imaginatio & res in abstracto, non autem realia, vel res in concreto, atque prout sunt, apprehendit. In centro autem cerebri anima nec phantastico modo videt, nec sensibili respectu corpora considerat, sed *rationis* spiritu, *mentis*q; lumine res intellectuales contemplatur, quæ neque fuerunt in sensu, neque sola phantasia comprehenduntur, sed ipsa ratione pro rebus veris habentur & æstimantur. Nunquã enim cadebãt intelligentiarum arcana sub sensum, uti nec trinæ Essentiæ ineffabile mysterium. Quinimò etiam ne quidem earum ideas comprehendere potest imaginatio; cùm ipsa ratio atque ingenii humani acumen ad tantam gratiam vix unquam, & non nisi ingenti mentis illuminatione pervenire queat. Unde fit, ut ipsa ratio per divinam speculationem ad intellectum priùs exurgat, & deinde ab intellectu in mentis sphaeram saltu levi se erigat, ut in ejus lumine spiritualia eminus conspiciat, & per hujusmodi visionem ingenti lætitia veluti rapiatur, ac Jehovah, secundum *Esaiam Prophetam* in cœlo sedentem, atque in altissimo throno elevatum, & super palatium mundanum collocatum, intueatur, ubi ejus solium est cœlum, ejusque palatium gloria repletissimum, ipsa lux, ita ut semper quasi in extasi aspiciat supercœlestia, negligendo inferiora; hæreat, inquam, in contemplatione rerum tam nobilium à sensu vili abstractarum. In ultima denique cerebri parte anima dicitur *memorativa & motiva*: namque in illa parte visionum objecta recondit, custodit, atque recordatur, tam mundi sensibilibus, quam imaginarii & intellectualis. Similiter *motiva* nuncupatur, quatenus per spinæ medullam dat & deorsum immittit motionem cuiuslibet mundi minoris membro.

Alia demonstratio ostendens, quomodo anima ascendat spirali ascensu à rebus mundi sensibilibus ad unitatem per 22 mundi gradus; incipiendo à terra, atque sursum ascendendo ad Deum, hoc est, à multitudine ad unitatem.

Unitas simplex
Principium
terminus a quo
origo essentialium
lectus primus
ens entium
Natura naturans



1. Mens.
2. Seraphin.
3. Cherubin.
4. Dominationes.
5. Throni.
6. Potestates.
7. principatus.
8. Virtutes.
9. Archangeli.
10. Angeli.
11. Cælum Stellatum.
12. Saturnus.
13. Iupiter.
14. Mars.
15. Sol.
16. Venus.
17. Mercuri.
18. Luna.
19. Ignis.
20. Aer.
21. Aqua.
22. Terra.

NUMERUS
SOLIS
MUNDI
SOLIS
MUNDI
SOLIS
MUNDI

Ut 22. sunt literæ Hebraicæ, à Deo omnium Conditore in hominis usum ad rerum creaturarum figuras & naturas exprimendas vel denotandas introductæ (nam ea, quæ Deus prima septimana creavit, numerum 22. non excedunt) ita quoque per totidem gradus ascendere debet anima piæ à corpore discedens, à terra, id est, à spiralis lineæ suprâ depictæ centro, seu à multitudine versus unitatem, significando, quòd Verbum, in quo est vita rerum, sit in omni creatura, ab unitate incipiendo, & ad basin multitudinis progrediendo. Unde & rectissimè illud α & ω nuncupatur: prout etiam variæ ejus in materia actiones per literas illas hebraicas distinguuntur; ita quidem, ut inde concludant nonnulli fide digni, quòd quælibet harum literarum denotet speciale aliquid creationis opus. Est ergo exordium motus, seu iter animæ recedentis à sensibilibus & exterioribus ad spiritualia, insensibilia & interiora, à terra seu tactus objecto ad aquam, & ab aqua seu gustus objecto ad aërem grossum, & ab aëre grosso, seu olfactus objecto ad aërem tenuem, & ab hoc auditus objecto, ad ignem, à quo igne tanquam visus objecto, mundum sensibilem relinquendo, ad mundum imaginationis & similitudinem corporum ascendit: Unde per Lunæ objectum transit, ubi fingit, se *Endymionem* in Luna ingenti sentium falce onustum videre, & infinitas alias chimæras in regione Planetaria se in abstracto contueri imaginatur. Videtur sibi etiam *Arietem, Taurum, Leonem, Scorpionem & Capricornum*, atque itidem quoque extra Zodiacum *lupum, canem, ursam, anguem*, &c. prata, camposque coelestes aspectu protervò peragrarè, & in iis noctesque diesque pasci & nutriri. Similiter homines imaginarios in hac sphaera stellifera vivere opinatur, videlicet. *Geminos, Virginem, Sagittarium & Aquarium* intra Zodiaci margines; sic etiam extra eas *Orionem, Centaurum, Aurigam, Herculem, Serpentarium, Perseum, Cephaum, Bubulcum, Antinuum, Cassiopæam, Andromedam*, &c. Hic etiam intra Zodiaci limites *Cancrum & Pisces*, & extra eos *Cetum magnum*, tanquam in cælo aqueo natantes, cernere se somniat, & *puppem Argos* fluctus æthereos fulcare phantastico modo videt, ita, ut ea res verè corporeas esse credat. Dehinc altius surgit hic spiritus humanus, alis divinitatis in mundum invisibilem vectus, qui & spiritualis dicitur, quoniam vix materialis est; atque ibi integram invenit veritatem, nihilque in eo, præter solam veritatem contueri potest, quoniam aut videt, & tunc necesse est, ut veritatem videat, aut non videt, & tunc falsitatem videre ei est impossibile, imò verò in hac beatitudinis sede semper videt, & quod verum est atque bonum videt, quoniam providentiæ increatæ oculus, omnia ibi & ubique videns, radiis suæ visionis sempiternæ efficit, ut quicquid in hoc cælo existit, oculis rationis, intellectus ac sapientiæ omnia videat non sine gaudio & læticia ineffabili. *Primum* igitur animæ iter in hac regione illuminata fit per regnum Angelorū, *secundum* per regnum Archangelorum, atque ita ordine & gradatim sursum ascendendo, omniumque intelligentiarum regiones peragrandò continuatur usque dum ad supremum mundi invisibilis cacumen perveniatur; in quo est unitas illa, à quo omnis multitudo derivatur, seu terminus, à quo motus fit ab aliquo ad nihil, seu principium unicum, à quo mundus factus est, seu fons essentiæ, à quo formæ rebus sunt inditæ, vel entium, cujus entitate res omnes factæ sunt entia, vel actus primus, cujus præsentia & actu res omnes de potentia in actum sunt deductæ, natura naturans, à cujus natura naturatæ sunt naturæ omnium rerum. Hæc incomprehensibilem suam gloriam, ineffabile suum lumen & benignum suum aspectum in creaturas suas omnes in perpetuum benevolè & ubertim deorsum effundit. Hic itaque anima, gaudio inexplicabili perfusa quiescit, & admiratione capta deorsum illicò descendit, ut vestigia sapientiæ suæ acquisitæ corpori suo, per omnè hoc tempus in extasi quali permanenti imprimat, atque ut integrum Microcosmum

smum, olim opinione dubia fallaci atque incertitudine plenum, jam fidelem, certum & constantem in sapientiæ legibus efficiat, eumque in rerum veritate stabiliat & confirmet. Sic fit ex tyrone sapiens; sic homo ex vili mundano efficitur nobilis Dei que comes, & per Dei misericordiam ex carnis progenie in filium & hæredem Creatoris sempiterni adoptatur, atque ita optime præparatur ad possessionem illam lætam, quæ à primordio mundi ordinata & destinata est benedictis & electis Dei.

Ee 3

T R A-





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R XI.

De Spermate & Generatione.

C A P. I.

De generationis & multiplicationis ratione.



In generationis arcano multa, tam supercœlestium quàm cœlestium & sublunarium mysteria vulgò adhuc incognita, & nondum promulgata veniunt enucleanda & diligenter observanda. Quod igitur inprimis attinet ad supercœlestia, animadvertendum est, secundùm *Jamblici* doctrinam, *viventia in 4. ordines esse divisa, in Deos, scilicet, Dæmones, Heroës & Animas, hoc est, in Deum, Angelos Deo instar architectorum in opificio mundano ministrantes, spiritus olympicos seu gubernatores Planetarum & corporum cœlestium, ac Animas.* Unde ex ejus sententia videntur duo esse semidiametri, ducti à centro seu terra ad ejus circumferentiam extremam, id est, cœli empyrei capacitatem superiorem & cœlum elementare; quorum illud Dei, hoc autem animarum habitaculum existimatur; Dæmones verò & heroës loca intermedia sibi vindicantur: Unde fit, ut Dæmones propter propinquitatem suam cum igneo Dei tabernaculo, de ipsius proprietate, quæ est unitas, participare tradantur. Nam ipsorum proprietates sunt, teste *Jamblico, continere in se dotes Deorum, inferiori quidem modo quàm Dii, sed sub idea, rationeque earum obtinere deteriores conditionem.* Unde de unitate & stabilitate participant. Alteram verò extremitatem magis deorsum tendentem inhabitantis & operantis animæ proprietates (cùm sit declinatio ad multitudinem, motum, & res naturales motu vitali replendas, & ad generationem perficiendam) ab unitatis natura seu Dei proprietate maximè distare observatur; quippe quòd ad numerum & pluralitatem tendit. Heroës denique

denique, quoniam magis ad animarum situm declinant, cum ipsarum naturis in omnibus ferè conveniunt. Ipsorum enim proprietas sub conditione multitudinis & motus, permixtionisque dispositione, statu & excellentia comprehenditur; quemadmodum à nobis supra, in pyramidis mundanæ in radicem quadrata & cubos divisione, latius declaratum est. Differunt ergo Dæmones ab Heroibus in eo, quòd *Heroës aliquantò magis inclinant ad particularia mobiliaque, ut Jamblici verbis utar quàm Dæmones.* Nam duo illa mediorum genera, Dæmones scilicet & Heroës componuntur ex proprietatibus extremorum, scilicet Dei & animarum; qui quidem digitis simplicibus & articulis primæ compositionis seu radicibus, in supra dicta pyramide materiali denotantur; sed in Dæmonibus est plùs divini, in Heroibus plùs humani. Ex his igitur constat, quòd Planetarum gubernatores cum suis legionibus in regione elementari degentibus, quos Heroës vocant, vitam in inferiora à suis orbibus infundentes, & per consequens cum animabus consentientes, multiplicationes in vegetabilibus, & generationes in animalibus promoveant. Atque horum Heroum locus describitur in quadratorum pyramidis materialis ordine, quemadmodum animæ in profunditate cuborum ejus submergi dignoscuntur. Deus quidem, cum sit purissima & simplicissima forma, luxque exactissima & primaria, purissimam & simplicissimam fecit generationem monadis, ipsam in seipsum reflectens: ita ut unitas in sua natura integra & intacta absque omni materiæ pollutione permaneret. Nam ipsa materia erat causa multitudinis & numeri augmentationis, quemadmodum ex ænigmatica hac historia seu fabula sequenti declarabitur. *Dæmogorgon, qui est summus & primus Deus, aternitate ante mundi originem stipatus, comitatus & ornatus, atque in ea se reponens, Chaos informe ineffabili oculorum suorum splendore intuebatur, ventremque ejus mirum in modum contentione, colluctatione, atque tumultu vibrari, & perturbari percipiens, manum suam porrigebat ad illum Chaos gravidum partum adjuvandum. Unde litigium illicò & prima facie ortum suum accepit, quod benevolo Dæmogorgonis beneficio in mundi circuitum productum, vultu equidem inhonesto & impudico, strepituque inaudito comitante ambitiosius alis in altum & sursum in cæli fastigium culmenque ferri affectavit. Unde factum est ut à Dæmogorgone in imam abyssum merito deiceretur atque pessundaretur. Chaos verò rerum omnium mater, post rebellis hujus sui primogeniti ortum, purius jam manens sudore & suspiriis igneis ardebat, atque alia adhuc vice gravidum laborare ad partum cæpit, iterumque assistente Dæmogorgonis manu prolem secundam masculam edidit, cui nomen erat Pan, naturam, materiam seu spiritum universalem significans; cujus caput ocellatum, cælum stellatum aures due utrumque mundi polum, barba longaradios solares deorsum tendentes, fistula ex septem siringibus conflata septem Planetas, cum ipsorum harmonia, pedes caprini temporis naturam significabant. Iterum post Panis ortum tres ejus sorores, Parca scilicet, ex utero Chaos fuerunt editæ & prognatæ, rerum vicissitudinem arguentes. Denique Polus, Titan, Terra, & Herebus lineari successione sunt secuti. Ex hac ergo relatione demonstratur, materiam seu Chaos, ex spirituum seu aquarum informium congerie constitutum, ante creationem fuisse generationis originem & matricem; quæ tamen nihil parere aut producere potuisset, nisi actus Dæmogorgonis adfuisset, utpote sine cujus assistentia Chaos potentiæ in actum minimè potuissent deduci. Unde manifestum est, quòd Deus unica sua essentia & proprietate formali, quæ est unitas, in actum produxerit naturam secundam, quam Pythagorici in numerum imperfectorum, videlicet in dualitatem, reposuerunt. Unde deinceps, unitate spiritum informem informantem, ternarii & Trinitatis dispositio producta est; ita ut virtute unitatis edita sit dualitas imperfecta; quæ additione unitatis illustratæ à numero imperfecto in numerum & naturam perfectissimam est redacta, nempe in Trinitatem. Sic Deus in Verbo, Verbum in Spiritu ab ambobus profiuen-*

te, & Deus in omnibus. Sic Verbum Dei in omni natura seu spiritu orbem universum implente. Sic Deus cum Verbo & Spiritu ubique. Atque sic per harmoniæ hujus divinæ symphoniam pax, litigio jam tàm antè è cœlo in terram dejecto, & in ejus centrum deturbato, inter elementa usque ad ultimum PEREAT continuabitur. Sic felicitas perpetua primæ mundi regioni, amicitia durabilis mediæ, & quies cum pauca perturbatione infimæ perpetuò aderit. At verò in hac regione infima aliquando ventorum oppositorum tumultus, fluctuum & aquarum conflictus, meteororum ex contrariis qualitatibus conflatorum generatio, & infinita alia accidentia, mundo huic inferiori contingentia propter ejus cū litigio contiguitatē sæpissimè reperiuntur. His igitur intellectis in promptu ratio est, cur inferiora magis sint ad generationem apta, quàm superiora; cùm densior & efficacior matricis chaos pars in hac regione reperiatur. Unde terra dicitur mater rerum omnium, quas ignis in ejus matricem immisit. Nec quidem de hoc ulterius est dubitandum, cùm nec aërem, nec ignem, nec atherem ad animalium, vegetabilium, aut mineralium generationem in sua regione idoneum esse observemus. Erat igitur à Chaos materia generationis & substantia, quæ formam, animam, & actum suum à Deo accepit ad suam essentiam & existentiam. Nec enim potest fieri generatio absque actione in passivum bene dispositum, & per consequens, Deus, qui est unitas & monas, per se non generat multitudinem, sed per abundantiam materiæ Chaos, seu spiritus fecundi, seu naturæ humidæ, quam teste *Mercur Trismegist. Verbum & lux & ignis sincerus fovebat, seu Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas*, animæ oriuntur ad multitudinem particularium pronæ; & ab Heroibus seu Planetarum Dominis, materiam prolificam & vitalem deorsum effudentibus, animæ istæ ad assiduam generationem & procreationem sollicitantur, alliciuntur & fortificantur. Est ergo Heroum & animarum dominium à sphæra solari usque ad centrum seu terram; quoniam ab illo puncto, deorsum progrediendo, pyramidis formalis conus tendit ab universalitate formali ad ejus particularitatem, videlicet ad punctum coni in terra desinens; dum è converso basis pyramidis materialis, terræ innitens multitudinem materiæ subministrat paucitati formæ in cono pyramidis formalis ibi reperto. Hinc oriuntur tot generationes in terra, totque corruptiones & mutationes seu alterationes. Nam materia multa, nunquam formæ paucitate contenta, habitum suum quotidie mutare desiderat, quò formam sibi nobiliorem acquirat, cujus præsentia & actu appetitui suo plene satisfaciat. At verò à sphæra Solis sursum ascendendo nihil generationis inveniri potest, eò, materialis pyramidis pars sursum tendens, subinde magis magisque subtiliatur, dum ad pyramidis formalis basin gradatim accedit. Unde talis materia, propter suam ex forma & luce subtiliationem, est ad generationem omninò inepta atque infœcunda, cùm ejus matrix sit nimis tenera & subtilis, ita ut lucis semina propter intensam eorum fortitudinem retinere non valeat. Hinc igitur animæ à Philosophis partem mundi infimam & ordinem intelligentiarum ultimum possidere dicuntur, locumque prope terram, seu in regione infima sibi vindicare; quoniam ibi appetitus earum, circa particularia & generationis multitudinem occupatus, secundum *Jamblici* opinionem superiùs allegatam, sufficienter expletur.

C A P. II.

*De generatione, & quid inter eam & creationem intersit?
Quòd cœlum sit generationis rerum origo.*

P*Hilosophi Peripatetici* de naturali rerum genitura fideliter agentes, & generationis rationem ac dispositionem diligenter inquirentes, tandem perceperunt ipsam Genesin seu generationem nihil aliud esse, quàm mutationē à forma unica pristina substantiali in aliam; hoc est, progressum materiæ ad formam substantialem, quæ nondum ei inest, sed mox inerit. *Verbi gratiâ:* Generationem pomi volunt esse progressum germinis, ut materiæ ad pomum, tanquam ad formam substantialem; quia pomum est substantia; forma autem pomi non inest germi, sed mox, perfecta generatione, inerit. Verùm enim verò uti nobis videtur, & quod bona Peripateticorum venia sit dictum, forma rei generandæ ipsi spermati seu germi actualiter etiam à primordio inest, licet sensui nostro non statim innotescat, sed occultè magis magisque indies operatur in massa feminis ab eo instanti, quo illud in matricem generationi convenientem ad rei gignendæ perfectionem projicitur, quemadmodum infra declarabimus. Quid autem inter generationem & creationem intersit, supra dictum est, ubi luculenter explicavimus, *creationem esse originem speciei non præexistentis*, & per consequens cujuslibet ejusdem speciei individui immediatè ab ea & primariò promanantis; *generationem verò dicimus esse modum conservandi & continuandi speciem præexistentem & creatione in mundum productam.* Ex quibus patet, quòd creatio versetur circa rem non præexistentem, generatio verò necessariò circa rem præcedentem, & in rerum natura beneficio creationis existentem. Præterè à inde elicimus, quòd, ut Deus est creationis autor, seu specierum creatarum pater, sic etiam ipsa creatura dignoscatur esse pater rei genitæ; cum sine creaturæ spermate impossibile sit, ut ulla generatio fiat, siquidem absque virtute occulta feminali, materia formam & speciem animatorum corporum induere non potest. Hinc igitur constat, quòd nullum genitum sit bonum, quatenus est passio à passibili & imperfecto patre productum, secundùm illud *Merc. Trismegist. Pim. 6. Genita nō sunt bona; nam generatio passio est ubi autem passio est, nullo modo bonum; ubi bonum, non passio ponitur ulla; quemadmodum ubi dies, ibi nulla nox, ut ubi nox, ibi nulla dies.* Præterè, quòd genitum est, bonum non est, quippe quòd imperfectum est. Hoc etiam confirmatur ejusdem *Mercur Trismeg. verbis Pim 4* quæ sunt talia: *Quicquid genitum, utique imperfectum, dividuum, crescens & accrescens, ei verò, quòd perfectum, horum nihil accidit.* Pater ergo creaturæ erat solum bonum atque summa perfectio, Monas scilicet, omnium principium, radix & origo, absque verò principio; quæ omnem numerum continet, à nullo contenta, omnem gignit numerum, à nullo genita; quæ creaturæ primæ de sua bonitate & perfectione communicavit. Unde omnia creata bona sunt dicta: Quæ quidem perfectio & bonitas peccato Adami interturbata est. Nam, qui non, nisi ad suam compositionem & perfectionem solummodò formæ portionem adeptus est, ille volens ejus portionem ad generationem aliorum conferre, atque ita prodigo more aliis eam impertiri, de creatura perfecta factus est creatura imperfecta & tenebrarum pollutione ac inquinamentis maculata. Atque ut ipse Creator

erat Pater Adami, sic ipse ulterius stultè cupiens more divino alios ambitiosè creare, exinde sese in sphæram generationis præcipitavit, atque ex perfectione & fastigio contemplationis Creatoris sui in abyssum miseriei & imperfectionis dejectus est atque pessundatus; adeoque etiam omnes cæteræ creaturæ post & propter eum, imò verò & ipsa terra, inde maledictionem acceperunt. Ex prædictis ergo apparet, quòd, ut ipse Deus, mediante Verbo suo sacrosancto, fuit auctor immediatus creationis, sic etiam cælum seu natura sit generationis origo, secundùm illud *Merc. Trismeg. Pimand. 1. Circulorum cælestium circuitus, quemadmodum ipsa mens voluit, ex elementis inferioribus animalia constavit.* Et alibi *Pimand. 9. Mundi revolutio, generationes exagitans, qualitates efficit, quasdam inficiens, maloque defensans, bonoque purgans.* Experientia autem edocentur *Astrologi*, rem ita sese habere. Nam mali Planetæ, aliàs *Infortunia* dicti, depravare solent dispositiones hominum; *fortunia* verò eas in meliores convertunt: Mentem tamen ab omni fato influxuque cælesti liberam esse superiùs declaravimus, quamvis interrim procul dubio certum sit, quòd bonæ cæli sancti influentiæ animam reddant menti obedientiorem; prout è converso quoque prævæ influentiæ faciunt eam illi hominis interni portioni, quæ mentis naturæ opposita est, subjectiorem. Ex his igitur evidens est, quòd generationis vis & proprietas à cælo derivetur. Imò verò ipsum hominem sine Sole & homine generari non posse agnoverunt sapientes. Quòd verò ad ignaros illos & stultos attinet, qui, cælum in hæc inferiora non agere, insulsè & imprudenter asseverant, in fumum abeant eorum intentiones, & pro ingratis perpetuò habeantur; utpote qui primos & principales suos parentes impudenter abnegare gestiunt, dum se à cælo & cælicolis, tanquam Creatoris ministris per divinam voluntatem procreari inficiantur, utq; ita producentem eos cæli potestatem ac virtutem duro ore sensuque fallaci abjurare conantur, adeoque gloriosum illud mundi ornamentum nulli infervire usui, falsò inferre non erubescunt. Anne, ô stulti, participes esse vultis regni cælestis, & tamen sine medio ad illud penetrare præsumitis? Anne *Divus Paulus* in tertium cælum rapi potuisset, nisi per medium transiisset? Quasi verò quis diceret, motum esse à termino, à quo ad quem, vel à principio ad finem sine medio. Cæli operationem in generatione negatis, & tamen vitam vestram ab ejus corde quotidie hauritis: O stulta hominum natura, dum ea, quæ non videt aut tangit, in rerum natura existere non credit, atque ita, veritatem negligendo, vana & falsa atque præstigiiosa capit, ac vanitatibus inebriata, fidem quoque vanam concipit, eaque ratione tenebris infecta, lumenque rejiciens, vera pro falsis habet, falsaque pro veris vanè amplectitur. Sed Deus Opt. Max. hæc omnia in meliora pro bona sua voluntate reformet.

C A P. III.

De spermate & semine: Quomodo ea ab invicem differant? Spermatis procreandi ratio ex quatuor elementis. Et quòd illud in animali sit ex præstantiori membrorum corporis substantia.

UT absque spermate animalis generatio fieri non potest, sic etiam spermata non plus potest sine suo semine, quam corpus sine anima. Non igitur est spermata idem cum semine, quamvis nonnulli hæc duo vocabula confundant, pro synonymis

r. va fumendo, atque ita internum pro externo accipiendo. Nam sperma est
 illud, quod, cum sit visibile, semē invisibile in suo cētro possidet; quod quando in
 matricem venit debitam, congelatur, & congelat; quod reperit purum vel im-
 purum puro mixtum. Sed jam, cum sperma sit res visibilis, semen autem res invi-
 sibilis, summa cum diligentia quærendum est & indagandum, *quidnam sit hoc
 sperma, quid illud semen*, ut tūc postea, quomodo hæc ab invicem differant, rectè
 cognoscamus. *Sperma* secundum Philosophorum præstantiorum sententiam,
 ex principali substantia omnium genitoris membrorum componitur. Unde
 patet, quòd illud sit quasi quinta essentia, ex quatuor elementis composita & vi
 naturali selecta. Nam operatione naturæ quodlibet elementum emittit suum
 subtile; quæ omnia & singula in renibus conveniunt, & ad generationē præpa-
 rantur per unionem & assimilationem. In qua quidem mixtione, si elementa
 masculina prædominentur, formam speciei generantis masculinam producūt,
 si foemina, foeminam. Ex his igitur colligitur, quòd sperma componatur ex
 parte magis spirituali omnium elementorum, & quòd per consequens in se cō-
 prehendat speciem integram corporis genitoris, adeoque etiam imaginem ejus
 invisibilem in se retineat; quam in actum visibilem deducit natura, nisi in suo
 motu impediatur, & præcipuè, si ipsum sperma in locum seu matricem consen-
 taneam disponatur. At verò quemadmodum videmus, quòd corpus ex qua-
 tuor elementis compactum, nihil possit, nisi anima vitalis è cœlis infundatur; sic
 etiam nec hæc tenuissima elementorum collectio quicquam potest, nisi in visi-
 bilis natura coelestis ei insit, quæ vitam illi & motum tribuere potest. In femine
 enim vita jacet, & anima rei generandæ, atque in spermate invenimus elemē-
 torum virgulta & germina, quæ tenera sunt, & vix adhuc efflorescere incipiunt.
 Et tamen deinceps gradatim aut pedetentim, mediante nutrimento conve-
 niente quotidie crescere & vigescere dignoscuntur, & id quidem vivifico semi-
 nis centralis motu; quod ideò percipimus centrum spermatis possidere, quoniā
 ipsum cor in microcosmi medio, & solem in cœli centro per ocularem demon-
 strationem deprehendimus, quorum unum est corporis animalis vita & alte-
 rum mundi anima, qua vivere dicitur. Ex his igitur evidens est, quòd sperma om-
 nēs membrorum genitoris proportionales in se habeat, modo tamen invisibili
 & contracto; quæ virtute animæ vivificæ seu feminis inclusi paulatim indies ex-
 tenduntur. Sic in vesica bovina, cujus forma seu figura fortassis est triangularis
 vel quadrangularis vel pentagonalis vel hexagonalis, &c. si in massam convol-
 vatur, figura ejus penitus delitescit, Atqui si sensim spiritu flatoris extendatur,
 percipiemus, quòd ejus figura vera & geometrica in suis lineamentis patefiat.
 Nonne etiam animadvertimus, quòd aër mutatione sua convertatur in quod-
 libet elementum? Nonne ipsum in nubem condensari, atque iterum crassio-
 rem nubis vel aquæ partem in lapidem sulphurea nativi in loco aliquo caloris
 virtute transmutari, atque ita per diversam naturæ in elementis operationem,
 res diversas in eorum gremio, facta, nempe ipsorum relatione, procreari cerni-
 mus? Sic etiam procul dubio ipsum sperma nihil aliud est, quàm ipse aër conge-
 latus; qui & ipse nihil est, quàm subtile terræ cum aqua simul mixtum; ex quibus
 non magis est impossibile, ut mediante naturæ centralis operatione, caro,
 ossa, & hujuscemodi aliæ partes fiant, quàm in centro aëris ex aëre nubes, a-
 qua & lapides producuntur. Et indubitato percipimus, quòd natura
 nunquam frustra operetur; unde probabile est, quòd aër ad cordis thala-
 mum per inspirationem introductus, secundum majorem sui partem per me-
 tus insensibiles cuilibet regionis Microcosmicæ parti dispensetur, atque ita
 locum materiæ spermatis, ex quolibet membro per vias insensibiles extractæ
 & in vasa feminaria infusæ suppleat. Similiter alimenti subtile ad hoc opus

complendum non est otiosum. Atque hinc est, ut mihi videtur, quòd alia *seminis vasa* dicuntur *seminales arteria*, ex magnæ arteriæ caudice initiantia, & ad testiculos se extendentia, alia verò *ex venis prodeuntia*, & ad testiculos *pertingentia*. Ex quibus demonstratur, quòd sperma nutriatur partim ab alimento in ventriculum attracto, seu chylo in hepate sanguificato, & partim atque præcipuè ab aère attracto ad cordis refrigerium, quoniam ab ejus regione seminis invisibilis efficacia derivatur. Sed quamvis hoc incredibile nonnullis videbitur (qui nimirum nihil consueverunt credere, præterquam quòd sensui subicitur) quòd spermatis materia proveniat, & dimanet ab omnibus corporis generatis membris, multis tamen argumentis, hoc ita reverà sese habere comprobabimus; quorum *primum* sumimus à spermatis definitione, quæ est talis: *Sperma est hominis semen ex principali substantia omnium membrorum compositum; secundum* ab effectu in homine post multum coitum. Nam ingenio & animalium spirituum dispositione graviores magisque stupidi redduntur homines post coitum. Unde certum est, cerebrum de suo aliquid huic actioni contribuere. Præterea dicunt, quòd incisione nervi alicujus, juxta aures in homine ascendentis, immediatè ipse postea sterilis fiat. *Similiter* & alios novi, qui è vestigio post coitum cœperunt pedum stupore vel dolore quodam podagræ laborare. Atque sic etiam homines coitui nimio indulgentes universaliter corpore debilitari testatur experientia. *Tertium* porrò est tale: Natura exigit, ut similia de similibus nascantur, quòd omnia possint progredi, & secundum propriam speciem generari. Unde necesse est, ut portio purior omnium membrorum genitoris ad gignendi productionem concurrat: *Aliud* etiam hujus rei argumentum habemus, quod est hujusmodi: si pater aliquis infirmitatem incurabilem in loco quodam habeat (verbi gratiâ, podagram, chiragram aut similia) filius quàm sæpissimè circa idem membrum incurrit talem infirmitatem. Unde autem est hoc, nisi in spermate consistat illius infirmitatis causa? Et per consequens certum videtur, illam spermatis portionem, quæ à læso genitoris membro processit, esse causam istius mali. Hinc etiam patet, quòd quælibet membri portio in spermate respondeat membri rei genitæ. Proinde his argumentis probatur, quòd sperma ab omnibus membris genitoris derivetur. Sed si quis petat, per quos meatus hoc fiat, aut quibus modis? respondemus, subtilibus viis & oculo intellectus solummodò percipiendis id fieri. Nam ut aër in tenui sua dispositione invisibilis est, & per corpora densa modo invisibili cognoscitur penetrare; sic etiam spermatis substantia aërea, more vaporis subtilis, in venas & arterias penetrat, mirabili amoris & concupiscentiæ fervore, occultoque naturæ vigore ad hoc impulsa, quam substantiam natura sagax in vasa ei destinata magnetica sua virtute alliciens, quasi vaporem aliquem in nubem spissam, coctione debita condensat; in cujus centro scintilla invisibilis vitæ, quam semen supra appellavimus, circumsepta manet, cujus est virtute sua motrice & facultate vegetativa palatium suum arctum atque strictum indies reddere ampliùs, viasque suis motibus convenientes præparare, ut in iis liberius & meliùs queat functiones suas rationis, vitæ & sensus expedire & complere. Atque hinc est, quòd Philosophi semen definiverunt esse quandam qualitatem, & vim occultam à natura spermati inditam, à partibus præcipuis ipsius generantis ortam; quæ quidem vis sive qualitas informet materiam animatorum corporum forma specieque simili. In qua tamen definitione semen malè dicitur qualitas, cum sit essentia informans: Bene autem dixerunt, hanc essentiam à partibus præcipuis ipsius genitoris oriri; scilicet à cerebro seu regione mentis & rationis, à corde seu sede vitæ & animæ mediæ, atque ab hepate seu regione elementari, à cujus fonte elementorum subtile nutritur. Unde fit, ut experientia compertum sit, quòd hoc sperma semen suum

continens

continens in matrice clausum tres producat operatione secreta internæ dispositionis ampullas; ex quibus diligenti observatione tria corporis membra principalia fieri animadvertuntur, videlicet cerebrum, cor & hepar, ut infrâ latius ostendemus. Nectamen credendum est, quòd unius hominis natura diversas formas humanas creaturis suæ speciei nascendis præbere possit: sed quemadmodû videmus in frumenti multiplicatione, quòd radii cœlestes radiis granorum ad eorum multiplicationem successivè adduntur (quoniam unicum granum frumenti non plus habet, quàm ad propriam ejus existentiam sufficit) sic etiam naturæ divinæ portio à cerebro dimanans per additionem & influxum radiorum rationalium ab alto, partem hominis geniti supremam plene perficit, manente genitore illæso. Similiter portio spermatis à corde & regionis ejus ad hærentibus derivata recipit à cœlo & sole portionem, eamque magnetica similitudinis virtute sibi attrahit, qua mediam gignendi regionem complet, ut completa vitæ facultate fruatur. Portio denique spermatis hepaticam genitoris vim possidens emendatur, tum occulta elementorum exteriorum influxu, tum admirabili superiorum virtute. Hoc ergo modo quælibet spermatis humani particula auxilium acquirit à superioribus, quo in viventis suæ speciei animalis membra, tum magis principalia, tum minùs principalia reducit. Atque hæc est ratio integra, qua homo ex homine per generationem provenire solet.

C A P. IV.

De Spermatis humani operatione post ejus in vulvam muliebrem immissionem. Et quomodo Planeta agant ad fœtus complementum; Et de vera partus muliebris tempestate duplici, ac de ratione ejusdem.

Recepto spermate visibili in matricem muliebrem cum ejus semine invisibili matrix subito clauditur, nec postmodum usque ad fœtus perfectionem & complementum aperitur, nisi id fiat ratione præter naturam impellente; quæ etiam solet effectus periculosos secum afferre, utpote abortum, &c. Spermatis igitur in matrice firmato tres illæ ampullæ superius designatæ, seorsim seu ad invicem divisæ spatio septem dierum producantur, & visui manifestæ fiunt, quæ quidem die decimo quinto reducuntur in tria illa membra principalia, quæ dicuntur cerebrum, cor & hepar, quorum prius est mentis, rationis & spirituum animalis sedes, secundum vitæ & animæ mundanæ atque infimum facultatis naturalis; ita ut venas è jecore protuberantes atq; arterias è corde egredientes, & nervos ex cerebro scaturientes percipere possimus; quorum postea virtute, cooperante calore, cæteræ etiam partes paulatim producantur, videlicet pulmones cæteræque thoracis partes, stomachus, intestina, & quæ ea contegunt; similiter vesica, renes, & ultimo loco cæteræ corporis universi partes. Deindè die trigésimo masculi apparere solent & trigésimo septimo, fœminæ. Completis itaque corporis membris atque organis fœtus adhuc ad omnimodam sui maturitatem & coctionem manet in utero, usque ad complementum novem mensium. Et nonnunquam etiam egreditur vivus mense septimo; si autem mensem septimum excedat, non videt, nec vivit; in septimo verò vivit, ut tam experientia, quàm ipsa Philosophia testatur. *Octavo autem mense nati moriuntur, nono verò*

vivunt;cujus quidem rei rationem nobis reddunt *Astrologi*,videlicet,quoniam *septimus mensis* foetus in utero jacentis gubernatur à *Luna*;imò verò eo tempore operatur *Luna* in foetum seu infantem,laboratque sua lubrica frigiditate cum humiditate ad expulsionem ejusdem. Quare si tunc nascatur infans vivere potest; At si non nascatur, debilitabitur. *Octavo* autem *menfe Saturnus*, constringendo uterum & foetum prædominabitur. Unde fit, ut si infans illo mense nascatur, vivere non possit. *Nono* autem *menfe* iterum *Jupiter* caliditate & humiditate nutriendo, vires foetui reducit, & sic ille completè nascitur beneque vivit. Similiter præcedentium sex mensium quilibet à peculiari Planeta gubernatur. Nam *primo mense*, cum semen in matricem recipitur, operatur *Saturnus*, coagulando & stringendo materiam spermatis sua frigiditate & siccitate, eamque in primam suam massam coagulando. *Mense* autem *secundo* prædominatur *Jupiter*, massam coagulata dirigendo sua caliditate in quandam massam crudam, quæ vocatur *Embryon*. *Tertio* verò *menfe* eminentiorem potestatem habet *Mars*, qui agendo in materiam sua caliditate & siccitate, dividens atque separans massam illam, membraque disponens, illa in suum colorem convertit, reducendo ea in formam sanguinis; virtusque *Jovis* tunc latitat & quiescit. *Quarto mense* *Sol* imperare observatur, qui nutrit spiritus & vitam partus, desiccando superfluas humiditates, manifestiorem reddit. *Quintum* porrò *mensem* *Venus* disponit atque ordinat, manifestam oculorum, capillorum, superciliorum & testis ulorum effigiem formando. *Sexto* denique *menfe* operatur *Mercurius*, quo foramina & spiracula dicuntur fieri, nam extendit membrum linguæ & vocalem arteriam. De *septimo*, *octavo* & *nono* antea locuti sumus. Quæ quidem omnes Planetarum operationes proveniunt, propter occultam naturæ ætheræ dispositionem in spermate delitescentem, quam semen appellavimus, quæ quidem respectu vivificæ suæ dispositionis cœlestia mirum in modum respicit, & ideò facilimè impressionum superiorum & præsertim Solis, à quo præcipuè derivatur, capax est in vitæ & membrorum atque instrumentorum ordinatione. His igitur satis luculenter explicatis, aliud vobis fortè occurret dubium; *quomodo scilicet Embryon seu fetus tempore septem vel novem mensium in utero oclusus, nutriri possit?* Dicimus ergo, quòd nonnullorum opinio, & ea quidem ab omnibus ferè recepta sit, quòd foetus in utero à menstruoso fluore, jam propter matricis obfirmationem retento, nutriatur: quòd quidem, si *Plinii* rationibus fidem aliquam adhibeamus, ita se habere non potest: *Quoniam* (inquit ille) *menstruorum naturam violens est ut urticas supra quas decedit, reddat siccas & mortuas, quòd seminat e jus contactu sterile fit, venenosa sua qualitate facit speculum perdere suum splendorem, cultellum acutum faciet obtusum, canes de iis gustantes, rabidos efficiet.* Ex quibus patet, quàm lethale partui foret hoc alimentum menstruosum, cum etiam confirmatis creaturis tantam perniciem adferre animadvertatur. Sed hinc alia oriri potest quæstio; videlicet *quibus meatibus menstrua evacuentur, vel an semper maneat inutilia in corpore per totum illud spatium?* Cui respondemus, quòd virtute caloris, quæ in foemina crescit assiduè propter respectum creaturæ generandæ, ista superfluitas menstruosa destruat. Quòd igitur ad *verum fetus nutrimentum* attinet, procul dubio illud ab umbilico ei obvenit, mediante quadam venula, quæ ab hepate ad matricem ad solum istud officium partui præstandum, descendit: Infans autem prædicto tempore peracto, ad completam suæ speciei & magnitudinis perfectionem in utero perveniens, atque naturali quodam instinctu, tum locum ampliore, tum alimentum copiosius appetens, tandem è tenebris in lucem egradi desiderat, exitumque suum, mediantibus superioribus aggreditur mense septimo, aut nono, uti dictum est. Sumptis ergo & completis in illius temporis termino viribus suis, incipit se movere, nervosque sua fortitudine

dine frangendo, & vincula idonea violando nascitur in mundum. Sed, quoniam in calido & humido erat nutritus, & verò terra ad quam tendit, est frigida & sicca, idcirco infans in suo ortu, tantam contrarietatem sentiens, vocem lamentationis ermittit, atque ita *prima vox hominis est vox doloris*. Unde fit, ut obstetrix ad loci prioris naturæ imitationem vel alicui panno calide involvat puerum, vel in aquam tepidam eum imponat, cujus caliditatem & humiditatem sentiens infans esse similem naturæ obscuri sui habitaculi statim tacere, & eo oblectari percipitur. Hic autem notatu dignum esse existimamus, quòd *cætera animalia, ut primum sunt nata, statim incedant, cum tamen homo longo tempore post suam natiuitatem nec stare nec ambulare possit*. Cujus rei ratio est, menstruosa illa materia ad uterum mulieris descendens, quæ infantem, propter rationes suprâ commemoratas, debilitare solet. Nam cætera animalia menstrua non habent.

C A P. V.

*Cur anima animalis non agat tam citò in foetu,
quàm vita & motus?*

IN superioribus secundum Mercurii Trismegisti sententiam, dictum est, quòd *Mentis & rationis indumentum sit anima, & quòd animæ vehiculum sit spiritus*. Horum autem omnium receptaculum est sperma, quòd est extractum subtile omnium in genitoris compositione concurrentium elementorum, ex quo tanquam ex furculo, nova arbor, vel novum corpus exurgit, corpori genitoris specie, membris, figura & organis haud dissimile. Sed quoniam, teste illo Mercurio Trismegisto, *mens in terra hac mole secundum se existere, & tantum numen partibili confirmatum corpore sustinere nequit, assumpsit mens animam, velut amictum similiter anima etiam diuina existens, utitur spiritu*: Nam mens in sua natura & ipsa animal lucida à mente derivata, & quasi mentis imago seu mens secundaria, tam contrariæ sunt naturæ corporis opaci, ut spiritualia seu tenuissima & mollissima vehicula materialia requirant, sine quibus cum corpore conjungi non possunt. Incluso igitur spiritu, ipse motus ab anima occulto modo in spermate contenta spermaticam instantiam, corporis generandi effigiem invisibiliter in se habentem, paulatim & successivè inflat, eamque gradatim se extendere, & in forma vesicæ elevare facit; animamque ad tale ædificium extruendum exagitat mens, quæ est Dei radius. *Et in mente, inquit Mercurius, est Verbum Dei, quòd hac omnia ordinat atque instituit*. Et certè, quoniam Verbo factus fuit homo, verbo etiam continuatur ejus successio per generationem, & per consequens, Verbi character atque sigillum non est solummodò in homine completo, sed etiam in ipso nondum formato; cum *Verbum Dei manere dicatur in æternum*, siquidem *Divus Johannes testatur, quòd per Verbum facta sint omnia, & sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Nam *in ipso est vita, & illa vita erat lux hominum, & illa lux in tenebris lucet*. Nonne etiam dicit Mercurius Trismegistus cum Evangelista conveniens, ore quasi Dei & Mentis loquendo? *Cogita, quòd in te vides Verbum Domini, mens autem Pater Deus, neque enim distant ab invicem; horum unio vita est*: Et Psalmista Regius Psalm. 139. 15. *Non occultata est vis tibi, ex quo factus sum in occulto, artificiosè confectus, velut in imis partibus terræ. Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia scripta sunt, ex quibus diebus formabantur, cum nondum ullum ex eis extaret, &c.* Similiter Psalm. 119.

Manus tua fecerunt me & plasmaverunt me. Sic etiam apud *Job. 10. 9.* reperimus: *Sicuti argillam me fecisti: nonne sicut lac fudisti me? & tanquam caseum coagulasti me? Cute & carne induxisti me? ossibusq; & nervis texisti me? cum vita benignitatem exercuisti erga me? Et visitatio tua conservavit spiritum meum?* Et denique juxta *Psal. 22. 11.* *Cum tu sis, qui eduxisti me ex utero, faciens, ut considerem ad ubera matris meæ. In te rejectus sum ex vulva, inde ab utero matris meæ, Deus fortis meus sis.* Ex his igitur evidenter, ni fallor, patet, quòd Deus sit in ipso utero, ibique agat ad fabricæ humanæ productionem, & consequenter; quòd Verbum Dei sit in mente, & cum mente, & ob hanc rationem in ipso homine, & in spermate in utero manente, ut ad speciei humanæ existentiam, & ad divinum exemplar illud conformet. Sed ut Verbum à *Mercurio* dicitur esse in mente, mens in ratione, ratio cum Verbo & Mente in anima, & anima lucida cum his omnibus in corpore, atque ita progressio fit ab unitate ad multitudinem; sic necesse erit, ut Mens, quasi dualitas, moveatur à Verbo, & Spiritus rationalis à mente, & anima à spiritu rationali, atque ut ita tandem spiritus per ipsam animam ad præstandum suum officium in corpore spermatico immediatè operetur. Spiritus igitur aëreus seu æthereus agit in corpus, tanquam in suum simile, ad ædificandum palatium pro suo rege cœlesti, organisque & membris atque promptuariis & officinis, cuilibet radio atque spiritui interno, & à superioribus illapso convenientibus illud exornat. Anima ergo vivificat spiritum ad hoc tale opus, ita ut spiritus sit animæ instrumentum & vehiculum; Ratio vivificat animam, & anima cum ratione admirabile illud opus divinum, vel divinum divini radii tabernaculum construit. Rationalem etiam spiritum imbuit mens acumine & dignitate ineffabili. Et Verbum in mente splendorem supersubstantialem secum portat; cujus præsentia speciei æternitas ejusque perpetuitas conservatur, uti in antedictis descripsimus. Hinc igitur est, quòd *Mens & Ratio* ultimo demum loco apparent. Nam spiritus virtute occultæ actionis animæ, massam & embryon flatu suo inde à principio indies augeri & crescere facit. Et tamen vita seu anima vivens tàm nondum apparet; quamvis manifestum sit, quòd occultè operetur per ampullarum arteriarum, venarum & nervorum productionem, seu potiùs patefactionem. Auctis igitur & sensibilibus factis corporis organis, sensibilior quoque fit animæ motus & illius effectus. Unde fit, quòd vita in augmentationis medietate apparere solet, adeoque fœtus etiam tunc ipso sensu tactus movere percipitur, nec tamen agere videtur mens cum ratione, nisi mystico quodam in anima motu, quem sensus humanus nullo modo percipere valet. Nam ut spiritus agit in corpore, sic anima in spiritu: sed ut animæ actiones absque spiritu non possunt sensu corporeo percipi, sic nec mentis atque rationis, absque animæ vivificæ effectu. Unde liquet, quòd actus spiritus sint sensibus corporeis familiares, quoniam illi propinquiores sunt, & quasi contigui. Actus verò animæ non sunt illis ita familiares, quoniam inter corpus & animam interponitur spiritus. Similiter rationis actus sunt adhuc cognitu difficiliorens sensibus corporeis, quàm actus animæ, quoniam inter corpus & rationem interponuntur spiritus & anima media. Omnium autem difficillimi perceptu sunt sensibus corporeis actus mentis & operationes Dei, quoniam longiùs distant, & sunt quasi in mysteriorum spiritualium centro. At verò sensus operationes in extrema superficie sunt positæ. Summè quidem arduum erit sensui in terræ superficie degenti & agenti, operationes secretas, quæ in terræ centro perficiuntur, & mysteria naturæ, quæ ibi delitescunt, percipere; Multò itaq; duriùs & difficiliùs adhuc erit, ut materia grossa & terrea mysticas illas operationes atq; intentiones intelligat, quæ in cœlo supercœlesti producuntur. Hinc igitur est, quòd mens & ratio, quoad sensum humanum in massa spermatica quiescere videntur, cum tamen occulto & mystico

stico modo in animâ operentur, uti ipsa quoque tandem in infimo spermatis spiritu movens, structuram atque domicilium humanum ædificare solet. Et quemadmodum videmus in prima mundi creatione, quòd lucis supernæ impressiones in sphæram elementarem fuerunt debiles, & quasi imperceptibiles ante Solis apparitionem (unde & nullum animal, sed solum vegetabilia & mineralia fuerunt producta, siquidem non agebat ad vitam animale, sed ad vegetabile tantum.) Similiter, ut observamus, quòd post massæ vegetabilis incrementum, virtute aucti caloris vivifici corpora animalia & vitalia, sed ratione evidenti destituta sunt producta; videlicet aquatica, volatilia & terrestria, & quòd in creationis sine ratio cum mente in hominem nobilissimum animal fuit inspirata; sic attendatis obsecro, qualiter res sese habeat in foetu, durante ejus in matrice mora. Mundus cum suis creaturis septem dierum spatio ex aqua & luce creatus est. Aqua condensatione aut subtiliatione in elementa, natura & situ diversa distinguitur. Atque hæc talis mixtio tribus prioribus creationis diebus facta fuit. Sic spermatis origo est aqua & lux, per quorum diversas mixtiones producuntur quatuor elementa, & ex horum subtilitate semen seu aqua spissata. Hoc sperma tribus mensibus in tres regiones corporeas, ex tribus ampullis, tres mundi regiones representantibus constatas, concrevit: Sic mundum in tres regiones, tribus primis creationis diebus correspondentes, divisum esse supra declaravimus; massaque vegetabilis completa crescere & augeri cœpit. In cæteris verò atque ultimis creationis diebus vita animalis producta fuit, & operata Solis virtus: Atque sic etiam per cæteros tres commorantis in utero foetus menses, vita animalis in massa vegetabili apparet. Sexto demum die creationis regione elementari à suis nubibus caliginosis & vaporibus rebellibus purgata, ratio cum mente, mediante verbo, in hominem inspirata fuit. Sic igitur etiam circa mensem sextum, rationis scintillæ ex humana specie exilire quodammodo, licet admodum lentè, videntur. Atque ut die septimo completa fuit mundi & creaturarum fabrica, sic etiam infans jam ad imaginem mundi peractus in lucem produci solet, vel ob defectum maternum mense nono.

C A P. VI.

De hominis ætate, & cur illa sint subinde breviores; Elementorumque corruptorum purificandorum ratio in novissimo die.

Mirabilis equidem virtutis est numerus septenarius, cum in eo præservata fuerint animalia mundi in arca Noë à diluvio, atque itidem quoque per ejus institutionem totius vitæ humanæ curriculum gubernetur. Nam ut foetui in mulieris matrice datur continuare ante completam ejus perfectionem septem menses; ita etiam post illius ex utero egressum, vitæ ejus cursus septem aliis temporis intervallis commensuratur, quæ ætates appellantur, & unumquodque eorum iterum septem annis circumscribitur. Ex septenariorum enim annorum nexu fit illa dimensio, quam *annum climactericum* vocaverunt sapientes. Ut autem antea declaravimus, quòd seorsim Planeta aliquis unumquemque foetus mensem in utero secundum ordinem gubernet; ita etiam semper aliquis horum Planetarum cuique ætati præesse observatur; quippe quarum *primam* idè

Gg Luna

Luna sibi vendicat, quòd infantem in utero complevit, perfecit & ad egressum ejus in lucem operata est; adeoque etiam exinde in ejus dispositionem vim habet et spatio primæ ætatis durante. Sic itaque *infantia* meritò *Luna* attribuitur, quoniam integram ejus dispositionem sequi potestatem lunarem animadvertitur, siquidem in ea secundùm nutritivam & vegetativam potestatem vivimus. Unde fit, ut hæc ætas sit fluida, tenera, aquosa, & magis frigida & humida, quàm sequentes. *Secunda* autem ætas, *pueritia* scilicet, *Mercurio* datur, cum in ea maximè reperiantur dispositiones Mercuriales; namque in ea, juxta *Procli* sententiam, literarum, citharæque & luctæ similibumque ludorum studium exercemus, hominisque phantasia varia atque levis, & ad plurima prona existit. *Tertia*, quam *adolescenciam* vocamus, *Veneri* subjicitur; Unde fit, ut in ea turgeant membra feminibus & ad genituram protinus excitemur. *Quarta*, nempe *juventus*, dicitur *Solaris*, in qua vigor ætatisque perfectio est conspicua. Hæc enim vitæ humanæ pars cum sit media, ita sese habet, ut Sol sua dispositione in cœli medio. *Quinta* ætas est inter juventutem & evidentem senectutem, quæ à nonnullis *bi-diosa* & *iracunda* appellatur ætas, quatenus planeta *Martialis* in ea prædominatur: In hac ergo potentias & victorias affectamus, & ad iracundiam facile provocamur. *Sexta* autem ætas, quæ *viridis senectus* nuncupatur *Jovi* assignatur, cum in ea prudentiam, vitam activam & civilem naturali quadam inclinatione desideremus. *Senectus* autem curva & decrepita *septima* est, quam *Saturnus* gubernat; siquidem in ea consentaneum est naturæ à generatione desillere, seque à corporeis appetitibus segregare, & ad alteram incorporeamque vitam se componere & transferre; Unde hæc ætas *contemplativa* nuncupatur. Ex his igitur constat, quòd contra cœcas stultorum opiniones, stellæ in hominibus mirificè operentur, & totam ferè vitam humanam apprimè gubernent. Ac certè, si rectè rem consideremus, deprehendemus, vitam humanam nihil esse aliud, quàm transitum quendam seu iter à puncto seu termino imperfectiōis & cruditati ad terminum perfectiōis & maturitatis. Imò verò peroptimè ea cursui sol. ri, annum constituenti & à solstitio hyemali versus æstivum moventi, comparari potest. Nam sole versus partes boreales properante, magis magisque subinde perfectio plantarum & maturitas fructuum inducitur, ut in ceralis, pomis & hujusmodi aliis fructibus videre est, quippe qui calore, maturitate & colore, quasi ad juventutis culmen ascendere, atque tum postea exinde rursus, velut ad senectutis metam per viam corruptionis, *Sole* & *Cancro* versus meridiem regrediente, descendere percipiuntur, in tantum quidem, ut etiam ipsa arborum folia, per *Libram* decurrente *Sole*, cadere, communis observavit experientia. Sed & in pomi crescentis natura possumus exquisitè vitæ humanæ & motus ejus rationem percipere: Namque illud in primordio sui motus crudum est & indigestum, ut *Luna*; deinde via lineari procedit per omnes Planetarum dispositiones ad completam maturitatem, quam juventuti comparamus. Tum postea paulatim decrescendo, vergit iterum ad corruptionem. Hic igitur observare debemus, quòd corporis corruptio sit nihil aliud, quàm animæ vivificæ multitudo. Nam maturescence corpore anima vitalis fit fortior; quæ ad suam è carcere corporali liberationem jam properans, in primis tentat corpus corrumpere; Id fanè, quod paulatim & gradatim, tam in fructu conari percipitur, quàm in animali, motum suum, tum à maturitate completa in fructu, tum à juventute intentam in homine ad corruptionem incipiens. Videmus etiam, quòd hæc vita humana viæ seu itineri hominis possit comparari, facta progressionem à septimo climate boreali versus clima primum juxta æquinoctialem. Nam *clima transiens Flandriam* & *Angliam* *Luna* attribuitur; Unde istius climatis homines reperiuntur cæteris humidiores & frigidiores. *Sextum* assignatur *Mercurio* secans *Galliam*; cujus incolæ

Anglis calidiores sunt, & non ita humidi; unde & in suis dispositionibus magis teneri & leves sunt, quasi viventes in vita puerili. Quintum Italiam dividit, quod gubernatur à Venere: Unde hæc natio deliciis, cantilenis & hujusmodi aliis voluptatibus Venereis afficitur; Et in hac mundi plaga adolescentiæ sphæra movere videtur. Quartum clima Soli dicatum, per mare mediterraneum transit, Græciamq; secans, reddit homines doctos ac statum juvenilem repræsentat. Tertium terram sanctam sibi subjiciens Marti attribuitur; in qua victoria, bellum & iracundia effectus suos ab initio exercuerunt: hic calorem in suo vigore invenit peregrinator: deinde homo in vitæ suæ curriculo per Aegyptum transiens, Jovis ibi naturam invenit secundum clima regentem: Unde civilior fit & prudentior, atque ad verum Deorum cultum & religionem pronior. Atque tandem ad ultimum clima perveniens, quod Aethiopiam dividit, Saturnum ibi gubernantem invenit decrepitem, & contemplatione divina, neglectis terrestribus; cœlestia considerantem. In hoc climate corpus debilissimum reperitur, anima verò fortissima: Unde anima, terrena jam, atque adeò quoque ipsum corpus suum negligendo, ad cœlum aciem suam erigit, ruptisque animæ animalis & sensitivæ vinculis, ad patriam suam supercœlestem tendere, alisque spiritualibus avolare appetit, adeoque diligenter sese ad hoc iter suum præparat: Luget ergo corpus, lætatur anima. Atque ita peregrinus homo ad finem itineris sui mundani & mortalis pervenit, ut peregrinatione magis læta & jucundiori quærat vitæ cœlestis & immortalis regnum. Cæterùm jam ad rationem illam occultam me convertam, qua demonstratur, Cur ætas humana secundum mundi ætatem subinde sit brevior & magis decurtata. Intelligendum est igitur, quòd in principio Deus creaverit omnia elementa purissima, quatenus ea quasi inebriavit quinta illa essentia primordiali, cujus vinculis ea, discedendo à confusione, in ordinem & concatenationem concordem sunt redacta. Nec tamen illa fuerunt per omnia puritate æqualia in prima creatione, sed aliud existit alio purius & mundius pro majori aut minori quantitate quintæ essentiæ, quam possedit. Quoniam igitur homo præcipuè, & præterea quoque cæteræ itidem creaturæ ex hujusmodi elementis puris in sua creatione factæ sunt, idcirco necesse erat, ut in hisce creaturis noviter conditis esset corporum compositio exactissima & purissima, atque ut per consequens illæ mori aut corrumpi seu dissolvi non possent; quatenus scilicet erant à Deo immortaliter creatæ, juxta illud Sapientis Sap. 1. 13. Deus mortem non fecit, neque delectatur perditione viventium. Nam omnia creavit, ut sint. & salutare sunt ortus hujus mundi in quibus non est pharmacum exitiale neque inferorum regnum super terram. Justitia autem immortalis est. Quod si ergo hæc non fuit Creatoris voluntas, ut res ulla interiret, quam fecit, aut ut ipsa terra jam corrupta, mortis aut inferorum vestigiis obnoxia esset, unde orta est hæc creaturarum depravatio tantaq; elementorum coinquinatio? Unde accidit, inquam, ut hæc quatuor elementa taliter creata, videlicet pura & clara, ratione perfectionis illius, in qua fuerunt condita, defecerint jam tandem ab ista naturæ perfectione, ita ut creaturæ ex illis factæ jam cogantur mori? Respondemus, quòd hoc fiat propter elementorum, & præcipuè ipsius terræ immunditiam, quæ adeò aptior est ad corruptionem, quoniam in sua creatione minorem habuit quintæ essentiæ portionem; adeoque hæc corruptio haud dubiè à primæ generatione provenit; quoniam, ut creatio erat purissima, quatenus immediatè à Creatore facta, in quo & à quo nihil nisi puritas procedere potest; sic etiam generatio non est à Creatore, sed à Creatura, videlicet à Natura; unde imperfectionem secum ducit; quia Creatura non plùs habet perfectionis, quàm ei ad ipsius perfectionem sufficit; & per consequens perfectionem completam aliis dare non potest; cùm hoc sit officium solus Creatoris, qui solus est plùsqvam

perfectus. Atque hinc est, quòd creatio quidem fuit in se absoluta & sine destructione, generatio autem parvæ durationis. Hinc, inquam, est naturæ imperfectio; quæ quòd magis est imperfecta, eò magis sui perfectionem appetit. Perfectionis autem naturæ appetitus est generationis in corruptionem, & corruptionis in generationem. Qui quidem instinctus seu appetitus non provenit immediate, ut dictum est, à Creatore naturæ, namque si hoc ita se haberet, sequeretur exinde rem fieri à Creatore, & non à Creatura, atque ita ea esset perfecta & sine destructione: Et proinde venit instinctus ille à natura, adeoque ipsa non potest per se, hoc est, sua generatione facere rem perfectam. Generatio ergo prima produxit corruptionem in mundum, cum generatio unius sit corruptio alterius: Nam, ut in *Tractatu nostro Theologico-Philosophico de Vita, Morte & Resurrectione* dictum est, si Adam generationis appetitu non fuisset transportatus, creationis beneficium & immortalitatis præmium nunquam perdidisset. Etenim cum sperma sit elementorum & membrorum creaturæ subtile, multis quintæ essentiæ spiritibus repletum, necesse est, ut genitoris compositionem relinquat magis grossam, impuram atque indignam, quatenus parvulum illud spermatis corpus in se habet potestatem procreandi aliud corpus suæ speciei simile. Videmus autem in auro, quòd quanto plùs tincturæ ei auferitur, tantò vilius & ignobilius illud relinquitur, minusque efficax. Hinc itaque suborta est elementorum inquinatio, & præcipuè terræ: namque hac serpentis astutia mors introducta est in orbem terrarum, secundum illud *Sap. 1. Injustitia mortis est acquisitio*. Nam mixta erat quinta essentia cum elementato hominis, secundum Creatoris justitiam, hoc est, ad pondus, quo quidem temperamento exquisitissimo anima corpori & corpus suæ formæ amore immortalis connexæ sunt: At verò his immortalitatis vinculis semel violatis perditur immortalitas, locòque illius acquiritur ejus contrarium; atque ita per injustitiam, hoc est, per violationem justitiæ divinæ propter instinctum naturalem ad generationem mors creaturis & immundities elementis propter creaturarum corruptionem adductæ sunt. Quod sanè omne factum est astutia serpentis, juxta illud *Sap. 2. 24. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Similiter testantur sacræ Scripturæ, quòd ipsa terra propter Adami errorem fuerit maledicta. *Genes. 3. 17. Maledicta terra in opere tuo, &c.* Et *ibidem 18. Spinæ & tribulos germinabit tibi*. Et *Sapient. 1. Nolite zelare mortem errore vitæ vestræ, &c.* Generatio igitur mortem comitatur, quoniam generatio unius est corruptio alterius, & corruptio unius similiter est generatio alterius. Post generationem ergo mortui sunt homines & animalia & nascentia terræ desiccata, cum destructione generationis ducta à corruptione in generationem, & à generatione in corruptionem. Itaque corpus impurum resolutum manet hoc, quod inquinavit & corrupit elementa: propter quam corruptionem omnis res visibilis est parvæ durationis, quoniam natura rem ita perfectam, propter multitudinem materiæ grossæ & impuræ ac corruptæ facere nequit, quàm priùs, scilicet in principio, operante Deo Creatore in Creatione faciebat; imò verò quòd magis continuatur operatio generativa, eò magis deprimitur Naturæ actus ad perfectionem tendens, quoniam ipsa natura de imperfectione participat, magna corruptione inficitur propter materiam elementorum, quam quotidie minus puram invenit, quia quod nunc ad immutandum ipsam ponunt, tunc ad componendas partes ligamenti firmiores ponebant; sed ut Adami operationi insistam, ejus sperma ante generationis actum erat simplex, purissimum & harmonia quintæ essentiæ plenissimum: Atque sicut idem quoque sperma Evæ seu mulieris. At verò ubi semen viri fuit calore ita exaltatum, ut excederet semen mulieris; atque ita semen mulieris longè fuit frigidius, quàm semen viri, accidit inde, ut horum mixtione procrearentur multi-

multifariæ naturæ. Namque uti semen in homine contentum naturæ aëris comparatur, videlicet humiditati & caliditati simplici, & verò nulla est in eodem elemento puro contrarietas, ac per consequens nulla mortis occasio; sic mixtionem aëreæ istius naturæ cum aquea natura fœminæ, reddita fuit compositio propaganda particeps naturarum quatuor elementorum, atque ita facta est eorum actionibus & passionibus subjecta seu obnoxia; quorum deinceps repugnantia mors, rebellio atque contentio suborta est in tabernaculo humano. Præterea, quantam varietatem & alterationem horum spermatum variorum mixtiones induxerint, testantur differentes *Caini & Abelis* naturæ ac dispositiones. Hinc igitur constat, quanta timenda sit pollutio, & inquinatio ex diversis diversorum in infinitis creaturis spermatum mixtionibus à mundi primordio emissorum, ac creaturas magis magisque indies à veritate primarum mixtionum distrahentium, & per consequens in mortis corruptionis & alterationis abyssum eas propter fœculentæ & immundæ materiæ abundantiam, veritatisque & sinceritatis primæ seu creatæ compositionis paucitatem præcipitantium. Nam paucitas quintæ essentialis formæ jam multitudine materiæ submergitur; imò verò materiæ inutilis moles subinde in mixtionem humanam magis magisque irrepit, dum senescit mundus. Atque hæc quidem est causa illa, quòd omnis posterior mundi ætas corruptior esse percipitur, & tantò magis ad mortis palatium vestigia sua dirigere, quantò provectior invenitur. Hinc vitæ humanæ tabes, hinc ellychnii seu licinii lampadis humani marcor & decrementum, quo citius hoc seculo extinguitur ejus lumen, quàm seculis præcedentibus. Hinc, inquam, elementorum purè creatorum immundities, sordities, pollutio, imperfectio, tenebrositas, squalor atque partes inutiles. Per ista, ni fallor, possumus intelligere omnem sermonem propheticum de mundi ruina & destructione, videlicet, quòd igne divino consumendum sit in fine mundi, quando filius Dei de cælo cum gloria & splendore igneo ad judicandum seculum, illudque per ignem examinandum adveniet; qui comburet & consumet totum illud, quod non erit de veritate quatuor elementorum immediatè à Deo Creatorum; quodque purum est, ab impuro segregabit, & quod malum atque impurum invenietur, igne suæ præsentis comburet, fœcesque & cineres in abyssum præcipitabit; purum verò & de veritate participans igne non destruetur, sed examinabitur & perficietur ab eo, & in suo proprio loco relinquetur in æternum. Malum ergo & impurum in abyssum tenebrosam immersum super Dæmones malos & damnatos cadet; at verò, quod purum est, super beatos. Patet igitur, quòd per præsentiam plusquam perfectionis omnia in locum sibi destinatum fiat reditura, qui in primordio eis præfixus fuit, separato immundo à mundo, tenebroso à lucido, bono à malo, &c. Nec certè credendum est, terram istam, quam hinc calcamus, esse purum elementum, sed quod sit elementata potiùs à suo quinto elemento: Etenim per rationes supra allegatas, discessit major portio quintæ essentiæ à terra, majorque ejus portio est immundities, fœx & quasi caput mortuum, hoc est, corpus, propter infectionem supra designatam sine anima. Est ergo in centro vera terræ virgo & elementum verum, quod ignis non poterit consumere die illo tremendo, & quicquid præter hoc non erit de veritate pura elementorum, ardebit, ac in cineres & quasi nihilum reducetur in die judicii. Et tunc elementa manebunt clara & pura in terra splendente instar cristalli: Et teste *Esaia 30. Luna habebit splendorem Solis & Sol in septupla proportione exaltabitur lumine.* Hæc omnia faciet supremus Creator per ignem vultus sui, coram quo nulla impuritas durare potest; quippe cujus solo aspectu durissimi scopuli & montes impuri funduntur: Imò quidem ejus præsentia magnus mun-

duſ revertetur in primum ſuum ſtatum, ſcilicet omnia elementa in ſuam puram eſſentiam; quæ poſtmodum non timebit ignem cœli, ſed gaudebit in præſentia & conſpectu ſui Creatoris. Tunc enim motus naturæ divinæ & ſupercœleſtis ac lux immortalis in mundo univerſo renovato, æqualiter diſfuſa, morabitur, eumque ab omni corruptione, morte & mutatione præſervabit; quemadmodum apud *Eſaiam Prophetam*, & *Johannem in Apocalypſi* copioſius videre, verbisque planiſſimis atque apertiſſimis legere poſſumus.

T R A-





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

L I B E R XII.


De hominis interni & externi harmonia.

C A P. I.

*Quòd Musica humana ad mundanam convenienter referatur: Et de
proportionibus Trianguli materialis cum formali
in homine interno.*


Pythagorici scriptis suis tradiderunt, quòd in mundi fabrica *Monas* sive *unitas* opifici seu creatori; *Dias* verò seu *dualitas* materiæ spirituali cum ejus basi fœculenta, & *Trias* seu *Trinitas* formæ sive luci, qua res omnes informatae sunt, referatur: atque ita totum mundum ex numero ternario conflatum esse asseveranter dixerunt. Similiter ex prædictorum compositione hominem, dignissimam terræ creaturam natum esse affirmarunt, videlicet ex *Hexade*. Nam 1 2 3. simul addita constituunt 6. Nam ex digniori magis composito dignius minus compositum factum est, videlicet homo. Nam Deus primum ex numero ternario in compositione prima mundum fabricabat, unde *mundus à Philosophis nuncupatus est Dei filius*; atque ex compositis mundi partibus, quasi ex ejus numero ternario, natus est *homo, quem ob hanc rationem veteres appellarunt mundi filium*. Dicunt etiam iidem *Pythagorici*, à *Platonis* in eo non dissentientes, quòd numerus humanus sit septenarius; nec quidem sine ratione; cum de numero formali, qui est ternarius, juncto cum numero materiali, videlicet quaternario septenarius conficiatur. Cæterarum autem creaturarum esse atque vitam, & existentiam ex numero denario seu enneade factam esse dixerunt. Ex quibus liquet, quòd numerus humanus magis accedat ad naturam unitatis, quàm numerus cæterarum creaturarum, & quod unitati mundi, videlicet sedi mentis, in consonantia Diapason respondeat; quæ consonantia consistit ex Diatessaron & Diapente, quæ ex septem intervallis consistunt, quatenus Diatessaron ex duobus tonis cum semitonio minori ac Diapente ex tribus tonis cum semitonio minori constituitur, quæ intervalla simul connexa septem faciunt. Et tamen si ambo semitonia simul jun-
gantur,

gantur, ut unicum constituent tonum, hexadem etiam constituere potest. Atque hac ratione ambo hi numeri in homine uno modo reperiuntur secundum *Pythagoricorum* opinionem. Nos etiam ex diligenti pyramidum formalis & materialis inspectione, quæ in homine reperiuntur Musicam invenimus talem. Nam primum descendendo à spirituali materiæ pyramide invenimus Diapason inter cacumen mentis & sphaeram cordis, quoniam proportio spiritus vitalis in corde ad spiritum menti contiguum se habet, ut 2. ad 1. videlicet dupla est, ex qua Diapason constituitur, consonantias Diatessaron & Diapente comprehendens. Similiter dispositio spiritus cordis refertur ad dispositionem regionis inferioris, ubi facultas naturalis originaliter agit, ut 2. ad 3. Nam tres ibi spiritus portiones regnare videntur, quatenus pyramidis materialis basis ibi reperitur. Quare in hac proportione consonantia Diapente reperitur, atque in ipso puncto basis pyramidis nihil ferè lucis, sed mera tantùm fœx (in intestinis scilicet) invenitur, & quasi caput mortuum omni luce & gratia quasi vitali destitutum. Unde 4. sunt ibi partes materiæ, quatenus nihil ferè lucis adest, adeoque se habet hæc portio ad portionem sublimiorum elementorum, ut 4. ad 1. quæ est in proportione sesquitertia, in qua etiam consonantia Diatessaron reperitur.




Simili etiam ratione ascendendo à multitudine materiæ versus fontem totius formæ, videlicet à cono pyramidis formalis versus ejus basin, quæ contigua est ipsi essentiæ supersubstantiali, easdem proportiones, & per consequens easdem Musicæ consonantias, reperiemus. Nam unitas formæ in multitudine materiæ

materiae sepulta ad dualitatem mediae regionis relata Diapason formale in materia submersum denotat. Deinde dualitas illa cum triade in regione suae basis reperta producit Diapente formale: Et iterum illa trias ad punctum suae basis, ubi nulla materia, sed pura forma offenditur, Diatessaron formale arguit; atque Diatessaron & Diapente formale Diapason è materiae abyssu emergens denotant. *Formalis pyramidis progressum hic depinximus.*



Harum autem pyramidum copiosè fecimus mentionem in *Tractatu nostro Macrocosmico*, quippe ex quarum mixtione seu compositione mundum constitutum esse ibi demonstravimus. Quare impossibile censemus, ut creatura ulla sine aliqua earum portione fieri potuisset, quatenus omne compositum ex mundi elementis est constitutum. At verò homo inter alias creaturas magis videtur mereri, ut *mundi filius* nominetur, quoniam ex qualibet utriusque pyramidis mundanae regione portionem aliquam ad suam perfectionem atque complementum acquisivit; videlicet ex regione infima pyramidis formalis, quae in ejus cono consistit, & pyramidis materialis, quae est ejus basis; utpote ex quibus infima seu elementaris hominis regio dependet; Similiter ex regione media utriusque pyramidis; in cujus centro, ubi fit intersectio, aequaliter commiscetur lux & spiritus, ac denique ex regione suprema, ubi lux, tanquam in suae basis regione non aliter dominium habet super materiam, quam materia in suae basis regione, quae est infima, dominium habet super formam & lucem. Atque ut in mundo

majori videmus, quòd forma dominium habet in superiori sua regione; Unde ea intellectualis & rationalis dicitur; sic etiam ob eandem rationem in corpore humano habet dominium super universam massam materialem, atque est quasi Princeps aut Imperator mudi minoris. Similiter, ut regio mudi inferior à materia gubernatur, quæ ipsam contra lucis supercœlestis actus rebellare facit; sic etiam in infima hominis regione anima humana mediam portionem suis blanditiis à mente & vera ratione atque à veritate ad sensus mundi atque carnis præstigijs pertrahit, ipsamque animam umbraculo suo carnoso obtegens eò adducit, ut harmoniam eam esse credat, quæ revera est discordia & antipathia. *Præcedentium demonstrationem in duplici pyramide, in formali scilicet & materiali delineavimus.*



Ex hisce igitur patet, qualis sit differentia inter hominem & brutum; videlicet quod homo habeat in se Disdiapason, cujus pars altera elevatur ad res supercœlestes contemplandas, altera verò in materia submergitur & cum rebus

bus materialibus tam opacis quàm perspicuis conservatur. In Diapason ergò materiali versatur anima circa mala, circa carnis illecebras & circa res mundanas; Atqui harmonia sua spiritali ad cœlestia se erigit. Unde licebit considerare, quòd anima media seu vitalis in corde corporis, uti Sol in corde cœli sita voluntatem, & quasi liberum arbitrium habeat tam sursum, quàm deorsum respiciendi, secundùm illam Platoniorum opinionem, quòd spiritus medius participare possit aut de mente (quo quidem casu res divinas contèmplari observatur & in bonitate sola versari) aut de anima animali seu sensitiva & carnali sive idolo; atque tunc occupatur circa depravata, mentis què vias negligit. Id sanè quod convenit cum hisce *Christi* verbis: *Impossibile est Deo simul atque homini inservire. Qui enim mundum amat, Deum diligere non potest;* cum superior inferioribus non minùs adversetur, quàm lux tenebris, bonum malo, aut Deus diabolo.

C A P. II.

De symphoniaca inter animam, spiritum & corpus melodia.

IN Musices communis observatione videmus, quòd systema seu scala ejus ex triplici literarum seu notarum serie consistat, quas claves vocaverunt Artistæ. Atque hæ omnes exceptis tribus, occultæ dicuntur. Illæ verò tres ad prædictarum clavium invisibilium differentiam distinguendam manifestè exprimuntur. Est itaque prima clavium series Γ. A. B. C. D. E. F. per simplices, uti vides, majoris ordinis literas, expressa; quæ *claves graves* appellantur, quasi bases & reliquarum super eminentium fundamenta. Atque harum clavis manifesta est F. quæ sic exprimitur ϑ: secundus literarum ordo est talis g. a. b. c. d. e. f. Atque hæc series nuncupatur *Media*, literæ què ejus dicuntur excellentes & acutæ; ex quibus partes melodiæ mediæ exurgunt, & propriè *medius cantus*, quemadmodum ex infimis *Bassus* depromitur. Est etiam & alia adhuc series, hisce ipsis vocis elevatione eminentior, excellentior & acutior, ex qua cantus *Altus* conflatur; atque hæc est hujusmodi gg. aa. bb. cc. dd. ee. ff. Quæ quidem literæ super excellentes & peracutæ & supremæ in omni hominis potestate existunt. Ex hujusmodi harmoniæ proportionem in triplici numero septenario conflatur mundi machina; cujus portio elementaris ex symphonia magis gravi constans, cæteras harmoniæ mundanæ partes statuminare videtur. Nam elementa sunt cæteris cœli regionibus graviora, & quasi bases ac fundamenta; Similiter cœlum medium, literarum acutarum & excellentium seriei assimilatur, quatenus primam melodiam facit cum elementis seu Basso; cujus septem Planetæ sunt septem claves; Atque ut ascendendo à g. a. b. c. invenimus, quòd c. sit clavis principalis, cujus manifestatione, cæteræ non expressæ intelliguntur; sic etiam ascendendo à C. ♄. ♀. ☉. reperimus, quòd ☉ sit quasi clavis illa cœli aperta seu manifesta, cujus præsentia visibili cæteri Planetæ per se occulti manifestantur, symphoniacè ad inferiora gravia sonant, illustrantur & vivaciter in elementa ac elementata operantur. Literæ denique superacutæ & superexcellentes supremæ regioni referuntur; ubi conus pyramidis materialis superacutè definit, ultra quem non est spiritus creati transitus. Ut autem in præcedentibus demonstravimus, quòd homo à sapientibus dicatur filius mundi, quoniam à mundi partibus simplicioribus ejus subtile, invisibile & internum factum est, quæ m-

admodum itidem ex partibus mundi spissioribus seu elementis ejus grossum, visibile & externum est conflatum, sic etiam dicimus, quòd hominis corpus, utpote ex mundi elementis compositum, sit basis atque fundamentum totius musicae hominis compositi; & quòd ejus spiritus æthereus septem Planetarum eorumque naturarum vestigia occultè retinens, clavibus acutis atque excellentibus melodiam cœlestem respiciendo comparetur, dum vivificat corpus suum mediante luce secundaria seu agente medio; atque denique, quod lux supercœlestis, seu ipsa mens, spiritum rationalem pulsans, melodiam superexcellentem faciat cum inferioribus literarum gradibus. Quibus tres melodiæ species exercitissimè quidem sono & varietate differentes, sed optimè per harmoniæ seu consonantiæ in compositione Microcosmica concatenatæ, vincula sonare atque movere percipiuntur; eaque ratione per harmoniam melodiæ mediæ, videlicet spiritus, mens atque anima cum sua symphonia intellectuâ inter sonos graviorum vocum miscetur, atq; ita intra corpus opacum ex elementis conflatum introducit. Est ergo animæ harmonia ex vocibus superexcellentibus conflata Diatessaron, Diapente & Diapason spirituale & lucidum, seu formale constituentibus. Fit etiam harmonia spiritus ex vocibus mediis seu gradibus excellentibus; quæ in sua symphonia convenit tum cum superexcellentibus seu supercœlestibus, tum cum gravibus seu elementaribus. Est denique corpus humanum quasi totius harmoniæ humanæ organon seu instrumentum; cujus melodiæ gradus infimus seu accentus gravis fit in illud elementorum subtile, ex quo anima sensitiva & facultas naturalis oritur. Hujus chorda est spiritus elementaris seu aër grossior aut subtilior, quem ignea seu formalior elementorum vis pulsare animadvertitur, spiritusque pulsus harmoniam aliquam elementorum auribus rationis sonare facit. Atque hujus Musicae origo principalis est in infima Microcosmi regione; sed tamen harmoniæ ejus effectus per universam fabricam humanam dispergitur atque disseminatur, & cum superioribus harmoniam naturalem non aliter movere observatur, quàm in Musica cõmuni sonus Bassi cantus cum sonis Medii atque Altii indifferenter resonare auditur, aut partis unius melodia cum parte alterius essentiali atque naturali quadam vitæ mixtione, commisceri solet. Hinc venæ cum arteriis & utræque cum nervis ubique per corpus simul dispensari percipiuntur. Sic etiam spiritus medius seu æther pulsatur ab anima media, cujus vibratione melodia excellenter fit in medio instrumenti, vitæ tonos seu sonos vivificos universo corpori non minus attribuens, quàm cum chorda barbiti percussa universum barbiton resonare facit. Præterea hæc chorda sui pulsatione melodiam cœli rationalis ab alta ejus ratione magia facit ineffabili, eamque cum musica gravi cor jungit. Atque ita musica completa ex tribus melodiis diversis constituta, in corpore humano sonare animadvertitur; videlicet sensitiva, vitalis atque rationalis. *Sensitiva* agit in carnis & partium vegetantium præsertim in molis, seu machinæ vivificatione atque agitatione; atque *Rationalis* in totius fabricæ gubernatione atque directione. *Bassus* igitur Microcosmi cantus est cubicus, quia elementatus seu corporalis. *Medius* verò superficialis seu quadratus quia spiritualis. *Altus* denique radicalis seu linearis, quia formalis. Et quamvis in hac nostra harmonia tres nominavimus spiritus, seu tres formas lucidas, pulsantes tres illas chordas spirituales, & tres regiones distinctas: attamen generaliter machinam Microcosmicam considerando, illa se habet in eodem respectu cum Macrocosmo universo, in quo non est, nisi unicus spiritus resonans, unicum organum sonos in suam concavitatem recipiens, & unica lux pulsans; sed propter ejusdem spiritus grossiorem vel tenuiorem in substantia dispositionem illud, quod per se unum & idem est in pluralitatem distingui videtur. Sic etiam eadem


dem lux propter varios materiæ spiritualis in densitate aut subtilitate gradus, quibus inest, varia esse dicitur, cum reverà non sit, nisi unica lux à luce increata, quæ lucis est pater, derivata, atque primo die creata, sed inæqualiter in mundo dispersa. Simili etiam modo unicum est hominis organum musicum, unicus spiritus seu monochordum, unicus pulsator seu lux; sed si quid est differentia, hoc totum propter spiritus & lucis multitudinem aut paucitatem in hoc vel illo dimensionis mundanæ gradu, accidit. Videmus ergo ex his, quòd unica sit musica in infima mundi ac hominis regione, ubi conus pyramidis formalis reperitur, & basis pyramidis materialis. Atque hæc musica magis bassa est & tarda ac gravis, quia ibi regnant tres materiæ partes & unica tantùm pars formæ lucidæ. Quare paucitas illa lucis tardè & lentè agit in tanta materiæ mole seu multitudine: Unde gravitas & ponderositas materiæ voces reddit lentas, viles atque bassas. At verò in media regione, ubi duæ pyram. dum medietates conveniunt, voces redduntur tam ex parte spiritus, quàm ex parte lucis, mediæ & æqualiter sonantes: quæ ideò excellentes dicuntur, quia puritate & claritate excellunt illas, quæ dicuntur graves, quoniam hîc est plùs formæ & minùs materiæ. Unde hic liberiores sunt formæ actiones & exteriores, quàm in regione infima, sed in regione sublimiori lux est adhuc liberior à vinculis materiæ, quatenus in ea habentur unica tantùm pars spiritus, videlicet conus pyramidis materialis, & tres partes formæ lucidæ. Unde hîc proferuntur voces acutissimæ & superexcellentes, quoniam in hoc loco duobus gradibus lux excedit quantitatem materiæ. Hic verò velim vos animadvertere, quòd ex hujusmodi musicæ observatione luculèter appareat, quàm opposita sit materiæ dispositio dispositioni formæ. Nam quòd altiùs ascenditur à cono pyramidis formalis versus ejus basin, eò acutiores seu graciliores accentus, operaquæ subtiliora perficiuntur: At verò in materiali pyramide, quò magis à cono versus ejus basin fit progressus, eò graviores dentioresque soni redduntur, operaquæ grossiora, & magis opaca ac visibilia fiunt. Atque hujus certè rei ratio in promptu est, videlicet, quia lucis elocutio formalis fortiùs discutit spiritus, & per consequens per eorum subtilitatem clariores & efficaciores reddit voces. O quàm exerta, clara, atque sonora fuit vox illa admirabilis & ineffabilis, quàm incomprehensibile Verbum illud increatum, quo Conditor luminosus mundum atque hominem mirificè fabricavit, utpote cujus virtute seu accentu ipsæ umbræ horrendæ, & terribiles exagitatae sunt, ac deorsum reverberatae, & aquæ seu natura humida à sua deformitate purgata, atque omnia ex nihilo confecta, elementa concordi pace ligata, coeli que ipsi mirum in modum firmati, terra trutinis æqualibus librata, columnis firmis statuminata atq; in medio suspensa. Imò verò & in ipsius hominis fabrica mira præstitit hoc Conditoris ineffabilis Verbum; quippe cujus animam fecit sibi palatium & tabernaculum, seu potiùs templum, ut cum *Divo Paulo & Xisto Pythagoreo* loquar. Unde inquit *Mercur. Trismeg.* ore mentis divinæ loquens: *Credo, quòd in te videt & audit Verbum Dei, &c.* Hujus etiam Verbi sacrosancti admirabilem virtutem & harmoniam, tam in mundi creatione, quàm hominis opificio, quàm plures sacrarum Scripturarum loci, quibus imprimis credendum est, confirmare videntur; atque etiam per ipsos Philosophos divinos æternis eorum monumentis commendatur vocis divinæ in creatione potestas. Namque ut à sacris literis exordium faciamus, ex illis hæc colligimus. *Ipsi expertes vita seu mortui formantur sub aquis & habitatores earum: Deus extendit Aquilonem super mare, & suspendit terram super nihilum: Ligat aquas in densis nubibus suis, adeò ut non findantur nubes sub eis: Decreto circumnavit superficiem aquarum usque ad consummationem lucis cum tenebris; usque dum columna terra concutiantur & obstupescant ab increpatione ejus: Virtute sua dirupit mare & intelligentia sua discidit pelagus;*

Spiritus suo caelos ornavit, &c. Job. 26. 5. Similiter: Terram fundavit Deus verbo super bases ejus, ne dimoveretur in seculum & perpetuum. eamq; operuit abyssus ut indumento, super montes stantibus aquis. Ex increpatione tua diffugerunt, a voce tonitru tui accelerarunt fugam: Conscenderunt per montes, descenderunt per convallas in locum, quem fundaveras ipsis; Terminum opposuisti, ne transeant, ne revertantur ad operimentum terra, &c. Psal. 104. 5. Terram fundavit Jehova sapientia statuitq; caelos intelligentia. Proverb. 3. 19. hoc est, verbo suo, quod est ejus sapientia. Unde Proverb 8. 13. Ante terra primordium erat sapientia in juncta; Ibi que invenitur, quod ante omne tempus fuerit Dei sapientia. Et alibi: Sapientiam possidebat Jehova ante ullum tempus, & ante seculum, ante principium & primordia terra, cum nulla essent abyssi, &c. Prov 8. Et D. Johan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt. Sic etiam Sapient. 12. 9. Verbo pretioso potest Deus omnia terere. Et Psalm. 33. Verbo Domini firmati sunt caeli, &c. Atque infinitos alios sacrarum literarum locos, verbi hujus potest item in mundi creatione confirmantes, proferre possumus; sed brevitatis causa eos hic omitemus, ut quid Philosophus noster divinus de hujus Verbi sacrosancti virtute, efficacia & harmonia admirabili in creatione sentiat, explicemus: Mutavit, inquit ille, mens formam suam & subito omnia revelavit; Cernebam enim immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lumen conversa suave nimium atque jucundum, quod intuentem me mirifice oblectabat. Paulo post umbra quaedam horrenda obliqua revolutione subterlabebatur in humidamq; naturam migrabat, ineffabili tum vultu exagitatum, inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat, ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam, ex hac luminis voce Verbum factum prodiit. Verbum hoc natura humida astant, eam fovebat, ex humida natura visceribus sincerus ac levis ignis protinus evolans alta petiit. Aer quoque levis spiritus pars mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur. Terra vero & aqua si invicem commixta jacebant &c. Hac denique duo commota sunt a spiritali verbo, quod eis superferebatur, aures eorum circumsonans: Et alibi hoc Verbum vocat Dei seculum filium, & vita unionem Patri conjunctam, quos ad invicem essentia non differre tradidit. Pimand. 1. Et alibi dicit: Verbo Dei & non manibus ejus, mundus creatus fuit. Pim. 4. Nec certe vacabat hoc idem Verbum in creatione hominis, ut in Genesi docemur, quoniam in Verbo erat vita hominum, qua vivebat, juxta illud D. Johan. & Sap. 16. Instrui, rur etiam, quod homines non alantur & conserventur proventu fructuum, sed Verbo Dei, imò vero homo aegritudine confectus non herba aut malagmate sanatur, sed Verbo & misericordia Dei, uti ibidem reperitur. Hinc etiam praedictus Philosophus divinitus inspiratus ait: Verbum tuum meregit spiritus opifex. Et alibi monstrare videtur, quomodo Verbum sit in nobis ex revelatione boni Daemonis, a quo doctus est, quod anima sit in corpore, mens vero in anima, atque in mente Verbum regnare ait. Porrò etiam c. 33. Job legimus, quod spiritus Dei fortis fecerit hominem, & quod afflatus seu spiraculum omnipotentis vi viscaverit eum. &c. Ex quibus patet, quod homo admirabile animal, harmoniam tam divinam, quam mundanam in sua fabrica possideat. Nam primum gubernatur imperato & ordinatione trium superiorum; deinde executione 7. aliorum: Unde septem illi inferiores dicuntur numeri aut mensurae fabricae, & compositum ex elementis est, quod superiorum influxionibus obedientiam praebet. Similiter observandum erit diligenter, quod anima hominis unitatem repraesentet, & ejus materia seu multitudo & diversitas binarium, & quod per divisionem numerorum imparium & parium denotentur masculi, tanquam magis perfecti & foeminae, tanquam minus perfectae. Ex imperfectione ergo materiae, quae in numero pari comprehenditur (quippe cui deest

deest & principium & finis, quoniam dualitas non habet medium) discordiæ omnes, tenebrarum filiaë producuntur; at verò concordiaë, lucis & veritatis propago, à numero perfecto & impari oriuntur. Hinc fit, ut, si lucis unitas, quæ est anima, cum materiaë dualitate jungatur, producat numerum imparem, qui est harmonia plenus, atq; itidem quoque, si animaë trinitas, quæ idem est essentia cum unitate, addatur materiaë quaternitati, tum ea producit numerum septenarium, in quo consonantia perfectissima sonare animadvertitur, quæ Diapente & Diatesaron in se continet; & per consequens hæc anima cum corpore unio reddit jam illud miro modo consonans, quod antea fuit dissonans, illud, inquam, nunc regulare facit, quod antea & per se rebelle atque irregulare erat, & motui sive actioni omninò adversum. Unde invenimus, quòd homo nihil aliud sit, quàm unitas & multitudo admirabili harmonia simul collecta. Sic videmus, quòd unicus sit mundi Sol, unica est anima, sed diversi, imò quidem infiniti ejus radii, qui animaë communes sunt. Sic etiam omnes lucis radios ab unico Jehova, tanquam luminum Patre, hoc est, ab unico fonte, seu essentia substantiali derivari observamus; cujus radii, tam mediata, quàm immediata ab ipso profluentes, nullo modo divisi sunt, sed potius eo modo connexi, quo Solis corpori lumen; quod nihilominus terræ, aquis & aëri atque compositis inesse dignoscitur. Hinc anima dicitur una, propter ejus à sua forma primaria indivisibilitatem; quemadmodum materia dicitur multitudo propter dualitatem vel quaternitatem, quæ consistit ex multitudine seu numero unitatum; cui tamen numerus imperfectus est principium, & non unitas. Atque hæc est ratio, quòd *Democritus, Orpheus, & multi Pythagoreorum omnia Diis plena esse, sunt opinati*; quos omnes ad unicum Jovem, tanquam multitudinem ad unitatem referebant. Sed ut ad Musicam hanc nostram humanam revertamur, eam ex tribus chordis & tribus organis simul conjunctis, ac tres melodiæ partes inducentibus, composuimus, quarum quælibet chorda & quodlibet organon cuilibet mundi regioni correspondet. Sed quoniam duæ chordæ superiores, spiritualis scilicet & formalis, æqualiter cum harmonia chordæ in infimo instrumento coincidunt, non aliter, quam in melodiæ diversarum musica videmus Bassum cantum cum Medio & Medium cum Alto, atque Altum cum infimis æquali melodiæ dispositione permisceri, ita quidem, ut harmonia illic multiformis in eodem consensu reperiatur; idè cuilibet triangulo seu pyramidi septem claves attribuimus, in dupla vel quadrupla proportionem ab invicem differentes, ex quarum consonantia & mutua ad invicem relatione symphonicam hominis interni cum externo compositionem facillimè concipere & intueri possumus.

CAP. III.

Demonstratio prima harmonia anima, desumpta ex duplici numero ternario, altitudinis scilicet & latitudinis ex parte anime, spiritus & corporis considerata.



IN proposita demonstratione videmus, quomodo lux spiritui in symphonico contentu respondeat & qua ratione utriusque toni consonantes cum gravius tonis corporis conveniat. Tres enim hic pyramides, trium mundi regionum

num naturis convenientes depinximus ; quarum una est pyramis formæ seu animæ, altera est pyramis spiritus materialis, sed elementata, grossa atque opaca corporea, & per consequens tenebris obruta, quæ corpori correspondet. Videmus ergo, quod superior pyramidis pars, seu basis ejus portio, mente & intellectu ornata, superiori pyramidis spiritualis parti, quæ spiritu animali & rationali plena est, correspondeat in consonantia Diapason, quæ consistit in dupla portione, scilicet ut 1. ad 2. Nam mens unitas est, atque purior spiritus portio. Diadem importat, uti sæpius demonstratum est, Unde fit, ut correspondentiam ad invicem habeant, sicuti Γ ad g sol, re ut. At verò quatenus mens se immergit in materiam, hoc est, cum spiritali pyramide se miscet, ea tenus unisonum ambæ cōstituunt, qui cum medietate utriusq; pyramidis Diapason sonat, ita ut utraq; summitas utriq; medietati committē referatur portione dupla videl. ut 1. ad 2. vel ut Γ . ad g . Correspondens ergò est cœlum rationale in portione dupla sonans in thorace, ab harmonia rationali ad vitalem descendendo consonantiam Diapason spiritali, quæ continet in se Diatessaron & Diapente. Atque hæc est ratio, cur Sol mundi tam completus atque perfectus est in vitali sua dispositione, & cor hominis in sua regione tam efficax vitæ dispensatur. Iterum si superior formalis & spiritalis pyramidum mixtio infimam regionem respiciat, facit illud, virtute proportionis quadruplæ Disdiapason constituentis: nam talis est proportio inter intellectum & rationem, similiterque talis concordantia inter spiritum animale & naturale, quibus interponitur vitæ spiritus & imaginativa facultas animæ. Intellectus igitur pyramidis formalis unisono consensu spiritum rationalem & animale complectitur, atque ambo, cum sint igneæ naturæ, reconduntur in capite seu suprema pyramidis obscuræ regione, ubi hoc idem consonant. Agit enim ad unisonum producendum mens in spiritum summum adeoque patitur spiritus mentis operationes, ut chorda musicæ vibrata fert pulsatoris actionem; atque caput, tanquam organon utriusque ex pyramide nigra & corporali conflatum recipit in se actionis istius & passionis effectus, non aliter, quàm barbiti corpus melodiæ sonos. Accentum igitur rationis sonat lux intellectualis in spiritum, tanquam medium, reddens eum rationalem; spiritusque actione lucis commotus, tanquam medium se per cerebri ceu receptaculi ventriculos sive organa dilatat, atque ita rationis radii deorsum effluunt ad alias consonantias cum facultate vitali & naturali producendas. Deinde per consonantiam Diapason harmonia rationalis cum imaginatione & spiritu vitæ conjungitur. Vibrat ergo rationis vox chordam vitæ & spiritum imaginativum, cujus harmonia vivifica cum ratione mixta se postea effundit, atque dispergit per universum spiritum naturale seu chordam elementarem, in subtili elementorum sonis gravibus resonantem atque Diapason corporale seu materiale cum tonis acutis atque peracutis miscentem: Quarum modulationum corpus humanum est receptaculum, organon generale & quasi instrumentum musices humanæ, in quo harmonia mundana comprehenditur, & ex cujus organicis partibus proportionales ejusdem effectus eliciuntur.

C A P. IV.

*Comparatio harmoniæ secundum proportionem dimensionum
Geometricarum inter animam, spiritum
& corpus.*


IN superioribus *corpus* haud ineptè comparavimus *cubo Geometrico*, quatenus ex trinis constituitur dimensionibus, *spiritum* verò *quadrato*, quatenus ejus multiplicatione fit *cubus*. Sicut enim *quadratum Geometricum* in se ductum producit *cubum*; ita eodem planè modo *spiritus tenuis* condensatione convertitur in *aquam*, & *aqua* iterum in *spissatione* in *terram*, quasi *cubum* reducitur. Atque sic etiam *lucem* seu *animam* *lineæ* sive *unitati* retulimus, quæ est quasi *radix*, ex qua *quadratum* procedit. *Corpus* ergo ex quatuor elementis seu trinis dimensionibus conflatum *cubo* comparavimus. Ejus verò *spiritum* ex *æthere* derivatum, quatenus simplex est in natura sua materiali, assignavimus *superficie*, utpote ex cujus multiplicatione *corpus* prodit; Et denique *lucem* *spiritualem*, quæ *cælum* occupat, quatenus est *radix* omnium creatorum, *lineæ* attribuimus, cujus multiplicatione fit *superficialis cœli* *mediæ* *substantia*. Ex his igitur proportionibus *Geometricis* naturâ sibi ad invicem respondentibus *harmonia* elicitur; videlicet inter *punctum unitatis* in *creatâ* & *inferiorem lineæ* *extremitatem* talis, qualem habet *unitas* ad *dualitatem*, seu *forma pura* ad *materiam*, vel *numerus digitorum simplex* ad *numerus denarium*, hoc est, in *proportionem duplâ* reperitur, ex qua *Diapason primum* producitur. Nam sub *omni numero denario* *Diapason* reperitur, quatenus ex *Diapente* constituitur, quod *quinque* constat *vocibus*, & ex *Diateffaron*, quod *quatuor* *accentus* seu *voces* continet. Similiter *trinitas essentia* *superfubstantialis*, *quaternitati substantiæ* *materialis* & *creatæ* *connexa*, hoc est, *Deus seipsum* *miscens* cum *materia* vel *hylæ* seu *revelans*, producit *numerus septenarium*; qui *idem consonantiam* *Diapason* inducere videtur. Similiter *linea* ad *quadratum* ita se habet, ut *2. ad 4.* hoc est, ut *radix* ad *cubum*; Unde etiam in *profundiori* *compositione* *proportio duplâ* reperitur; & per consequens *Diapason* *minus spirituale* & *minus simplex* oritur, quod respectu *inferioris* dicitur *spirituale*, respectu *superioris* *materiale* & *medium*. Porro etiam *quadratum mediæ regionis* se habet ad *cubum infimæ* in *proportionem duplâ*, videlicet ut *4. ad 8.* Et præinde hic etiam *multiplicatione spiritus mediæ regionis* ac *in spissatione* ejus, *corpus opacum*, ex *quatuor infimorum spirituum* seu *elementorum* *proportionibus* in *unum opacum compactis*, procreatur. Unde oritur *Diapason elementale* ex *gravibus* *conflatum*; quemadmodum *medium factum* erat ex *acuto spiritu*, & *illud superioris mundi regionis* *acutissimis* & *excellentibus*. *Lux* verò *summa superfubstantialis* est quasi *primaria* *musicæ mundanæ* *radix*, quæ *harmoniam ineffabilem*, *inexcogitabilem*, *primariam* atque *simplicissimam*, hoc est, ex *simplicissimis numeris* seu *digitis* ab *unitate* vera *immediatè* *procreatam*, *modulari* solet. Ex his ergo videmus, quòd *Musica mundana* & per consequens *humana* *fiat* *multis modis* seu *demonstrationibus*, videlicet aut *numero ternario* ad *imitationem harmoniæ divinæ*, sic in *trinitate superfubstantiali* *1. ad 2.* *invenitur* in *duplâ* *proportionem*, & *2. ad 3.* in *sesquialtera*, & *trinitas* iterum *dualitatem* cum *unitate* *jungens* *duplâ* *proportionem* producit, ut *3. ad 6.* Et iterum *3.*
qui

DE HOM. INTERN. ET EXTERN. HARM. 257

qui est primus atque simplicissimus numerus perfectus in se ductus finem digitorum divinorum seu simplicium demonstrabit, videlicet 9. cui numero, si unitas addatur, denotabit ingressionem essentiae unitatis cum proprietate trina in abyssum deformem, seu in materiae informis massam, quemadmodum supra luculentius declaravimus. Sic etiam compositionem humanam ex tribus instituimus triangulis seu pyramidibus, videlicet corporali, spirituali & formali; quas etiam secundum mundi sectiones in tres regiones distinximus 1. 2. 3. ex quarum proportionibus etiam Diapason duplex elicimus, uti in demonstratione praemissa declaratum est. Iterum hasce eadem consonantias via Geometrica progrediendo, de qua hic agimus, extraximus, cujus rei delineatio hic sequitur.

Harmoniae humanae demonstratio secunda, secundum ordinem seu proportionem figurarum Geometricarum animae, spiritui & corpori relatarum.


Mundi spiritualis sine materialis proportionem per se sine lucis sine formae consideratione descriptarum explicatio



Mundi formalis seu lucidi proportionum per se absque materia sine spiritus mixtione consideratarum delineatio


In figura cubum spiritualem delineante rationem proportionis materiae tam mundanae quam Microcosmicæ descripsimus. Cubus materialis in mundi descriptione elementis refertur, deorsum enim propter suam gravitatem & densitatem tendit. Cum verò cubus formalis contrario modo se habeat, quippe qui propter suam levitatem sursum tendit, atque ad cælorum cacumina elevatur, ideò medietas tam formalis descriptionis quam materialis quasi eandem effigiei rationem habere dignoscitur, cum quadrata unius superficies respondeat quadratæ alterius figuræ. At verò summitatem seu lineam demonstrationis materialis omnino positione & situ contrariam esse lineæ formalis descriptionis videmus, quatenus formalis ista deorsum tendit; Quibus luculentur declaratur, quòd maxima materiae vis deorsum in mundo & homine dominetur; at verò maxima formæ virtus sursum invenitur, & fonti lucido contigua est. Quare si hæ duæ effigies, prout hîc describuntur, ad invicem conjungantur, exactam mundi & hominis compositionem ex materia & forma monstrabunt. Caterùm hîc obiter considerandum est, quòd mundus in sua compositione simplicior existat, quam homo. Nam mundus factus est ex simplici compositione: homo verò est conflatus ex composito, hoc est, ex compositione mundana factus perhibetur. Unde diversis mixtionibus in sua compositione magis obumbratur, quam mundus. Atque hinc est, quòd, uti mundum Dei filium visibilem dixerunt Philosophi, ita hominem tradiderunt esse filium mundi, non aliter ex mundo immediatè factum, quam mundus à Deo. Mundus à primordio divisus fuit in elementa miro modo distincta atque librata, ex quorum mixtione ad invicem confusa, & per vinculum naturale concordè paceligata factus est homo. Videmus igitur, quòd in conjunctione cubi formalis cum lineâ materiali quadratum etiam unius cum quadrato alterius uniat, & per consequens lineâ formalis deorsum tendens cum cubo materiali conjungitur. Quibus dilucidè declaratur, quòd minima formæ pars, videlicet ejus lineâ cum majori materiae dimensione conjungatur; quemadmodum vice versa minima figuræ spiritualis portio cum majori lucis dimensione unitur. Duo autem media cum habeant eandem effigiem facillè conveniunt, vitamque producant. Atque hanc etiam pyramidum mundanae compositionis multoties à nobis allegatarum rationem hoc modo explicavimus.

Hîc



Hic ergo media utriusque pyramidis regio ad invicem proportionem Geometricam pars esse observatur, utraque verò pyramidum extremitas se habet, ut 1. ad 3. ita ut unica materiæ pars addita tribus partibus formæ constituat compositionem simplicissimam, in qua multitudo formæ & paucitas materiæ adest. Sic ergo se habet compositio substantiæ Angelorum & materiæ cœli empyrei in Macrocosmo, atque talis etiam est compositionis respectus ad spiritus intellectualis constitutionem in homine. Similiter in regione infima modo contrario se res habet. Nam ibi unica formæ portio ad tres portiones materiæ invenitur; atque inde oritur grossissima Macrocosmi compositio, quæ in infima ejus regione, videlicet in regione elementorum & præcipuè circa terram disposita est. Hinc etiam corporis humani constitutio est orta, quæ est grossissima illius integri portio. In medietate verò spiritus proportio exæquat proportionem formæ. Atque inde fit, ut hæc regio de utroque extremo participet, adeoque sit partim spiritualis & invisibilis, partim verò materialis & grossa. Ob hanc igitur causam spiritus hic intermedius naturali matrimonio cum luce desponsatus, si mentis acumine in altum attollatur, divina contempletur, & infimis neglectis, supernaturalia cogitat, si verò elementorum blanditiis se subjiciendo deorsum prospiciat, vilia atque terrestria speculatur, atque ad inferiora se ipsum in tenebris & materiæ multitudine submergendo descendit.

Harmonia humana delineatio tertia, ubi probatur, quòd tam mundi, quam hominis harmonia in numero septenario, observatis intervallorum proportionibus consistat, duo toni cum semitonio minori in consonantia Diatessaron, & tres toni itidem cum semitonio minori in consonantia Diapente simul additi faciunt septem intervalla, quae constituunt perfectam consonantiam Diapason.



In antecedentibus de numeri ternarii, in pyramidibus tribus demonstrati ratione, uti & de ratione quaternarii Geometrico modo per lineam, cujus radix erant duo, & per quadratum ac cubum declarati diximus. Hic autem magis particulariter nos ad rem accingentes de gradibus septem cujusque regionis tum mundi, tum hominis ad mundum relati, deque eorum ad consonantiam Diapason relatione sub qua Diapente & Diatessaron ac per consequens totius Musices vis atque proprietates comprehenditur. Atque hac ratione docemur, quod semidiameter fabricæ periphericæ, tum mundi, tum etiam hominis cum systemate musico comparetur. In quo tres clavium ordines subalternatim positi continentur, quibus omnis melodiæ consonantia mensuratur, & quælibet musicæ proportio elicitur. Quod autem in principio & cacumine septenarii superioris Deum Patrem, Verbum & Spiritum sanctum in massa materiali expressimus, intelligendum est, quod Deitatis proprietates hoc loco capiamus, non prout per se & absque omni materiæ secretæ accipiuntur, sed quatenus ipsæ à throno super substantiali deorsum prospicientes in hylen deformem sacrosancto suo intuitu unanimiter penetrarunt, ita ut ipsarum præsentia in abyssu tenebrosa omnia ex nihilo facta fuerint. Sic igitur dicimus, Deum in suprema spiritus regione inveniri, ut unitas dicitur in seipsam in denario numero recurere, ut infra latius declarabimus. Hic igitur in demonstratione præmissa tres habemus Macrocosmi regiones tribus Microcosmi regionibus convenientes, quarum inferior, quoniam omnium grossissima, tardissima, ponderosissima atque vilissima est, claves septem ad suam Musicam tardiores, graviores & bassiores Γ . A. B. C. D. E. F. requirit. Ex quibus Γ . in Macrocosmo respondet terræ, quæ est omnium basis seu fundamentum; vel in Microcosmo stercoræ intestinorum sæci supra centrum Microcosmi congregatæ. Similiter A. refertur in Macrocosmo ad aquam salinam maris; in Microcosmo verò ad aquam salinam urinæ: atque itidem quoque B. in Macrocosmo ad aquas dulces fluviorum & fontium è montibus terræ descendentes, & in mare decurrentium; atque in Microcosmo ad chylosum seu pituitosum stomachi laticem ab illo, tanquam à sublimiori & montosa hujus regionis parte deorsum versus vesicam defluentem alludit. Sic etiam C. in Macrocosmo infimæ aëris regioni refertur, ubi propter cælestium reflexiones & influxus, temperatissimus invenitur vitæ humor tam vegetabilia quam animalia nutrens; in Microcosmo verò massæ sanguinis ab infima hepatis regione, quasi à suo fonte per rivulos suos scaturientis. Præterea D. in Macrocosmo mediæ aëris regioni, nubibus & meteoris subjectæ comparatur; in Microcosmo mediæ hepatis regioni, per quam, quoniam lienis zona transit, multæ alterationes, videlicet flatuosi vapores, glutinosæ obstructions & infinita hujusmodi impedimenta seu meteora grossa procedunt, propter flatus frigidos & siccos à lienosa Aquilonis Microcosmici regione exortos. E. verò in Macrocosmo supremæ aëris regioni, quæ igni proxima est retulimus; in Microcosmo autem profundæ hepatis cavitati juxta cistam fellis positæ. F. denique in Macrocosmo elemento igni assimilavimus; at in Microcosmo cistæ fellis. Atque ita in regione elementari, tam Macrocosmica, quam Microcosmica, invenimus modo consentaneo attributas cuilibet illius sphaeræ claves illas, quæ ad basin seu fundamentalem harmoniam utriusque mundi pertinent. Cum quibus porrò claves acutæ seu mediæ regionis, aut æthereæ atque itidem quoque peracutæ illæ & excellentes cæli supremi in melodiæ symphonia quam optimè conveniunt. Hinc est, quod g. in Macrocosmo Lunam, & in Microcosmo superfluam pulmonum humiditatem respicit, quam ζ gubernat: a. refertur Mercurio in Macrocosmo, & in Microcosmo facultati elocutionis à pulmonibus ortæ. Atqui b. in Macrocosmo Veneri, & in Microcosmo aëri humido inspirato & expirato, quo vita nutritur, comparatur


ratur. Similiter solari calore in corde sito se jungit. *c. Soli* in mundo, & cordi in homine. *d. Marti* in mundo, & in homine attractivæ inter pulmones aëris potestati refertur. *Mars* etiam extra pulmones vires suas non naturales exercet, pleuritidem in membrana costas cingente, & peripneumoniam in pulmonum substantia excitans. Similiter *e.* in mundo *Jovi*, in homine pulmonibus ex Joviali natura conflatis, assignatur: Nam ut *Jupiter* est vitæ autor, dominiumq; habet in aëre, sic pulmones sunt vitæ procuratores, qui vivunt per aërem seu *Jovem*, vitamque viva sua actione cordi attribuere animadvertuntur; quare non ineptè hepatis comparantur: *f.* denique in mundo attribuimus *Saturno*; qui in homine est fistulæ asperæ autor, per quam aër ad vitæ continuationem attrahitur. Hujus igitur prava dispositione morbis afficitur mediæ regionis humanæ summitas, videlicet raucedine, catarrhis & hujusmodi aliis. Atque ut jam tandem ad regionem utriusque mundi supremam pertingamus, in qua claves excellentes & exertissimè sonantes reperiuntur, sciendum est, quòd *gg.* in homine respondeat sphæræ voluntatis, quam supra primo mundi mobili comparavimus. Et quoniam homo secundum voluntatem loquitur, idè linguæ adaptatur hæc sphæra. Sic etiam sphæra rationis correspondet clavi *aa.* quatenus voluntas nihil aliud est, quàm rationis illuminatæ, vel non illuminatæ nuncius seu Angelus; unde in sphæra Angelorum collocatur, a deo que exinde tam boni, quàm mali à voluntate producuntur effectus. Intellectus denique *bb.* accommodatur, & mentis radius correspondet clavi *cc.* mensque est spiritus divini effigies, & quasi identitas, cui *dd.* annectitur; in qua, teste *Trismegisto*, est Verbum, cui correspondet *ee.* quod ab ore Jehovæ ad mundi fabricam promanabat, cui *ff.* tanquam conus pyramidis materialis, & *ggg.* tanquam basis pyramidis formalis (quæ etiam est principium harmoniæ super excellentis mundi supersubstantialis in mundo materialis) refertur. Hæ omnes claves spirituales in capite humano reperiuntur: Deus enim loquendo Verbum, cum Verbo Spiritus vitæ, mentem, intellectum & rationem voluntate libera haud destitutam, in hominis externi faciem seu nares inflavit. Unde homo lutosus virtute hujus Deiformis afflatus, animal vivens, voluntate, ratione, intellectu, mente, Spiritu divino, & ipsius Verbi caractere imbutum, factus est. Hinc non infulsè dictum putamus, hominem creatum esse ad imaginem Creatoris, quatenus hos opificis characteres divinos, & has Trinitatis sacrosanctæ impressiones admirabiles & ineffabiles in se retinet. Unde, ut dictum est, homo internus, tam à Philosophis profundioribus, quàm ab ipso Deo templum Dei vocatur. At jam gradibus systematis tripartiti utriusque mundi bene consideratis, ad harmoniæ proportionem & consonantiam perveniendum esse existimamus. Videmus in systemate mundano antea depicto, quòd tres sint clavium ordines, uno supra alium subalternatimposito, & quòd quælibet dictarum clavium series tum ascendendo ordinibus sibi suppositis respondeat. Sic invenimus, quòd Γ . infimæ seriei ad *g.* medii ordinis in dupla proportione respondeat, atque iterum *g.* ad *gg.* in dupla: Sic etiam *A.* refertur ad *a.* in eadem proportione, & *a.* ad *aa.* supremæ regionis. Talis etiam est ratio inter *B.* & *b.* similiterque inter *b.* & *bb.* nam semper litera proximæ literæ simili in proportione dupla correspondet. Porro etiam proportionem interiores & minùs perfectæ hac via eliciuntur, videlicet sesquialtera inter Γ . & *D.* inter *A.* & *E.* inter *B.* & *E.* inter *C.* & *g.* & inter *g.* & *d.* & inter *a.* & *e.* atque sic in cæteris sursum ascendendo. Sic etiam proportione sesquitercia conveniunt. Γ . cum *B.* & *A.* cum *C.* & *B.* cum *D.* & *C.* cum *E.* & *D.* cum *F.* & *E.* cum *g.* & *F.* cum *a.* & *g.* cum *b.* & *a.* cum *c.* & *b.* cum *d.* & sic in cæteris. Verum enim verò, quoniam Diapason consonantia magis perfectæ, in proportione

dupla

dupla reperitur & Diapente consonantia minùs perfecta, in proportione sesquialtera & Diatessaron consonantia imperfecta in proportione sesquitercia, ideò videmus, has omnes consonantias in systemate tam mundano quàm humano, repetita varietate inveniri, & per consequens hujusmodi mundi & hominis harmoniam internam ex iisdem consonantiis constari, eorumque externam compositionem in iisdem proportionibus consistere animadvertimus. Hinc percipimus amoris rationem inter terram & aquam dulcem, in visceribus terræ contentam, & per ejus venas currentem in proportione sesquitercia reperiri, & in consonantia Diatessaron convenire. Atque sic etiam aqua salsa ad infima aëris regionem in eadem consonantia se habet; Unde suum subtile in hanc aëris regionem expirat, quod propter harmonicam hanc relationem è vapore in ipsa aërem è vestigio convertitur. Nam ut hæc regio est calida & humida, sic salsa maris natura calorem addit aquæ marinæ, atque ipsa per se humiditatem habet. At verò aqua dulcis magis naturaliter ad terram refertur, quoniam frigidior est propter inspidam suam dispositionem. Simili etiam respectu per Diatessaron infima aëris regio ad supremam refertur; unde ambæ hæc aëris sphaeræ calidæ sunt & humidæ; sed diverso modo, quatenus una est magis frigida propter ejus cum aqua propinquitatem, & altera magis calida ob elementi ignis vicinitatem, quibus tamen media aëris regio dissonans esse videtur, quatenus est intensè frigida; quam qualitatem per antiperistasiis acquisivit. Et licet hæc media regio ad elementum ignis relata, discordiam producere videatur, attamen quoniam elementum ignis nihil est aliud, quàm suprema quasi supremae aëris regionis superficies, ideò Lunæ naturam humidam & frigidam magis respicit ad suæ consonantiæ perfectionem. Quare proportio inter supremam mediæ aëris sphaeræ partem & infimam Lunæ concavam superficiem in sesquitercia proportione reperiri videtur. Similiter *g.* Lunæ respondet, quæ ad Venerem ascendendo Diatessaron consonantiam constituit, quatenus Luna & Venus humiditate ad invicem connectuntur. At Venus se habet ad Jovem, ut mediæ aëris regionis summitas ad concavam Lunæ superficiem; ubi quatuor quasi accentus sunt, sed non nisi tria intervalla, & sic in cæteris. Atque hæc ideò dicitur consonantia imperfecta, quoniam superior clavis, cui respondet inferior, non convenit cum inferiori in utraque qualitate; quemadmodum aqua dulcis, licet cum terra conveniat in frigida sua dispositione, non tamen convenit ei respectu humidæ suæ naturæ, quatenus terra est in sua qualitate sicca. At jam, ut ad consonantiam minùs perfectam, quæ in sesquialtera proportione reperitur, & quatuor intervallis ac quinque vocibus constat, accedamus, magnam propter hujus Diapente virtutem, inter terram & mediam aëris regionem invenimus relationem, quatenus frigida & sicca atque congelativa est hæc aëris sphaera, in qua virtute harum qualitatum nubes condensantur in grandines, nives, & nonnunquam etiam in capillos secundum aliquam ipsarum portionem mutantur. Elementi ignis pars inferior, aëre vivifico mixta Soli, ejus summitas Jovi, aëris regio superior Veneri, Luna Jovi in humiditate & in calore occulto referuntur. Similiter videmus, quòd, ut terra est quasi regionis elementaris fæx, sic etiam Luna regionis ætheræ pars sit crassior atque densior. Luna ergo terram sua frigiditate & aquas per venas terræ fluentes sua humiditate respicit. Mercurii *a.* cum *A.* maris in Diapason coincidit, quoniam maximam habet vim in mare ad tempestates movendas, & ad aërem ei inclusum exagitantum ad fluctus & undas montibus simillimas ciendas, superior etiam Lunæ orbis portio in mare potens est per eandem consonantiam; Venus quoque aquam dulcem sua phlegmatica & sanguinea complexionem respicit; imò verò & infimæ aëris regioni, ejusque naturæ ob dictam rationem ad

modum familiaris est. Unde *B.* respondet *b.* & *c.* per contiguitatem obediens erit *b.* Soldenique sphaeram æqualitatis in regione elementari, videlicet humiditatis, respicit. Nam æquum est, ut sphaera æqualitatis mediæ cœli suo simili in cœlo elementari correspondeat. Nam ut Solis sphaera fit ex medio aspectu inter spiritum & lucem, sic etiam infimæ aëris regionis media pars, quam in *Macrocosmico Tractatu* sphaeram spuriam æqualitatis appellavimus, est locus, in quo radii elementi ignis & vapores terræ æqualiter conveniunt. Media aëris regio intonat Diapason cum Marte, idque infeliciter & qualitate contraria. Unde fit, ut, quamvis hic Planeta in cœlo & in sua natura sit æquè bonus ac cæteri, respectu tamen inferiorum dicatur Planeta infaustus, & generi humano infortunium. Atque hinc fit, quòd perturbationes ingentes ab Astrologis in hac regione, videlicet tonitrua, fulgura, coruscationes & hujuscemodi alia hominibus tremenda excitare fertur. Huic autem Planetæ elementum aquæ in proportione dupla respondet, infimam mundi regionem simpliciter dividendo in quatuor elementa, quemadmodum Jupiter aëri, ut in harmonia nostra Macrocosmica dictum est. Sed hæc duæ explicationes ad idem tendunt. Nam Jupiter, cui *e.* attribuitur, superiori aëris portioni correspondet, quæ est calida & humida, vitæque fausta. Talem etiam esse Jovis naturam confirmant Astrologi; quare fausta dicitur stella & naturæ humanæ amicissima, atque ob hoc vocatur *Fortunium majus*, quemadmodum *Venus* dicitur *Fortunium minus*. *Saturnus* denique, cui *f.* attribuitur, quatenus Diapason ejus desinit in igne, infausta esse stella ab infima mundi spatia incolentibus existimatur, quamvis in se tam sit bona, quàm reliquæ. Nam quamvis ejus siccitas cum terra conveniat, cujus Γ . consanguineum est ad *f.* cui *gg* contiguum est, non tamen cum siccitate ignis convenit, quatenus cum frigore lethali conjungitur, quod omnino igneo calori adversatur. Sed jam tandem ad supremam clavium seriem, supremam mundi regionem commensurantem, perventum est; ubi voluntatis sphaera *ggg.* ad naturam supersubstantialis essentia *ggg.* signatam, in Diapason reperitur, quoniam omnia facit Deus secundum voluntatem suam in cœlis & in terris. Quæ autem huic sphaeræ subjacent, ab hac sphaera, tanquam à primo mobili moventur. Nam inferiora corpora involuntarie ab hac sphaera non aliter moveri dicuntur, quàm mundus ejus virtute motu raptò circumfertur. Nam corpora naturaliter quiescere appetunt, quare movere dicitur Sol, & cæteri Planetæ ad motum primi mobilis. Videmus igitur, quàm miraculosè sphaeræ utriusque mundi tam minoris scilicet, quàm majoris ad invicem consonent; ita ut claves superioris cœli cum clavibus mediæ, & claves mediæ cum clavibus infimi melodias sympheniacas simul constituant. Sicut aqua cum terra ad Lunæ constitutionem voluntatis actus & subjectum involuntario motu agitata denotat: Luna & aqua voluntatis mutabilitatem in hominibus: Terra, quæ est basis & fundamentum totius, stabilitatem voluntatis Dei: Aqua etiam fluida sua natura denotat naturam mutabilem Mercurii & eorum respectus ad rationis sphaeram in Diapason conjungit hæc simul. Hinc rationis humanæ varietas, opinionum & sectarum multitudo; atque hinc dicitur Mercurius ingenio, scientiæ, artibus & Musicæ præesse, adeoque etiam fit inde, quòd, ut sensus elemento ignis, sic imaginatio, rationis socius, aquæ refertur; Aqua etiam dulcis & infima aëris pars Veneri & Venus intellectui, qui est igneus amor. Conveniunt ergo hæc tria in actu & passione amoris: Aër etiam Sol & Mens denotant mentem, animam & spiritum, quæ optima harmonia simul conjunguntur. Infinitas alias hujus harmoniæ rationes hoc loco proferre possemus, sed quoniam Musicæ secretum non omnibus patet, & lectori fortasse magis tædiosum, quàm jucundum foret, hoc loco eas enotare sive explicare, idcirco illas nunc silentio prætermittam.

Harmonia humana demonstratio quarta, in qua indicatur, quod melodia tam humana quam mundana, in numero nonario, considerando Musicam secundum vocum numerum, reperiatur. Sic dicimus consonantiam Diapason ex novem vocibus conflare, quatenus constat ex Diatessaron, in qua quatuor audiuntur voces, & Diapente, quinque sonos seu accentus comprehendente, quae simul juncta faciunt novem.



	1	10	Amor Dei.
Seraphin.	2	20	Intelligentia.
Cherubin.	3	30	Intellectus.
Throni.	4	40	Amor proximi.
Dominatioes.	5	50	Ratio.
Principatus.	6	60	Odium.
Potestates.	7	70	Odium sui.
Virtutes.	8	80	Odium Mundi.
Archangeli.	9	90	Imaginatio.
Angeli.	10	100	Sensus.
Primum mobile.	11	200	Voluntas.
Firmamentum.	12	300	Actio.
Saturnus.	13	400	Vis receptiva.
Jupiter.	14	500	Vis naturalis.
Mars.	15	600	Vis irascibilis.
Sol.	16	700	Vis Vitalis.
Venus.	17	800	Vis concupiscibilis.
Mercurius.	18	900	Vis phantasica.
Luna.	19	1000	Vis vegetativa.
Suprema aëris Regio.	20	2000	
Media aëris Reg.	21	3000	
Inf. aëris Reg.	22	4000	
Aqua dulcis	23	5000	
Aqua Salta	24	6000	
	25	7000	
	26	8000	
	27	9000	
		10000	

In præcedenti demonstratione explicatam habemus numeralem totius fabricæ mundanæ rationem, quam ab essentiæ divinæ harmonia derivatam supra declaravimus. Nam ab unitate simplici seu primæ essentiæ super substantialis proprietate dualitas effluxit, quæ nihil aliud est, quàm unitas bis repetita, aut monas à monade seu cum monade, hoc est, aptissima unitatum duarum ejusdem essentiæ connexio, numerum Diadem producens; cujus iterum ad unitatem motu, tres unitates simul ejusdem naturæ super substantialis & increatæ adduntur, quæ numerum primum, perfectionis complemento ornatum, producunt; in quo unitas est principium, unitas medium, & unitas finis; ac proinde totus nihil est aliud, quàm sola unitas in trinitate, & trinitas in unitate: quæ numeri completissimi quantitas in se ducta numerum impari ultimum ex numeris simplicibus & in compositis seu digitis producet, videlicet *g.* cujus in sua radice multiplicatione producuntur illi numeri compositi secundum quorum ordinem compositiones triplicis generis in tribus mundi regionibus fiunt: Namque numerus 27. est numerus completissimus compositionum mundanarum, cujus *primus* numerus novenarius novem primos numerorum articulos denotat, videlicet 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. *Secundus* autem novenarius numeros centenarios, atque tertius numeros millenarios. Ex primis primum cælum productum est, ex secundis secundum, & ex tertiis tertium & infimum. Primi ergo articuli denariorum ad mundi creationem concurrentes radicibus, secundi centenariorum quadratis, & tertii millenariorum cubis referuntur, quoniam talis est proportio inter tenuitatem supremi cœli & medii, aut inter spissitudinem infimi cœli & medii. Sunt ergo articuli superiores denariorum lineis comparandi, medii verò superficiebus, & infimi millenarios exprimentes corporibus. Sic 10. seu denarius numerus est radix quadrati 100. & cubi 1000. Sic etiam 20. sunt radix quadrati 200. quæ ducta in radicem primam, videlicet in 10. producunt 2000. Similiter radix 30. producet 300. pro quadrato & à prima radice 10. 3000. pro cubo, atque sic in cæteris. Opifex igitur unitas cum cyphra vel cyphris se jungens, id est, extra numerorum simplicium margines prospiciens, atque seipsum cum materia informi, ut existat, connectens in limites numerorum compositorum ingreditur; atque ita quælibet essentiæ unius divinæ proprietatis distincta, se jungens cum materia non formata, eam facit ex nihilo existere. Hinc est, quòd cyphra in se & per se nihil significans, materiæ informi aptissimè & quasi ex essentiâ sua comparatur. At verò si unitas, dualitas aut trinitas cyphræ præponatur, tùm illa facit eam ex nihilo significativam. Verbi gratiâ, 0. non plus significat quàm 00. nec 00. plus quàm 000. atque hæc omnes simul junctæ nihil significant. At verò 1. ante 0. significat numerum denarium 2. ante 0. viginti, 3. triginta, sic 10. 20. 30. &c. Sic etiam, si 1. præponatur 00. denotabit numerum centenarium 100. & sic in cæteris. Hæc ipsissima ratio est in mundi creatione. Nam Deus Pater unitas, se quasi duplicans, & jungens cum materia, tanquam nihilo seu hyla seu cyphra, produxit primum gradum simplicis compositionis. Deinde Filius seu dualitas se proponens secundo superioris regionis informi orbi, secundum creaturarum gradum in existentiam deduxit. Et Spiritus denique sanctus seu ternaria proprietates tertium gradum, cum materia sese miscendo, in lucem edidit. Atque ita tres primæ hierarchiæ Angelorum orbes, seraphini scilicet, cherubini & throni creati atque constituti sunt, eaque ratione, multiplicatione 3. in se facta reliqui etiam ternarii numeri proportionales in radicali & simplici compositionis regione producuntur. Similiter prima Deitatis persona, se triplicans, hoc est, prima vice in sua unica essentiâ apprensens, & secundò in simplici rerum compositione, ac tertio in media mundi constitutione, jam præcedit duas cyphras, significando per hoc ipsum, quòd in

media

media mundi tegione duplicem materiæ portionem inactuet suâ præsentia, quemadmodum in superiori non nisi unicam & simplicem materiæ partem de potentia in actum & essentiam spiritualissimam deduxit. Unde in hac regione luci suæ spiritum proportionem centenaria miscuit, ut 100. 200. 300. Denique opifex tertiæ rerum compositioni se præbens, virtutemque suam mirificam rebus inferioris regionis indens, tertia & ultima vice ad mundi complementum in proportionem cubica & elementari apparebat, tres materiæ informis proportionem informans. Unde in hac mundi sphaera seu regione præponitur atque præscribitur tribus cyphris, tres materiæ portiones arguentibus, ut 1000. 2000. 3000. His igitur debito modo consideratis, facillimè intueri possumus, quomodo Deus ab unitate in multitudinis abyssum ad mundi perfectionem, & ad ejus in numero, mensura & pondere adaptationem descenderit. Quicumque igitur ad Deum voluerit reverti, ei necesse erit multitudinem gradatim exuere, ut ad unitatis fastigium regrediatur, seipsum à cubica proportionem resolvendo in quadratum, & à quadrato tandem in radicem sibi propriam resultando. Quod quidem sola illa harmonia fit, qua Deus ipse Creator seipsum in multitudinem materiæ immerfit.

C A P. V.

*De anima per totum mundi tam minoris, quàm majoris
systema harmonia.*

CUM anima intellectualis à folio seu throno Creatoris in hominem descendendo per universum mundi semidiametrum penetret, priusquam corpus humanum ingrediatur, sequitur, quòd illa cum harmonia cujuslibet creaturæ, quam in via seu itinere suo deorsum instituto offendit, participet. Hinc igitur est, quòd anima tot in se proprietates, quot in mundo (numerando inter sedem Dei & terram, quæ est scabellum pedum ejus) reperiuntur. Et tamen hæ omnes proprietates nihil præter ipsam animam existunt. Unde in hoc illa Deitati comparatur, videlicet, quatenus una est Deitatis essentia, at multæ personæ; pari enim modo diversæ sunt animæ proprietates, sed una ejus essentia. Sic sensus quidem unus est in anima, & quidem ipsa est, qui, cum corpus non sit, corporeus dicitur, & cum non sit nisi unus, propter varia tamen sua exercitia variatur, & diversimodè nuncupatur. Dicitur autè anima, sensus, imaginatio, intellectus, intelligètia seu mens, atq; hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quam ipsa anima. Aliæ atq; aliæ sunt inter se proprietates propter varia exercitia, sed una est rationis essentia & una anima; proprietates quidè diversæ, sed essentia una; secùdum exercitia multa sunt, secùdum verò essentiã sunt unū in anima, & quidè ipsa anima est illud. Et sicut mundus iste visibilis quinque partita quadã distinctione est ordinatus, terra scilicet, aqua, aère, æthere sive firmamento & ipso supremo cœlo, quod empyreum vocant; sic animæ in mundo corporis sui peregrinantis, quinque numerantur progressus ad sapientiam, sensus scilicet, imaginatio, ratio, intellectus & intelligentia; his, inquam, quinque progressionibus rationalitas exercetur ad sapientiam, de quibus infra latiùs. Et quatuor idem affectibus ad charitatem, quasi novem progressionibus in semetipsam proficiscitur anima, quos quidem progressus nominibus & ordinibus Angelorum, in simpli-

ciori & superiori mundi regione contentis, comparavimus. Amorem ergo Dei *Seraphin* applicavimus, intelligentiam *Cherubin* intellectum *Thronis*, amorem proximi *Dominationibus*, rationem *Principatibus*, odium sui *Potestatibus*, odium mundi *Virtutibus*, imaginationem *Archangelis*, atque sensum denique, qui primus est nuncius animæ, ipsis *Angelis*, qui nuncii vocantur. Atque ubi de odio seu contemptu mundi & sui ipsius locuti sumus, intelligendum est, quod timor suppliciorum & dolor de peccatis pariant contemptum mundi & sui, ut cum *Virtutibus* quis faciat miracula, & cum *Potestatibus* expellat *Dæmonia*. Spes de promissis & gaudium in primis inducit amorem Dei & proximi. Hinc ergo evidens est, quod anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, omnium in se gerat similitudinem. Quare à *Philosophis* definitur *cujusq; rei similitudo*, siquidem in se habet vires, quibus omnia apprehendit atque investigat & omnibus similis existit, cum sit una. Nam cum omnia ex quatuor elementis sint facta, ipsa anima reperitur similis terræ per sensum, aquæ per imaginationem, aëri per rationem, & igni ac firmamento per intellectum, cæloque cælorum per intelligentiam. Similis est lapidibus per essentiam, arboribus per vitam, animalibus per sensum & imaginationem, hominibus per rationem, Angelis per intellectum, Deo per intelligentiam. Et sicuti Deus est capax & particeps omnium, sic itidem & anima. Sed, ut ad numerum nostrum nonarium revertamur, sub quo animæ proprietates ad novem intelligentiarum sphaeras superioris cæli relatas esse prædicavimus, notandum est diligenti observatione, quod novem sint animæ proprietates seu virtutes mediocres, quæ novem sphaeris mediæ mundi regionis respondent. Nam primo mobili refertur voluntas, propter rationis in demonstrationis tertiæ explicatione recitata. *Cælo stellato* voluntatis executio seu actio. *Saturno* animæ vis receptiva seu restrictiva & coagulativa. *Jovi* facultas ejus naturalis. *Marti* irascibilis & impulsiva. *Soli* vitalis. *Veneri* concupiscibilis. *Mercurio* phantastica atque ingenium. *Luna* denique crescendi atque decrescendi, & per consequens vegetationis proprietas. Harmonia ergo inter proprietates animæ supremi cæli & medii est hujusmodi: Amor Dei ad voluntatem seu primum hominis sensibilis mobile relationem habet; intelligentia ad actionem voluntatis; intellectus ad fixam, stabilem atque prudentem Saturni dispositionem; amor proximi ad Jovis amorem, & curam paternam circa vitam & naturam vitalem animantium; ratio ad irascibilitatem Martis, cum ratio versetur vel circa irascibilitatem Marti propriam, vel concupiscibilitatem Veneri attributam; odium sui refertur Soli, nam qui se odio habet respectu hujus mundi, obtinebit vitam æternam; odium mundi Veneri, quippe concupiscentia & ardor amoris Dei mundum contemnere facit; imaginativa vis phantasticæ Mercurii dispositioni attribuitur; Sensus autem Lunam & terram respicit, nam Luna est quasi basis & ipsa cæli medii terra, optimeque sensui refertur, quatenus ad res fluidas cum soliditate spectat. Est etiam hujus harmoniæ relatio inter proprietates animæ cælestes & elementares, quæ talis est: Novem sphaeræ regionis mundi infimæ sunt hæ: Ignis, suprema aëris regio, media aëris regio, infima aëris regio, aqua dulcis, aqua salsa, vegetativa terræ sphaera, mineralis terræ sphaera, atque ejus denique sphaera centralis, ubi purum reperitur, uti nonnulli volunt, terræ elementum. Voluntas ergo refertur igni; actio supremæ aëris regioni, tanquam loco, ubi agens agit in suum patiens; Vis animæ receptiva cernitur in media aëris regione, ubi grandines & nives congelativa Saturni qualitate generantur; Vis naturalis Jovi propria in infima, in qua creaturæ animatæ cujusque speciei vivunt; irascibilis in aqua dulci, in qua Mars facit suum Diapason, tonitrua, meteoraque alia ignita & typhones inducens; Vis solaris & vitalis in aqua salsa, cum sal sit autor vitæ in centro cujuslibet rei animatæ delitescens; præterea

præterea videmus, quòd aqua marina salsedinem suam habeat à Sole; Vis concupiscibilis in prima Veneri propria, regione seu sphaera terræ; ubi vegetabilia & animalia germinationem suam habent, & appetitu concupiscibili cœlestem formam assidue expectant ab alto; Vis Mercurialis in metallis & eorum sphaera; & denique vis vegetativa Lunæ data à Sole centrali; à cuius radiis auctio atque germinatio in terræ superficie provenit. Hic ergo videmus, qualis sit consensus omnium cœlorum animæ ad invicem; hic percipimus, quomodo variæ Dei actiones ad unicam essentiam divinam referantur; hic optimè nobis explicatur, quomodo idem Deus variis suis operationibus in multiplici effigie ubique adsit. Nam omnis rerum actus ab uno eodemque actore promanans; imò verò quilibet mundi actus est in ipso Deo, & à Deo & omnis actor respectu actionis est quasi ipse Deus, diversimodè agens per universum orbem, Deus hac via in cœlis, Deus in terra, Deus ubique, & omne quod est, suam essentiam ex Dei præsentia possidet; imò verò ipse Deus est rerum essentia; & omne quod est, quoniam quicquid est, per ipsum est, in ipso, ab ipso, & planè ipse est, cum omne à luce habeat suam existentiam. At verò, quanto plùs lucis aliquid in se habet, tantò plùs Dei sibi vindicare potest, ut testatur *Divus Augustinus*, quoniam Deus est luminum Pater, à quo est omnis Lux, quæ veritatis est origo atque fundamentum. Quibus diligenter consideratis, omnem rerum harmoniam percipiemus ab ipsa anima derivari, quæ propagata est à Deo, & est quasi ipse Deus, aut radius ab ipso Deo immediatè promanans. In demonstratione ergo superiorum novem habemus accentus seu voces Diapason operationum animæ constituentes, videlicet quatuor à Diatessaron & quinque à Diapente; atque hoc modo Musicam humanam habemus productam in nonario numero. Jam verò ad praxin harmoniæ animæ gradatim accedemus.

T R A-





TRACTATUS PRIMI, SECTIONIS I.

LIBER XIII.

De Musica animæ compositæ praxi.

C A P. I.

Anima quid? & de infinita ejus potestate, ac quomodo à spiritu differat?



Am tandem aliquando, priusquam ad usum seu praxin harmoniæ animæ simplicis per se, ac deinde harmoniæ ejus cum spiritu atque tandem melodiæ omnium trium inter se symphonicam perveniamus, necesse est, ut earum differentias, quibus ab invicem distinguitur, cognoscamus. Per multas animæ definitiones, in eodem ferè convenientes à veterum Philosophorum tum Ethnicorum tum Christianorum schola approbatis, hoc loco repetemus. Alii enim eam sic definiunt. *Anima, quatenus mente decoratur, est substantia quadam rationis corporis gubernationi accommodata in bonum malumq; convertibilis.* Et ideò aliquatenus dicitur mortalis, in quantum videlicet in deterius & à voluntate Dei, cujus participatione bona est, alienari potest, & aliquatenus immortalis, quoniam sensum, quò ei post hanc vitam bene vel malè sit, amittere non potest. Atqui in hac descriptione videtur anima cum spiritu intelligi. Nos verò animam simpliciter per se accipiendo sine ulla ejus cum spiritu creato mixtione, pro mera luce formali capimus ab ipso creatore immediatè promanante. Quare ut nobis videtur, tali modo accepta non malè à nonnullis definitur *esse res incorporea omni decore lucis adornata, sanctæ Trinitati assimilata, atque æterna gloria coequata. Vel: Anima est res incorporea omnibus membris circumscripta, nullo colore colorata, altissimo Deo assimilata, omniumq; rerum pulcherrima.* Jam verò sciendum est, quid sit ipse spiritus, qui cum anima, tinctura vitæ, forma & purissima ac simplicissima lucis essentia conjungitur. Unde in primis speculari debemus, quot modis spiritus accipiatur, quoniam spiritus multiplici respectu appellatur. Etenim ipse Deus dicitur Spiritus, atque sic etiam aërem istum & ventum, ac flatum ad cordis

dis thalamos attractum nuncupamus spiritum. Atqui iste spiritus anima dici non potest, quia aëris varietate dissolvitur; sed per spiritum illum, qui animæ seu luci junctus est, intelligimus illud animæ vehiculum, quo ipsa vehitur tanquam locatum in loco, vel flamma in oleo lampadis, vel splendor seu radius Solis in aëre. Atque hinc factum est, ut *Platonici* hominem diviserint in animam lucidam, spiritum intermedium seu aethereum & corpus opacum. Anima ergo dicitur illa lucis scintilla, quæ movet spiritum, in quo, tanquam in puppe navigare videtur in mare mundi primum, & deinde in corporeum laticem, corpusque animat, hoc est, vivificat illud. Spiritus verò accipitur pro spirituali natura, videlicet illud, quod spirat in corpore, spiritus appellatum est. Cæterum anima & spiritus idem esse videntur in corpore, quamvis aliud notet anima, quam spiritus, eo quòd lux simplex sine spiritu in corpore esse non potest; neque etiam spiritus per se absque scintilla lucis agere valet: spiritus igitur ad substantiam refertur, anima verò ad formam & vivificationem. Hæc ergo agit & illa patitur, atque ambo essentialiter & secundum naturæ leges adeò ad invicem conjunguntur, ut nemo præter solum Deum, hæc duo ab invicem dividere potis sit. Id quod etiam innuere videtur *Apostolus* hisce verbis: *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus.* Quibus videtur arguere, quòd impossibile sit, ut divisio ulla fiat inter animam & spiritum, nisi solo verbo Dei. Quod quidem & ipse testari possum, experientia doctus in anatomia cujusdam creaturæ; ubi spiritum virgineum & limpidum, undique radius animæ ornatum vidi; quæ ab invicem dividere ignorabat ingenium humanum. Quare tametsi ab invicem differant, ut materia & forma, vel agens & patiens, vel aër & ignis, attamen quoniam ita ordinata sunt à natura seu creata à Conditorum, aliter se habere non possunt, quousque vincula illa indissolubilia ab ipso solo, qui nodum ligavit, dissolvantur. Unde spiritus dicitur eadem essentia cum anima, atque lux & spiritus hoc idem conflare videtur, quod animam appellamus, idem, inquam, sunt essentiâ, sed proprietate differunt non minùs, quàm Pater in Trinitate à Spiritu sancto; qui tamen ambo idem sunt essentia super substantiali. Nam unus & idem spiritus ad seipsum dicitur, & ad corpus anima. Porro etiam Spiritus dicitur, in quantum est ratione prædita substantia rationalis, anima verò, in quantum facit ad vitam corporis. Unde in Scripturis illud reperitur: *Qui perdidit animam suam, salvam faciet eam*, hoc est, quisquis propter Deum hanc vitam, quæ nunc corporis vivificatione temporariè mortalis constat, libenter despexerit, in futuro eandem corporis mortalis & animæ vitam æternam & immortalem recipiet. Ex quibus patet, quòd anima in propria sua appellatione pro vita seu facultate vitali nonnunquam accipitur. Et tamen nonnunquam latius se extendit animæ significatio, & pro unione mentis, spiritus rationalis & scintillæ vitæ cum spiritu medio, ejus vehiculo, accipitur, atque tunc illam vocabulo magis conveniente animum nuncupamus, quem pro integro homine interno accipimus. Unde animus in sacris Scripturis pro corde usurpatur. Nam ut cor est centrum, atque interior corporis pars, sic etiam anima seu potius animus est nucleus hominis invisibilis & interni. Animus enim sapientia divina illustratus principium suum respicit, & seipsum cognoscit. Legimus autem ubique ferè in sacris literis, quòd anima, pro creaturæ vita accepta, non modò hominibus, sed etiam brutis sit attributa. At verò nonnunquam animæ vocabulum, imò quidem ut plurimum à Philosophis & ipsis Theologis pro homine interno seu animo usurpatur, atque nos etiam aliquando hoc vocabulo pro homine interno usi sumus. Sed, ut ad rem nostram redeamus, anima humana, quæ in corpore habet esse & extra corpus, pariter anima & spiritus vocari potest. Non tamen duæ animæ, sensualis scilicet & rationalis,

altera nempe, qua vivit homo, & altera, qua, ut quidam putant, sapit, sed una eademque anima in semetipsa vivit per mentem, ac intellectum & corpori vitam præbet per sensum humanum: Namque corpus nec vivere nec nasci potest sine rationali anima: Vegetatur autem, movetur, crescit, & humanam formam in utero accipit, sicut virgulta & herbas (sine anima videlicet rationali) movere & incrementum habere videmus. Sed tamen in spermate hominis delitescit semen, in quo mens & ratio, quoad nos, vacare videntur, cum tamen reverà occultè & modo insensibili operentur, animamque vivificam, in principio etiam modo occulto operantem, paulatim atque gradatim ad palatium suum præparandum excitent; quæ actione sua occulta spiritum vegetativum inflat, atque in elementari compositione intumescere facit; quem quidem actum animam vegetativam, appellamus, ita ut procul dubio vegetatio nihil aliud sit, quam effectus primus animæ vitalis occultè operantis; quæ quidem anima movetur à mente & spiritu rationali in centro delitescentibus, & occultissimè animam ad motum excitantibus.

C A P. II.

De Mente & Ratione, atque iterum nonnihil de
Anima & Spiritu.

Mens secundum nonnullos dicitur à *Mene*. *Mene* autem Græcè *Luna* vel *Lau-*
ne dicitur. Atque sanè ut *Luna* crescit ac deficit, & varia vicissitudine mu-
tatur, atque tamen in id, quod fuit, perfecta quadam novitate se restituit; sic
mens nunc caput summis inserit, nunc decidit in infima, nunc sese referens sibi,
veris falsà redarguit, modò ad corporalia regenda deflectitur, modò æternis ra-
tionibus vel consultationibus adhærescit, secundum illud *Mercur. Trismeg. Qui-*
cunque hac Dei natura fulti sunt, secundum operum comparisonem pro mortalibus im-
mortales habentur, intelligentia sua cuncta complectuntur, quæ in terra sunt, & quæ in
mari, & si quid est præter ea supra cælum, atque adeò seipsos erigunt, ut ipsum quoque bo-
num intueantur. Hujus divinæ essentiæ aspectus est ipsa ratio, quo bonum ma-
lumque discernit, virtutes eligit, verumque diligit. Nam hujus directione mens
univerforum capax est, & omnium rerum similitudine insignita; imò verò o-
mnia esse dicitur natura quadam, potentia & naturali dignitate. Idcirco invi-
sibiles rerum causas per intelligentiam comprehendit, & visibiles actualium
formas per sensuum passionem colligit, atque vel per sensus ad sensibilia prona
est, vel per intelligentiam ad visibilia ascendit, rerum similitudines ad seipsam
trahit, præsentia cognoscit, absentia intelligit, ignota inquirit, & circa inventa
versatur. O mirabilis naturæ divinæ operatio! O ineffabilis radii divini dispo-
sitiio! quæ omnia cum esse dicatur, omnia ipsi subjiciuntur, atque obedientiam
quandam præbent. Quid est ergo hæc essentia potentissima? an scilicet natu-
ra, an verò ipse Deus? Est equidem ipsa natura, omnia in mundo virtute insiti
sibi Verbi producens, vitamque eis præbens. Est itidem & ipse Deus, cum sit
spiritus increatus atque radius essentiæ increatæ, à Creatore non minùs indivi-
sibilis, quam lux aut jubar à Sole. Est ergo omne in omni, à quo omnia facta
sunt, & in quod omnia, tanquam à multitudine ad unitatem, reverti debent.
Hæc mens divina est illud rationale & intellectuale lumen, quo ratiocinamur,
in-

intelligimus & sapimus; quæ ita facta est ad imaginem Dei, ut nulla interposita natura ab ipsa veritate formetur. Unde fit, ut secundum nonnullos, Mens dicatur, quoniam eminet in anima, eminentior & præstantior, siquidem vis est animæ, à qua procedit intelligentia, per quam anima ipsam veritatem intelligit, & per sapientiam eam diligit. Sapientia enim est amor boni, quæ & sapor boni quidem dicitur: Mentis ergo visio intelligentia dicitur, ejus gustus sapientia, illa contemplatur, ista delectatur. Ex his ergo luculenter percipere possumus, quòd animæ oculus sit ipsa mens ab omni corporis labe pura & immunis, cujus aspectus est ratio, cui junguntur intellectus & visio; hæc enim tria animæ sunt necessaria, ut sanos oculos habeat, quibus aspiciat cum à mortalium cupiditatibus purgata est atque remota. Aspicit anima cum in Dei lumine contemplationis oculos figit, videt, cum in illa contemplatione conspicit, quanta sint gaudia, quanta sit lætitia, quanta severitas, & quanta jucunditas. Sanitas facit illam securam, aspectus rectam, visio beatam: Cum enim ab omni fæce est libera, maculisque abluta, tunc se denique in seipsa libentissimè tenet, & nihil sibi metuit, nec ulla culpa ejus quicquam agitur. Et tunc ingenti quadam & incredibilem lætitia pergit in Deum, id est, contemplatione veritatis; Aspectum siquidem rectum sequitur ipsa visio Dei, quæ est finis aspectus. Sic anima prius sanatur, sanata introducit, introducta reficitur. Similiter & ipse spiritus (quæ supra declaravimus, esse vim quandam animæ mente inferiorem, ubi corporaliū rerum similitudines exprimentur) visum sibi proprium habet: Hic spiritus non est corpus, sed similis corpori. Quare etiam, quæ spiritu videntur, corporalia non sunt, sed corpori similia. Nam spiritus intermedius est aliquid inter non corpus seu lucem; & corpus ex elementis compactum. Quare videri non potest, ut corpus, sed ut ferè corpus, seu corporis imago aut similitudo. Facies quidem hominis nobis forinsecus nota est, & in memoria suam habet imaginem, incorporalem quidem, sed corpori similem. Mundi quoque istius mirabilis pulchritudo nobis foris præstò est, & in memoria nostra suam habet imaginem, incorporalem itidem, sed corpori similem, ad quam recurrimus, dum clausis oculis eam cogitamus. Ex quibus colligitur, quòd ut ad corporis sensum corpus in loco percipitur corporeis oculis visibile, sic etiam ad animæ aciem similitudo corporis oculis spiritus in memoria cernatur. Est enim quædam voluptatis intensio ad corpus visum, visionemque copulandam: atque hæc eadem intensio voluptatis est ad copulandam imaginem corporis, quæ est in memoria & visione cogitationis. Multa hoc loco abstrusa detegerem circa hoc subjectum, nisi me necessitas ad alia magis communia avocaret. Nam ut mihi videtur, ab harmoniæ animæ scopo nimis longè deviamus. Quare ad illum jam vicissim orationis meæ filum convertam.

C A P. III.

Qualiter per quinque interiores animæ vires ad superiora, harmoniæ animæ ineffabili & ad solum Creatoris ascendere debeamus. Et de cujuslibet gradus systematis seu scalæ proprietate.

CUM ab inferioribus ad superiora harmonico spiritus consensu, animæque scalæ seu systemate nos attollere volumus, necesse habemus, ut primus scalæ seu systematis gradus, sensus videlicet, se nobis offerat, deinde imaginatio,

postea ratio, quam sequitur intellectus atque hunc denique intelligentia, quorum supremus gradus est ipsa sapientia, quæ Deo connectitur, & quasi ipse Deus est. Inferior autem gradus, quem sensum diximus, est ea animæ vis, qua corporeas rerum corporearum formas præsentem videmus. Imaginatio est ea animæ potestas seu proprietas, quæ rerum corporearum corporeas recipit formas, sed absentes; sensus namque formas in materia percipit, imaginatio verò extra materiam & eadem vis, quæ exterius formata est, sensus dicitur, eadem autem usque ad intimum traducta, vocatur imaginatio: Imaginatio namque à sensu oritur, & secundum ejus diversitates ipsiusque varietates. Multa videt anima carnalibus oculis, & multa etiam phantastica imaginatione concipit, & ubique distenditur, movetur, erigitur, & fluctuare videtur non à se egrediens, sed in semetipsa tanquam in magno discurrens spatio, vagatur, nec exit ad illa, sed tractatibus suis sibi illa repræsentat. Habet siquidem imaginatio in se quandam latitudinem & altitudinem. Nam per charitatem Deum & omnes sibi fideles complectitur, per meditationem rerum universa, quæ à principio mundi usque ad finem Deus propter salutem operatus est, meditatatur; per contemplationem, quæ sursum sunt, cœlestia contemplatur. Ratio autem, quæ est tertius systematis musici in anima gradus, est vis illa animæ, quæ rerum corporearum naturas, formas, differentias, propria atque accidentia percipit, omnia quidem incorporea, sed non extra corpora, nisi ratione subsistentia; abstrahit enim à corporibus, quæ fundantur in corporibus, non actione, sed consideratione, naturam nempe ipsius corporis, secundum quam omne corpus corpus est. Porro etiam intellectus, qui est quartus systematis spiritualis gradus, est ea animæ virtus, quæ invisibilia apprehendit, sicut Angelos, Dæmones, animas & omnem spiritum creatum; Intelligentia denique, quæ ultimum atque altissimum systematis prædicti gradum constituit, est illa animæ potentia, quæ immediate supponitur Deo, cernit siquidem ipsum summum bonum atque unicum verum, vereque immutabilem. Diximus itaque, quod anima humana sensu percipiat corporea, imaginatione corporum similitudines, ratione corporum naturas, intellectu spiritum creatum, atque demum intelligentia & mente spiritum increatum. Quicquid igitur sensus percipit, imaginatio repræsentat, cogitatio format, ingenium investigat, ratio judicat, memoria servat, intelligentia comprehendit, & ad meditationem sive contemplationem producit. Est ergo ingenium ea vis animæ sive intensio, qua se extendit anima, & exercet ad incognitorum cognitionem. Ingenium igitur inquirat ignota, ratio discernit inventa, memoria recondit judicata, & adhuc offert judicanda. Atque hoc modo fit ascensus ab inferioribus ad superiora per harmoniam admirabilem, eaque ratione ima à summis dependent. Intellectus namque est intelligentiæ seu mentis imago atque similitudo, ratio intellectus, rationis phantasticum seu imaginatio, phantastici spiritus, cui etiam supremum corporis corpus ignis quadam similitudine jungitur, & igni aër, aëri autem aqua & aquæ terra. Sensus informat imaginationem, imaginatio rationem, & facit scientiam sive prudentiam; rursus rationi occurrens divina præsentia informat eam, & facit intelligentiam sive sapientiam. Sunt itaque in ratione duo quasi membra, cum sit in ea quiddam ad superna & cœlestia tendens, quod dicitur sapientia; & quiddam ad transitoria & caduca respiciens, & id dicitur prudentia. Hæc enim duo ex ratione sunt, & in ratione consistunt. Quorum respectu se dividit ratio in duo; sursum scilicet in sapientiam, & deorsum in prudentiam, quasi in virum & mulierem, ut vir sit superior & regnet, mulier autem inferior ac regatur. Unde dictum est: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.* Melior siquidem est, qui per cœleste desiderium accensus, carnem, subtrahendo ei necessaria, affligit, quam

qui

qui per carnalem affectum resolutus, per omnia, quæ commoda sunt, ei satisfacere contendit. Sed ad scalam seu systema nostrum revertendo videmus, quòd sensus juvetur exterius; quoniam oculus carnis, quamvis à natura habeat facultatem videndi, nunquam tamen per se consequitur visionem, nec auris auditum, nisi beneficio lucis exterioris & soni, atque sic in cæteris. Similiter imaginatio juvetur exterius, quia ex sensibus concipitur. Ratio juvetur interiùs, quia spiritus rationalis ex dono creationis habilis est ad cognoscendum verum & diligendum bonum; qui nisi radio interioris lucis perfusus fuerit, & calore accensus, nunquam consequetur sapientiæ seu charitatis affectum. Intellectus & intelligentia juvantur superius; quia Deus & ignis & lux est. Lux ergo emittit ex se splendorem illum, quem in se continet, eaque illuminat mentem & intelligentiam ad veritatis cognitionem. Ignis verò calorem de se emittens, sed non amittens, inflammat affectum ad amorem virtutis. Et sicuti Solem non videt oculus, nisi in lumine Solis, sic intelligentia non potest videre verum ac divinum lumen, nisi in ipsius lumine. Unde inquit Propheta: In lumine tuo videbunt lumen. Quare cum mortale induerit immortalitatem & corruptibile hoc incorruptibilitatem, tunc secundum modulum nostrum per mentis illuminationem omnia sciemus, & per corporis incorruptibilis levitatem ubique esse poterimus, volabimus mente per contemplationem, volabimus corpore per incorruptionem, discernemus mente, discernemusque corpore; siquidem sensus nostri corporei vertentur in rationem, ratio in intellectum & intelligentiam, atque intelligentia mutabitur & migrabit in Deum. Sic, teste *Esaia Propheta; Luna erit ut Sol, & Solis dignitas in septupla proportione multiplicabitur, & exaltabitur, &c.* Concludimus autem ex his, quæ præcesserunt, quòd sensu visibilia percipiuntur, & quòd in imaginatione contineantur visibilium imagines & similitudines; similiter quòd ad rationem pertineant visibilium rationes ac definitiones & invisibilium investigationes, & quòd denique ad intellectum & intelligentiam spectent spiritualium & divinorum comprehensiones & contemplationes. Sensus verò & imaginatio ad rationem non ascendunt, sed infra remanentes possunt eam aliquatenus deducere, & quasi à longè quædam ostendere, ad quæ non valent pervenire. Simili quadam proportione intellectum & intelligentiam ratio juvare potest, sed ad statum eorum nequit ascendere, quoniam metas suas & proprios fines habet, quos egredi non potest: Sensus & imaginationem cum cæteris animalibus habemus communia, siquidem illa vident visibilia, & visorum recordantur. Imò verò in quibusdam nos superant bestia, quoniam justum fuit, ut brutis animalibus, quibus nihil concedebatur de intellectu, daretur aliquid peculiare in sensu, juxta illa carmina:

*Nos aper auditu vincit, sed aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.*

Atque sic à converso tanto major necessitas homini indicitur exercendæ rationis, quanto majorem defectum patitur sensualitatis. Ratio autem ibi incipit, ubi aliquid occurrit, quod non habemus commune cum animalibus. Diligenter itaque considerandum est, quòd tria sint in homine interno, videlicet *quædam infra rationem ponuntur, quædam juxta eam, & quædam supra ipsam.* Infra rationem sunt, quæ sensu percipimus, sicut dura, mollia, calida, frigida, candida & nigra, &c. Juxta rationem sunt rationi pervia, quæ ratione percipimus, sicut commoda, incommoda, vera, falsa, justa & injusta; nam ratio est quidam animi motus, visum mentis acuens, veraque à falsis distinguens. *Supra rationem* denique sunt, quæ nec sensus docet, nec ratio persuadet, sed aut divina revelatione comprehenduntur, aut sacrarum Scripturarum autoritate creduntur, sicuti, quòd Deus in una substantia sit trinus, & in tribus supersubstantialiter

personis unus, & quod Deus sit rerum universitas, ita tamen ut interim sit nullā singularum; atque ita motibus rationis non subjacet, quia ratio non est, nisi de realiqua. Hi igitur systematis animæ gradus, qui omnes sunt animæ proprietates, non minùs dicuntur ipsa anima, quàm hepar, cor, cerebrum, musculus, vocantur una caro, dum tamen proprietate differunt. Sic consonantia Diatessaron dicitur harmonia, itidemque Diapente & Diapason, & Diapason cum Diatessaron, & Diapason cum Diapente & Disdiapason: scilicet hæ omnes sunt harmoniæ, & tamen diversitate sonorum differunt. Multa igitur habet anima nomina secundum sui operis officium: Vocatur namque *vita*, dum vegetat, *spiritus*, dum contemplatur, *sensus*, dum sentit, *animus*, dum sapit, *mens*, dum intelligit, *ratio*, dum discernit, *memoria*, dum recordatur, *voluntas*, dum vult. Et tamen ista omnia non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia sunt una anima, ut prædicta corporis membra sunt unius corporis caro; proprietates siquidem sunt diversæ, sed essentia una. Spiritus tamen & animæ potest esse differentia, quia omnis anima est spiritus, sed non omnis spiritus est anima. Nam ut in præcedentibus dictum est, spiritus non est anima, nisi debita lucis cujusque portione ad hoc officium præparetur. Præterea pro animæ & spiritus differentia videmus, quòd alia sit spiritus inferioris proprietas, alia mediæ & alia superioris. Et tamen unus est atque idem spiritus, sed diversimodè nuncupatus, secundum majorem aut minorem lucis in eo prædominantis portionem. Sic etiam lux omnis est tantùm unica, & tamen alia est ignis, alia Sol, alia Luna, alia Saturnus, alia Jupiter, &c, dum tamen nihilominus hæ omnes sunt eadem lux, in diversis corporibus densioribus aut tenuioribus contracta. Ex his ergo videmus, qualem harmoniam anima producat ex numero quinario, quo ea in corpore humano concordæ symphoniam via existens, se ex profundissima multitudinis abyssò ad unitatis fastigium attollit. Demonstratum est itaque superiùs, quod Musica fiat transitu atque operatione animæ per numerum nonarium, & per numerum septenarium, itidemque per numerum ternarium; quæ quidem ternaria Musica fit inter corpus, spiritum & animam. Hic autem mentionem faciemus harmoniæ illius ex numero ternario depromptæ, quæ in sola anima reperitur.

C A P. IV.

*De rationabili, irascibili & concupiscibili animæ potentiis;
& de earum harmonia ad invicem.*

Quinque animæ viribus, videlicet *sensu, imaginatione, ratione, intellectu, intelligentia, & practica* earum harmonia in capite præcedenti explicatis ad symphoniam practicam jam tandem trium animæ potentialium, *rationabilitatis* scilicet, *concupiscibilitatis* & *irascibilitatis* me accingam. Et quamvis nihil inter vires & potentias interesse nonnullis fortasse videbitur, ab effectu tamen rem percipiemus. Ex duabus substantiis, videlicet ex anima cum ratione, & ex corpore cum sensibus suis hominem conflatum esse, superiùs luculenter explicatum est; quos tamen sensus non movet caro absque animæ societate; anima autem tenet suum rationale sine carne, siquidem illa est rationalis concupiscibilis & irascibilis: Quas quidem potentias habuit, antequam corpori misceretur, quoniam illæ naturales sunt ei, adeoque nihil aliud quàm ipsa anima, cum tota animæ substantia

substantia in hisce tribus plena atque perfecta consistat, scilicet, in rationalitate, concupiscibilitate & irascibilitate, quasi quadam sua trinitate: Et tota hæc trinitas est quædam animæ unitas, & ipsa anima; In eo tamen à Deo differt, quòd Deus est omnia sua, anima verò non nisi quædam sua; hæc siquidem naturalia & ipsa omnia. Quare tota animi essentia in his potentiis continetur, nec tamen ea per partes dividitur, cum sit simplex & individua; si verò aliquando partes habere dicitur, intelligendum id potius est ratione similitudinis, quàm de veritate compositionis. Simplex enim substantia est anima; nec aliud nec minùs est ratio in substantia, quàm anima; sed una eademque substantia secundùm diversas potentias diversa fortitur vocabula. Per primam ergo potentiam, videlicet, *rationabilitatem* habilis est anima, ut illuminetur ad aliquid cognoscendum, scilicet *infra se, & supra se, & juxta se*, uti antea dictum est. Cognoscit siquidem Deum *supra se*, & Angelum *juxta se*, & quicquid cœli ambitu continetur, *infra se*: Per *concupiscibilitatem* habilis est, ad aliquid appetendum & amandum; atque per *irascibilitatem* ad aliquid fugiendum, & odio prosequendum. Unde colligitur, quòd de *rationabilitate* omnis sensus oritur, & de cæteris duabus omnis affectus: *Rationem* vocamus animæ aspectum, quo per seipsam verum intuetur; *rationationem* verò rationis inquisitionem. Quare illa, ratione videlicet, opus est ad videndum, ista videlicet *rationationem* ad inquirendum. *Affectus* autem, qui ex cæteris duabus animæ potentiis oritur, quadripartitus esse dignoscitur, nempe è concupiscibilitate gaudium & spes, dum de eo, quod amamus, jam gaudemus aut gaudendum speramus; & de irascibilitate dolor & metus oriuntur; nam de eo, quod odimus jam dolemus, vel dolendum metuimus. Hi ergo quatuor animæ affectus sunt quasi quædam principia & communis materia omnium vitiorum & virtutum. Et, quoniam *virtus est habitus mentis bene composita*, idcirco componendi, instituendi atque ordinandi sunt animi affectus ad id, ad quod debent, & quomodò debent, ut virtutes producere possint, alioquin in vitia facilè labentur. Cùm ergo prudenter, modestè, fortiter, & justè amor ac odium instituuntur, in virtutes exurgunt; in prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem, atque justitiam, quæ quasi origo sunt & cardines omnium virtutum, atque hæc omnia efficaciter & virtuosè in anima instituuntur. Per odium quoque mundi & sui proficit anima in amore Dei & proximi, per contemptum temporalium & inferiorum crescit in desiderio æternorum ac superiorum. Hinc igitur evidenter liquet, quòd ratio ab errore non sit immunis, nisi per mentem illuminetur. Unde accidit, ut ejus affectus boni à mentis illuminatione producti, *virtutes* appellentur, mali verò ex illuminationis defectu prodeuntes, *vitia* vocentur. Mens enim semper à Deo illuminatur, non tamen semper illuminat. Prima enim lux in Deo est supereminens omnem intellectum: Quare non potest lux intelligibilis appellari, sed illa lux, quando immediata radiatione infunditur à Deo, intelligibilis dicitur, quia intelligi potest. Deinde, quando per mentem distillans rationi jungitur, fit rationalis, ac potest non solum intelligi, sed etiam cogitari. Postea, quando per rationem infunditur in idolum animæ, ubi phantasia seu imaginatio operatur, efficitur non modò cogitabilis & rationalis, sed etiam imaginabilis, nec dum tamen corporea; quando autem exinde migrat in æthereum animæ vehiculum, tùm primùm efficitur corporea, non tamen manifestè sensibilis, donec transferit in corpus elementare, sive simplex aëreum sive compositum, in quo efficitur lux manifestè visibilis ad oculum. Quod denique ad harmoniam attinet & consonantias, quibus hæc animæ potentiæ seu virtutes inter se consonant, intelligendum est, quòd illæ hoc modo ad invicem proportionentur. Proportio consonantiæ Diapason invenitur inter *rationabilitatem* & *concupiscentiam*; inter *rationem*

verò

verò & irascibilitatem reperitur proportio consonantiæ Diatessaron ; atque tandem inter irascibilitatem & concupiscentiam consonantia sesquialtera seu Diapente observatur. Præterea sciendum est, quod, si ratio à mente illuminetur, admirabilis harmonia & consonantia in homine reperitur; cujus symphonia virtutes, Dei filiae producuntur; imò verò ipsa ira & odium in bonum convertuntur. E contrario verò, ubi deest rationis illuminatio, ibi virtutes in vitia Diaboli maligna deformantur, omniaque in malum & errores submerguntur.



C A P. V.


De corporis & animæ harmonia ad invicem.

Mirabilis est carnis & animæ, hoc est, spiritus vitæ & limi terræ amor & societas, cum ex his junctis totus homo conflare dicatur. Sic enim scriptum est: *Fecit Deus hominem ex limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ,* dans ei sensum & intellectum; ut per sensum lutum sibi associatum vivificaret, & per intellectum regeret; similiter ut per intellectum intus ingrederetur, Dei quæ sapientiam contempleretur, & sensus foris sapientiæ ejus opera specularetur. Intellectum intus illustravit Deus, sensum verò foris decoravit, ut in utroque recreationem inveniret integer homo, intus scilicet ad felicitatem, foris ad jucunditatem. Sed quia bona exteriora diu consistere non possunt, jussus est homo ab exterioribus ad interiora redire, & ab interioribus ad superiora ascendere, videlicet à sensu ad imaginationem, ab imaginatione ad rationem, ab ea ad intellectum, atque ab illo ad mentem seu intelligentiam & ita ad Deum. Mirum, inquam, atque ineffabile, imò verò miraculo plenum fuit, quòd tam diversa, divisa & natura ita contraria, uti est corpus & anima, ad invicem conjungi potuerint, nec minùs admirabile fuit, quòd in limo nostro seipsum Deus contraxerit, ut sibi invicem copularentur Deus & limus; tanta scilicet sublimitas & tanta vilitas; nihil nempe Deo sublimiùs, nihil limo viliùs. Mirabilis fuit prima conjunctio, mirabilis fuit secunda, nec minùs mirabilis erit tertia, cum idem homo, Angelus & Deus unus erit spiritus, eodem namque bono bonus est homo, quo bonus est Angelus, eodemque bono est uterque beatus; si tamen ambo id ipsum eadem voluntate, eodemque spiritu cupiant: Et si tam disparem naturam carnis, nempe & animæ ad unam fœderationem & amicitiam Deus conjungere potuit, nequaquam erit ei impossibile rationalem spiritum, qui usque ad consortium terreni corporis humiliatus est, cum eodem corpore glorificato ad consortium beatorum spirituum, qui in sua puritate persistunt, exaltare & ad suæ gloriæ participationem sublimare. Ad hoc enim sola charitate, nulla verò necessitate, eum creavit Altissimus, ut suæ eum beatitudinis participem faceret. Quod si ergo tantum gaudium & tanta est lætitia in vita ista temporali, quæ constat ex spiritus in corpore illo corruptibili præsentia, quanta lætitia, & quantum gaudium erit in vita æterna, quæ constat ex immediata Deitatis in spiritu rationali existentia. Subjiciatur ergo corpus animo, animusque Deo, & unus spiritus erit cum eo, si modo in humilitate permanserit spiritus, & gratiâ sui Creatoris, per quam glorificandus & exaltandus est, agnoverit. Ex carne igitur & anima constat homo, & utraque bonum suum habet, in quo gaudet & exultat. Bonum animæ Deus est cum affluentia dulcedinis suæ. Bonum carnis est mundus cum abundantia jucunditatis suæ; sed mundus exterior est; Deus autem interior, quo nihil interius, nihilque præsentius; interior est omnire, quia in ipso sunt omnia, & exterior omnire, quia ipse est super omnia. Ab hoc igitur mundo ad Deum ascendentes, & quasi ab imo sursum enitentes, debemus nosmetipsos transire. Ascendere enim ad Deum est intrare semetipsum, & non solum se intrare, sed ineffabili quodam modo per sui centrum transire. Hinc *Mercurius Trismegistus: Qui interius transiens, & intrinsecus penetrans seipsum transcendit, ille veraciter ad Deum ascendit.* Quod quidem ut fiat, ab hujus mundi

abstractionibus cor nostrum colligamus, illudque ad interna gaudia revoce-
 mus. Et si cor nostrum in his semper tenere non possumus, saltem ab illicitis
 & vane cogitationibus restringamus, ut illud aliquando in divinæ con-
 templationis lumen figere valeamus. Hæc enim est requies cordis nostri,
 cum in Dei amorem per desiderium figitur: Hæc est vita cordis nostri, cum
 Deus suum contemplatur, & in ipsa sua contemplatione suaviter reficitur; Et
 dulce est semper ad considerandum, ad amandum, & ad laudandum; nihil e-
 nim ad beatam vitam præstantius videtur, quàm, velut clausis carnalibus sen-
 sibus extra carnem, mundumque, affectum quempiam intra seipsum converti,
 alienumque affectum à mortalium cupiditatibus sibi soli & Deo loqui. Cum
 ergo anima sit incorporea per subtiliorem corporis naturam, id est, per ignem
 & aërem (quæ in ipso mundo præcellentiora sunt corpora, & ideò spiritui ma-
 gis familiaria) corpori administrat. Ista quidem priora recipiunt nutus animæ
 vivificantis, eò, quòd incorporeæ naturæ sunt propinquiora, quàm humor &
 terra, ut ad eorum proximum ministerium tota moles administretur. Nullus
 enim his duobus idem in corpore sensus est, vel in anima spontaneus corporis
 motus. Ignis & aër, quia levia sunt, movent terram & aquam, quæ gravia sunt.
 Quapropter corpora post animæ discessum minimè moveri videmus, quia
 ignis & aër, qui duo per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno & hu-
 mido, ut omnium sit temperatio, post ejusdem animæ discessum ad super-
 iora evadunt, ac sese expediunt. Ad corporis autem compositionem quod
 attinet, intelligendum est, corpus constare ex officialibus membris; quæ etiam
 officialia ex consimilibus, & consimilia itidem ex humoribus, humores autem
 ex cibus, & cibi ex elementis constant. Unde videmus, quòd nihil horum sit a-
 nima, sed illa in istis, tanquam in organis sibi naturaliter destinatis, agit, & per
 hæc corpori consulit, atque huic vitæ, qua homo factus est in animam viven-
 tem. Quod si igitur illa temperata fuerint atque ordinata, congruunt vivifica-
 tioni, & nunquam recedit anima; si verò distemperata fuerint & confusa, invi-
 ta recedit anima, secum trahens omnia, sensum scilicet, imaginationem, ratio-
 nem, intellectum & intelligentiam, concupiscibilitatem & irascibilitatem; & ex
 his secundum merita afficitur ad delectationem sive ad dolorem. Sic itaque
 tunc corpus, quod prius integrum fuit, tanquam organum contemperatum
 & dispositum, ut melos concineret, & ad tactum consonaret, jacet è conver-
 so fractum & mutilum; anima autem, recurrentibus ad patriam suam ele-
 mentorum partibus, non habens ubi vires suas exerceat, quiescit ab his tan-
 tum motibus, quibus corpus per tempus & locum movebat. Nam licet or-
 ganum pereat, non tamen perit melos, nec quod organum movebat. Ex
 hisce igitur oculis quasi apertis contueri possumus admirabilem illam harmo-
 niam, qua duo illa extrema, pretiosissimum scilicet & vilissimum ad invi-
 cem concatenantur, & sibi invicem consonant, & quòd spiritus mundi inter-
 medius, animæ vehiculum, sit nexus retinendi ipsa in concordi pace atque
 symphonia, & quòd Deus sit musicæ humanæ sufflator, seu chordæ mono-
 chordii pulsator, seu principium internum, à centro quasi totius consonantes
 motus & vitæ effectus in Microcosmo producens. Chorda verò sua vibra-
 tione lucidos inspiratoris effectus, tanquam amoris accentus & sonos, per
 Macrocosmum & Microcosmum dispergens, est spiritus limpidus, qui natu-
 raliter secundum suum situm & positionem participat de utroque extremo,
 & utrumque extremum ad invicem connectit, similiterque systematis hu-
 mani gradus seu claves delineat, quibus deorsum à superis in corpus fit
 descensus animæ, & è converso quoque ejus ascensus ad superiora seu lo-

cum nobilissimum, post corporis interitum & vinculorum vitæ à corpore, loco nempe vilissimo, dissolutionem. Hujus autem harmoniæ humanæ descriptionem, comparando illam cum mundana, hoc modo secundum cujuslibet illius regionis differentiam, mundo accommodatam, delineavimus.

Musica humana tam ex parte animæ quàm corporis delineatio.



Hic integrum hominem in sua effigie extensum, videmus delineatum, in cujus medietate, secundum continuatam ejus longitudinem, duximus lineam rectam, integrum Microcosmi diametrum representantem. Cæterum hujus chordæ semidiameter *A. C.* connumerat monochordi tonos cum semitonis, proportionisque musicas reddit similes illis, quæ habentur in harmonia mundana. In sinistra igitur ejus parte musicam illius mundo simillimam explicavimus; in ejus verò dextra symphonicum animæ à coelo ad terram descendens aspectum, & ejus iterum ascensum à terra seu corpore in cælum sive spiritum satis propriè delineavimus. In sinistra igitur demonstravimus, proportionem inter intellectum & vitam in monochordo reperiri duplam, in qua Diapason spirituale continetur. Similiter ostendimus, quòd in eadem proportione monochordi intervallum à sphaera cordis seu solis ad terram seu genitalia extensum sonet Diapason corporale, vitam & sensum seu carnalem naturam, quæ infimum ventrem incolit, uniens. Ut igitur in monochordi musici chorda, si ejus pars dimidia prematur, Diapason unum deorsum sonat, & alterum sursum, sic etiam cor in medietate semidiametri humani situm, non aliter quàm Sol in medietate mundi, per unam consonantiam Diapason respicit inferiora, videlicet infimæ regionis naturam, & per alteram summum Microcosmi cælum, in quo mens, intellectus & ratio dominium habent. In dextro etiam Microcosmi latere consonantiam Diapason constituimus inter intellectum & imaginationem; nempe Diatessaron inter intellectum & rationem, & Diapente inter rationem & imaginationem; quæ ambo conjuncta efficiunt Diapason spirituale & invisibile. Similiter à cordis sphaera deorsum tendendo eandem proportionem reperimus inter imaginationem & corpus seu centrum terræ. Nam spatium motus ab imaginatione ad sensum refertur ad Diatessaron, illud verò, quod est inter sensum & carnem vel corpus ad Diapente; quæ juncta Diapason corporale & quasi visibile constant. Motum his omnibus administrat spiraculum primum vitæ, immediatè à Deo in hominis faciem inspiratum, secundum cujus, tanquam primi mobilis Microcosmici, motum voluntarium facultates regionum inferiorum involuntariis motibus ferantur. Sic enim videmus, quòd actio animalis, in suprema regione contenta voluntaria sit; cæteræ verò inferioribus regionibus communes, vitalis scilicet & naturalis involuntariæ dicuntur. Diem etiam & noctem Microcosmi in prædicta demonstratione explicuimus, quatenus fontes lucis rationalis, vitalis & naturalis super hominis terram, seu centrum vivente homine semper ascendunt atque exurgunt, infra verò ejus terram nihil præter duo illius fulcra seu columnas, universam massam humeris veluti Atlanticis sustentantes atque statuminantes, reperitur. In hemisphaerio igitur Microcosmi superiori semper splendet lux primi cœli, videlicet mentis, divino splendore illustratæ, in medio cor, solari lumine repletum; atque in infimo hepar, ignei atque aërei elementi calore exuberans. Atque hoc modo integram hominis tam interni, quàm externi naturam, quamvis non pro voluntate satis politè, pro posse tamen diligenter intuenti, atque lucis & non tenebrarum, filio satis luculenter, uti opinor, non absque actis ingentibus & gratissimis Deo Creatori meo gratiis, amaras Momi maledictiones, atque pessimas malevolorum calumnias, impiasque invidorum derisiones aspernando, negligendo, non curando taliumque linguarum viperinarum morsus virulentos balsamo patientiæ, & illæse conscientiæ anti-


que


dotoelundo , exterminando , fluctibusque meis propriis abstergendo, atque me tandem clanculè vulneratum sanando in publicum emisi & promulgavi. *DEUS JEHOVA sit mihi in auxilium , & ex sacrosancta sua nube, seu monte , seu rupe sua Sion , me respiciat , atque sub alis suis benedictis à pravorum injuriis incolumem præservet. Amen.*


F I N I S.



1771







T O M I S E C V N D I
TRACTATUS PRIMI,
SECTIO SECUNDA,


De technica Microcosmi historia,


in

Portiones VII. divisa.

AUTHORE

ROBERTO FLUD aliàs de FLUCTIBUS
Armigero & in Medicina Doctore Oxoniensi.







TRACTATUS PRIMI,
SECTIONIS II.
P O R T I O I.

De mentis humanæ scientia, hoc est, de vaticinio, & Prophetis seu hominibus spiritu divino afflatis, in libros tres distributa.





PROOEMIUM.



*I*n hujus Tomi secundi Tractatus primi sectione prima, Microcosmi naturam tam internam, quam externam luculenter & aperte satis explicuimus: Hic tamen in sectione præallegati Tractatus secunda, diutius adhuc Microcosmi dispositioni, quamvis non eodem modo, quo supra, insistemus. Nam in superioribus, circa hominis, tam interni quam externi, creationem & generationem versati fuimus, verum in hac sectione de scientiis nonnullis, ad quamlibet hominis seu Microcosmi, extra sanitatis limites non aberrantis, regionem pertinentibus agemus, quæ tam ad interni hominis exaltationem atque explicationem, seu occultæ naturæ revelationem, quam ad symmetricam ejus externi explicationem conducunt. Hinc ergo est quod de vaticinatione tractare nobis proposuimus, eo quod per hoc Deidolum, divina inspiratione & afflatu refertissimum, mens humana tenebris quasi obruta mirum in modum illuminatur, hominemque cum mortalibus rem agere, aut in rebus mundanis versari prohibet quatenus animæ compositionem ad superiora secum rapit, eamque circa res merè divinas intentam facit: Similiter diutius adhuc in cælo Empyreo Microcosmi morando, de Geomantia quoque sermones nonnullos præse faciemus, & quod ea sit animæ rationalis scientia in justo ejusdem moderamine consistens probare tentabimus. Denique de arte memoriali leviter sed efficaciter discurremus, cujus cognitione exacta declarabimus, ipsam hominis incolumis memoriã, ut cuiusque fortem aut debilem facillimè sed & citissime corrigi & emendari posse. Deinde in hominem profundius & magis deorsum descendendo, atque ejus naturam cum stellis comparando percipiemus, quod illius complexio, & vitalis ac naturalis animæ dispositio, etiam à nativitate ejus mirabiliter inclinatur ad astrorum influentias, & quod motus cælestis, hoc est, cælorum, in puncto geneos ejus dispositio totam hominis naturam sese cum raperet, nisi eam profundius & efficacius gubernaret mentis divinæ portio, cujus potestas, fortitudo & divinitas eam exaltavit super stellas, communicando ei, si modo sapere & parere velit, donum illud, ut astris dominetur. De
Genechlia-

Genethliologia ergo quarto loco verba faciemus, similiterque de physiognomia & Chiromantia, quae sunt veterū Chaldaeorum scientiae ex astrorum facultatib. & influentiis dependentes, & naturam ac inclinationem hominum explicare dicuntur. Atque ita triplicem Macrocosmi gradum tribus Microcosmi regionibus conferendo vim unius in alterum, tam ratione technica in hac sectione declarabimus, quàm in sectione praecedenti eã relatione physica deduximus, eaq; ratione affatim demonstrabimus, quod secundum mundi majoris, tribus primis creationis diebus pr oducti, exemplar & similitudinem mundi Dedaëus conditor graphicè & ad amussim expresserit ac descripserit hunc nostrū mundū minorem, sexta creationis die faberrimè numero, mensura & pondere formatum. Prophetiam igitur seu vaticinationem menti, Geomantiã atque etiam memoriae localis scientiam animæ rationali, Genethliologiam animæ vitali, Physiognomiam & Chiromantiam facultati partim vitali & partim animali attribuimus, atque ita de his in praesenti sectione breviter, at luculenter, divina assistente gratia, agere constituimus.



L I B E R I.

De vaticinio seu prophetia in genere.

C A P. I.

*De Vaticinii seu Prophetiæ definitione, & de varia philosophorum
veterum circa ejus ortum & originem
opinionem.*



Uamvis in Sectione hujus Tractatus præcedente, de occulta & mystica prophetiæ virtute luculenter, licet succinctè, locuti sumus, videlicet de ejus ortu, divinitate, operatione ac effectu, & quomodò spiritus divinus in hominem illapsus animam ejus regat & gubernet, nec tamen secundùm *Jamblici* sententiã funditus privet, dum adest, animam humanã motu naturaliter ei insito; non magis scilicet, quàm radii solares extinguunt candelam accensam ipsis expositam (nam quamvis excellentia unius obscurare videatur splendorem & gloriam alterius, non tamen candela perdit per hoc ipsum suum motum, flammam, aut urendi facultatem) Hic tamen de dono isto, solis hominibus divinitus concessò, latiorẽ sermonem habere & instituere non alienum à re existimavimus, quatenus hic est summus, utilissimus & thesauris divinis refertissimus hospes, qui unquam ad diversorium humanum accedere potuisset, cùm non solum delectare videatur corpus humanum, sed etiam animam regenerare, & ad superiora vehere, adeoque ipsam quoque mentem sua societate & præsentia beare, & lætitia ac gaudio inexplicabili eam perfundere. Denique, ut paucis multa comprehendam, totum hominem modo ineffabili secum rapit, atque illum à mortalibus quasi separans, immortalibus similem reddit. Atque hoc pro secreto teneas, *Lector*, quòd super cœlestis spiritus radii non soleant descendere & influere in animam humanam, si ea in alio sit intentioni studio occupata, sed in illos solummodò homines cadunt hi Dei afflatus, qui mundanorum cogitationes sincerè deposuerunt, & quorum anima in hoc mundo vacare videtur, & quasi in extasi manet, hinc dicit *Jamblicus*: *Passio non cadit in sacerdotem vel in divinantem, quando divinitus inspiratur, multo minus in numina que non illabuntur in animos, nisi passione vacuos* nam, ut videmus in magnete & ferro, quòd, nisi attractiva quædam virtus esset in magnete & proprietas itidem aptissima in ferro, ut attraheretur, nunquam vel magnes appeteret ferrum sibi attrahere, vel ferrum etiam ad magnetem alliceretur, ita quidem ut certum sit in magnete occultatam esse vim quandam vehementer appetentem sibi attrahere suum simile in ferrea natura, atque è converso quoque in ferro abditam esse vim

vim pronam ad adeundum suum simile, quatenus instinctu naturali similia similibus gaudere observantur: Sic etiam vis illa summa in homine interno, quæ mēs nuncupatur, cum sit de eodem fonte, eademque patria cum Spiritu divino Prophetis immisso, intensissima mentis & animæ mediæ, menti quasi colligatæ & conglutinatæ, unione, rebusque externis ad centrum suæ naturæ collectis mirabilia præstare & ingentia perficere, imò verò ab ipso Deo Spiritus sibi paris abundantiam deorsum attrahere potest, cujus conjunctione cum mente anima redditur naturæ Angelorum haud dissimilis, ita ut futura prælagire, miracula edere, cum ipsis Angelis familiaritatem habere, & infinita alia mirabilia præstare possit: at si animæ vires & radii à centro extracti sint, & circa materiæ multitudinem occupati, non minùs debilitabitur animæ potestas in suo robore quàm sagittæ, quæ simul junctæ seu colligatæ & unitæ haud franguntur, dissolutæ verò facillimè comminuuntur: Sic enim & anima, quò magis res mundanas speculatur, eò debilior fit ejus virtus in attrahendo dona supercœlestia. Unde necesse est, ut ad centrum & quasi punctum se colligat. Sed, ut ad propcfitum nostrum accedamus dicimus: *Vaticinium esse donum vel habitum quendam, quo perciti homines & rerum causas cernunt, & futura prævident*, quod quidem, ut nonnulli volunt, fit, cum vel Dei spiritus vel Dæmonis alicujus descendit in illorum animos, hos autem *descensus* vocant *Platonici Deorum in animos hominum illapsiones*, cui *Platoniorum* opinioni astipulari videtur *Propheta Esaias* his verbis: *Annunciate nobis, quæ futura sunt. & dicemus, quia Dii estis vos.* Oritur tamen inter veteres circa hanc rem discrepantia haud minima, cum nonnulli velint, Prophetiam solummodò fieri, per afflatum folius numinis Divini, & non Dæmonum. Unde *Cicero* Stoicorum sectator futurorum præscientiam Diis tantummodò competere affirmavit, & *Ptolomæus* Astrologiæ peritissimus solo numine afflatus, & non Dæmonum virtute instigatus, particularia prædicere voluit. Horum etiam assertiones confirmare videtur *Divus Petrus*, inquiens: *Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt homines sancti.* *Jamblicus* dicit, quòd *vaticinium nec ab arte sit, nec natura, nec motibus animalium, nec ratione, sed sempiternum id esse vult ad nos divinitus missum, totamq; prælagii potestatem ad Deum referri narrat*: Unde vaticinationem videtur definire, quòd à Diis traditur, divinisq; operibus & signis perficitur, quòd *spectacula quædam habet divina, & contemplationes veræ scientiæ præditus*. quibus quidem verbis expressis etiam omnem oraculi, Augurii, Prophetiæ, & quarumcunque divinationis specierum auctoritatem in Diis consistere proficitur. Nonnulli alii secundùm definitionis supradictæ argumentum, Dæmones nonnunquam Prophetiæ causam esse volunt: Unde *Merc. Trismeg. Dæmonum sensuum sive animorum in animos hominum influxum, atque illapsionem esse prophetiæ originem*, confidenter & audacter pronuntiavit, atque hujusmodi Dæmones veteres *Eurideas & Pythonas* nuncupaverunt, quos in corpora humana ingredi, & eorum uti vocibus ac linguis in futurorum divinationibus solitos fuisse affatim nobis historiarum suarum monumentis reliquerunt. Nos autem in opinionem utriusque sectæ descendimus, & prophetiæ afflatum, tam immediatè à Deo, quàm ab aliquo Dæmone potestati divinæ subactò procedere posse credimus, atque multis tum ex historiographorum, tum ex sacrarum literarum testimonio rationibus,

opinionem hanc nostram statuminare, defendere
ac comprobare conabimur.

C A P. II.

*Quòd in potestate in primis Dei, & tum postea quoque
Dæmonum fit hominem communem in Prophetam
commutare.*

NON solùm ex multis sacrarum scripturarum locis elicimus, prophetiam immediatè ab ipso Deo, & nonnunquam etiam à Dæmonibus, tam bonis quàm malis profluere: sed etiam hoc idem fateri videntur Philosophi veteres; namque, si sacras literas diligenter inspexerimus, deprehendemus prophetiæ donum hominibus vitæ sanctæ à Deo immediatè & mediatè quoq; per Angelos concessum esse. Sic *Abraham* Propheta immediatè à Deo hunc afflatum accepit, & tamen etiam aliquando ei Dæmones boni seu Angeli & nuncii Dei apparebant, eumque de rebus futuris præmonebant; atque sic etiam *Isaac*, *Jacob*, *Joseph*, *Moyfes*, *Aaron*, *Balaam*, *Josua*, *Samuel*, *Saul*, *David*, & quàm plurimi alii, quippe quibus visiones sanctissimæ tam in vigiliis, quàm in somniis nonnunquam immediatè à Deo atque aliquando per Angelos apparere solebant. Imò & mulieribus concessum est hoc sacrosanctum munus tam mediatè quàm immediatè; ut *Maria* sorori *Aaronis* *Exod.* 15. *Debora*, *Judici* *Israëlis* *Jud.* 4. 4. *Chulda* 2. *Reg.* 22. &c. Et quamvis visio immediatè nonnunquam promanet ab Angelo, seu bono Dæmone, illa tamen visio est optima, quoniam mediatè à Deo procedit. Nam Angeli sunt nuncii *Jehovæ*, mandata ejus aut visione aperte in vigilia, aut ænigmaticè, tam in vigilia, quàm in somno Prophetis ejus annunciantes, ita ut hæc illapsionis species Deo attribuat. Sed dicitur hæc afflatus species mediata, quoniam est alia immediatè ab ipso *Jehova* in sanctorum animos immissa, cujus quidem mentionem facit. *Num.* 11. 2. his verbis *Tum descendens Jehova ex nube illa allocutus est eum seponens de illo spiritu. qui erat super eum indidit septuaginta illis viris senioribus, fuitq; ut cum resideret spiritus ille, tum prophetarent: similiter Moyfes accepit vim vaticinii sui immediatè à Jehova in rubo ei apparente, ut in Exodo habetur; ita quoque Spiritus Jehovæ immediatè irruisse dicitur in Saulem, ita ut cum cæteris Prophetis prophetaverit: Sic etiam Spiritus sanctus immediatè à Deo missus in Apostolos illapsus est, atq; sic in multis aliis. Ex quibus patet, quòd, utcunque vaticinandi ratio veniat ad hominem sive immediatè ab influxu Spiritus Dei, sive per apparitionem & visionem Angelorum, hoc omne beneficium profluit à Deo & secundùm Dei voluntatem, quoniam Angeli, tam sunt nuncii voluntatis Dei hominibus sanctis quàm Prophetæ seu sancti viri inspirati, sunt nuncii hominibus aliis, ut *Jud.* 2. 1. Id quod etiam inter Philosophos veteres confiteri videtur *Jamblicus* his verbis *Vis divina vaticinii origo existit, qua non est à corpore, neque animo corpori addito sed absolutis, id est, Angelis Deoque, qui sunt ubique, vel saltem vis ipsa, ubicunq; est aliquis Angelorum. Agnoscit nempe, quòd divinatio, sit ab ipso Deo, aut ab aliis Angelis divinitus à Deo missis, quorum etiam divinitas est ab ipso Deo: Nam, ut rei occultæ & effigies vera per se non videnda, in speculo videri nonnunquam solet, sit etiam Dei gloria, voluntas, benignitas & justitia in Angelis, tanquam in speculo, quandoque conspiciuntur; Unde à *Dionysio* Angeli dicuntur *Agalmata*; hoc est, clarissima specula lumen Dei suscipientia, in quibus Majestatis divinæ gloria cernitur, unde fit, ut nihil in eis videatur, nisi quod ipse Deus proponit & obijcit, non magis scilicet, quam speculum potest quicquam oculo representare, quod ei non offertur:**

offertur: Namque Angeli sunt solummodò divinarum impressionum capaces, nec quicquam hominibus referunt, præterquam, quod ipsis à Creatore commendatur: Inter hos etiam Prophetas, qui à Deo prophetiæ vim atque efficaciam, tam immediatè quàm mediatè acceperunt, apud veteres in sacris Bibliis haud allegati, nominantur, *Mercurius Trismegistus, Plato, Orpheus, Sibylla, Oracula Chaldaeorum, Cassandra Trojana, Merlinus Anglicus, Nostrodamus Gallicus vates, &c.* Nam *Mercurius Trismegistus serm. 1. Pim.* de verbo à mente profluente, quod Dei filium verbis aperus vocat, in *Asclepio*, & de Spiritu sive Deo ignis ab utroque procedente divinavit. *Augustinus* cum *Porphyrio* testatur, Platonicos tres in Deo personas posuisse, quarum primam universitatis Patrem, secundam Filium seu primam mentem, atque tertiam Spiritum sanctum esse vaticinati sunt. *Orpheus* etiam Filium vocavit *Palladem*, ex Jovis capite natam, hoc est, Patris sapientiam & altissimam Dei imaginem: *Sibylla* quoque mirum in modum veritatem mystici adventus Christi præfagiverunt, & divinitus de rebus consubstantialibus, scripta sua prodiderunt, eaque posteritati reliquerunt. de quibus inferius: *Merlini Anglici* prophetias & earum veritatem Anglici norunt & ostendunt monumenta: nec minùs etiam *Nostrodami Galli* prædictiones in hunc usque diem admirabiles mundo extant: *Apollonii* etiam *Tyanæi* & *Hierarchi*, sapientis Indiæ spiritu divino excitatorum laudes in futurorum prædictionibus brevitate causa hîc omitemus. Sed ex his audacter affirmamus, quòd hoc spiritu divino afflati, seu dono Prophetiæ inspirati homines, non solum apud nos Christianos delitescant & occultè degant, sed etiam in multis terræ angulis secreto & tacito modo vivant, mundo incogniti, & quasi sub alis Jehovæ, divina potestate stipati, secundum illud *Johan. 1. epist. 3. Mundus non novit filios Dei, quia filii Dei, non noverunt mundum*: Nam filii Dei habent hanc potestatem & prærogativam, ut percipiant lumen istud, quod in mundo est, & à quo mundus factus est, & quod tamen mundus non cognovit; secundum illud Evangelii *D. Johan. cap. 1. & 1. epist. Johan. 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus. propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum*: Nam non omnes, qui se Christianos esse, Deumque cognoscere dicunt, aut verè Christiani sunt, aut Deum ritè cognoscunt. Quare paucissimi, respectu multitudinis, sunt in mundo Christiani veri, & paucissimè in mundo seminantur veri Jehovæ cultores: Hinc *Divus Johannes 1. epist. 3. Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est, & in eo veritas non est, &c.* Quid autem sit mandatum Dei in sequentibus narrat; *Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfectà est. Qui dicit, se in Christo manere, debet ambulare sicut ipse ambulavit.* Hanc equidem Dei viam, in qua Christus ambulavit, ut cognoscere sibi liceret humiliter Propheta *David* precibus suis melodia ornatis à Deo contendit. Quare non facillè est ulli, nisi inspiratione divina exaltato, istam calcare semitam, siquidem cognitu illa tam est difficilis, ut Dei solummodò filiis notio ejus concedatur, & non aliis: Nam ratio adipiscendi Spiritum divinum à solo Deo hominibus pro voluntate & benignitate ejus aperitur. Illorum igitur insul-tas assertiones non satis aspernari, aut pro merito explodere possumus, qui Deum post Christi adventum sustulisse è mundo ajunt miracula & prophetias, dum tamen concedere coguntur, eundem illum Deum, tam hîc, illic, & ubique etiamnum esse, quàm fuit antea: Imò verò Christi fortitudo, potentia, & virtus vivifica hominibus & mundi creaturis ubique adest, licet invisibiliter: Et tamen illi, benignitatis atque misericordiæ ejus effectus, quam Scripturæ sacræ infinitam esse, & in æternum permanere affirmant, finitos, adeoque ipsum nostri oblitum esse volunt. Videmus eundem in mundo Solem creatum & visibilem esse, perpetuò officium suum expedire in inferiorum vivificatione & cor-


porum superiorum illuminatione; & tamen videntur illi arguere, quòd Sol & lux increata atque invisibilis, in benevola sua proprietate, creaturis desit ac deficiat: animam rerum vitalium quotannis cernimus à Sole accipere virtutis incrementum; & tamen illi mentem radiis divinis foveri aut illuminari conantur negare, atque ita regenerationis vim funditus, inscii & ignorantes, tollere presumunt. At verò scire velint istiusmodi farinae homines, quòd Deus etiam hic in terra nobis adsit, & miraculosum prophetiae donum oculis mundanis sapiculè objiciat, id quod porci timendo respiciat, & devitant, scientes verò respiciunt & gaudio perfusi adorant, imò verò liceat dicere, coelum in terris esse, atque terram in caelis, & hoc modo Dei numera ac benedictiones tam in terra esse, quàm in caelis, adeoque ipsum tandem Deum, ubique esse haud diffiteamur, & assidue bonitatem suam erga homines effundere & eligere vasa digniora, in quæ Spiritum suum vel parcius vel abundantius infundat. Sed ut ad rem nostram redeamus, sciendum est, quòd etiam ipsi Dæmones Lucifero adhærentes, & cum eo deorsum delapsi, ac pro Deo à nonnullis adorati nonnunquam vaticinii dono sacerdotes suos imbuant, uti ipsæ quoque testantur sacrae literæ: Nam *Molechus & Milcom Dii Ammonitarum*, 1. Reg. 11. 7. & *Cemoschus Deus* sive idolum *Moabitarum*, Num. 21. 29. & *Asteroth Deus Zidoniorum*, quem sequebatur *Salomon*, 1. Reg. 11. & *Bahalzebub Deus Hekronis*, 2. Reg. 2. & *Succoth benoth*, idola hominū *Babelis & Nergalis* hominum *Cuthi*, & *Aschima* hominum *Chamata & Nibchanis* atque *Tartakus Hateorum & Adrommelicus & Hanammelicus Dii Sepharvajimorum*, quibus igne filios suos comburebant, 2. Reg. 17 & *Dagon Pelisteorum*, Jud. 16. 23. Hi inquam, gentium Dii inferiores fuerunt Cacodæmones, quoniam nec à Deo nec ab Angelis provenerunt prophetiae & oracula per eos edita. Id quod etiam fateri videtur *Moyse*, Deut. 33. 17. proferendo de istarum gentium Diis hæc verba, *Demonibus sacrificaverunt & non Deo, Diis nimirum, quos non noverunt*, &c. Verisimile igitur est, omnes hosce gentium Deos habuisse suos sacerdotes, quibus in visionibus & somniis, nonnulla futura revelaverunt, & prodigia ediderunt: Nam legimus 1. Reg. 18. quòd *Bahal Zidoniorum* idola multos habuerint Prophetas, qui more suo de futuris divinare consueverint: Unde in Bibliis *Propheta Bahalis* appellantur: De hujusmodi etiam Prophetis loquitur Jehova ad *Moysem*, legem contra eos ferens, Deut. 13. *Cum surgens in medio tui propheta, aut somnians somnium ediderit tibi signum aut prodigium, (quamvis eveniat signum aut prodigium, quod prædixerat tibi) dicendo, sequamur Deos alienos, &c. Propheta iste, aut somnians somnium plectitur morte, quia suasit apostasiam contra Jehovam Deum tuum*. Ex quibus liquet, quòd etiam Propheta spurius & Cacodæmoni interserviens verum prodigium & signum prælagire queat, sola illa potestate, quam Lucifer & Angeli ejus à Deo è caelis furcibus & more proditorio abstulerunt. Sic *Prometheus* dicitur in monte *Caucaso* præacutis vulturis rapidi unguibus, & adunco ejus rostro cruciari, quoniam ignem è caelis clanculum diripuit, cujus virtute, miracula his in terris contra Jovis Majestatem tentavit: sed talis prophetia impotens ut plurimum est, atque incerta propter debilitatem virtutis lucidæ, quam Diabolus in se habet, ita ut, ubi Dei præsentia se offert, aut spiritus divinus adest, ibi isti Dii, impotentia gravati, respectu fortitudinis divinæ contra Deum ejusque Spiritum invictum durare ne quidem ad momentum possint. Hinc igitur eveniebat, ut idolum sive Deus *Pelisteorum Dagon*, juxta arcam Jehovæ Dei fortis collocatus subsistere non posset, sed in terram prona facie coram arca Jehovæ dejiceretur, atque ita capite & ambabus manibus in limine abscissis compelleretur, summum Deum Deorum colere, & coacto cultu venerari, 1. Reg. 5. Sic etiam *Propheta Bahalis* haud dubiè potuerunt ex permissione divina edere signa & miracula atque prodigia: Atqui Deus Jehova, vires consuetas Bahalis sua virtu-

te ineffabili cohibens, atque comprimens, ut suam potestatem Bahale eminentiorem esse publicè populo suo ostenderet, Prophetas istos Bahalis omni iui numinis præsidio destitutos reliquit, ita quidem, ut, quamvis ipsi more suo clamarent voce magna & cultris ac lanceolis se juxta ritum usque ad copiosum sanguinem inciderent, Bahal tamen, Deus ipsorum, ne pedem quidem aut digitum in Prophetarum suorum auxilium movere possent, adeoque virtute unius veri Prophetæ Jehovæ, videlicet *Elia*, superati fuerunt quadringenti & quinquaginta Prophetæ Bahalis & Prophetæ lucorum quadringenti, ut Israëlitis & universo mundo constaret, quot quantisque gradibus Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi sit cæteris gentium Diis præferendus. Præterea apud Ethnicos *Apollinis*, *Jovis*, *Dianæ* & omnia Chaldæorum oracula, Patrem, Filium & Spiritum sanctum quodammodò (siquidem *Jamblico* credendum est) confitentia, potest item suâ acceperunt ab immensa illa & æterna essentia, à cujus verbo & spiritu omnis fortitudo, vis atque effectus procedit, ita scilicet, uti etiam quandoque solet ipse Diabolus aliquid tentare sponte sua, & in Angelum lucis sese transformare, ut hac via homines decipiat, sed impiè hoc facit, virtuteque essentiæ ejus primæ à Jehova attributa gestit res etiam contra Jehovæ voluntatem agere; Unde pro arbitrio divino impeditur & cohibetur in actionibus suis per præsentiam potentiæ fortioris & rupis totius fortitudinis. Accidit etiam nonnunquam, ut Deus spiritum mendacem propriis suis Prophetis immittat, quò meliùs impios irretiat, & ad ruinam inopinatam eos adducat: Unde *1. Reg. 22 Tandem prodit quidam spiritus, qui consistens coram Jehova, dixit: Ero spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum.* Patet igitur, quòd vaticinii nostri definitio superius allegata non sit penitus rejicienda, sed quòd prophetia sit donum vel habitus quidam, quo concitantur hominum sanctorum animi vel à spiritu Dei, qui est prophetiæ omnis fons, origo & fortitudo, vel à Dæmonis boni afflatu, vel etiam denique Cacodæmonis inspiratione, ita quidem ut etiam hujus virtus originaliter sit à Jehova.

C A P. III.

Quot modis Prophetæ percipiant futura, & quomodo Prophetiæ visionem recipiant.

PROphetæ sive Vates futura multis atque variis rationibus præfagire solent, videlicet, aut immediatè percipi Spiritus sancti afflatu, hoc est, nexu atque unionem Spiritus Dei cum mente hominis prophetantis. Atque hæc præscientiæ species cæteris præferenda est, quippe quæ infallibilis, potens, divinissima atque omnibus aliis longè nobilior existit, vel boni Dæmonis cum animo humano connexionem, cujus virtute Prophetæ de rebus futuris divinare traditur: Imò verò & Angeli nonnunquam in corpora animalium irrationalium ingredi solebant, ut mandatum & voluntatem Dei personæ tertię annunciarent; sed & mali spiritus quandoque homines ex permissione divina ingredientem, de rebus futuris prognostica edere potuerunt: similiter etiam Prophetæ nonnulliè rebus mortuis spiritu quodam divino aut diabolico perfusis, quæ mundo & ventura erant præscire ac prædicere non dubitaverunt. Sed ut magis methodicè de prophetia agamus ejus integrum in unicam distinctionem hoc modo redigemus.



Sic immediatè alloquebatur Jehova Abrahamum Genes 17. v. 2. & Moysen Unde dicit Jehova Num. 12. 6. *In os alloquor eum, & ostendo non quidem anigmatibus, sed similitudinem Jehovæ intuetur: hinc dictū est, Deut. 34. 10. Prophetam Israël similes Moysi, non surrexit, ut quem cognovit Deus Jehova facie ad faciem, cæteris dilectis Dei intrinsecus afflavit Jehova Spiritum suum secundum illud Sapient: 9. 17. Spiritum suum sanctum mittit Deus è locis altissimis, ut det sapientiam hominibus, ut noscant consilia ejus, Imò quidem Spiritus nati Jehovæ flatu mirabilia operatur. 2. Samuel 22. 16. Sic dictum est. Num. 11. 17. De Spiritu suo seponit Jehova à Moysè, & ponit in 70. Seniores &c. Et Num. 14. 24. Spiritus meus fuit cum Caleb. & Num. 24. 1. Spiritus Jehovæ adfuit Balamo, quando benedicebat Israël per tribus suas. Et Josua 24. 9. Spiritu sapientie plenus erat Josua. filius Nunis, cū imposuisset Moyses manus suas ei: Et Jud. 3. 10. Cū Hothuieli insideret Spiritus Jehovæ cepit esse cum Samsone. Et 1. Samuel: 11. 6. Spiritu Jehovæ irruente super Saulem, dum audiret verba ista, accensa est ira ejus valde. &c. Et 2. Samuel. 23. Spiritus Jehovæ locutus est per Davidem, & sermo ejus factus est per linguam ejus, Et 2. Reg. 19. 7. Ecce ego indam ei Spiritum: Et 2. Chron 15. 1. Spiritus Dei incessit Hazariam Et 2. Chron. 20. 14. Spiritus Jehovæ incessit Jachacielem. &c. Et 2. Chron. 24. 20. Spiritu Dei indutus Zecaria, atque sic infinitorum aliorum usque ad Apostolos in sacris literis fit mentio; Namque revera non potest verus Propheta sine Spiritu Dei existere juxta illud 2. Chron 18. 23, *Quanam via transivit Spiritus Jehovæ à me, ut alloqueretur te?* Modus autem mediatu, quo Prophetiæ donum pervenit à Deo ad Vates: est aut mediante Angelo aut per visionem, virtute autè Angelorum dupliciter solet res Prophetis significari, videlicet vel interna eorum præsentia & unione cum anima Prophetæ: Nam facillimè se uniunt Angeli spiritui huma-*

humano, quatenus ipsi sunt spiritus, & quasi venti ipsius Dei, ut testatur David *Psal.* 104. 4. sic etiam in asino Bahalami ei loquebantur: quod autem Angeli Prophetis & sanctis aut electis sæpissimè extrinsecus apparuerint, iis inservierint, eosque de rebus futuris admonuerint, narrant infiniti sacrorum Bibliorum loci: Sic n. legimus, Angelum Dei *Abrahamo* sæpius apparuisse; similiter *Lotho*, *Gen.* 19. 2. Et *Agaræ* duabus vicibus, *Gen.* 21 17. Sic etiam Angeli Dei obviam facti sunt *Jacobo* in itinere ejus, *Genes.* 32. 1. Et alio tempore, Angelus in forma viri cum *Jacob* luctabatur *Genes.* 32. Et *Angelos de facie ad faciem vidit Jacob Genes.* 32 30. Porro etiam angelus *Jehovæ* apparuit *Moyssi* in flamma ignis è medio cujusdam rubi *Exod.* 3. 1. Et Angelus visus est præcedere castra *Israëliitarum*, *Exod.* 14. 19. scriptum etiam invenimus, *Angelum Jehovæ conspectum fuisse à Josuah* *Jos.* 6. 2. Sic etiam Angelus *Gedeonem* allocutus est sedens sub quercu, *Jud.* 6. 11: & signum ab eo editur *Ibid.* 18. Imò verò dictum est, *Gedeonem* vidisse Angelum *Jehovæ* de facie ad faciem *Jud.* 6. 22. Et Angelus *Jehovæ* obtulit sese uxori *Manoach*. *Jud.* 18. & 10 Similiter coram *Manoacho* miraculum præstitit *Ibid.* 13. 19 & Angelum vidit *David* percutientem populum, 2. *Samuelis* 24. 17. sic Angelus apparuit *Eliæ* in deserto. 1. *Reg.* 19. 5. Et quidem possemus quamplurima exempla alia, tam è veteri quam novo Testamento adducere, quibus edocemur, quòd Angeli *Jehovæ* per voluntatem ejus præmonuerint electos de rebus ipsis faciendis & eventuris, uti ex prædictis & aliis scripturarū locis facillimè colligitur: Sic *Maria* admonita est de partu suo divino per apparitionem Angelorum factam pastoribus, & *Josephus* de fuga sua in *Ægyptum*, & c. *Magi* etiam (non intelligo *Cacomagos* sed naturæ peritiores) ferunt unicuique Patriarcharum, Prophetarum, & cæterorum electorum peculiarem quendam Angelum quasi præstitutum fuisse à *Jehova*; Verbi gratiã: Tradunt *Adamum* familiaritatem & societatem habuisse cum Angelo *Raziele*; *Sem* filium *Noæ* cum *Jophiele*; *Abrahamum* cum *Zadkiele*; *Isaac* & *Jacob* cum *Peliele*; *Joseph*, *Josiam*, & *Danielem* cum *Gabriele*; *Moysem* cum *Melatron*; *Eliam* cum *Maliële*; *Tobiam* juniorem cum *Raphaële*; *Davidem* cum *Cerniele*; *Manne* cum *Phadaële*; *Cernez* cum *Cervele*; *Ezechiëlem* cum *Hasmaële*; *Esdram* cum *Uriële*; *Salomonem* cum *Michaële*. Hinc illi sermones *Josephi* pro filiis suis *Genes.* 48. 16. *Angelus ille, qui vendicat me ab omni malo, benedicat pueris istis*. Porro etiam certum est, quemlibet bono quodam Angelo, atque pariter quoque malo *Dæmone* à nativitate stipatum esse, eique clanculum & invisibiliter associatum: qui quidem *Dæmones* reperiuntur esse varii pro varietate constellationum in hora nativitatis, prout testatur *Jamblicus* in suis mysteriis, & *Proclus de anima* & *Dæmone*: De quibus etiam nos fusius atque luculentius in libello nostro de *Genethliatogia* disceptavimus. Sed & in somniis Angeli apparent, sic Angelū in somniis vidit *Joseph*. *Math.* 2. Vel futurorum prædictio fit præeunte visione aut infomnio: Sic in *Act.* *Apost. cap.* 11. 5. *Vidi, inquit Petrus, in excessu mentis mea visionem, descendens vas quoddam, velut linteum magnum, & c.* Talis fuit visio *Pharaonis* in somnio de futura fame, *Genes.* 41. Et visio ibidem *Nabuchodonosori* per somnium apparens, *Daniël.* 2. 4. Visio *Daniëlis* in somnio de quatuor bestiis, *Daniël.* 7. 1. Visio *Abimeleco* apparens in somno, qua *Deus* eum objurgat, *Gen.* 20. 3. Visionem autem in vigilia vidit *Daniël* de pugna inter *Arietem* & *Hircum*, *Dan.* 8. Et alibi, *Vidi ego Daniël solus visionem, & porro alii qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimis irruit in eos Daniël.* 10. 7. Similiter inquit *Ezechiël*: *Vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna & ignis involvens, & splendor in circuitu ejus, & c.* Atq; multa alia sunt Exempla de hujusmodi visionum speciebus in sacris Scripturis, quæ omnia hîc recensere tædiosum foret. Spiritus etiam malignus nonnunquam immediatè extrinsecus apparet in forma Angeli lucis, & quandoque prout est: sic enim ad *Christum* accessit *Math.* 4. Et ad *Saram* filiam *Raguëlis* sæpiculè veniebat

bat nocturno tempore strangulans sponfos ejus, uti ex historia Tobia accipi-
 mus: Hic etiam spiritus quandoque hominum interiora ingreditur, & se jungit
 cum spiritu humano, hujusmodi enim spiritu vexabatur *Saul*: In Evangelio quo-
 que legitur Dæmonem quorundam corpora possidentem, imò verò multas
 Dæmonum legiones unum hominem inhabitantes præsentia Christi fuisse eje-
 ctas; quippe qui etiam de novissimo Christi adventu expressis verbis ex obsesso
 fuerunt vaticinati dicendo, *Venisne ante tempus, ut nos crucies?* Deinde autem ex
 venia & data sibi à Christo licentia in porcos, relicto homine obsesso
 sunt ingressi. Fallit etiam atque deludit homines Cacodæmon, vanis somniis,
 aliisque consimilibus vanitatibus ac præstigiis eos occæcando. Cæterum Spi-
 ritus Propheticus, aliquando cernitur rebus mortuis inesse, ita ut exinde Pro-
 pheta seu sacerdotes futura rectè prædixerint, verbi gratià: Invenimus in sa-
 cris literis futurum statum Monarchicum Assyriorum, Medorum & Græcorum,
 characteribus in pariete apparentibus prædictum fuisse, videlicet **MENE**
MENE TEKEL, &c. *Daniël. 5. 25.* Virga Moysis in serpentem est conversa, *Exod.*
7. Virga Aaronis floruit & produxit germen, & emisit florem, & protulit amygd-
 dalas; serpentis ænei conspectus curavit ictus serpentum, *Num. 21. 8.* Lanæ velle-
 ris mador signum fuit Propheticum boni ominis, *Jud. 6. 37.* Altare fissum in cine-
 res conversum, *1. Reg. 13. 5.* Solis regressio, præsagium Hezechiæ de recuperanda
 valetudine. *2. Reg. 20. 11.* Mororum concussio certum victoriæ signum. *1. Chron. 14.*
15. Similiter legimus, quòd Prophetæ Elishæ adfuerit manus Jehoyæ cum pul-
 sare fidicen. *2. Reg. 13. 14.* Et Prophetarum turba descendit ex colle cum musica,
 atque ita prophetarunt, *1. Sam. 10.* Nam musica inferior exagitat superiorem &
 divinam harmoniam: Sed à Bibliorum sacrorum limitibus parumper disceda-
 mus: narrat *Jamblicus, Sibyllam Delphicam* duobus modis solitam fuisse Deum sus-
 cipere, videlicet vel per spiritum quendam tenuem igneumque, qui erumpe-
 bat ex ore cujusdam antri, vel sedendo in adyto super tripodem æneum, tradit-
 que fœminam quandam in *Brancis* fatidicam consuevisse in axe sedere, vel ma-
 nu virgam tenere ab aliquo Deo datam, vel pedes aut limbum tingere in aquâ,
 vel ex aqua quadam vaporem haurire, & his modis dicit eam spiritu divino fuisse
 impletam, & de futuris vaticinatam: *Sibyllas & Pythia* sacerdotes legimus in *Jo-
 vis & Apollinis* antris oracula suscipere solitos fuisse: Dicuntque historiographi
 in *Thracia* adytum sive speluncam fuisse *Liberi* sacram, ex quo vaticinia & ora-
 cula fuerint edita: Erat etiam fatidicus *Achaia* patris fonticulus ante *Cereris* tem-
 plum situs, ubi de ægrotorum successibus consulentes speculum tenui funiculo
 alligatum usque ad supremas fontis aquas sensim demittebant, peractisque
 nonnullis precibus & suffitibus rei ipsius eventus in speculo sese offerebat. Fer-
 tur etiam, quod non procul ab *Epidauro* *Laconia* civitate fuerit alta *palus Junoni*
sacra, ex qua, coniectis in eam frumentaceis placentulis responsa fuerunt data,
 prospera quidem, si undæ injectas placentulas placidè retinuerunt; adversa au-
 tem, si veluti aspernatæ illas rejecerunt. Sunt etiam infinita alia hujus subje-
 cti exempla, quæ brevitatis causa hoc loco præteribimus. Sed & fuit quædam
 quibus Diabolus seu Dæmon contra Deum rebellis spiritum suum fatidicum
 infundit, uti Gentilium idola. Atque fortasse etiam nonnullæ ex rebus præal-
 legatis talem virtutem tam ex afflatu Diaboli, quam Spiritu
 Dei acceperunt, cujus tamen virtus originalis
 fuit à Deo.

C A P. IV.

Quot modis Deus homines alloquatur?

IN primis sciendum est, quòd Deus diverso modo homines & mundum alloquatur; Deinde respiciendæ sunt personæ & res, per quas vel quibus median-
 tibus verba ejus intelliguntur. Quod autem ad divinam electionem attinet, sciendū est, Deum non loqui sicut loquitur homo, sed tanquā invisibile Deum & Spiritū, ita videlicet, ut verbum quidem audiamus, essentiam verò nō valeamus videre: loquitur autem lingua sancta, quam omnes homines sub cœlo intelligunt. Non est ille sicut homo formatus capite, auribus, oculis, naso, ore, aliisvè membris, sed tanquam invisibilis Spiritus, quem nemo unquam vidit, & cui similis nemo existit. Quo circa etiam non loquitur ille sicut homo, Angelicūvè spiritus, sed modo sacrosancto, tanquam purus & solus Deus. Sermo ejus est volūtas ejus: sunt Angeli in virtute verbi ejus; loquitur sicut fulgur & tonitru, sicut ignis & conflagratio: quis posset ad verbum ejus subsistere? *Verbum autem Jehova triplex esse denotât scripturæ: Unum est Verbum Dei Jesus Christus Salvator noster, qui in brevi hoc atque compendioso sermone describitur, In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt, que facta sunt &c. Johann 1. Deinde etiam verbum Dei est, quo regit & imperat, seu præcipit. sanat, miracula edit, & omnia hominibus enunciat: Tertio etiam vocatur & est verbum Dei hoc ipsum, quo instituitur & informatur populus ad regnum Dei: Atq; hæc omnia comprehenduntur in solo Domino Messia, per quem res omnes creatæ sunt, & per quem sanantur homines, sanctificantur & salvantur. Eloquitur autem Jehova mundo verba aut *immediate* ab essentia ejus procedentia, ut cū audita fuerunt verba ejus in monte Sinai ab Israëlitis non sine ineffabili & horrendo eorum stupore: vel *mediate*, & hoc quidem ratione multiplici: Nonnunquam enim ipse per suos Angelos loquitur & Archangelos; quandoque per Ur. m & Thummim *Exod. 29. 30. Levit. 8. 8. Num. 27. 21. Deut 33. 8. Jud 20. 12 &c.* aliquando per Patriarchas, Reges, Prophetas, Apostolos, & alios probos viros, uti testantur universa sacra Biblia unâ cum Novo Testamento; hominibusque illis loquitur, aut *per visiones, aut per somnia: per visiones* enim multum cum hominibus, & præsertim cum Prophetis, locutus est Deus, in quibus res quàm plurimas spirituales illis ostendit, quas ipsi ad mandatum ejus divinum populo rursus proposuerunt & publicè enunciaverunt: Unde Prophetæ dicti sunt *Videntes*, quasi voluntatem Dei in visione quadam videntes, ut *1. Reg. 9.* Similiter Deus locutus est cum Abrahamo atque etiam cum Salomone, Josepho, Samuele, & aliis Patriarchis ac Prophetis, *per somnia* ipsis futura indicans, ac docens eos, qua ratione vitam, & actiones suas piè deberent instituire, & de prosperitate aut adversitate futura alios præmonere.*

C A P. V.

*Quòd colloquio aut sermone Dei in continenti fiat Vates aut Propheta:
Et de veri Prophetæ qualitate, proprietate ac legibus, quas
egredi non potest.*

Non levis est res colloquiũ cum Deo, quoniã inde illuminatur homo interiũs & exteriũs ac in cõtinenti Propheta & Vates evadit, siquidẽ splendor sanctus, menti illius hominis adhærens, eum elevat supra fratres suos, atque ad tertium quasi cœlum illum exaltare videtur, ita ut secreta spiritualia mortalibus haud revelanda cernat. Hujus rei exemplum præstantissimum habemus in *Moyse*, qui ex multiplici colloquio cum Deo ea ratione etiam in exteriori facie illuminatus fuit, ut ferre vel intueri faciem ejus Israëlitę præfulgente splendore non potuerint, ita quidem, ut, quando loqui cum illis voluit, oportuerit eum faciei suæ pannum obducere. Et procul dubio primam viticinandi virtutem habuit *Moyſes* ab eo tempore, quo *Jehova* ei ex rubo in similitudine ignis apparuit, eumque allocutus est: Ex illa, inquam, allocutione seu colloquio cum Deo vim suam Propheticam accepit. Eodem quoque modo haud dubiè comparatum fuit cum *Adamo*, *Eua*, *Noã*, *Abrahamo*, & *Patriarchis* aliis, quibus cum Deus collocutus, ut nimirum fuerint ex colloquio illo divino interiũs & exteriũs illuminati, adeoque coram populo præ aliis splenduerint & filiis suis sint varicinati: Hinc est, quòd Deus ipse *Abrahamum* appellat *Prophetam*, *Genes.* 20. & sic quoque in aliis: Etenim, hæc illuminatio ex corpore hominis omnes morbos & infirmitates sustulit, atque interiũs etiam in anima ejus omnia peccata & delicta extinxit, consumpsit, & removit, siquidem splendor hic divinus non habitat in anima peccatrice; propterea, quòd sanctum nullum habet commercium cum eo quod nõ est sanctum. Ut igitur *Propheta* *Jehovæ* sit verè talis, & nõ *Pseudopropheta*, hæc proprietates, in eo requiruntur, videlicet; *Primò* ut spiritu Dei fruatur, sine quo *Propheta* esse non potest, ut *Num.* 11. 25. ostenditur. *Secundò*, ut Deus notum se ei faciat virtute sui Spiritus aut per visiones, aut per somnia, aut propriam suam similitudinem ei ostendat, quomodo se *Moyſi* revelavit, *Num.* 12. 6. Unde *Videns* dictus est in multis *Bibliorum* sacrorum locis, veluti *1. Sam.* 9. 9. & *19.* & *1. Chrõ.* 19. 29. & *2. Chrõ.* 12. 15. Et *10.* 7. *Tertiò*, ut nihil loquatur, nisi quod ei injunxit *Jehova*, *Num.* 22. 8. Nam verus *Propheta* non potest transgredi præceptum *Jehovæ* faciendo aliquid magnum vel parvum, ut *Num.* 22. 18. colligitur: & *Num.* 23. 1. Nam *Propheta* ori indit *Jehova* verbum, *Num.* 23. 9. Atque hinc eratur, quòd *Balaam* execrari non poterat, quòd *Jehova* non fuerat execratus, *Num.* 23. 12. Atque etiam ipse *Balaam* verba hujusmodi protulit, quibus prædicta confirmantur: *Ecce, veni ad te jam possumne ullo pacto aliquid loqui? illud ipsum verbum, quod indiderat Jehova ori meo loquar*, *Num.* 23. 1. *Quartò*, ut sit vir apertis atque detectis oculis, vel discoopertos habens oculos, videns visionẽ *Omnipotentis*; Unde *Num.* 28. 3. dictum *Balami filii Behhoris* dictum *viri aperti oculis*. *Quintò*, ut sit auditor sermonum Dei fortis, & ut cognoscat notionem *Excelsi*, ac videat visionem *Omnipotentis* excidens, sed re detectus oculis juxta illud *Num.* 24. 16. *Dictum audientis sermones Dei fortis & noscentis notionem Excelsi qui visionem Omnipotentis videt excidens, sed re detectus oculis*. *Sextò*, ut ejus verba seu *Prophetiæ* semper sint veræ, & nunquam fallæ: Nam hæc est differentia inter illum

& Pseudopropheta, ut apparet, *Deut.* 18. 21. *Septimò*, ut non præsumat eloqui in nomine Dei, quod ipse eum loqui non iussit, & ne loquatur in nomine Deorum aliorum, secundùm illud, *Deut.* 18. 21. Nam qui vero Dei Spiritu præditus est, alienos Deos agnoscere non potest: tam potens & sublimis est Jehova super alios Deos, qui sunt creaturæ & opera manuum ipsius. Omnes enim Dæmones & Angeli creati sunt à Jehova solo rerum creatore. *Nonò*, ut sit nuncius corporeus mandatorum & voluntatis Jehovæ Dei sui, cujus Spiritu imbuitur, ut *Jud.* 21. 4. reperimus. *Decimò*, ut tam videat res futuras, quàm præsentis, verbi gratiâ, *1. Sam.* 9. 9. & 14. 18. & *1. Reg.* 20. 20. Hinc ergo inquit Balaam, *Num.* 24. 17. *Video illud, non tamen nunc, contemplor illud, sed non propinquum.* *Undecimò*, ut sit unctus, *1. Reg.* 19. 16. *1. Sam.* 10. 1. Unde Prophetæ dicuntur, *Uncti Dei* non minùs, quàm Reges. *Duodecimò*, ut semper stet ante Deum, *2. Reg.* 3. Similiter multæ aliæ sunt Prophetæ leges, quas omnes hoc loco recitare longum nimis, & fortasse etiam tædiosum foret.

c

T R A





TRACTATUS PRIMI. SECTIONIS II.

PARTIS I.

LIBER II.

De Prophetiæ ac Vaticinii speciebus in genere.


C A P. I.

De variis vaticinii differentiis secundum veteres.



Porphyrus duos afflatus divinos tetigisse fertur, quorum unus plerumque vel cōmuniter in somno fieri dicitur, alter in vigilia, ubi afflati & perciti præfagiunt ita vigilantes, ut etiam sensibus utantur: At verò *Jamblicus*, animos verè præfagientes percitosque, quamvis dormire videantur, non tamen reverà dormire defendit, atque etiã cū videtur vigilare, reverà eos vigilare inficiatur, dicendo præterea, hoc fieri, quoniã afflati more hominū nō utantur: Nos verò potiùs *Porphyrii* opinioni astipulantes, negamus, præsentiam Spiritus divini, prorsus tollere atque auferre humanorū sensuum usum; sed potiùs dicimus eam ita submergere horum effectum motu suo divino, ut non magis appareat, aut ipsi Prophetæ, aut astantibus, quàm flamma candelæ solaribus radiis exposita videtur. Sed, quoniam de his tusiùs in superioribus dilceptavimus, hoc loco ea omitemus: audacter tamen cum *Porphyrio* affirmantes, quòd prophetiæ affectus obviant iis, aut in somnio, aut in vigilia, prout somnium & vigilia sincerè à nobis atque sine omni exceptione æstimatur. Magis recentiores volunt vaticinii afflatum triplici modo fieri, videlicet, *aut in furore, aut in ecstasi, aut in somnio*: Quam quidem prophetiæ in suas species divisionem non penitus rejicimus, quatenus ad nostram sententiam propè accedit: Nos ergo doctrinam nostram ex hisce Bibliorum sacrorum verbis derivamus. *Prophetis Deus Jehova, aut per visionem seipsum notum facit, aut per somnium eos alloquitur: At non sic Moyses: nam in os alloquitur Jehova eum, & ostendit non quidem anigmatibus, cū is similitudinem Jehovæ intueatur, Num. 12. 6.* Ex hisce enim verbis colligimus, quòd prima Prophetiæ specie, cæteris excellentior sit revelatio illa, quæ immediate

diatè ab ore Dei procedit, qua Deus rem, prout est, detegit, & non ænigmaticè uti cæteris inferioris gradus Prophetis voluntatem suam aperire solet. Deinde etiam verba ista duas alias species, prima illa viliores arguere videntur, in quib. scilicet icon & immediata Dei imago non videtur, sed solūmodò *visio* rei volūtate divina propositæ offertur, vel per se, ut in visione *Danielus*, *Petri* Apostoli, &c. Sic etiam in tali visione visus fuit Jehova ab *Ezechiele*, *Exech. 1.* & Aut quous die rū à *Daniele*, *Daniel 7. 13* & tali etiam visione conspectus est Gabriel à *Daniele*, *Daniel 9. 21.* *Ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio*, &c. Visionem autem istam dividimus in ecstasim vel habitum corporis furibundum, eaque visionis species luculenter in Bibliis commonstratur: Ultimam verò vaticinii speciem appellamus *somnium*. Ex prædicto igitur Jehovæ sermone ad Aaronem & Mariam, cæterorum Philosophorum sapientiam includente, cum cæteris, quæ præcesserunt, conjuncto colligimus prophetiam seu vaticinium in membra, & particulas sequentes dividi ac subdividi.



C A P. II.

De prima & summa vaticinii specie.

Legitur in sacris literis, *Genes. 32. 30.* quòd *Jacobus Patriarcha* viderit *Angelos de facie ad faciem*, ac si hoc singulare quoddam & magnum visum fuerit eo tempore, quòd tantum gratiæ cuiquam inspiratò seu afflato ab afflatore concederet, ut liceret ei de facie ad faciem intueri Angelum Dei, & ita familiariter cum

eo colloqui, uti fecit Jacobus, *Genes.* 32. 1. & 23. Similiter dicitur, *Jud.* 6. 22. *Angelum Jehovæ vidit Gedeon de facie ad faciem*, sic quoque itidem Angelo Dei bis vel ter apparente Manoacho, & alloquente eum, ac miracula edente, legitur, *Jud.* 13. 21. & 22. *Tunc Manoach dixit ad uxorem suam: Omnino morituri sumus nam Deum vidimus.* Unde patet, quòd realis Angeli apparitio tum temporis non minus ferè fuerit miraculosa, quàm ipsius Dei in propria ejus essentia visio: adeoque constat exinde, quòd immediata Dei apparitio, hoc est, in propria ejus similitudine seu imagine alicui Prophetæ facta, fuerit habita pro re sanè rarissima & ineffabili benedictione: Et tamè intelligimus ex S. literis talem tantamq; gratiam Moyse præcipuè præ aliis Patriarchis ac Prophetis concessam fuisse: Nam *Num.* 12. 6. dicitur: *Prophetis Deus, aut per visionem, seipsum notum facit, aut per somnium: eos alloquitur; At non sic Moyses: Nam in os alloquitur Jehova eum, & ostendit non quidem enigmatibus, sed similitudinem Jehovæ intuetur.* Ex quibus colligere licet, quòd Moyses hoc Jehovæ favore cæteris omnibus non solum temporis, sed anteriorum quoque seculorum Prophetis præcellerit: Unde *Deut.* 34. 10. ita scriptum reperitur, *Propheta in Israël similis Moyse non surrexit ut quem cognoverit Deus Jehova facie ad faciem in omnibus signis & prodigiis, ad quæ facienda miserat eum Jehova in Aegyptum, &c. Etiam in omnibus operibus manus fortis, & omnibus operibus terribilibus maximis, quæ fecit Moyses ante oculos totius Israël: Et tamè ipse Jehova promittit: se suscitaturum Israëlitis alium Vatem Moyse similem, cujus ori indat verba sua, ut eloquatur eis quicquid præceperit ipsi: Deut.* 18. 8. Quod quidem de Mediatore venturo intelligi volunt commentarii, quamvis etiam *Elias* visionem procul dubio similitudinis Jehovæ in monte Horeb habuerit, ubi de facie quasi ad faciem etiam cum Deo loquebatur: *1. Reg.* 19. adeoque etiam virtute & præsentia Spiritus Dei ab illo tempore miracula ineffabilia & profanis vix credibilia perfecit, & ad culmen ac exitum felicem perduxit, uti in Scripturis sacris *1. & 2. Reg.* videre possumus. Ex his igitur intelligere possumus, qualis sit hæc nobilissima vaticini species, in qua non Angelus aliquis Dei mandatum in vigilia seu visione, aut somnio annunciat, neque Deus etiam more alieno ænigmatico, quali cæteros Prophetas allocutus est, mandata sua indicat; sed ipse Jehova, ipse Angelorum Imperator, ipse rerum author & revelator in sua persona, similitudine suæ essentiæ proxima haud tecta aut abscondita in hac specie Prophetam suum immediatè in os alloquitur, colloquutione sua immediata eum, tam externè, quàm interiùs illuminando (neque enim potuerunt ob hoc ipsum Israëlita faciem Moyse contueri) atque virtute hujus suæ illuminationis miracula stupenda producendo, uti in historia *Exod. Levit. Num. & Deuteron.* fusiùs illud explicatur.

C A P. III.

*De revelationibus, quas in vigilia perciti furore divino
viva voce effundunt.*

Qualis sit Prophetarum divino furore percitorum habitus in primis docetur luculenter. *1. Samuel.* 10. 5. *Eritq; ibi, cum ingressus fueris civitatem, ut occurras turba Prophetarum descendantium de illo excelsa cum nablio, & cum tympano, & tibia, qui prophetabunt:* Ex quibus constat, quòd eo tempore, quo exagitati fuerunt Prophetæ à Spiritu divino, non secundum morem vulgarium hominum, sed Spiritus mirabilis atque divini agitatione ac motu huc atque illuc sequendo
musicæ

musicæ sonum habitu furentium fuerint ducti: Id sanè, quod luculenter demonstratur, 1. Sam. 19. 20. 21. 22. 23. 24. *Misit Saul legatos ad capiendum Davidem. quorum vidit quisque congregationem Prophetarum prophetantium, & Samuèlem stantem, qui praeerat illis. Quapropter misit legatos Saulis Spiritus Dei, ut more prophetico agerent ipsi quoque. Quodcum nunciassent Sauli. misit legatos alios, qui more prophetico egerunt quoque, &c. Tunc ipse Saul abibat illuc, &c. Sed invasit eum quoque ipsum Spiritus Dei ita ut incontinenti pergens prophetico more ageret, usque dum perveniret Naiothas in Rama: ubi exuens etiam ipse vestes suas prophetico more agebat ipse quoque coram Samuèle: ita excidit nudatus tota die illa & tota nocte: Ideò dicere solent; An etiam Saul est inter Prophetas: Ex quibus liquet, istos Prophetas more furioso egisse, & exiit vestib. omnibus nudè choreas ducendo prophetica verba effudisse; Nec tamè credere vos velim, vera dementia aut furore (ita scilicet accepto hoc vocabulo, uti communiter apud homines usurpatur) Vates corripì aut possideri, sed ideò hanc vaticinii speciem *furorem* nuncupamus, quoniam totus homo propheticus virtute Spiritus divini contra naturalem corporis motum & sensum rapitur, ita ut cõmuni iudicio humano illud pro rabie habeatur, quod reverà nihil aliud est, quàm motus & habitus corporis animæ humanæ, & sensib. peregrinus ac alienus, qui reverà dicitur alienatio, quoniam Propheta tùm fit per Spiritus divini præsentiã, homo alienus, vel alius, quàm fuit antea, juxta illud, 1. Samuël. 10. 6. *Irruct super te Spiritus Jehova, ut Prophetes cum iis, & mutaberis in virum alium.* Et ibid. 9. *Et mutavit ei cor in aliud.* Magi autem hanc vaticinii speciem furibundam in quatuor species iterum subdividunt, quarum *priori*, philosophiæ peritus arcanum sphaerarum cœlestium vim, & quasi cujusque earum animam virtute quarundam rerum naturalium, hinc in terra inventarum, & eas respicientium, è cœlis sibi allicere solet atque attrahere, illam sphaeræ animam suæ animæ colligando & uniendo spiritum suum illuminat, redditque propheticum: Et quoniam hujusmodi spiritus sive animæ cœlestis attractio non fit de universo cœlo, sed de aliquo particulari ejus orbe seu sphaera, & verò sphaeræ cœli ætherei novem enumerantur, videlicet primum mobile, cœlum stellatum, & orbis septem planetarum, adeoque etiam, animæ harum sphaerarum novem Musis attribuuntur, ideò, inquam, nomen hujus speciei furoris divini Musis dedicatur; tot ergo reperiuntur vestigia seu gradus, quibus superiorum vires ad inferiorum animos allecantur, quot sunt in cœlo sphaeræ, quarum quidem *inferior est in luna* importans vegetabilia; Unde fit, ut hujusmodi animæ deorsum ad terram attractio facienda sit virtute magica alicujus vegetabilis, natura & dispositione propria ei convenientis, sive illud sit radix, sive fructus, sive arbor, sive herba; Imò verò hæc sphaera etiam lapides & metalla respicit, quatenus est in loco terræ cœlestis; unde maximam in terram elementarem habet potestatem. Modus autem operandi per hæc magica naturalia consistit in adligando vel suspendendo ea: Sic dicunt, quod ex vegetabilibus herba *Verbena* & *Theangelica* ad prophetiam conferant; ex lapidibus autem *Selenites* atque *Hyania*: Et hujusmodi alia ab *Alberto Magno* & cæteris Magis, qui de hisce rebus scripserunt fusiùs explicantur. *Secundus gradus* sursum ascendendo in sphaera *Mercurii*, quæ animalia respicit, & varias rerum naturalium mixtiones considerat, quibus poculenta & esculenta conficiuntur: Sic tradunt Magiæ professores, quòd si quis *cor talpa* recens palpitanisque devoret, ille animam hujus sphaeræ sibi attrahendo vim divina tricem sibi comparet, ita ut futurorum evenus præfagire queat, atque sic in cæteris. *Tertius gradus est in sphaera Veneris*, quæ pulveres, suffumigia, odores & unguenta respicit; Unde virtute illorum attrahitur ejus natura ad inferiora. *Quartus est in sphaera Solis*, cui referuntur verba, voces, & cantus symphoniaci, quorum suavi harmonia ejiciuntur & expelluntur ex anima tenebrarum discordia, adeoque*

ipsa anima hoc modo erigitur, & quasi statuminatur: Nā ferunt *Timotheum*, *Alexandrum* Regem Ionis in furorem excitasse: sic legimus in sacra Scriptura, *1. Sam. 10. Occurres turbae Prophetarum descendantium de illo colle excelsa cum nablio & cum tympano, & tibia, & cythara ante se, qui prophetabunt. Et 2. Reg. 13 15 Sed nunc affumentes adducite mihi fidicinem: Sic fuit cum pulsaret fidicen, ut adesset ei manus Jehova, &c.* Ex quibus constat, quod ipse *Elisha* etiam vir afflatu divino plenissimus usus sit harmonia, tanquam instrumento ad prophetiam valdè necessario. Sic etiam maligni Spiritus, *Saulem* possidentis, furor mitigatus fuit, & in leniorem naturam conversus per melodiam *Davidis*. Sed ut ad alias historias nunc tandem me conferam, apud *Aurelium Augustinum* scriptum invenimus, quòd sacerdos *Calamensis* solitus fuerit sese pro libitu querula quadam melodia evocare è corpore in raptum seu ecstasin, &c. & sic in cæteris. *Quintus gradus* hujus speciei, convenit *sphærae Martis*, in qua vehementes imaginationes & animi affectiones, ac motus comprehenduntur, quantas enim in corpore alterationes irascibilis animi affectus producere queat, docet nos experientia. *Sextus gradus* correspondet *Jovi*, in quo consistunt rationis discursus, deliberationes, consultationes, puritas in moralitate, justitia & religione, ingentem quæ admirationem non nunquam inducit, cujus stupore phantasia rapit hominem, eum quæ præter sensum & actiones naturales ducit: Unde fit, ut tunc mens quasi libera à mole sua ad cælorum vel numinum afflatus suscipiendos sese aptam reddat. *Septimus gradus* Saturno attribuitur, quia tenet secretiores intelligentiarum & tranquillæ mentis contemplationes: Unde mens, speculando liberior facta in sapientiæ aream ingrediendo, cum admiratione in ea, tanquam in æquilibrio suspensa, manet. *Octavus gradus* est in cælo octavo seu stellifero, qui cælestium corporum observatum, motum, radios & lumen: Hic etiam imaginibus, characteribus secundum magorum normam constructis operatur artifex, quibus miracula præstantur. *Nonus & ultimus gradus* respondet primo mobili, cujus virtute homo à rerum materialium consideratione ad rerum formalium & spiritualium contemplationem rapitur, siquidem hic gradus liberum hominis arbitrium voluntatis quasi rotis huc atque illuc vehit, hominem quæ ad divinam Dei & intelligentiarum contemplationem introducit, & animam humanam reddit aptam societati & familiaritati Spirituum supercælestium.

Secunda furoris divini species est illa, quæ mediantibus expiationibus & ritibus solennibus animam hominis mediam in mentem supremam ejus partem dirigit & exaltat, eam quæ facit quasi dignum & incontaminatum Dei templū, unde fit, ut tùm anima ista divina sapientiæ particeps, & quasi inebriata nectare supercælesti, impleatur Spiritu Prophetico. Sed hanc speciem, ad visionem atque auditionem referre possumus, eò, quòd hic furor nonnunquam contingere solet vel per claram visionem, vel per expressam vocem, uti ex sacris literis passim colligere licet: Tales etiam Prophetæ apud Ethnicos traduntur fuisse, *Bacchus Bæotiis, Epimenides Chœis & Sibylla Erithraa, &c.* Atque hanc speciem Magi veteres *Dionysio* dedicaverunt.

Tertiam furoris divini speciem fingunt veteres ab *Apolline* processisse, quem mundi mentem nuncupaverunt. Hic præeuntibus votis, mysteriis, adorationibus, aliisque sacris quibusdam artificiis, vel arcanis confectionibus, quibus spiritus Propheticus copiosè ab alto hauritur, facit animam Magi supra mentem suam assurgere, Angelis sive intelligentiis bonis eam conjungendo, vel potius, secundum nostram opinionem, animam in mentem elevando, & tàm animam, quàm mentem sursum ultra mundi materialis conspectum in mundum spiritualem sublimando atque attollendo: Sic legimus *Esdr. 14. 38. Et vox vocavit me dicens: Esdra, aperi os tuum & bibe, quo te potaverò: Et aperui os meum, & ecce calix*

*calix plenus porrigebatur mihi: Hoc erat plenum sicut aqua. color autem ejus igni similis; Et accepi & bibi, & in eo, quod biberam cor meum intellectu implebatur & in corpore meo crescebat sapientia: Similiter invenimus, Ezech. 3. Fili hominis quodcumque inveneris, comede: comede volumen illud, & vadens loquere ad filios Israel, &c. Et dixit; Venter tuus comedet, & viscera tua complebuntur volumine isto, quod ego do tibi: Et comedi illud & factum est in ore meo sicut mel dulce. Hoc igitur facto repletus fuit Propheta Spiritu sapientiæ & præparatus, ut loqueretur cum populo, & doceret eos mandata Dei. Referunt etiam historiographi fide digni (ut scilicet aliquântulum jam extra Bibliorum sacrorum limites vagemur) quòd rusticus quidam, in campis terram aratro fodiens invenit vas quoddam, aureum nobilissimo liquore impletum, quem cum ille rorem cœli esse existimaret, lavit eo faciem & bibit quoque; Unde protinus factum est, ut tùm bonitate animæ, & sapientiæ excellentia, tùm corporis pulchritudine renovaretur & exaltaretur, in tantùm quidem, ut è vestigio crearetur, & fieret è bubulco Regis Siciliæ bajulus; Id quidem quod accidit tempore Regis *Osti*, adeoque etiam literarum *Papalium* testimonio comprobatur. Atque hanc quoque furoris istius efficaciam confirmare videtur *Corn. Agrippa*, his verbis; *Est, inquit ille, ars quaedam, sed paucissimis cognita taliter informandi, exornandi & illustrandi fidelem & purum hominis animum, ut ex ignorantia tenebris repente ad sapientiæ & doctrinarum lumen evehatur; Est è contrario facultas, immundos atque incredulos reconditis quibusdam arcanis eodem sapientiæ & doctrinarum dono rursus exuendi & pristina suæ ignorantia restituendi.**

Ultimam denique furoris divini speciem à *Venere* procedere voluerunt Magi, dicuntque ipsam ferventissimo amoris affectu ipsius vatis animum in Dei quasi naturam convertere & transmutare, hoc est, Deo illum reddere simillimum: Id quod etiam agnoscere videtur *Mercurius Trismegistus* hisce verbis. *Magnum miraculum est homo, animal honorandum & adorandum: hic enim in naturam Dei transit, quæ ipse sit Deus. Hic Dæmonum genus novit, utpote qui cum iisdem ornatum se esse cognoscit, &c. Anima itaque virtute hujus furoris speciei ad Deum quasi elevata, adeoque etiam ipsi Deo similis effecta, ita à Deo formatur, ut supra omnem intellectum essentiali quodam divinitatis contactu omnia cognoscat. Atque hæc est ratio, quod Philosophi & Poëtæ subtiliorum ingeniorum finxerunt, *Cupidinem oculis destitui*, videlicet quoniam vehemens hic amor non solum vehit animam supra sensus rationem, sed etiam facit, ut ea ipsum intellectum transcendat, quatenus cum natura divina jungitur, hoc est, in ferventem *Seraphinorum orbem*, amore sacrosancto & zelo divino flagrantem, Dei que essentiali contiguum ascendendo penetrat: Nam hæc sphaera lumini, mentis & Spiritus sancti igneo amore coruscanti refertur: Quicumque ergo *Venereo* furore similis Deo factus est, ille vivit sola mente, & *Jovem* toto pectore capere dicitur: Hic anima humana à suis quasi vinculis jam immunis ad perfectionem essentiali suæ exaltatur, quæ quidem, qualis sit, nos docent *Hebræorum Cabalistsæ* in ea ipsa definitione, quam animæ attribuunt, quæ est talis: *Anima est lumen Dei & ad imaginem Verbi, cause causarum, primi exemplaris creata. Substantia Dei sigillo figurata, cujus character est Verbum æternum.* Ex quibus colligere licet,
quantus sit furoris divini effectus, & præsertim
furoris amatorii.*

C A P. IV.

De prophetia in vigilia ex revelatione vocali, hoc est, per auditum sermonem aliquem personæ sanctæ & spiritualis facta.

Accidit nonnunquam, ut Propheta seu afflatus, imò verò & alius furore divino minimè percitus, res tam futuras, quàm præsentis & præteritis intelligat per auditionem vocis personæ cujusdam sanctæ, aut visibili apparitione, aut invisibiliter verba prophetica enunciantis. Nam scriptum est in multis sacrarum literarum locis, Jehovam Moyse in similitudine & icone sua apparuisse, & quàm sæpissimè in osejus, non quidem ænigmaticè, sed reverà seu apertè locutus fuisse. *Num. 12. 6. Exod. 3. 3. & 4. 19. & 4. 24. & 16. 11. & 12. & 15. 21.* Imò quidem scribitur, *Exod. 19. 9.* quòd *Deus venerit ad Moysen in nube densa, & quòd totus populus audiverit vocem Jehovæ cum Moysen alloqueretur.* Nonnunquam Jehova cum Prophetis invisibiliter loquitur; Unde *Jud. 6. 25.* Nam fuerat ea ipsa nocte, ut diceret ei Jehova, *accipe juvenem adultiorem qui est patris tui, &c.* Et *1. Samuel. 15. 16.* *Desine, ut renunciem tibi, quòd locutus est Jehova hac nocte, &c.* Et *1. Chron. 17. 3.* *Fuit nocte illa, ut ederetur verbum Jehovæ ad Nathanem dicendo, abi, ut dicas ad Davidem, &c.* Sed quòd Jehova Prophetas alloquatur, ipso manente invisibili, testatur ille locus, *1. Sam. 3.* *Vocavit Jehova Samuelem qui dixit, ecce me: Samuel ergo accurrens ad Helim, dixit: Ecce me, vocasti enim me: Sed dixit, non vocavi, &c.* Iterum Jehova ulterius vocavit Samuelem, &c. Hinc igitur patet, quòd Jehova modo invisibili ut plurimum soleat alloqui Prophetas. Ex quàm plurimis etiam Bibliorum locis constat Angelos, tùm visibiliter apparentes, tùm etiam invisibiliter sine ulla apparitione allocutos fuisse tam afflatos seu inspiratos homines, quàm Spiritu istiusmodi extraordinario non donatos. Sic inter illos, qui divino Spiritu fuerunt præditi, habemus *Abrahamum, Jacobum, Danielem, &c.* Inter hos verò afflatu divino destitutos, *Agaram, Manoachum &c.* Atque hinc sciendum est, quòd audiatur vox personæ spiritualis non modo in vigilia, sed etiam in somnis: Unde *Gen. 15. 12.* *Fuerat Sole inclinante, ut sopor invaderet Abrahamum, &c.* *Dixit ergo Jehova Abrahamo, scito pro certo peregrinos fore posteros tuos in terra non sua, &c.* Similiter *Gen. 20. 1.* *Veniens Deus ad Abimelecum in somnio nocturno, dixit ei: Ecce tu illicò morieris &c.* Et *Gen. 31. 12.* *Fuit autem, quo tempore incallescunt pecudes, ut attollens oculos meos, viderim per somnium, &c.* Dicente enim ad me Angelo Dei per somnium: *Jacob, cum dixissem. Ecce me, dixit, attolle oculos & aspice, &c.* Atque ita in multis aliis locis: Verbi gratià; *Salomoni* apparebat Jehova in somnio, dixitque; *Pete quid daturus sim tibi, &c.* Sic *Josepho* Angelus apparebat, *Math. 2.* Nec certè vacua sunt hujusmodi narrationibus historiographorum scripta: quippe fertur, *Socratem* habuisse proprium suum *Damonem*, cum quo familiariter fuerit collocutus, & de futuris commonefactus: *Psellus* docet, quam linguam *Dæmones* imitentur, cum hominem alloquuntur. Imò quidem circa annum 1603. audivi quendam nobilem esse in *Gallia*, cui uti etiam prædecessoribus ejus, *Damon* quidam invisibiliter loquatur, & res futuras aperiat.

C A P. V.

De duplici visione in vigiliis.

Visionem illud vocamus, quod vel oculis corporis extrinsecus in vigiliis apparet, vel intrinsecus & quasi inspeculo a lumine ipsius Spiritus divini quo afflatus inspiratur, oculis spiritualibus, tam in somnio, quam in vigiliis conspicitur. Exempla quidem permulta reliquerunt nobis historiae, tam sacrae quam Ethnicorum de visione, tum Prophetarum, tum etiam nullo spiritu prophetico afflatorum extrinsecus in oculos apertos incurrente & apparente. Nam ut à Prophetis incipiamus, legimus Jehovam Moysi in sua similitudine & icone apparuisse, uti dictum est in nube interdum obscura, interdum etiam in columna ignis, & aliquando in forma ignis in rubo, &c. Sic Deus cum Jacobo in forma viri, luctabatur unde dixit Jacob; *Vidi Dominum de facie ad faciem. Genes. 32. 30.* Angeli etiam multis cum Patriarchis tum Prophetis saepissimè apparuerunt: Sic Angelus sese Agare & Manoacho ac uxorie jus, itidemque Josepho Mariae marito, & aliis, istiusmodi apparitione seu visione manifesta obtulit Sed & Eliphaz Jobi amicus narrat suam visionem hoc modo, *quae occurrerat ei in vigiliis apertis oculis, in horrore visionis nocturnae, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt. & cum spiritus me praesente transiret, inhorruerunt pili carnis meae; stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum. imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audiavi; Numquid homo Dei comparatione justificabitur; &c. Job 3. 13.* Ex quib. colligimus, quod visio ista iterum possit duplici modo accipi: videlicet vel per se sine colloctione, vel cum allocutione & sermone; Nā sine allocutione aut voce erat illa visio, quae Balthasari regi apparebat. *Dan. 5. 5. Eadē hora apparuerunt digiti quasi manus humanae scribentis è regione candelabri in superficie parietis aulae regiae, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis, &c.* Est tamē quaedam visionis species in vigilia magis interna & abdita, quae ex spiritu divino, mediante luce & splendore invisibili, tanquam in speculo politissimo oculis merè spiritualibus, percipitur. Atque haec visionis species est vel cum ecstasi vel sine ecstasi; cum ecstasi erat illa visio D. Pauli, qua rapiebatur in caelum tertium. ubi se mirabilia vidisse fatetur atque ineffabilia: Idemq; illa D. Johannis quam suā Apocalypsi explicavit: Namq; hi duo se raptos & ecstasi quasi captos fuisse, verbis etiam expressis agnoscere videntur: Similiter illa visio Ezechielis non multum ab ecstasi differre videtur, & vel etiam ecstasis fuit, *Ezech. I.* Visio autem sine ecstasi obtulit sese Stephano, mortem & hominum malignitatem expectanti, de qua Act. 7. ita scribitur. *Cum autem esset plenus Spiritu sancto aspiciens in caelum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à Dextris virtutis Dei, & ait, Ecce video caelos apertos, &c.* Sed & D. Petrus, *Act. II. 15.* optimè describit oculos & medium in quo & per quod hujusmodi objectum conspicitur; *Ego, inquit ille, eram in civitate Joppa orans, & vidi excessum mentis meae visionem, descendens vas quoddam, velut linteam magnum, &c.* Ubi per mentis excessum intelligit spiritum mentem illuminantem, & per consequens agnoscere videtur, quod oculi visionem illam intuentes fuerint spirituales: Sic etiam Micaihu dicit, *2. Chron. 18. 18. Vidi Jehovam sedentem in solio, & totum exercitum caelorum astantem à dextra & à sinistra, &c.* In spiritu ergo tanquam in speculo oculis spiritualibus perceperunt Prophetæ has visiones, adeoque, uti mihi quidem videtur, non fuerunt penitus in hisce visionibus suis ab ecstasi immunes: Porro est etiam adhuc alia visionis & auditionis species, qua tanquam in speculo potuerunt Prophetæ res in distitis locis factas videre, & visione explicare, adeoque et-

iam audire: Unde 2. Reg. 6. 9. ita legimus; *Mittebat vir Dei Elishah ad Regem Israël dicendo: cave, ne transeas per locum illum, nam ibi Syri insidiantur: Quare mittebat rex Israël ad locum, &c. Perturbato itaque animo regis Syria super re hac, &c. Quis, inquit, ex nostris ad regem Israël retulit? Cui unus è servis. Non Domine, mi Rex, sed Elisha Propheta ille, &c. indicat regi Israël verba illa, quæ loqueris in conclavi cubilis tui, &c. Imò etiam huiusmodi visione futura prævidentur juxta illud, 2. Chron. 20. 14. Tunc Jachazielem filium Zecaria incescit Spiritus Jehovæ, & dixit; Cras descendite versus eos; Ecce ascensuri sunt per collem Tzitri & invenietis eos in extremitate vallis in fronte deserti Jervelis, &c. His omnibus visionis speciebus & multis aliis perceperunt viri Dei res præsentis & futuras, ut præmonerent Israëlitas, & inducerent eos in viam veritatis, secundum illud 2. Reg. 17. 13. Cum obtestaretur Jehova Israëllem & Jehudam per omnes Prophetas cujuscunque visionis; Revertimini à viis vestris pessimis, &c. Sunt etiam multorum generum visiones, quæ Ethnicis apparere videbantur: sic enim scribitur, quòd *Curtio Rufo* inclinato jam die, spatianti in porticu, obtulerit sese humana quædam figura muliebris grandior & pulchrior, quæ futura ei prædixerit, ita ut etiam eventus dictis ejus responderit. Similiter fertur, quòd *Alexander Magnus*, cum adhuc esset in Macedonia, & incivitate *Dio*, secum deliberaret, quanam via aut consilio posset Asiam subjugare, viderit speciem seu spectrum quoddam, habitu sacerdotali ei oblatum, quòd jussit eum fortiter invadere Persas, &c. Historia etiã *Menippi* à *Philostrato* narrata indicat visiones nonnunquam esse præstigiolas; quali visione *Menippus* à *Lamia* tentatus esse fertur, sed virtute *Apollonii Tyanei*, tandem liberatus. Quòd autem ad apparitionem malorum Dæmonum attinet, *Suetonius* narrat de *C. Caligule* Imperatoris cadavere, in horto Lamiano non ritè sepulto (liquidem levitantum cespite relictum fuerat) quòd possessores horti multum nocturno impetu perturbati: donec à fororibus ab exilio reversis iterum exutum, & ritè sepultum fuerit: Sic etiam domum illam, in qua idem Imperator obiit, nullo remedio ab umbrarum seu Dæmonum spectris liberari potuisse quàm incendio, referunt historiæ: Sed recitare omnes historias illas, quas scripta nobis offerunt, veluti visionem *Bruti*, & id genus alias, infinitum quidem, adeoque etiam tædiosum foret. Porrò etiam legimus, quòd multi apud Ethnicos reperti sint, quibus evenerint raptus ecstasis: Namque à scriptoribus fide haud indignis traditur quòd *Hermes*, *Socrates*, *Xenocrates*, *Plato*, *Plotinus*, *Heraclitus*, *Pythagoras* & *Zoroaster* soliti fuerint raptu evocari. *Herodotus* etiam refert de *Asheo* Philotopho miræ sapientiæ, quòd ejus anima quandoque corpus exierit, ac post visa longinqua spatia rursus in corpus doctior facta, redierit. Sic *Olaus Magnus* scribit, quòd in *Finlandia* juxta *Norwegiam* sint quidam Magi, qui effusis prius nonnullis mussionibus magicis, in ecstasi statim concidant, adeò quidem, ut etiam animæ eorum integrum quandoque triduum corpora sua relinquunt, atque tùm demum revertantur multaque; mirabilia de partibus longinquis enarrant. Anima quoque; *Harmonis Clazomenii*, ut *Plinius* in sua historia asseverat, solita fuit relicto corpore vagari, & multa ac vera è longinquis locis nunciare: Sic legimus in veterib. *Gallicis Chronicis*, quòd rex quidam *Aureolana*, nomine *Götranus*, in venatione aliquando à venatoribus cæterisque; suis amicis ac servis digressus fuerit, atque ita, comitate eum solito modo unico servo, per desertum transierit; lassus itaque; conleat tandem sub arbore quadam, ubi somnum seu potius ecstasin, quæ à morte non multum differre solet, incidit: Ut verò servo suo adhuc vigilanti dormire visus est, ecce, animalculum quoddam ex ore ejus egressum est, forma vel effigie serpentis illius, qui lacerta dicitur: Quæ quidam bestia ad torrentem parvulum non procul inde distantem de properas huc atque; illic circa laticis corruentis seu profluentis ripam discurret, ac si anxie locum aliquem inquireret, per quem posset tuto amnem transire: servus itaque regis, hæc omnia videns, ense suo evaginato festinanter ad amnem seu rivulum accedit*

dit, & gladii extremitates utriusque ripæ in modum alicujus pontis imponit: quo facto, ecce, bestiola per gladium ita transversum, veluti per pontem quandam hilariter ad alterum rivuli latus sive marginem transivit, atque in foramen seu specum quandam sub pede cujusdam excelsi montis angustum est ingressum, in quo per horæ dimidiæ spatium manens tandem per idem speluncæ orificium rediit, ac per eandem viam, quam ante calcaverat, in regium suam habitaculum fuit reversum in os Regis vicissim, unde exierat, ingrediens: Exuscitatus itaque rex somno penitus discusso, vel potius ecstasi finitâ, narrat servo suo mirabile somnium, adeoque vivis quasi coloribus exprimit, & depingit ei visioni jam commemoratæ effigiem: Vidi, inquit, fluvium seu flumen amplum, cui instratus erat pons ferreus; visusque sum mihi per pontem illum transcundo ingredi in speluncam quandam sub pede montis, ubi thesauros ingentes patrum antiquorum conspiciebam. Quibus enarratis & per relationem vigilantis servi confirmatis, inquisitionem deinceps in loco ferreis instrumentis instituit, & magnam ibi auri ac argenti copiam, à multis annis ibi absconditam, adinvenit. Hoc certè est, illud quod Cicero, in libro suo de Divinatione, hisce verbis asseverat: *Nec aliquando animus hominis divinat, nisi cum ita solutus est, ut ei planè nihil sit cū corpore, aut certè parum. Cùm autem anima à suis vinculis quodammodo libera, pervenit ad illum statum, qui est supremus gradus contemplativæ perfectionis hoc est cum visibile cælum penetrando in invisibile illud rapitur; tunc quidem distrahitur ab omnibus sensibilibus & imaginariis speciebus, & intelligit non per species acquisitas, sed per inspectionem ad ideas, omniaque in idearum lumine cognoscit: Cujus quidè luminis Plato agnoscit paucissimos in hac vita homines participes fieri.* Ex hisce igitur luculenter demonstratur, quòd ecstasis sive raptus sit nihil aliud, quàm distractio, ab alienatio, liberatio pro tempore, & illuminatio animæ per præsentiam & unionem Spiritus divini à Deo inspirati, qua quidem ecstasi Deus animam à superis lapsam ad infera, rursus ab inferis ad supera retrahit, ut in raptu *D. Pauli* & *Johannis*: vel saltem anima à suis vinculis libera, ultra citraque per mundum aliquo tempore discurrit, juxta illam *Aegyptiorum* doctrinam; *Anima cùm sit lumen quoddam spirituale, quando à corpore est soluta omnem locum, & omne tempus comprehendit non secus atque lumen laterne inclusum, cùm ea aperitur, circumquaq, diffunditur:* Quibus etiam *Mer. Trismeg.* accedere videtur his verbis: *Quicumque hac Dei natura fulti sunt, pro mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cuncta complectuntur, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & si quid est præterea supra cælum, atque adeò se ipsos erigunt, ut ipsum quoque bonum intueantur, &c. Pimand. 4.* Sed missa ista faciendo ad somniorum divinorum explicationem perveniamus, cùm ea tertiam Prophetiæ seu Vaticinii speciem constituent.



TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

PARTIS I.


LIBER III.

De Somniis.

CAP. I.

De somniorum divinarum dispositione atque divisione.

Omnia prophetica & divina in eo differunt ab illis, quæ ex causis naturalibus proveniunt, quòd hæc ex spiritu phantastico & rationali seu intellectuali unitis oriuntur, illa verò per illustrationem mentis sive intellectus agentis inducuntur, hoc est, per Spiritus divinitus afflati unionem cum anima, qua homo illuminatus futura in somno videt: & quidem eò magis in somno, quoniam homine vigilante anima per sensuum vianditias à cœlesti contemplatione ad inferiora & sensibilia, hoc est, ab unitate ad particularium materialium multitudinem pertrahitur: At verò, quiescente sensu anima totam suam vim applicat menti & intellectui, ac per consequens circa veritatem magis est intenta. Proveniunt autem hæc somnia per meram revelationem, vel immediatè à Deo, vel etiam ab Angelo aliquo divinitus missio factam: Atque harum quidem apparitionum in somno passim & fusè Scripturæ sacræ mentionem faciunt, de quibus infra stylo copiosiori scribemus. Methodi autem melioris gratiâ integram somni naturam in distinctionem sequentem digessimus.



C A P. II.

De somnio supernaturali & vero.

PRopheta Daniel inquit cap. 2. 20. *Sit nomen Domini benedictum à seculo usque ad seculum, quia sapientia & fortitudo ei sunt; Et ipse mutat tempora & atates, transfert regna, atque constituit, dat sapientiam sapientibus & scientiam intelligentibus: isq; revelat profunda & abscondita, & novit, quæ in tenebris sunt constituta, & lux cum eo est. Et Daniel dixit regi Nabuchodonosori: Mysterium, quod interrogat rex, sapientes, Magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare regi, sed est Deus in cælo, revelans mysteria, qui indicabit tibi rex, quæ ventura sunt in novissimis temporibus.* Ex quibus colligimus, quòd necesse sit, ut revelatio veritatis à Jehova solo dimanet, & non ab alio, quoniam ipse est totius veritatis fons & origo. Unde consequens est, quòd somnia vera à solo Deo procedant, & proinde ea non insulsè nuncupavimus supernaturalia. Hinc etiam est, quòd Joseph servis Pharaonis, qui somniarant, ait, *annon Dei sunt interpretationes?* Gen. 40. 8. Et Regi Pharaoni somnii interpretationem petenti, à Josepho respondetur; *Non est penes me: Deus respondendo enunciabit prosperitatem Pharaonis, &c.* Gen. 41. 16. Dicitur igitur hujusmodi somnium verum, quoniam semper manet (ut verbum Dei) infallibile & certum; diciturque *supernaturale*, quoniam provenit aut immediatè ab ipso Jehova, Deo Opt. Max. aut mediatè per ipsius ordinationem, ab ejus nunciis, videlicet Angelis & Archangelis: A Jehova, inquam: Sic enim visio apparebat Abrahamo, qua Jehova immediatè ei apparens prædicebat futurum, ut posterius ejus essent peregrini in terra non sua, Gen 15. 12. Similiter Gen. 20. 2. scribitur, quòd *veniens Deus ad Abimelecum in somnio nocturno dixerit ei: Ecce tu illicò morieris, &c.* Sic etiam legitur 1. Reg 3. 5. *Gibbene*

apparuit Jehova Salomoni per somnium eadem nocte, dixitq; *Pete quid daturus sum tibi.* &c. Porro etiam alio tempore apparuit ei Jehova, & allocutus est eum juxta illud *1. Reg. 9. 2.* Imò verò omnes ferè Prophetæ in somniis verbum Jehovæ acceperunt, ut in ipsorum scriptis propheticis latius reperietis; sed ut plurimum Deus voluntatem suam & futurorum eventus *per nuncios seu Angelos* suos indicat: Nam in quodam libro, *de somniorum interpretatione, Salomoni attributo* legimus, quòd super somniis veris, quæ sunt prophetiæ membra præcipua, Angelus aliquis fit constitutus à Deo, quem ille facit præscire res omnes, quæ cuiquam homini eventuræ sunt, sive sint bonæ, sive malæ: Quisquis ergo sive Patriarcha sive Propheta, sive alius vir bonus, bonum somnium somniaverit, is quidem ab aliquo Angelo divinitus misso sive per visionem, sive per colloquutionem, sive per utramque simul illud accepit: Ipse autem Angelus reddit retributionem homini, si operatus est bonum animæ suæ coram Deo, eumque docet, ut malum illud fugiat, quod fortasse corde concepit, & ut præniteat ac resipiscat, atque ut hac Angeli boni admonitione bonum ei ac non malum eveniat. Hac itaque via per mediatam Dei & immediatam Angeli præmonitionem commonefactus sapiens solet adversa à se & ab aliis avertere. Porro etiam in eodem *Tractatu* legimus, quòd Angelus iste somniorum præses faciat, ut somniator percipiat futura secundum modum & dispositionem suæ naturæ & juxta ordinem excessus, & recessus temporis actorum. Concludimus igitur ex his, quòd verum somnium sit quasi verbum à Deo prolatum, quod ipse priùs Angelo ostendit, efficiens, ut ille sciat non modo somnium, sed etiam ejus expositionem & radicem, quam non solet Angelus transferre ad alium sensum, nec mutat de sua natura in aliam: sed sicuti res in sua natura eveniet, ita eam homini ostendit. Hujus rei exempla varia ex sacris literis adducemus: *Genes. 31. 10. Leva vi oculos meos, & vidi in somniis ascendentes mares super fæminas, &c. Dixitq; Angelus Dei ad me, Jacob leva oculos & vide universos masculos ascendentes super fæminas, varios, maculosos atque respersos, Vidi omnia, quæ tibi fecit Laban &c.* In quo somnio Angelus admonet Jacobum, quid sit faciendum: Et *Math. 2. 19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Josepho in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & vade in terram Israël: defuncti enim sunt qui querebant animam pueri, &c.* Similiter Angelus antea ei eodem capite 13 in somnio visus est, eum admonens, ut in Ægyptum fugeret. Porro etiam infinitos alios Bibliorum locos hîc allegare possemus, sed brevitatîs causa eos omittendos esse censemus. Sciendum autem est, quòd duo sint horum somniorum genera: quorum aliud est *speculativum*, & verè planeque significativum. prout res futura eveniet, quemadmodum in præmissis explicatum est; aliud verò *allegoricum* & ænigmaticum, quo per rem unam significatur res altera: Hoc modo perhibetur Deus esse allocutus Prophetas suos juxta illud, *Num. 12. 6. Prophetis Deus Jehova aut per visionem se ipsum notum facit, aut per somnium eos alloquitur: At non sic Moyses: nam in os alloquitur Jehova eum, & palam ostendit, non quidem ænigmatibus.* Sic etiam videmus, omnes ferè prophetias more ænigmatico Prophetis per somnia aut visiones esse commissas; Similiter videmus somnium illud Pharaonis ænigmaticum fuisse, & expositione Josephi eguisse, *Gen. 41. Duo etiam somnia Nabuchodonosoris regis parabolica & tecta Danielis, viri divini Spiritu afflatis opè & expositionem requirebant, Dan. 2. & 4.* Similiterque Danielis somnium *cap. 7.* expressum: *Videbam in visione mea noctu, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno, & quatuor bestia grandes ascendebant, &c.* Ænigmatica enim hæc erat de quatuor regnis seu Monarchiis in terra exurgentibus oratio; quod quidem ænigma Angelus explicavit: Sic etiam visio de *pugnante arietem & hircum, cap. 8.* atque sic in cæteris. Cæterum veteres dividunt somnium verum in quatuor species, quarum una est somnium matutinum, quod

fitinet somnum & vigiliam: Hujusmodi erat *somnium* illud *Samuelis*, i. *Sam.* 3. 4. in quo ipse inter somnum & vigiliam, audivit Jehovam vocantem, existimans eam esse vocem Elis, & quidem etiam tertia vice subalternatim: *Aliud somnium* est, quod quis videt de altero, quale erat *somnium Nathanis* Prophetæ de Davide i. *Chron.* 17. 3. Sic etiam in historiis Romanis legimus, quòd *Augusti Medicus* vitam domini sui in tempora languentis morbo præservaverit admonendo eum, ut in prælium die sequenti contra *M. Antonium* exiret, quòd nifecisset à Bruti & Cassii militibus, ejus tentoria invadentibus, cum reliquis inibi inventis fuisset trucidatus, ut *Valerius Maximus* testatur. *Tertia somnii species* est illa, cujus interpretatio ipsi somnatori per visionem nocturnam ostenditur: sic *Nabuchodonosoris* somnium, quod neque sapientes, neque magi, neque arioli, neque aruspices explicare potuerunt, Danieli per visionem de nocte est revelatum. *Dani.* 2. 19. *Quarta somnii verispecies* est, in qua idem, quod antea in somnio occurrit, iterum repetitur: Sic *postremum Pharaonis somnium* de septem Ipicis plenis atque formosis, & de septem aliis tenuibus & uredine percussis confirmabat prius somnium de septem bobus pulchris & crassis, & de septem aliis fœdis ac macie confectis. Nam utrumque somnium idem significabat, *Genes.* 41. Atque hîc circa somniorum judicium observare debemus, quòd, ubi somnium præcedens somnio alio sequenti confirmatur, ibi optimum existet veritatis indicium.

C A P. III.

De somniis naturali, diabolico & vano, quæ à Deo non sunt, & per consequens à veritate aberrant.

SOmnum, quod naturaliter fit, accidit duobus modis, videlicet vel cum somnians est in naturali sua dispositione, atque tùm solent in somnio occurrere ea, quæ acta aut facta, aut dicta fuerunt, atque ita quis de nocte videt in somnio ea, quæ die præcedenti fecit: Cujus ratio hæc est, quòd mens sollicita offert animæ cogitanda, & per imaginationem quandam realiter quasi videnda ea, quæ vel vidit, vel audivit, vel etiam proposuit sibi die præcedenti: vel accidit tale somnium, cum ille, qui dormit, præternaturaliter morbo afficitur, atque ita somniat nonnunquam de rebus, quas vehementer exoptavit, vel quas antea animo impressit. *Somnium etiam diabolicum*, quamvis inter metaphysica & supernaturalia numerari possit, attamen, quoniam interdum præstigiis contaminatur, & quandoque veritate mixtum est, ideò per se, & in sua natura illud hîc collocavimus: Sicitaque agit nonnunquam Diabolus in somno, ut fallacia & fraudulenta somnia excitet, quibus generi humano infidietur, & faciliùs imponat: etenim duplici modo per istiusmodi somnia homines illudere solet: aut scilicet insidiis desperationis aut voluptatis illecebris. *Ultimum somniorum genus vanum* dicitur & inane, in quo nihil ad Diaboli insidias vel ad rei futuræ veritatem spectans reperitur. Cæterùm hoc ipsum videtur somniantie mor adventitio contingere: solet enim hoc somnii genus vel in sanitate, vel in morbo accidere: *in sanitate*, nempe propter crapulam ex cibis & potionibus simul commixtis, & vapores sursum in caput mittentibus, qui varias meteororum species in phantasia effingentes, producant vanas imagines: *in morbo* autem propter validam specierum impressionem in phantasia, atque ita in somnio occurrunt res ille, quæ nec sunt, nec unquam

unquam fuerunt, ut in Melancholia & phrenitide affectis sæpissimè contingit. Similiter etiã intra sanitatis limites existens somniator ppter dominiũ alicujus ex quatuor humoribus naturalibus, res varias, sed inanes ac vanas in somnio videt. verbi gratiã, somniator *sanguineus*, de rebus rubicundis, aëriis, de epulis, musica, amore, festiuitate, atque iucunditate somniare solet, quia talis humor naturaliter inclinatur ad res illas; Similiter *biliosus* res flavas & ignitas, rixas, bellum, arma, contentiones, iracundiam & fervorem in somniis à sola talis humoris prædominatione videre solet; uti & *phlegmaticus* res albas cernit, & circa aquas, & res ad aquam pertinentes, ut naves, pisces, nautas, navigationem, & hujusmodi alia versatur, atque sic itidem *melancholia* nigredinem conspicit in somniis, & terribilia ac horrenda videt, visionumque tremendarum horrore percutitur, quæ quidem omnia nihil sunt aliud, quàm imaginationes & res merè inanes.

C A P. IV.

De præparatione somniatori veritatem somnianti necessaria.

	<i>Mentis rectificatio per preces & orationes.</i>						
	<i>Anima purgatio à pollutionibus & perturbationibus</i>	<table border="0"> <tr> <td rowspan="3">}</td> <td>Imaginationis.</td> </tr> <tr> <td>Sensuum.</td> </tr> <tr> <td>Carnis.</td> </tr> </table>	}	Imaginationis.	Sensuum.	Carnis.	
}	Imaginationis.						
	Sensuum.						
	Carnis.						
Ut somniator vera somnia videat, hæ proprietates requiruntur, videlicet	<i>Corporis somniatoris in dormiendo dispositio seu situs: cum alius procumbat</i>	<table border="0"> <tr> <td rowspan="4">}</td> <td>Supinus.</td> </tr> <tr> <td>In latus dextrum.</td> </tr> <tr> <td>In latus sinistrum.</td> </tr> <tr> <td>Pronus seu in ventrem & faciem.</td> </tr> </table>	}	Supinus.	In latus dextrum.	In latus sinistrum.	Pronus seu in ventrem & faciem.
		}		Supinus.			
In latus dextrum.							
In latus sinistrum.							
Pronus seu in ventrem & faciem.							
	<i>Cubiculi & exteriorum, circa somniatorem ad visionem divinam suscipiendam accommodatio.</i>						
	<i>Tempus magis proprium atque commodum, quo somniator somnia videat.</i>						

Abdala Arabs dicit, quod, cum quis videt somnium seu visionem in somnio, hac operatio à fortitudine imaginationis procedat. qua tunc fortior esse dicitur, cum intellectus radiis est illustrior, & à sensuum prestigiis liberior. At verò concludit, quod somnia vera intelligere sit à fortitudine mentis sive intellectus agentis: Ex quibus constat, quod si intellectus & ratio humana nimio carnis & sensuum commercio obruatur & sopiatur, aut spiritus imaginativus sive phantasticus, rudis atque impolitus relinquatur; tunc nequeat, recipere empyreos intellectus radios, imaginesque spirituum ejus ideales, aut quòd etiam, si illa recipiat planè tamen sit inutilis ad ea retinenda & percipienda. Quare necessarium est ei, qui vera somnia recipere percipereq; avet, ut imaginationem suam à maculis sensuum carnis & mundi immunem ac puram seruet, & diligenter caveat ac attendat, ne pertur-

perturbationibus aut negotiis mundanis eo tempore distrahatur, quo somnare cupit: huiusmodi, inquam, spiritus vaticinio aptissimus est censendus, quia magis rationi & intellectui adhæret, quàm sensui: Unde fit, ut hic spiritus sit omnium idolorum à rebus undique manantium speculum politissimum atque clarissimum. splendorem mentis & intellectus non aliter recipiens, quàm luminis visibilis & materialis capax erat, dum sensibus cohærebat: Hic, inquam, spiritus in sensibus & exterioribus occupatus, potest res percipere, quoad conspectum materiæ, ita ut præter aut ultra visibile objectum nihil conspiciere queat: at verò si circa spiritualia versetur, recipiendo essentiam radiorum invisibilium intellectus, res omnes intuebitur, nihilque in universo mundo ei occultabitur, si modò voluntati divinæ id consentiat. Cùm igitur aliquis ad veram per somnium divinationem se vult accingere, sit corpore & animo sanus nec gravatus cibo aut potu, neque etiam inopiâ aut tristitiâ laboret, & à vitiis Spiritui sancto infestissimis sit immunis, castè lectum petat, atque, ut verbo uno dicam, ab omni cogitatione noxia sit anima ejus pura, munda atque soluta: quibus præviis, Angelus mediante Spiritu, nobis veritatem denunciabit, & mens humana micantes ac refulgentes à mentibus supercœlestibus in se recipiet radios & effigies, quæ in phantasticum spiritum politum, tanquam in speculum divinum, visiones, quas in Spiritu divino cernit, efficaciter imprimet, ita ut istud speculum radiis divinis jam rectificatum atque illuminatum omni vulgari intellectus indagatione rationisque discursu longè certius, clarius atque efficacius sit res futuras sapienti somniatori præsentaturum, & ostensurum à Jehova somniorum verorum revelatione. Inprimis igitur ad tantam gratiam obtinendam necessarium est somniatori, ut *precibus & orationibus sese Deo commendet*: Nam ipsi quoque Philosophi videntur in eo consentire, quòd si quis ad somnum se componat sine precibus ardentibus, quibus sese Deo commendet, omninò inefficax ei sit somnium: quippe quod virtute orationis radii animæ facillimè ad cœlum spirituale penetrant, sine cujus spiritu & lumine res futuras spiritualiter cernere non possumus. Hinc, inquit *David, Psalm. 141. 2. statuatur oratio mea, ut suffitus coram te, elatio manuum mearum, ut munus vespertinum, &c.* Et *Proverb. 15. 8. Oratio rectorum accepta est Deo; Et iterum, Orationem iustorum exaudit Jehova*: Ibid. 19. Tàm efficacis enim est oratio, ut magnetica spiritus precantis virtute Spiritus divinus à superioribus ad inferiora attrahatur, & spiritui precantis uniatur; qua quidem unione Spiritus divinus vehit spiritum humanum in spiritum empyreum; in cuius medio tanquam in speculo politissimo, ubi nullum fictum vel mendacium invenitur, cuiusque rei veritas conspicitur. Hæc ergo via rectificabitur anima à sua forde sensuali & phantastica, ita ut ad cœlum veritatis, in quo veræ rerum ideæ cernuntur, licet radicaliter in corpore maneat, attolli & elevari queat: Sic etiam lumen candelæ radiis suis solet rem per multa miliaria distantem contingere, & ut candela, quò major est ejus flamma, vel quò majus elychnium ejus accensum, eò remotius per aërem medium penetrare cernitur, ita quoque similiter si splendor divinus flammæ in candela assimilatus, & spiritus cœli empyrei, elychnio comparatus, cum flamma & spiritu animæ jungatur, reddit animam humanam omnium rerum capacem, adeò quidem, ut etiam usque ad mundi peripheriam prospiciat, & ipsum Deum speculetur ac contempletur.



Quod autem attinet ad *dispositionem corporis* somniatoris, sciendum est, *quatuor esse dormiendi modos*: cum aliqui jaceant supini seu resupini, ut scilicet oculis & cordibus intenti à Creatore prophetiæ donum expectent: *Alii* inter dormiendum dextræ parti seu dextro lateri incumbunt ad laudandum creatorem suum & animalium universorum, & ut videant veritatem à Deo procedentem; Tali modo procumbere consueverunt Prophetæ & justi, quando somnare voluerunt: *Alii* insunt lateri sinistro, quando dormiunt, ut digeratur cibus & gaudio anima perfundatur, ut in *Tractatu Salomoni attributo* legimus: licet nos cum medicis in eo convenientes, statuamus meliorem digestionem majusque animo solatium conferri, si quis in dextrum, quam si in sinistrum latus dormiens inclinet; attamen hoc casu nonnunquam obveniunt somnia inania ex poculis & esculentis provenientia, quæ fallacia sunt inefficacia & vana: *Alii* denique proni seu facie ventreque deorsum positus, dormire solent: Atque tales *somniatores diabolici nuncupantur*, quia deorsum versus tenebrarum regionem prospiciendo Deum rectè contemplari, non possunt. Porro etiam jubent in magia peritissimi quique, ut *cubiculum quoque & externa somniatoris coaptentur*, quo ad visionis divinæ effectum, non modò internum suum, sed etiam externum accommodet; Volens ergo divina suscipere somnia sit corpore bene dispositus, & cerebro à vaporibus, animoque à perturbationibus & curis immunis, eoque die abstineat à coena, ne inebriari possit: Cubiculum etiam in quo quis somnare constituit, debet esse mundum, nitidum atque sacratum, in quo factò suffitu, unctisque temporibus & obvinctis, secundum Magorum institutionem, digitis somniorum annulis, suppositaque capiti cœlesti imagine & sacra charta, somniator, invocato sacris orationibus numine, lectum perat, intenta cogitatione & respectu habito ad rem, quam scire desiderat, sic enim verissima, & certa, somnia mentis spiritusque intellectualis illuminatione præeunte, videbit. Hæc est magorum veterum opinio, quamvis nos sacris Scripturis adhærendo, sine hisce magorum ceremoniis nos more Patriarcharum & Prophetarum Dei ad verorum somniorum mysteria pertingere posse putemus. *Tempus* denique magis ad hoc opus consentaneum est *nocturnum*, quando sensus à vagis objectis & erroribus diurnis, vanisque affectibus liberati sunt, nec metus animum pulsat: Hoc etiam multis sacrorum Bibliorum locis confirmatur; Sic dicitur, *Gen. 15. 12. Fuit autem condito jam Sole, cum caeca nox esset, ut ecce, furnus appareret fumans, &c.* Sic *Gen. 40. 5. Videbant ambo somnium nocte una, &c.* Sic *Jud. 7. 9. Eadem nocte dixit dominus ad eum: surge & descende ad castra, &c.* Atque ita in multis aliis. Unde percipitur, quod nox sit optimum & maximè commodum somniorum tempus; utpote, in quo Spiritus propheticus magis aptè & propriè agit in hominibus propter rationem & dispositionem rerum præallegatarum.

C A P . V .

De rebus sedulò considerandis post somnii aut visionis
apparitionem.

SI quis spiritu prophético non ornatus somnium somniaverit, ita ut necesse sit ei aliis illud ad explorandam veram ejus significationem revelare, hunc velim; ex consilio nonnullorum in somniis expertorum, *inprimis* istud observare,

re, ut *somnium suum aperiat doctus*, & in somniorum veritate expertis, aut quidam amico suo fideli & benevolo, qui, quod bonum est pro posse suo præfagiat: Caveat igitur, ne ulla ratione illud aperiat inimico suo, aut veritatis somniorum ignaro, aut mulieri impudenti seu invere cundæ: quia *certum, & multis exemplis comprobatum, quòd somnii eventus prima ejus expositioni solet respondere*: Narrat etiam somniator quidam, de muliere aliqua hitoriam hoc idem confirmantem, quippe dicit eiribus diversis vicibus, idem idemque somnium occurrisse: Hæc igitur primis duabus vicibus somniorum peritum adit, petens somnii sui expositionem & felicem experta est eventum; Tandem autem tertia & ultima vice aperuit somnium istud cuidam mulieri somniorum penitus imperitæ; & eventus confirmavit tum quoque mulieris illius ignaræ & de veritate somniorum malè informata, quæ contrario modo fuerat illud interpretata, quàm antea fecerat, harum rerum peritus: quocirca hæc ipsa, quæ somnium istud videbat, sperans adhuc futurum, ut melius quoddam omen audiret ex perito illo, quem duabus vicibus prioribus consuluerat, iteratò illum adit, ejus interpretationem petens; cui ille, *Heutibi mulieri, revelasti hoc alii priusquam mihi?* Fatetur illa se patefecisse cuidam mulieri, quam in itinere obviam habuerat: Quo audito, non possum, inquit ille, mutare interpretationem neque ejus effectum, &c. *Secundo notandum est, quòd somnii malitia possit virtute precum & orationum piarum averti*: Unde monent sapientes, ut, si quis videat in somno visionem, minus sibi placeantem, tum conjiciens aut convertens sese in aliud latus aut brachium, tribus vicibus ad sinistram expuat, & hunc in modum precetur. *Munio me cum Domino meo Jesu, cum Moyse & Abraham, ut malignitas somnii, quàm vidi in visione mea, mihi non noceat in lege mea nec in seculo meo, & in vita mea, non alius Deus præter te, Deus omnium cælestium, terrestrium & inferorum & Deus omnium creaturarum sapiens præteritorum, præsentium & futurorum, Munio me cum Deo glorioso & excelso cum quo muni verunt se Angeli & Propheta quatenus à malignitate, quàm vidi in somno meo, non accidit mihi aliquid mali*. Nota denique, quòd vix somnium ullum reperiatur, in quo non aliquid occurrat inane, sicuti videmus, quòd nullum sit frumentum sine paleis aut zizaniis. Id sanè, quod confirmat etiam ipsum somnium Josephi Patriarchæ, quippe quod explicans pater ejus Jacob inquit: *quid sibi vult somnium quod vidisti? Num ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram?* Etenim hoc ipsum in matre ejus, utpote quæ ante istius somnii effectum mortua fuit, finem & effectum non est consecutum.

C A P. VI.

Historie nonnullæ somniorum cum eorum expositionibus, tam ex Scripturis sacris, quàm ex aliis fide dignis auctoribus desumptæ.

HABEMUS historias & exempla quàm plurima, miraculosos somniorum verorum effectus comprobantia, tam in literis sacris, quàm in fide dignis historiographorum scriptis nobis proposita, quæ quidem, si rectè perpendimus, percipiemus, mirificam in vera somniorum cognitione scientiam & arcanum delitescere; ut igitur à sacris scripturis incipiamus, diligenter consideranda sunt hæc loca sequentia; videlicet *Somnium Josephi de dominio ejus super*
e 2 fratres

fratres, Genes. 37. 8. Somnium pincerna & pistoris Pharaonis, Genes. 40. 5. Jacobi de pecoribus, Genes. 31. 10. Labani cum apparitione Dei, Genes. 31. 24. Jacobi de scala, Genes. 28. 12. Pharaonis de vaccis, Genes. 41. 1. Aliud de spicis, ibid. 5. Abrahami illud, fuit, condito jam sole cum caeca nox esset, ut ecce fumus appareret fumans, &c. Genes. 15. 12. Samuelis, 1. Samuel. 3. 27. Salomonis, in quo sapientiam à Jehova obtinuit, 3. Reg. 3. Nathanis Prophetæ, 1. Chrō. 17. 3. Micahu, vidi Jehovã sedentẽ, &c. 2. Chron. 18. 18. Nabuchodonosoris, Daniel. 2. Gedeon: Eadem nocte dixit Dominus ad eum surge, Jud. 7. Daniel 2. 9. Josephi mariti Maria, Matth. 2. & alia permulta quæ hic recentere longum foret. Siceriam ex historiis vulgaribus percipimus quòd Hannibali Carthaginensi Angelus in specie infantis apparens prædixit futuram Italiae ruinam & quòd Alexãder Macedoniae Rex in somnio viderit, Cassandri manus sibi esse venenofas aclethales, prout etiam poculo venenato tandem fuit extinctus: Poëta Simonides cum humaniter & religiosè sepeliverat hominem quendam mortuum sine sepultura ejectum in portu maris, vidit sequenti nocte per somnium, illius sepulti spiritum, admonentem ipsum, ne die sequenti cum cæteris iter facturis navem conscenderet, futurum enim ut periculosum & lethale foret illius diei iter: Qua quidem spiritus prædictione perterritus Poëta illa die quævit, nec mari se committere voluit. Accidit igitur, ut deinceps eodem illo die navis ista, qua per mare iter facere Poëta die præcedente constituerat, cum omnibus, qui eam conscenderant tempestatis inclementiã & undarum violentiã submersa sit, & funditus perdita: Cræsus quoque in somnio prævidit filii sui Attis exitium & funera, nec potuit fatis ulla astutia aut solertia resistere: Sic somnium Astyagis præmonuit eum de nepote ex filia, autore futuro depositionis ejus in Regno: Alcibiades somniavit, se laciniis & amiculo seu palliolo a matricis seu amicæ coopertum esse, id sanè quod evenit etiam, sed longè aliter, quàm ipse speraverat: Nam à militibus Pharnabazi interfectus tandem per amicam suam charam palliastro ejus perhibetur obtectus: Attila fallus est se vidisse viros duos, manibus suis tenentes strictos gladios, & capiti suo super eminentes, ac minantes mortem, nisi parceret Leoni Pontifici: Dario Persarum Regi imminentium malorum divinatio duplici somnio fuit præsentata; Namque visa est ei phalanx Macedonica proprio igne depasci, & deinde per quietem vidit, ad se adduci Alexandrum eo habitu, quo ipse rex salutatus fuerat, & equo vectum per Babylonem, ac de repente cum ipso equo ex oculis suis subductum: Quæ equidem fuit divinatio præfagientis animi, unde postea etiam Persæ terra marique fuerunt victi. Infinita denique in mundo extant somniorum veridicorum exempla, quæ omnia impossibile est hoc loco adducere, quorum alia res directò & aperte, uti eveniunt, declarant, alia verò ænigmatico & parabolico modo accidentia futura præsentant, ita tamen, ut exitus & eventus eorum certissimè & ineffabiliter sequatur.




TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O II.

De animæ intellectualis scientia seu Geomantia hominibus appropriata, quorum radii intellectuales extrinsecus, hoc est, circa negotia mundana versantes, & à centro dissipati in centrum recolliguntur.

Libro unico comprehensa.





TRACTATUS PRIMUS.
SECTIONIS II.
PORTIO II.

De intellectus scientia seu Geomantia.

C A P. I.

Quòd scientia geomantica sit verus animæ intellectualis actus.



UAMVIS in technica Macrocosmi historia, de Geomantiæ proprietate, & de oriente ex ea divinatione locuti sumus, hic tamen de ejus essentia non in convenienter agi posse existimamus, & sanè, ipsam esse veram animæ humanæ scientiam, rationibus satis probabilibus aperte demonstrabimus: nam si hujus scientiæ originem consideraverimus, utiq; percipiemus, ipsam esse scientiam valdè occultam & internam: Unde fit, ut homines vulgares & sensuum vestigiis solummodò insistentes blaterare soleant, hanc artem esse duntaxat accidentalem, stultam & inanem, nec quicquam, virtutis in se habere, & quidem mirum id non erit sedulo & diligenter rem considerantibus, si sensibiles, imò verò imaginatione forti præditi homines hujus scientiæ arcanæ rationem capere, & oculis spiritualibus conspiciere aut percipere nequeant, cum etiam vulgaris rationis limites transeat ejus consideratio. Nam si conemur in hac scientia rationem reddere effectus, arduum profectò & difficile erit id opus, & tædiosus atque ærumnosus labor; Cujus quidem rei ratio est in promptu. Etenim quis, & vel inter plebejos etiam, non haberet illum pro stulto & vano, qui servum domini sui mandata exequentem, vellet de secreto domini consilio & intentione percontari, eaque ex servo illo cognoscere & explorare, siquidem ille protinus ita responderet; Rex vel Dominus meus solet hoc vel illud mandare; ita tamen, ut non itidem quoque rationem mandati sui executoribus seu ministris & servis aperiat & indicet. Sic affectum vita accipimus modo mirabilià superioribus, dum tamen de ejus fonte, vehiculo & ratione solent solummodò homines ab effectu per conjecturas ratiocinari, nihil verò certi scire aut habere: Sic etiam mens divina mirabiles in homine producit effectus & mirabiliter agit, dum tamen harum actionum rationem rectè cognoscere prohibet carnis atque tenebrarum obstaculum: Agit ergo mens in intellectum, & intellectus implet patienter actus sui regis, ac tamen delitescit causa principalis in mentis centro, hoc est, in verbo divino. Sic Dominus tradit pecunias servo suo, ut curet eas ad talem civitatem transportari: nec tamen intelligit servus, quid Dominus suus intendat tali pecunia facere, quoniam id
latet

latet in animo Domini: Tunc intellectus & ratio impellit imaginationem, ut ferat atque portet impressiones sui Regis, nempe mentis. Sic servus ponit pecunas domini sui in currum sive plaustrum, ut illud vehiculi loco interviat. Denique imaginatio hanc mentis voluntatem sensibus commendat, ut ipsi trahant ejus onera in mundum visibiles. Atque sic etiam equi solent trahere currum vel plaustrum in civitatem destinatam: Interim tamen ratio aut imaginatio aut sensus non magis intelligit intentionem mentis, quàm servus aut plaustrum, aut equi percipiunt secretam & occultam Domini sui voluntatem. Attamen melius potest ratio humana conjecturare, quàm imaginatio aut sensus, quemadmodum etiam servo quodammodò licet imaginari & conjecturâ assequi conceptionem domini sui, licet nihil certi habeat. Ex his igitur evidens est, quòd sicut Deum cognoscere non possumus, nisi à posteriori, ita quoque non licet mentem aut ejus actus rationem percipere aut intelligere, nisi ab effectu. Cæterùm ab effectu exploraverunt Artistæ scientiam illam esse veram & admirabilem quatenus per eam circa res futuras ac præsentis etiam & præteritas incognitas, admiranda divino more peregerunt. Exitus igitur solet rei perfectionem arguere. At verò si curiosius perquirendo stulti velint ad hujus actus centrum, hoc est, ad unitatem & ipsius mentis punctum penetrare, operam equidem & oleum perdent: quoniam ultra rationis & intellectus gradum existit, ad quem nemo unquam, nisi corporale exuat habitaculum pertingere potest: sufficit igitur, ut Monachum per habitum, & rem per suum effectum cognoscamus: Sic itaque divina est hæc sententia, quoniam divinare facit, Prophetiæ proxima, quoniam per eam mens, propria tua virtute præstat illud, licet debiliter, quod alias præstare solet (sed magis potenter & aperte propter multitudinem radiorum superiorum simul unitorum) unita & conjuncta cum mente divina: Et proinde, debito modo consideratis illis, videmus quòd mens humana sit de eadem essentia, cujus est mens divina, siquidem idem præstare solet in virtute minori, quod illa præstat in majori: Nam major vis majorem producit effectum, & per consequens etiam minor minorem. Mens ergo in homine per se sine radiorum divinorum additione, si modò præservetur à corporis & carnis nocentis, & tenebris non obfusceatur, aut sensuum illecebris non afficiatur, potest vim suam propheticam in effectum sensibilem effundere, atque mirabilia præstare, cujus quidem effectus rationem non magis possibile est reddere, quàm possibile est ipsius Prophetiæ rationem agnoscere.

C A P. II.

*Cur Geomantia habeatur apud ignaros pro scientia
absurda & ridicula.*

Solent ignorantes hanc animæ scientiam ideò absurdam & ridiculam aestimare, quoniam ex punctis ut plurimum, adventitio manus motu factis, eam effluere & provenire putant, adeoque per consequens nihil perfectionis, nihilque certi ex ea promanare dicunt: Sed possent etiam sapientes & docti, ac periti illis eodem modo respondere, nihil certi, aut constantis resolutionis esse in hominis mente, hanc vel illam rem exequi, aut hunc vel illum locum tali die petere constituyente, & tamen quod hominis mens ita secum constituit, illud sine impedimento

pedimento perficit homo. Tali itaque ratione etiam licet motus manus, certo suo numero & proportione dispositioni mentis correspondentia puncta constituens, nihil in prima punctorum projectione agere videatur, multa tamen sub punctorum copia delitescunt occulta: videlicet ipsa animæ prædictio, vehiculis Microcosmi æthereis & elementaribus, vecta, quatenus scilicet duodecim signa, septem planetæ & quatuor elementa, ac eorum virtutes sub talibus punctis absconduntur: Namque ut mens & intellectus in hominem descendere non potuit, absque prædictis Macrocosmi vehiculis, sic etiam nihil reale & essentialiter procedit à mente, tanquam origine, nisi illud transeat per hæc media. Non est ergo accidentaliter hic motus, quatenus ab anima humana procedit, quæ est completa hominis essentia, & essentialiter ac per se agit, nisi impediatur accidentibus carnis & sensuum. Sic etiam dicimus naturam mineralem plumbi & ferri tendere in sua essentia ad naturam auri: sed accidentibus, hoc est, sulphure impuro impeditur, ita ut ad metam naturæ præpositam pertingere non possit. Atqui replicabunt imperiti, talia impedimenta semper accedere corpori, propter carnis immunditiam & tenebrarum errorem. Hoc ergo iis concedimus, quòd, quò magis radii mentis per inquinamenta corporis in suo motu impediuntur, eò magis debilitetur ejus actionis effectus: quemadmodum videmus, quòd interposita nube inter oculum nostrum & radio solares, radii isti ad visum nostrum penetrare non possunt, unde & eorum effectus manifesti tolluntur. Sic etiam propter corporis & carnis fortitudinem in natura tenebrarum, imaginatio nubibus materiæ fictis ita impletur, ut radii mentis, quoad corpus, impediuntur: Unde fit, ut ad sensus, prout sunt, transire non possint. Quamobrem necesse erit, ut corpus pro posse rectificetur, abstinentia quolibet modo accepta subtilietur ac temperetur, & ut carnis superbia dejiciatur, animæque mediis radiis passim distracti ad centrum contrahantur, adeoque universus homo tam externus quam internus ad simplicitatis naturam se convertat, & compositionem ac multitudinem negligat, atque odio habeat. Ita demum ille ad opera non accidentaliter, sed essentialiter producenda virtute actus ipsius mentis humanæ optimè preparabitur.

C A P. III.

Quomodo homo Geomanticus se disponere & preparare debeat, ut mentis ejus intentiones clarè emittantur, & cum sensibus mediante ratione uniantur.

Quoniam beneficio sensus puncta Geomantica videntur & porro eadem in cœlestibus ac elementis comparantur virtute phantasiæ, atque demum ipsa vis occulta, tum horum punctorum, tum etiam ortarum ex illis figurarum procedit à validitate intellectus tam agentis, quam patientis, & per consequens à mente, tanquam à termino à quo, sequitur exinde corpus humanum ita regulandum & gubernandum esse, ne ejus pars magis intellectualis nimis carnis commercio demergatur, sive assopiat, & ne spiritus imaginativus aut phantasticus reddatur hebes ac impolitus. Sit ergo spiritus phantasticus antequam ad hoc opus accedatur, mûdus, purus, in concussus, & curis minimè perturbatus, ut dignus efficiatur, cui mens atque intellectus præsideat & innotescat. Nã talis spiritus vaticinio aptissimus lumèn radiorum mentis absque omni impedimento

mento recipiet veritatisque objecta mystico modo, tanquam in speculo depinget, facietque sensum & motum corporis exactè & ad amissim eò pergere, quò tendit ipsius mentis effectus. Cùm igitur jam sumus corpore incolumes & sani, nec animo perturbati, non gravati cibus aut poculis, non laborantes inopiâ aut paupertate, nullisque libidinis aut iracundiæ vitiis offensi, in hanc vaticinii aream ingrediamur. Spiritum quoque suum ille, qui hac arte uti vult, purum conservet, tùm meditatione tranquilla & religiosa, tùm per victum moderatum & secundùm naturam temperatum: Hac enim præparatione opus est ei, qui de rebus futuris vera prælagire vel per artem Geomanticam, vel qua alia ratione cupit, utpote sine qua nemo verus vates evadere potest: Nam qui spiritu phantastico languet, optatum finem, non assequetur, sed confusè & indiscretè judicabit: sic etiam, quando crapula vinoque repleti fumus, spiritus noster imaginativus noxiis vaporibus quasi submersus, abscondit & depravat gloriam ac veritatem radiorum mentis, non aliter quàm nubes spissa aut terra in aëris regionè mediam elevata avertit gloriam Solis ab oculis intuentis, & radiorum ejus refractionem gignit seu inducit. Unde falsa pro veris occurrent, & ipsa nubis portio Soli objecta in iridem seu substantiam multicolorem mutata videbitur, multaque in aëre phantasmata apparebunt, quæ talia, qualia apparent, non sunt. Hinc fertur, quòd *Amphiaraus Vates*, ut testatur *Philostratus*, jusserit Vatem, de rebus futuris divinare, atque oracula Dei vel mentis recipere volentem, abstinere à cibo & vino per integrum diem, imò verò etiam per triduum, siquidem convenienter id fieri possit. Sic legimus, quòd *Esdras* & *Daniel*, imò etiam ipse *Moyfes*, antequam ad Deum accesserunt, triduo abstinerint ab uxoribus & vestimenta sua laverint: adeoque fecerunt id omne, ex mandato ipsius Dei, de quo legitur *Exod. 19.* & *Ezech. 44.* Atque ita etiam oportet eum, qui in hac divinandi specie fideliter versari desiderat, non coitu carnali, sed spirituali copulatione oblectari, non vino, sed illustrante mentis latice inebriari, non divitiis mundanis, sed infinita intellectus divini affluentia exuberare, non crapula, sed cibo spirituali impleri. In veteri quodam manuscripto Gallico de Geomantia arcanis inveni superiorum confirmationem in hæc verba sequentia: *Priusquam ad punctorum Geomanticorum projectionem perveniat, intelligere vos velim, ea in projectione non esse numeranda. Etenim si id feceritis, nihil boni aut proficui inde provenit, quippe quòd hac est scientia super animam fundata, & proinde sit punctorum numerus in voluntate anima, ac nequaquam instituat secundum sensuum tuorum appetitum. Sic itaque convenit ei, qui hoc opus aggreditur, ut nihil incipiat nisi cor ejus bene disponatur, & conscientia integra ac sana fruatur, neque etiam sit ejus spiritus vel anima ullis perturbationibus vexata, adeoque etiam, ne optet quidem deteriora alteri quàm sibi: Atque tandem hoc modo præparatus in Deo scientiarum magistro confidat, precibusque eum sollicitet, ut virtute istius scientiæ veritatem sibi aperiat; His igitur sedulo peractis, immediatè ad punctorum projectionem & dispositionem procedendum erit, &c.* Hæc ille in quibus ab opinione nostra nullo modo dissentire, sed potius è converso exactè cum ea convenire videtur.

C A P. IV.

Quòd non sufficiat ad divinationem in Geomantia, ut corpus & caro bene ordinetur, sed quòd etiam præterea necesse sit, ut radii animæ internæ circa multitudinem versantes in se colligantur.

” **U**Ti vis unita fortitudinem solet inducere, ita quoque ea dispersa parit ingentem debilitatem. Sic videmus, candela radii sive flammam in arcta camera miris modis locū illuminare, quoniā loci angustia cōprimit & contrahit ad invicem radii à flamma emissos, ita ut majorem in illuminatione virtutem habeant; Atqui, si candela illa in locum amplum & spatiosum collocetur, admodum debilitatur & obscuratur ejus lumen, propter radiorum ejus in lato medio dissipationem. Ita quoque scrubulum unum croci percipimus, intenso modo modo tingere integrum libram aquæ; At verò, si centum libris aquæ indatur vel immittatur idem pondus, pallida erit illa tinctura, nec multum perceptibilis. Pari itaque ratione etiam anima vitæ humanæ lampas (cujus candelabrum est corpus humanum) si radii suos in hoc vel illo negotio, imò verò in infinitis rebus exterioribus diffundat, verbi gratiā, in litibus & negotiis forensibus, in arte medica, in cura rei familiaris, in dolore & tristitia ob rem amissam vel amici mortem, in iracundia aut adversitate quadam inopinata, in aliqua arte aut scientia & hujusmodi aliis, aut si etiam concupiscentiæ commercio, ebrietatis vitio, gulæ indulgentiæ, aut aliis carnis illecebris afficiatur, debilis admodum erit parvaque ejus vis & potestas in corporis illuminatione. At verò, si omnes isti animæ radii ab externis negotiis ad internam Microcosmi œconomiam reducantur, & ad suum centrum à multitudine retrahantur, unita erit vis animæ, eaque ratione mirum in modum illuminabitur corpus illud, quod antea propter radiorum defectum fuit obscurum & tenebrosum, atque ita vis prophetica in homine longè erit efficacior, quàm fuit antea, adeoque totum quasi hominem internum in sublime corporis non aliter elevabit & cum mente conjunget, quàm ignis artificialis fusi corpus in altum elevare & evehere solet. Attamen hæc expansorum animæ radiorum in unum reductio fieri non potest absque corporis mundificatione, quæ fit modo superius allegato. Quare necesse est ante omnia illi, qui veri in Geomantia vatis nomen sibi vindicare appetit, ut anima ejus radii suos passim expansos & dispersos iterum in se convertat & reflectat; quoniam virtus istius scientiæ præcipua consistit in animæ illuminatione, quatenus res veræ in divino ejus lumine, tanquam in veritatis speculo conspiciuntur, conspectæque mystico quodam modo per animæ ad hoc attentæ gubernationem externo intuitu punctis explicantur.

C A P. V.

*Quòd veri Geomantici actus sit quasi mentis motio in ecstasi, seu
potius quadam raptus species, in qua fit
vaticinium.*

UTi raptus in genere dicitur abstractio alienatio, & illustratio mentis humana, à Deo immediatè procedens, quâ Prophetia expeditur: sic etiam quâdam raptus & ecstasis species ad divinationem per Geomantiam requiritur, quæ non dicitur mentis illuminatio immediatè à Deo proficiens, sed potius expansionum ejus radiorum recollectio, & in locum angustiore, videlicet in ipsius corporis humani & proprii domicilii sedem congregatio, ut per eos ipsa anima divinatrici simplicem veritatem luculentius discernat: Unde ecstasis in hac scientia imprimis requiritur, hoc est, abstractio radiorum mentis ab omnibus rebus sive negotiis exterioribus, ita ut in se contrahantur: Nam ut in raptu magno mentis & animæ radii sursum ad divinam Dei essentiam, sive in mentis mundi regionem attolluntur; sic etiam in hoc raptu minori animæ humanæ radii forinsecus emilli, & passim dispersi ad centrum suum revocantur, & in mentem reflectuntur, atque ita homo, qui antea propter propriæ lucis suæ diffusionem erat obscurus, jam illuminatur atque gloriosus fit per radiorum expansionum aggregationem. Sic ex virorum doctorum sententia colligimus, quòd tertia creationis die, lucis creatæ radii passim & æqualiter per cælum dissipati, obscuro modo collustrarint universa, ac si tenebræ, cum lumine, vel nox, cum die æqualiter commisceretur: sed ubi die quarta, omnis illa lux ubique dispersa in corporis solaris centrum magnetica quadam proprietate fuit collecta, ibi productum est gloriosum, illud & dignissimum luminis specimen in quo Deus ipse tabernaculum suum posuisse dicitur: Videmus etiam in fortificatione seu loco munito, verbi gratiâ, mille militibus instructo, si horum militum pars major, aut victus parandi causâ aut alio quodam conamine exeat, & ultro citroque discurrat, quòd tum munimentum illud debile reddatur, adeoque etiam residuus militum in eo manentium numerus formidolosus fiat, & animum habeat, minùs præsentem aut confidentem. At verò si illi, qui egressi fuerunt, redeant sani & incolumes, tum illi, qui in propugnaculo fuerant relictæ, recipiunt pristinam suam confidentiam & spem suam priorem, omniq; formidine seposita, invasiones hostium nullatenus metuunt, quoniam locus ille viris bellicosus jam optimè est instructus: Hic igitur eodem modo sese res habet, cum lucidis animæ humanæ radiis: Nam propugnaculum sive locus munitus est corpus humanum: radii autem mentis & animæ mediæ assimilantur militibus, quorum illos, qui è corpore emittuntur, ut versentur circa negotia aliena, comparare possumus militibus extra munimentum huc atque illuc discurrentibus: quorum quidem absentia corpus redditur minùs confidens, & magistri-ste & timidum ac imbecille ad rem aliquam nobilem & lucidam expediendam: inter quas divinatio & vaticinium est optima & suprema. Dicimus igitur, quòd hujusmodi radiorum recollectio sit internæ hominis naturæ à multitudine ad simplicitatem reductio: Unde sit, ut istiusmodi anima ab externis meditationibus revocata, & in se reflexa ac recollecta reddat hominem, quasi raptum, & in ecstasi manentem, quoniam de se & in se cogitat, sibi tantummodo

adeſt alienorum oblitus, ita ut videatur mundanis non conſtare ſibi metipſi, cum tamen revera ſibi tum magis, quàm unquam antea conſtet: Nam qui mundana negligit, hunc magis ſe curare certum eſt, & qui ſe à multitudine in ſeipſum reducit, ille maximè ſibi adeſſe videtur, ſiquidem inter eum & Deum non erit magnum diſtantiæ interſtitium. Ad talem igitur habitum ſeu diſpoſitionem ſe redigere oportet eum, qui verum vaticinii donum ſibi comparare ſtudet: Nam exteriora cogitantes avertunt animæ vires à veritatis iudicio, ita ut magna ſit Geomantici incertitudo in ejus iudicio: imò tanta quidem in eo erit varietas, quanta eſt animæ à ſua unitate variatio. Etenim in rerum multitudine deliteſcunt præſtigie, vanitates, & mendacia; in unitate verò & ſimplicitate perfectio, identitas & unitas: Rapiat igitur anima à Macrocoſmo, quod ſuum eſt, à Creatore ſibi in ſua creatione datum, illudque in ſuum Microcoſmum externum imprimat, cum ipſa ſit Microcoſmus internus, nec ſinat alium eo, quod ſuum eſt, frui: virtute, inquam, ſuæ excellentiæ rapiatur è mundo, & ſibi ipſi reddita ac recollecta in ecſtaſi hæreat, ut in ſuo ſpeculo ſeu ſpiritu poliſſimos res non modò mundanas, ſed etiam divinas ſpeculetur: Nam quò magis ſibi conſtabit, eò efficaciore erunt ejus viſiones & motiones ad veritatis vaticinationem.

C A P. VI.

De occulta & abſtruſa Geomantiæ proprietate, & quomodò anima ſeu mens tranſeat in ejus operatione per univerſam Macrocoſmi naturam.

NEc certè eſt, ut ignorantes punctorum in Geomantia ſeriem pro meris lineis, ex fluxu punctorum conſtitutis habeant, cum ſub iſtis characteribus, oculo & ſenſibus objectis, multa tam ſpiritualia quàm materialia deliteſcant: Imò verò hæ linearum ſeries non minùs univerſi mundi ideam comprehendunt, quàm ipſum corpus humanum. Nam licet in homine corpus ejus ſolummodò extrinſecus conſpiciatur, oculis tamen ſpiritualibus ſpiritum ejus & animam ac mentem interiorius contemplantur; Nimirum in corpore cernimus elementa inviſibiliter in compoſitione mixta; in ſpiritu & anima media naturam ætheream ſpeculamur, in intellectu, & mente naturam empyream obſervamus: Sic etiam in qualibet ſerie Geomantiæ, quatuor quaſi punctorum lineis conſtante, ſeſe reſ habet; Etenim elementa quatuor in primo ordine deliteſcere percipimus, videlicet elementum ignis ſub primo ordine quadruplici, aëris ſub ſecundo, aquæ ſub tertio, & terræ ſub quarto. Porro etiam in ſecundo ordine, hoc eſt, in figuris à ſeriebus illis punctorum productis ſeptem planetæ & duodecim ſigna cœleſtia comprehenduntur, oculis ſolummodò ſpiritus percipienda: Sic figura *Carcer* attribuitur Saturno directo & *Triflitia* retrogrado: Figura *Latitia* ſignificat Jovem directum, *Acquiſitio* retrogradum: *Rubens* denotat Martem directum, & *Puella* retrogradum: *Major Solem* reſpicit in quadam directione & *Minor* in retrogreſſione: licet *Aſtologi* negent Solis retrogreſſionem: ob ejus epicycli, defectum: *Puer* datur Veneri directæ, *Amiſſio* retrogradæ; *Albus* attribuitur Mercurio directo, *Conjunctio* retrogrado; Luna directæ *Populum* reſpicit, retrograda *Viam*:
Caput

Caput Draconis exprimit, figura eodem illo nomine insignita, & *Caudam* itidem *Draconis* repræsentat figura ei cognominis. Sic etiam figuræ illæ continent in se naturas duodecim signorum: Nam *Acquisitio* Arietem modo abstruso respicit & amplectitur: *Letitia* & *Minor* Taurum, *Rubeus* & *Puer*, Geminos; *Albus* & *Populus* Cancrum; *Via* Leonem: *Caput* & *Conjunctio* Virginem: *Puella* Libram, *Tristitia* & *Amissio* Scorpionem: *Caput* Sagittarium: *Cauda* Capricornum: *Major* Aquarium; *Carcer* Pisces. Porrò etiam *Rubeus*, *Minor*, *Amissio* & *Cauda*, denotant elementum ignis, & plagam mundi Meridionalem: *Letitia*, *Acquisitio* *Puella* & *Conjunctio*, Aërem & partem mundi orientalem: *Populus*, *Via*, *Puer* & *Albus*, Aquã & septentrionalem mundi angulum; *Major*, *Capus*, *Carcer* & *Tristitia*, Terram ac partem mundi occidentalem. Adhuc etiam profundius versus centrum lateris cœli empyrei spiritus, qui est futurorum & præsentium revelator, videlicet rationalis sive intellectualis harum figurarum & rerum mundanarum in iis contentarum, collectio. Ex quibus apparet, quàm purè & sincerè præservandus sit spiritus intellectualis à carnis & crapulæ incommodis ac nocentis, cum ab eo primùm dimanet motus ad puncta Geomantica producenda rapiens secum modo occulto naturas signorum cœlestium, Planetarum & elementorum ac abscondens tandem illa omnia sub numero & proportione punctorum, veluti thesaurum quendam in cista. Si igitur cistam illam velimus aperire, ut ad elementa primùm, deinde ad Planetas & signa cœlestia, & tandem ad terminum, à quo motus his originaliter profuebat, penetremus, in sacrarium mentis, ejus voluntatem, in myrothecio intellectus, voluntatis rationem, insignorum & Planetarum seu ætheris armatio mentis actum sive executionem, & in elementorum promptuario, mentis voluntatis, rationis & actus effectum, (quæ omnia sub figuris, tanquam in cista comprehenduntur & occultantur) inveniemus. Ex prædictis ergo evidenter liquet, quòd, sicuti prophetia afflatorum, est unio mentis divinæ cum mente humana (unde plenissima & maxima est, hæc vaticinii species) sic etiam prophetia non afflatorum accidit nonnunquam, quando anima cum suis radiis ad se à multitudine retractis, unitur cum suo vertice, videlicet cum mente humana; quæ procul dubio, si cum anima jungatur & colligetur, ingentia per se præstare, & ad culmen exitumque felicem perducere potest.

C A P. VII.

*De multis aliis divinationis speciebus homini ab
externo obvientibus.*

DUæ illæ divinationis species, quas in duabus sectionibus præcedentibus deduximus, ab intra homini contingunt; Sed & sunt multæ aliæ prælagii & vaticinii species, quæ ab exterioribus rerum accidentibus per hominem peritum & sapientem eliciuntur; videlicet, *Hydromantia*, *Lecanomantia*, *Aëromantia*, *Pyromantia*, *Capnomantia*, *Axinomantia*, *Botanomantia*, *Cleromantia*, *Clidomantia*, *Umbilicomantia*, *Physiognomia*, *Chiromantia*, *Necromantia*, *Augurium*, *Haruspicium*, *Onomantia*, *Arithmomantia*, *Nomantia*, & hujusmodi alia.

Geomantia ergo, cujus in hoc libello & supra mentionem fecimus, sic dicta est *ἡ γῆ τῆς γῆς καὶ τῆς γῆς μαγεία*, quasi divinatio ex terra: De ea Chaldæi, Indi, & Ægyptii primi scripserunt: Inter recentiores verò *Petrus Aponensis* dictus de *Aba-*

no, *Gerhardus Cremonensis, Johannes Geber, Bartholomæus Cocles, Christophorus Citanus, & Nonius Marcellus Sapa.*

Hydromantia ὑπὸ τῆς ὕδατος, id est, divinatio ex aqua. *Lecanomantia*, quæ ὑπὸ τῆς λεκανῆς, à pelvi scilicet, aqua plena nomen habet, Itali ad furta detegenda læpissimè utuntur: Pelvim implent aqua, pillulasque tres, quas *ballotas* vocant, creta vel argilla aqua madefacta ad nucis magnitudinem conficiunt, & in meditullio cujuslibet pillulæ, nomen eorum, qui fortè suspecti sunt, chartæ impressum, includunt & tunc una ex dictis pillulis dissolvetur.

Aëromantia, dicta ὑπὸ τῆς ἀέρος, id est, divinatio ab aëre. *Josephus lib. 7, cap. 12.* scribit, currus apparuisse Hierosolymis in aëre per omnes cæli regiones concurrentes, exercitus etiam penetrantes nubes ipsas & circumdantes aliquas civitates, &c. Et ante bella civilia per *Syllanam & Marianam factionem* Romæ exorta, apparuerunt per Italiam exercitus in aëre inter se decertantes, tanquam prævium bellorum civilium præfagium.

Pyromantia ὑπὸ τῆς πυρὸς ex igne dicitur divinatio. *Capnomantia* ὑπὸ τῆς καπνῆ à fumo divinatio appellatur: de qua *Ovidius.*

Et nova fraterno venit concordia fumo,

Quam vetus accensa separat ira pyra.

Axinomantia ὑπὸ τῆς ἀξίνης, ex securi vel ascia divinatio. *Botanomantia* ὑπὸ τῆς βοτάνης, ab herba nominata divinatio, ut *Verbena, Valeriana, Perwinca, Filice, Lunaria,* & cæteris hujusmodi, quæ vim incantandi habere dicuntur.

Cleromantia ὑπὸ τῆς κληρῆ à forte. Erant olim *Prænestina sortes.* Val. Maxim.

Clidomantia ὑπὸ τῆς κλειδῆς per clavem divinatio.

Κοσκινομαντία ὑπὸ τῆς κοσκίνης, per cribrum divinatio. *Κοσκινομαΐτης* vates, cribro divinans.

Umbilicomantia, divinatio per umbilicum, qua dignoscunt obstetrices per nodulos umbilico & secundis adhærentes, quot partus puerpera in posterum in lucem sit editura.

Physiognomia ὑπὸ τῆς φυσιογνωμῆς, est scientia, qua natura hominum ex aspectu faciei judicatur.

Chiromantia ὑπὸ τῆς χειρὸς καὶ τῆς μαντείας, est scientia, qua per manuum lineamenta felicitatem vel infelicitatem præfagiunt.

Necromantia ὑπὸ τῆς νεκρῆ καὶ τῆς μαντείας per mortuos divinatio, quemadmodum legitur *1. Reg. 28.* de Saule Israël Rege, qui mulierem habentem *Pytho-* nem consuluit; quæ (Saule ita jubente & requirente) *Samuelis* umbram evocavit, responsumque ab eo accepit.

Augurium, quasi avigerium vel avigarrum pro ipsa divinatione sumitur.

Erant tria genera divinationis
in avibus: Nam futura præ-
dicebant

}	Alia volatu	}	Et illæ præpetes, istæ oscines dicebantur.
}	Alia cantu		
}	Alia pastu.		

Augur verò dicitur, qui ex volatu, pastu, aut cantu avium futura divinat.

Haruspicium idem *Haruspex*, qui *harugis*, id est, hostiis inspectis futura prædicat, ab *hara*, in qua concluditur & servatur hostia dicta:

Onomantia, ὑπὸ τῆς ὀνοματίας, à nomine dicta divinatio, fit enim per propriorum nominum literas certis numeris per autores hujusce artis assignatas.

Arithmomantia ὑπὸ τῆς ἀριθμῆς per numeros divinatio, ut per *Pythagoræ* rotam per pares & impares numeros.




TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O III.

De animæ memorativæ scientia, quæ
vulgo ars memoriæ vocatur.

A R S M E M O R I Æ.





TRACTATUS PRIMI. SECTIONIS II.

PORTIO III.

LIBER I.

De animæ memorativæ Scientia,
quæ vulgo ars memoriæ
vocatur.

C A P. I.

*De Auctoris industria in comparando & excolendo
artem memoriæ in exoticis
regionibus.*



UM ego in peregrinationibus meis regnum Galliaë inter alia præcipuè ultro citroque perlustrarem. *Nemosiensem* tandem civitatem, invitatus fama, extantium in ea antiquitatum petebam, ubi apud quendam ex arte sua memoriæ satis famigerabilem cœpi primùm illius artis suavitatem degustare: Mox deinde in urbe *Avenione* ad flumen *Rhodani* sita hanc artem ærutnabili labore, nullo penitus Magistro præeunte eam aggressus, incolui. Cùm itaque in ejus exercitio magis expertus evaderem, à nonnullis Galliaë Principibus, tam hujus artis gratia, quàm cæterorũ scientiarum mathematicarũ ratione in multos locos Provinciaë accersitus fui à *Marchione* scilicet *Orizontis*, *Vicecomite Cadinetæ*, *Episcopo Rhensi*, quem principẽ illius loci magnum esse perhibebant. At ego tandem, reliquis, & iis quidem magnis promissis recusatis *Marcelliam* perveni: ubi *Ducem Guisensem* & fratellum ejus *Laurena Principes*, atque hunc *Mitlenæ* militem, insignis indolis & gratiosi corporis juvenem artes mathematicas docere cœpi, atque inter cæteras quoque artem istam juveni propolui; Qui certè miro modo scientiarum capax brevissimo temporis intervallo ita pollebat cognitione, ut cæteris nobilibus; qui ibi aderant, scientia brevi temporis spatio præcelleret. *Nemosis* igitur primùm, mox *Avignione*, denique *Aquasextiis*, & ultimo *Marcellis* hujus scientiæ penetralia pro virili mea pervestigando, aliquid in ea vidi & didici: Quod quale quale sit: tibi illud (lector) libentissimè gratis offero, quod mihi & pretio & labore haud exiguo consistit.

C A P

C A P. II.

Memoria quid, & quotuplex? Specierumque utriusque memoriae retinendarum ratio.

ANtequam hujus artis aream ingrediamur in primis necessarium existimamus scire, quid sit illud, circa quod hæc ars versatur, & methodicè in hoc nostro tractatu progrediamur. *Est igitur memoria fidelissima receptorum & imaginum, seu rerum, quarum species intellectu sunt perceptæ, custos atque conservatrix: vel est habitus quidam referens species post aliquantulum temporis lapsum, quarum objectum semper est præteritum.* Et quoniam de memoria hic agitur, quæ tam hominibus, quam brutis communis est, intelligere lectorem vel. m, quòd hominis memoria differat à memoriæ brutorū in eo, quòd hæc tantum est sensitiva, recipiens duntaxat sensibilia, rerū phantasmata, illa verò intellectiva & sensitiva simul. His igitur diligenter observatis, ad memoriæ intellectualis species sic procedendū putamus, ut demonstremus, eā duplici modo cōsiderandā esse, videlicet, vel prout in naturali sua dispositione accipitur, cujus naturam in definitione superiori explicuimus; vel quatenus artis adjumento refertur & dicitur *memoria artificialis*, quoniam artis illius præceptis coadjuvatur, quæ memorativa appellatur. *Memoriam ergo artificialem* definimus, esse *memoria naturalis per artem* (in ficta imaginationis operatione positam) *inventæ operationem.* Unde liquet, quòd memoria artificialis per se non plus faciat sine memoriæ naturalis præsentia, quàm cyphra arithmetica absque digiti præsentia. Harum verò memoriæ specierum retinendarum ratio est varia, quatenus una veritatum imagines retinet, prout sunt, altera per species fictas & imaginatione conceptas, naturalis memoriæ imperfectionem adjuvat. Dicunt ergo Medici, quòd specierum memoriæ naturalis retentio fiat per contractionem alicujus vermiformis in medio cerebri constitutæ: illarumque iterum amissionem ex ejusdem vermiformis diductione seu extensione provenire ferunt: At verò memoriæ artificialis retentio fieri solet per assiduam phantasiæ actionem, vanis & fictis idæis ac iconibus veritatis species myrothecio memoriæ imprimentem: Id quidem quod accidere solet, propter imaginationis propinquitatem & vicinitatem actionis ejus ad cellulam memoriæ, quæ quidem cum recens & continua sit facta, assiduè quasi pulsatur memoriæ, & veluti viva actione (licet speciebus fictis ac inanimatis facta) pulsando speciem retinendam subinde memoriæ objicit, non secus atque cum mutus aliquis per signa loco verborum alicui rem quandam indicare & declarare studet.

C A P. III.

An qua via alia quàm sola virtute phantastica comparari vel includi possit memoria artificialis.

AGnoscimus, memoriæ naturalem non nisi duplici via posse adjuvari, videlicet aut *assidua phantastica facultatis operatione*, quæ per rerum fictarum repræsentationem veritatum impressiones inscribit memoriæ, aut *virtute medicamentorum* labefactatam memoriæ naturalem reficientium. Phantasia enim res fictas meatui vermiformem carunculam continenti offerente, ipsa eas sua
g dila-

dilatatione introducit ad rationalem cellulam, ut ibi rationaliter perpendantur, à qua illæ ulterius ad memoriæ conclavè vestigiò mittuntur, ut in ejus specu, contrahente sese vermiformi caruncula, custodiuntur. Medicamenta quoque conferunt memoriæ diminutæ, aut præter naturam læsæ, sive illud fiat ob frigiditatis & humiditatis copiam & exuberantiam, sive ob caliditatis & siccitatis excessum. Imò verò imaginatio ipsa etiam harum qualitatum præter naturæ leges prædominio læditur, & læsa medicamentis restauratur atque in integrum suum statum reducitur: De quibus medici abundè tractaverunt. Ultra autem hos duos mememoriæ debilem adjuvandi modos non noverunt alios Physici & Medici, præter unicum illud supernaturaliter electis quandoque concessum donum, quod gratia & splendore divino illis extraordinariè inspiratur.

C A P. IV.

De duplici phantasiæ actione circa memoriæ artificialem versante.

PHantasia ad completam artis memoriæ perfectionem operatur dupliciter; videlicet aut *idæis*, quæ propriè sunt formæ à rebus corporeis separatæ, cujusmodi sunt spiritus, umbræ, animæ, &c. similiter Angeli, de quibus præcipuè in *arte nostra rotunda* agemus. Næc enim vocabulo *idææ* hîc utimur talimodo, quo *Plato*, qui eam pro Dei mente accipere solebat, sed pro re qualibet ex quatuor elementis non composita, videlicet, pro re alia simplici in ætherea mundi parte vel spirituali per imaginationem concepta; Verbi gratiâ, pro Angelis, Dæmonibus, stellarum effigiebus, & Deorum vel Dearum imaginibus, quibus cœlestia attribuuntur, & quæ magis de natura spirituali participant, quàm de corporali; similiter pro virtutum & vitiorum in imaginatione conceptis & effectis umbris, quæ etiam pro Dæmonibus sunt habendæ. Atqui si discipuli ingenium nequeat hujuscemodi idæarum figuras conceptui imprimere, electiones suas facere potest inter bruta, homines, & res inanimatas sensui obvias ac occurrètes, atq; earum imagines in cœli partib. concipere loco umbrarû & idæarû. Aut operatur phantasia *imaginibus rerum corporaliû*, quæ quidem, tametsi, modo phantastico percipiuntur, non tamen ut res incorporeæ considerantur, sed à corporali actione depictæ atque à sola imaginatione fictæ; Exempli causâ, si imaginemur, lupum interficere aliquem agnum, Petrum equestrem spatham præacutam mucrone infesto devorare, serpentem virulentum lubricis amplexibus tibix cujusdam hominis bene tibi noti in hære, &c. Nam sola imaginatione & modo phantastico res sensibiles considerare debet artifex, videlicet ita res illas in phantasia figurare, ut pictor peritus res visibiles coloribus vivis depingere & exornare solet. Ex his igitur videmus, quòd memoria solummodò artificialiter corrigi possit aut medicamentis, aut phantasiæ operatione versante vel circa idæas, quæ propriè ad *artem rotundam* pertinent vel circa imagines rerum corporaliû, quæ *arti quadratæ* magis conveniunt. Quare eos, haud sibi constare putamus, qui artem aliquam memoriæ sine medicamentorum aut phantasiæ operatione esse volunt, & confidenter credunt. Quod quidem inde oritur, quoniam aut in Philosophia naturali omnino rudes sunt; aut à verbosis nebulonibus & impostoribus ad illam opinionem seducti decipiuntur, existimantes esse in rerum natura artem memoriæ, quæ omnibus idæis & imaginibus relictis queat addisci Hujusmodi quidem farinae erat quidam *Juris consultus Aquæ sextia*, qui audacter affirmabat, se quendam in civitate *Tolose* vidisse, qui

se exactam memoriæ artem virtute annuli aut virgulæ Salomoni attributæ comparasse asseruerit: quod quidem si unquam factum fuit, modis naturalibus factum fuisse penitus negamus: Virtute tamen præstigiola fortasse Dæmonum, vel metaphysica Spiritus Sancti influenza tale quid verè & infallibiliter posse contingere concedimus: At tamen necesse est etiam, ut phantasia in actu metaphysico concurrat ad complendam rei naturalis perfectionem; quoniam phantasia est quasi ostium sive porta memoriæ, per quam necesse est ut omnes species sensibiles, quæ memoriæ conclavi custodiri debent, ingrediantur.

C A P. V.

*Utrum memoria commodius exprimat in arte rotunda
vel quadrata.*

ARS nostra *Spherica* procul dubio est multò commodior, tum ratione capacitatis figuræ, quæ est rotunda, & per consequens magis ad opus utilis, cum quia quilibet spheræ locus, partitionem suam naturalem possidet in quolibet mundi spherâ: Porro etiam quælibet spherâ situm & positionem suam naturalem habet absque ulla suæ positionis alteratione: Unde certus est operator, quòd locos suos invariabiles semper speculetur: similiter nullus Planeta extra suum orbem movere aut deviare cognoscitur, sed sua operatione, actu & dominio semper in sua propria spherâ fruatur: Ars ergo hæc nostra spherica memoriæ Microcosmi naturalem mirificè adjuvare, & in quàm plurimis, ratione respectus ejus, quem ad Microcosmi partes & actiones habet, multum certè præstare potest. In *quadrata* autem arte nihil naturale invenitur, videlicet nec locus, nec partitiones, nec imagines: Et tamen quadrata communia (quæ *loci* hujus artis *communes* nuncupantur) Astronomiæ imperitis magis conferunt quàm altera, quatenus aula, conclavis aut cubiculi quadrati species faciliùs imprimuntur hominum literarum ignarorum conceptui, quàm idæ sola contemplatione consideratæ: Atque hinc fit, ut ars ista quadrata à majori hominum parte præferatur arti rotundæ: quamvis hæc sit illa longè dignior, & naturæ magis consona; illa verò arti magis familiaris, & sensibus subjectior.

C A P. VI.

*De insigni nonnullorum in hac arte versantium, errore, & præ
ceteris illi reselluntur, qui palatii imaginariis
utuntur.*

ALII in hac arte versati voluerunt artem suam quadratam collocare in palatii noviter imaginationis inventionem fabricatis seu extractis: Quàm autem inconueniens sit hæc illorum opinio breviter explicabimus: Si enim imaginationis seu phantasiæ operationes in primis scientiæ opticiæ comparaverimus, videbimus rem istam longè aliter sese habere: Nam si multa specula ita sibi ad invicem applicuerimus, ut alicujus in speculo primo visi objecti imago à primo illo speculo in secundum, & iterum imago illa in secundo speculo visa in tertium reflectatur, atque illa ulterius imago speculi tertii in quartum, & sic in cæteris, percipiemus equidem imaginem speculi primi esse clariorem, perspicuiorem, & completiorem imagine speculi secundi, & hanc secundi illâ tertii, &

fic in quarto & quinto, ita ut ultima imaginis reflexio tandem obscura admodum & vix perceptibilis futura sit, id sane, quod fit propter debilitatem radiorum fractorum in multiplicatione reflexionum, ita ut prima reflexio sit fortior secundâ, & secunda tertiâ, & sic in cæteris: Sic etiam dicimus, quod quò magis in hac arte opifex penetrat in phantasmatis penetrabilia, eò debiliores evadant imaginariarum ejus iconum effigies: Et per consequens, magis manca atque deficiens erit imaginationis operativa virtus. Ex quibus sequitur, quod quò propinquius & magis immediatè procedit imaginationis similitudo à realitate sensus, eò sit in hac arte certior, validior, durabilior & efficacior. Atqui prædictæ farinae homines conantur petere fundamentum suæ operationis non à realitate, sed à chimæra quasi & figmento rei, quæ nunquam existit in rerum natura, ac si secundum prædictæ optice operationem, crederemus primi speculi imagine non visa, nec à veritate & realitate derivata, eandem tamen in speculo secundo aut tertio conspici posse, quod quidem absurdum est & impossibile: Non ergo erit conveniens nova palatia fingere, quæ nunquam extiterunt usquam, quoniam talis artificis fictio seducet mentem ejus à veritatis contemplatione, sed realis sit domus, aut castellum vel palatium, ut à loco communi sensibus suis bene cognito, tanquam fundamento opus tuum struendo, certiori ordine progrediaris: Etenim si fundamentum è memoria tollatur aut elaboratur, totum corpus peribit, & subito evanescet: Quod quidem facillimè fieri potest, si fictus sit primus locus communis: At verò in re sensibus obvia non est ullus talis accidentis timor, aut etiam, si quid tale forsàn eveniat, locus iterum visus de facili rursus in memoriam redibit. Porrò etiam, ut in speculorum reflexionibus dictum est, quò longiùs in multiplicatione rerum conceptarum distat earum imago à fundamento, eò debilior erit ejus impressio in memoria: Quare maxima erit fixationis prolongatio, primùm imaginari palatium, deinde cubicula istius vel illius coloris, figuræ rotundæ, &c. postea à quodlibet eorum latus in quinque partes dividere, ac mox quamlibet partitionem figuris etiam inventis implere, atque ultimo loco res retinendas iis aliqua actione imprimere: oblivione autem submerso palatio, reliqua etiam, videlicet cubicula, eorumque loci, & imagines, ac res memorandæ penitus auferentur. Præterea, quàm debilis erit ille actus (qui præcipuum & primum locum obtinet in hac arte) cujus vivacitate res in memoria conservari debent, tum quatenus ejus fundamentum est fictum, tum etiam, quatenus à veritatis fundamento per integrum gradum in fixatione recedit. Denique hujus rei rationem redarguit etiam illud in medicina experimentum: etiam si calculo vesicæ laborantibus, medicamentum satis validum per os adhibeatur, attamen, quia in itinere suo illud gradatim aliquid de proprietate sua perdit, partem illius ventriculo, partem jecori & sanguini, & partem renibus relinquendo, fit inde, ut illud ita debile sit cum in vesicam permeat, ut parum aut nihil ferè ejus in suo officio præstare valeat, cujus gratiâ corpori infusus erat: simili itaque modo etiam imaginationis actus in multiplicatione inventionis unius super aliam subinde evadet debilior. Et proinde concludimus, quod à realibus incipiat & procedat phantasia operatio non ab intentionalibus, quoniam fortiores, certiores, & veritati propinquiores sunt actus ab iis egredientes, & in iis reconditi.

C A P. VII.

*Contra illos, qui bruta solummodo, eaque firmiter in locis
communibus utriusque artis collocant.*

Equidem non possumus in hac arte pro peritis habere eos, qui bruta, sive animalia irrationalia locis palatii sive domus & cubiculorum ejus imprimere solent, quamvis id faciant secundum alphabeti ordinem attribuendo scilicet asinum primo loco, bovem secundo, &c. Etenim hæc ipsa, quatenus bruta sunt, non possunt explicare rem sive actum rationalem & soli homini proprium: Quare imaginis irrationalitas erit fortasse in causa, ut subjecti rationalis obliviscatur artifex propter impossibilitatem actionis, quæ bestiæ attribuitur; verbi gratiâ, si oratorem velim in primo loco imprimere asino, debemus imaginariafinum more oratoris vestitum cum libro in manu & pileo in capite: Quod quidè omnino absurdum videbitur rationi, qua gubernatur homo; quia asino nec sunt vestimenta, nec liber, nec manus. Quocirca melius & rectius esse existimamus, ut imagines rationales dictis locis assignemus, cum nulla sit actio sive belluina sive humana, quam non queat homo luculenter sua actione exprimere, sive imitando, sive partes suas proprias agendo: si igitur asinum velimus exprimere, possumus imaginari, quod hominis imago in loco fixa in filiat dorso asini, aut doceat asinum artem legendi, &c.

C A P. VIII.

*Contra illos, qui ad species imaginabiles retinendas locis
vacuis utuntur.*

Sunt etiam nonnulli in hac arte versati, qui in errorem adhuc majorem incidunt, imò verò contra naturæ leges insurgere videntur: quoniam viam adhuc difficiliorem, quàm illi, quorum in præcedentibus mentionem fecimus, sequuntur, methodoque deteriori utuntur. Namque hi ipsi tam longè recedunt ab errore superiorum, ut loca vacua usurpando nihil omnino illis imprimant: sed res memoriæ mandandas in iis nudis & intactis reponunt, inculcando frequens illud Philosophorum axioma; *Frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora*: Sed possem etiam ita inferre, frustraneam & inutilem esse Tetrachordi, Pentachordi, Hexachordia in musica inventionem, quoniâ tota musicæ dimensio in Monochordo reperitur: Et tamè qui musicæ sunt periti, faciliore & pleniorè eam inveniunt in polichordo quàm in monochordo: simili itaque modo etiam non negamus artem memoriæ fieri posse ex locis vacuis; attamen à perfectione & facilitate artis hoc longiùs distare atque difficiliùs à discipulo apprehendi dicimus. Præterea etiam certum est quòd nulla sit inter locos distinctio, nisi à figura aliqua seu imago figurâ phantasticâ distincta cuilibet eorum imprimatur: Unde hic eorum error errorum atque confusionem in hac arte haud exiguam pariet. Et proinde necesse erit, si illud evitare velimus, ut imagines distinctas cuilibet loco assignemus, ne confusio & absurditas in hac arte suboriat, cum earum præsentia quilibet locus ab alio quàm optimè distinguatur.

C A P. IX.

De loco communi artis rotundæ, deque ejus partitione in propriis locis pro vocabulorum recordatione.

Locus communis artis rotundæ est pars mundiæ therea, scilicet orbis cælestes, numerando ab octava sphaera, & finiendo in sphaera Lunæ. Partitionem autem ejus *duplicè* fecimus; *unam* scilicet *ratione loci & ordinis* qua eum naturaliter primùm secundùm Zodiaci distinctionem in duodecim æquales partes distribuimus, quas signa cælestia Astrologi vocaverunt; *Alteram* verò *ratione temporis*, in qua fit subdivisio: Nam, quia primum mobile, cursum suum raptum uno die naturali perficit (ab oriente nempe in occidentē) idcirco quælibet diei hora responderet quinque Zodiaci gradibus, quod quidem spatium est dimidia signi pars Signi autem longitudo delineat motum Solis quantitate unius horæ diei. Peracto Zodiaco vel octava sphaera incipiendum cum cælo Saturni, & sic in cæteris peripheria cæli medii vertus sphaeram ignis descendendo, ut in figura sequenti explicatur.




Loci iterum temporales sunt duplices, cum alius sit orientalis, qui scilicet in eodem signo orientalem mundi plagam respicit, atque hunc locum teatro albo impleri imaginabimur: Alius verò occidentalis, sive occidentalis signi portio, in qua ponetur theatrum quoddam nigrum, de quo postea dicemus.

CAP. X.

De theatri orientalis & occidentalis descriptione.


T*heatrum* appello illud, in quo omnes vocabulorum, sententiarum, particularum orationis seu subjectorum actiones tanquam in teatro publico, ubi comœdiæ & tragœdiæ aguntur, demonstrantur. Hujusmodi theatrorum *speciem unam* in puncto orientis sitam esse imaginabimini, quæ realis seu corporea, sed quasi vapore æthereo consideranda erit: Sitque illa theatri umbra similitudinibus spirituum agentium repleta. *Primum* ergo theatrum habebit colorem album, lucidum & splendidum, præ se ferens diem, diurnasque actiones. Quare in oriente collocabitur, quia Sol ab Oriente se attollens diem incipit, claritatemque mundo pollicetur: *Secundum* verò fingetur imbutum colore nigro, fusco & obscuro: illudque in Occidente positum imaginaberis, quia Sol in Occidente existens noctem & obscuritatem brevi venturam denunciat. Quodlibet autem horum theatrorum habebit *quinque portas* ab invicem distinctas, & ferè æquidistantes, quarum usus postea demonstrabimus.



C A P. XI.

De loco communi artis quadrata, deque ejus in locos convenientes divisione, similiter de cubiculorum electione & dispositione pro hujus artis opere.

Communis hujus artis locus erit conclave sive cubiculum, cujus latera sint æqualiter quadrata aut parallela: Nec erit hujusmodi cubiculum fictum aut imaginatione sola conceptum, secundum illorum intentionem, qui palatia mente concipere solebāt, quia confusio inde sequeretur, & obscuritas in phantasiæ operationibus vim actionis obruentibus: Quare necessarium existimamus, ut cubacula realia eligantur, & ea quidem talia, quæ ornatu, pulchritudine prospectu, aut re aliqua oculo sint jucunda, atque ut ab invicem optimè distinguantur: super portam autem cujusque cubiculi depingatur historia aliqua insignis, uti (verbi gratiâ) Hercules hydram interficientis, Cerberum prosternentis, aut Medæ fratrem jugulantis, aut Actæonis in cervum conversi, & hujusmodi aliæ: Sintque omnes istiusmodi historiarum imagines extrinsecus super ostia conclavium descriptæ: Locorum verò interiorum, qui & minùs communes dicuntur, ordines, eorumque partitione & partium subdivisiones methodi melioris gratiâ in sequentem distinctionem redeimus.



Primum igitur à latere dextro ad portæ introitum incipere solemus, quoniam talis debet esse artificis motus, qualis est diurnus motus Solis, qui cursum suum incipit à dextra cœli parte atque in sinistram mundi partem decurrit, videlicet ab Oriente in Occidentem: Non bene itaque aut methodicè operantur illi, qui à sinistro latere incipiunt, prætendentes quòd talem motum observare soleamus in scribendo. Verùm enim verò convenit arti in omnibus suis actionibus semper imitari naturam.

Quadrati figura.



Divisione ergo & subdivisione facta & duobus parallelogrammatibus extremis in duas partes æquales divisis, prima parallelogrammatis basis erit primi cubiculi locus, & pars ei supereminens erit secundus: Summitas autem parallelogrammatis secundi erit tertius locus: quartus verò erit ejus basis: Et totum tertium parallelogramma in medio situm erit quintus & ultimus locus ejusdem lateris: Quare 6. latera quadrata per 5. multiplicata dabunt 30. locos hujus arti necessarios. Atque ita debes in omnibus aliis lateribus dividendo & subdividendo procedere, quemadmodum fecisti in primo.


C A P. XII.

Quam figuram debeamus unicuique horum locorum dare?

PRomajori conformitate dabimus unicuique horum prædictorum locorum, figuram theatri, continentis 3. portas, in cujus medio erit imago fixa, quam essentialem appellamus; quæ tamen per accidens aliquando cogitur decedere ex loco suo proprio in aliquem exteriorum, uti apparebit in sequentibus.

h

Forma



TRA-



TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O N I S III.

L I B E R II.

De animæ memorativæ scientia.

C A P. I.

De Alphabetis quibusdam necessariis ad vocabulorum, sententiarum, orationum & subjectorum in memoria retentionem & præsertim in arte rotunda.

Nutraque arte rotunda scilicet & quadrata requiruntur quinque ordines alphabetici: quorum unus erit virorum, alter foeminarum, tertius brutorum, quartus avium & quintus piscium. Viri autem qui considerandi veniunt in arte sphaerica debent esse vel Dii vel spiritualia hominum corpora astris dedicata, qui fingi debent ab omnibus corporibus elementaribus immunes. Atque hoc idem quoque de foeminis naturæ cœlestis est intelligendum. Nomina autem Deorum & cum Diis viventium sunt hi; *Apollo* cum radiis solaribus, *Bachus* cum uviv, *Cupido* cum arcu & pharetra, *Damogorgon* qui & *Pluto* Deus infernalis, *Æolus*, *Faunus*, *Gawymedes*, *Hymenæus*, *Jupiter*, *Lucifer*, *Mars*, *Neptunus*, *Orion*, *Pan*, *Quirinus*, *Romulus*, *Saturnus*, *Titan*, *Vulcanus*. Nomina verò Dearū & foeminarum cœlestium sunt illa, *Andromache*, *Bellona*, *Ceres*, *Diana*, *Europa*, *Flora*, *Gorgon*, *Hyades*, *Juno*, *Lucina*, *Minerva*, *Natura*, *Opis*, *Proserpina*, *Quinquatria*, *Rumia*, *Thetis*, *Venus*. Porro nomina brutorum hæc sunt *Aries*, *Bos*, *Caprinus*, *Delphin*, *Equus*, *Felis*, *Gorgoneus serpens*, *Hydra*, *Iricinus*, *Leo*, *Mulus*, *Nereus*, *Onager*, *Pegasus volans*, *Questor*, *Rhinoceros*, *Scorpius*, *Taurus*, *Ursa*. Ad aves autem quod attinet, quia in universa sphaera octava tres tantum, aves reperiuntur videlicet *Aquila*, *vultur* & *corvus*, idcirco earum ordinem in spiritus mutabimus virtutis aut vitii alicujus specimen induentes. Sic considerabitur *Ambitio* extensis alis sursum spectans, *Bestialitas* pilis repleta deorsum prospiciens, *Crudelitas* cum ense sanguinolento in una manu & cor transossum tenens manu altera, *Desperatio* se ipsam suspendens, *Ebrietas* Cyathum vino repletum tenens, *Fortitudo* columnæ innitens seu columnam amplectens, *Gula* ventre extenso semper comedens, *Humilitas* genibus flexis, *Infamia* sordidè maculis ubique contaminata, *Letitia* læto seu hilari vultu & floribus coronata canens aut saltans, *Miseria* pannis obsita & morbo tabescens,

Nemesis manibus sanguinolentis, *Obedientia* humilitate statuminata, *Pudicitia* albis induta vestimentis, *Querela* iracundiæ flammis percita, *Religio* crucem manu tenens, *Spes* anchoram cæruleam tenens, *Timor* currens & temper retrospiciens *Verecundia* corona aurea exornata, *Zelotypia* clam observans aliorum actiones. Porro rerum inanimatarum & ipsorum numerorum ordines ipsis rerum figuris seu similitudinibus exprimuntur, uti in sequentibus duobus ordinibus patet.

Oportet autem imaginari hæc omnia esse quasi umbras & res transparentes seu corpora diaphana in regione ætherea apparentia.

C A P. II.




































De alphabetis & nominibus pro arte quadrata.

IMagines in hac arte considerandæ sunt, uti se habent in natura elementari, hoc est, ut sint quodammodo corporeæ, licet tenui & subtili modo. Virorum, autem alphabetum sumitur ab illis, qui bene tibi sunt cogniti; aut etiam poteris pro libitu ex historiis tibi aliquas personas deligere: sed longè meliùs erit uti illis, qui cogniti tibi sunt aut familiares; Exempli gratiâ, *Abraham*, *Bernhardus*, *Carolus*, *Daniel*, *Emanuel*, *Franciscus*, *Guilielmus*, *Henricus*, *Johannes*, *Laurentius*, *Matthæus*, *Nicolaus*, *Oliverius*, *Petrus*, *Quintilianus*, *Richardus*, *Salomon*, *Thomas*, *Vincenzius*. Si ex historiis, *Achilles*, *Brutus*, *Cadmus*, *Diogenes*, *Eteocles*, *Fabius*, *Ganymedes*, *Hercules*, *Jason*, *Leander*, *Midus*, *Nestor*, *Orion*, *Prometheus*, *Quintilianus*, *Romulus*, *Sinon*, *Tantalus*, *Ulysses* cum *Circe*, *Xerxes* cum exercitu, *Tyxon* rota contusus. Fœminarum tibi notarum nomina hæc erunt; *Agrippina*, *Barbara*, *Catharina*, *Dalia*, *Elisabetha*, *Francisca*, *Guliana*, *Hester*, *Jana*, *Laurina*, *Martha*, *Nerea*, *Oriana*, *Paulina*, *Quirina*, *Rosamunda*, *Sara*, *Tomisena*, *Valeriana*. Hæstorica autem fœminarum nomina erunt illa, *Ariadne*, *Bersabe*, *Clitemnestra*, *Dido*, *Europa*, *Flora*, *Galilæa*, *Helena*, *Jana*, *Lais*, *Medea*, *Niobe*, *Olympias mater Alexandri*, *Penelope*, *Quintiliana*, *Roxana*, *Semiranis*, *Tomyris*, *Vesta*. Nomina brutorum hæc sunt, *Asinus*, *bos*, *Camelus*, *Dama*, *Elephas*, *Felis*, *Gryphus*, *Hydra*, *Jumentum*, *Leo*, *Mulus*, *Nereus serpens magnus*, *Ovis*, *Panthera*, *Questor* bestia latrans instar canis, *Rhinoceros* habens cornu in fronte, *Simia*, *Tigris*, *Urfa*. Nomina avium erunt illa: *Aquila*, *Bubo*, *Corvus*, *Drepanus*, *Erythacus* avis sola manens *Falco*, *Grus*, *Hirundo*, *Ibis*, *Luscinia*, *Milvus*, *Noctua*, *Olor*, *Pica*, *Querquedula*, *Regulus*, *Sturnus*, *Turdus*, *Vespertilio*. Vide figuras Num. 3. & 4.

Et




Ordo Alphabeticus rerum inanimatarum.

Figura rerum inanimatarum pro hac arte.

							
A	B	C	D	A	B	C	D
							
E	F	G	H	E	F	G	H
							
I	L	M	N	I	L	M	N
							
O	P	Q	R	O	P	Q	R
							
S	T	V	X	S	T	V	X

Ordo Characterum Arithmetico-
rum in hac arte.

Characteres Arithmetici in
hac arte.

							
1	2	3	4	0	1	2	3
							
5	6	7	8	4	5	6	7
						3	Et
9				8	9		

Et sic in cæteris: Nam homo insidens dorso asini & lanceam manu tenens significabit 10. Cum furca verò 20. cum tripode 30 cum libro 40. & sic in cæteris. Atque si 11. in loco aliquo volueris phantastico modo consignare, duos homines, duas lanceas gerentes imaginaberis: Quod si 432. volueris exprimere, finges hominis imaginem à parte sinistra librum manu tenere, in sinistra verò parte imaginaberis pistorem aut agricolam furca instructum, & in medio constitues foeminam tripodi insidentem assignatis, scilicet, cuique harum personarum convenientibus actionibus,

C A P. III.

Quotuplex sit hujus artis idea, & quibus actionibus assignanda in quolibet sphaera loco.

Idea seu imaginaria forma hujus artis est

Aut *principalis*, quæ scilicet in omni vocabulo principali, aut particula membri alicujus orationis vel sententiæ agit: Eritque Arietis effigies in primo loco primi orbis: At si actio vocabuli prædominantis non sufficiat ad expressionem rei significandæ, tunc potest adjuvari actionibus domini ejusdem signi, scilicet Martis: sed hoc raro accidit.

Aut *minus principalis*; cum nempe ad insigniorem distinctionem historia in orientali signi theatro, naturæ signi imprimitur: Sit ergo Jason in primo loco collocatus, vellus aureum manu tenens, Medea in secundo, Paris pastor in tertio, Daphne in quarto, & Phæbus in quinto significans diurnam esse constellationem & masculam: atque sic in cæteris *theatris orientalibus*.

In *theatris* verò *occidentalibus* debemus solummodò imaginari umbras formarum primi theatri obscuro modo apparentes; quia hujus theatri color, quatenus noctis est principium, fuscus apparere solet phantasiæ oculis.

C A P. IV.

De ordine principali idearum per sphaeras Planetarum.

PER universam Saturni sphaeram ordo principalis erit talis: Primus hujus sphaeræ locus ascendens erit *Capricornus*, & sic consequenter secundum signorum successionem: quatenus Capricornus est Saturni domus diurna. *Saturnus* itaque in ♄. *rex ditissimus*, in ♁. *Senex prudentissimus & dux*, in ♃. *piscator*, in ♋. *iratus & invidus*, in ♌. *lubricus & luxuriosus*, in ♍. *balbutiens sed tamen doctissimus & prudentissimus*, in ♎. *mercator melancholicus ex damno*, in ♏. *fortunatus senex & nobilis*, in ♐. *sagax, sed hominum societatem fugiens, ut Diogenes*, in ♑. *homo jucundus & bonus socius*. in ♒. *homo vitalis, squalidus, pauper & virulenta dispositionis*, in ♓. *dives & potens sed contentiosus*: Induat ergo Saturnus vestimenta, habeatque actiones aptas & convenientes rebus prædictis, pro loci & signi natura, in quo reperitur. Deinde oriatur signum ♃. ubi Jupiter apparebit tanquam rex cœlestis cum summo honore, in ♄. *pusillanimis*, in ♁. *pauperrimus presbyter*, in ♃. *& potens magni honoris ac divitiarum*, in ♋. *dux fortunatissimus in bello*, in ♌. *amore captus*, in ♍. *mercator bonæ fidei*, in ♎. *principum amicus & in pretio apud magnates*, in ♏. *sapiens & amabilis*, in ♐. *scientia præditus*, in ♑. *Episcopus, aut dives in rebus Ecclesiæ*, in ♒. *amicus alicujus principis*.

pis. Sic porro, si ea pars Zodiaci, quæ Arieti attribuitur, oriatur, in qua Mars cognoscitur suū habere dominium, ipse in ea describetur curru vectus, ens semq; manu tenēs, & fulgura ab oculis ejiciens, in ♄ rapiens violenter sœminā sub forma militis cōmunis, in ♀ animam Ulyssis simulans, in ☿ inconstans & temerarius, in ♁ seipsum interficiens aut suspendens, in ♃ fingens literas aut Sagittas ab arcu mittens, in ♃ cum Venere in adulterio deprehensus à Vulcano, in ♃ dives in possessionibus, in ♃ conductor exercitus, in ♃ alios gladio vulnerās in ♃ audax & magna aggre diens, in ♃ amicus Regis. Tū postea, si Leo oriatur, & se supra horizontem, cū suo Domino, videlicet Sole, cōmonstraverit, Apollo in eo dignitatem Imperatoris habebit, & in ♃ justitiam exercebit, in ♃ mercator erit res ponderans; in ♃ cū serpente Pythone pugnabit, in ♃ sagittas suas huc atque illuc ejaculabitur, in ♃ tristis erit & obscurus, in ♃ per flumen navigare videbitur, in ♃ cum Oceano cires erit, in ♃ erit biliosus atque iracundus, in ♃ cum Minotauro belligerabitur; in ♃ cum Castore & Polluce familiaritatem habebit, & sic in cæteris: Taurus enim surgens, Venerem in sua domo habebit, ipsa que more Europa infidebit dorso tauri: Sic in ascendentibus Geminis, imaginabimur Mercurium: atque itidem quoque ascendente Cancro, Lunam, procedendo cum illis successivè & gradatim, uti fecimus cum superioribus.


C A P. V.

De imaginibus minùs principalibus.

ALiquibus fortasse minùs placebit umbrarum minùs principalium multitudo. Ut itaque iis gratiosior sit hæc ars exclusis imaginibus, sciendum est, locos illos posse coloribus ab invicem distingui hoc modo: *Primus locus* erit albus instar prati nive cooperti, *Secundus* sit rubicundus, habeatque effigiem prati existentis ante portam theatri, in quo prælium fuit commissum, ita ut ejus superficies sanguine tincta colorem rubicundum exhibeat, *Tertius* locus sit viridis & area quædam ante portam gramine arboribusque virentibus conspicua, *Quartus* sit cæruleus, & undequaque instar vallis ante portam fontibus irriguus; *Quintus* & ultimus sit specus seu spelunca subterranea obscurissima, nigrum præ se ferens colorem. His pratis oppositæ fingantur *quinque columnæ*, quæ itidem debent figura & colore distingui; *Figura* enim *duarum extremarū* erit circularis & rotunda, *media* autem *columna* habebit figuram hexagonæ, & quæ his *intermedia* sunt *quadrata* possidebunt figuram: Colore etiam hoc modo ab invicem different, ut colores earum relationē habeant cū coloribus portarum theatriis oppositarum, opposita tamen seu inversa ratione: ita scilicet ut albedo nigredini obiiciatur, &c, Poteris etiam hisce columnis annulos phantastico conceptu & catenas affigere, quibus adligata animalia significabunt *Adverbia*, *Conjunctiones*, *Præpositiones* & *Interjectiones*, uti in sententiis dicitur. Eritq; in illis hicordo: *Alba* columnæ fingatur affixus annulus argenteus, cum tali quoque catena, *Rubra* verò cupreus cum catena ex ramo facta; & *Livida* plumbeus cum catena plumbea, ac *Nigra* denique ferreus annulus cum ferrea itidem catena affixus existimetur. Ubi autem vocabula sunt significativa, ibi necesse est, ut illa denotentur per imaginem aut idæam magis principalem, & non aliter, ut in sententiarum recordatione apparebit.

Sequitur

Sequitur figura vera theatri.



C A P. VI.

*Quot modis imagines magis principales possint in locis
vacuis exprimi, tàm in arte rotunda,
quàm quadrata.*

*Actiones, quibus
imagines in lo-
cis exprimun-
tur, solent esse aut*

*Crudeles, videlicet cùm aliquis videt rem quandam imma-
nem, aut facinus quoddam crudeliter, & contra naturæ
leges patrari: cujus generis sunt, Tyrannus aliquem interi-
mens, Lucretia seipsam è medio tollens.*
*Ridiculose, veluti, si fœmina ex asino decidens denudet sua secretio-
ra, & omnes aliæ res dignæ risu.*
*Miraculose, veluti si occurrat homo duobus capitibus natus, vel asi-
nus doceat aliquem canere fidibus aut ipsemet etiã doctus evadat.*
*Obscœne & turpes: ut si quis in re inhonestâ versetur, eaq. turpiter
afficiatur.*

Et

ET hujusmodi etiam actionibus uti possunt imagines aut ideæ cœlestes, quas imaginari possumus in pratis illis antea descriptis. Hic autem notare debemus, quod unumquodque theatrum tibi dabit quinque portas videlicet, *Albam, Rubram, Viridem, Cœruleam & Nigram*. Hic etiam velim te in primis observare, quod plurimum huic arti conferat, si in sphaera Zodiaci sive stellata imaginis historias loco & actione cuique signo & ejus loco convenientes: verbi gratiâ; ad signum *Arietis* pertinet historia aurei *Velleris Jasonis & Medæ*: *Prima* igitur idea ante portam albam erit *Medæ* in summitate montis *Atlantis*, herbas suas magicas colligentis nive coopertas; *Secunda* ante portam rubram erit *Medea* fratrem suum interficiens membraque ejus in prati herbas projiciens: *Tertia* erit *Medea* herbas colligens in tempe *Thessaliæ*, virgultis, arboribusque viridibus vigente, ut *Jasonis* conamini queat assistere. *Quarta* erit *Jason & Medea* navem ingrediens cum vellere aureo. *Quinta* erit domus aut locus ille obscurus, in quo *tauri & draco*, aurei velleris custodes, incantatione ligati & inclusi manserunt, & sic in cæteris.

C A P. VII.

Quot modis in utraque arte, videlicet tam in rotunda, quam in quadrata exprimantur vocabula significativa?

Expressio vocabuli significativi fit tribus modis, scilicet

- Relatione, scilicet, cum res aliqua alteri refertur, ita ut per eam relationem, significet rem aliquam sine rei significandæ expressione: Sic atramentum potest significare atramentarium, nigredo atramentum, vagina gladium.
- Similitudine: nempe cum res similis in loco expressa indicat eam cui similis est, veluti *Sirenes fœminas, Henricus pauper coronatus, Henricum Regem Gallia, &c.*
- Regali presentia: sic imago aut idea gladio aliquem percutiens significabit gladium. Hæc igitur est, cum res vera in sua natura & substantia in loco aliquo ab imaginis vel ideæ actione exprimitur.

C A P. VIII.

De utilitate expressionis imaginum fixarum, quas essentialia vocamus.

SI in harum imaginum expressione voluerimus multiplicem commoditatem reperire, nihil erit in prædictorum locorum medio exprimendum, præter illud, quod ex historiis quibusdam excerpimus: verbi gratiâ; ex vita *Julii Cæsaris*, ut alterius alicujus *Romani*, vel *Cleopatras*, vel alicujus *Trojani*, vel cujusdam *Philosophi* insignis, aut consimilium, vel ex sacris *Bibliis*, uti narrationes *uitarum Samsonis, Davidis, Moylis, Macchabæi, & aliorum*. Prima ergo utilitas erit *historiarum* retentio seu memoria, per quas etiam poteris facillimè vocabula significativa, non significativa, audita scilicet atque inaudita, similiter sententias, orationes & rerum subjecta memoriter retinere.




TRACTATUS PRIMUS.
SECTIONIS II.
PORTIONIS III.
LIBER III.

De animæ memoratiuæ scientia.

C A P. I.

*Quotuplex sit vocabulum: Et de modo explicandi in locis
vocabula significativa.*

Vocabulum *significativum* appello illud, quod per vivam aliquam imaginis, aut ideæ actionem in loco aliquo explicari potest: *Non significativum* verò, quod in locis per se propter actionis defectum significari non potest.



C A P. II.

*De vocabulorum significativorum recordatione in arte
spherica.*

LOcis, ut supra dictum est, distinctis & descripta in primo theatro historia Medæ per quinque prata, oportet per regulam prædictam in vocabulorum significativorum expressione operari hoc modo, videlicet si vocabulum (*Liber*, velim in primo loco denotare, imaginabor Medeam in prato albo, tanquam subtilem spiritum in æthere pendentem aut in curru igneo sedentem, inspicere librum magicum: Atque hæc talis imaginatio debet reali expressione in loco sibi proprio notari. Porro secundum vocabulum sit (*exaltabat*) possumus igitur fingere, spiritum istum Medæ in turris summitate prospicere & anxie observare, an Pater eam persequatur, nec ne. *Tertium* vocabulum sit (*Latus*) quod ut explicetur imaginabimur, spiritum Medæ latari duplici nomine, tum scilicet propter loci amœnitatem, tum etiam, quod invenit herbas proposito suo intervenientes. *Quartum* vocabulum sit (*cultellus*) Medeam igitur cultellum suum, quo fratrem jugulavit, in mare projicere nobis persuadeamus. *Quintum* vocabulum sit. (*Lux*) Quod ut significetur, imaginabimur, quod in conflictu Jasonis cum serpente vigilante & tauris flammis evomentibus eximia lux & ingens scintillarum multitudo ex spelunca profiliat. Et sic progrediendum ad theatrum V. occidentale, in cujus obscuritate essentielles Medæ actiones, tanquam reflectentes umbras speculari debemus.

C A P. III.

*De vocabulorum significativorum recordatione &
positione in arte quadrata.*

SI vocabula fuerint significativa, exprimentur aut relatione, aut similitudine, aut reali præsentia: Sic vocabuli (*Leo*) significationem exprimam in prima primi loci porta per relationem, videlicet per Sampsonem leonina pelle amictū, aut reali actione per Sampsonem cum leone pugnantem: si secundum vocabulum sit (*Ensis*) imaginabimur per relationem, quod Dalila iracundiæ ardore percita rumpat inventam mariti vaginam, aut etiam reali actione fingemus, quod desperata mortem sibi gladio consciscat. Quod si tertium vocabulum sit (*musca*) fingemus, aut reali præsentia, quod aliquis Philistæorum studens evitare Sampsonis violentiam & fervorem, insideat muscæ & evolet in aërem, aut relatione quod carnes habeat putridas à muscis undique corruptas, aut similitudine, quod alis, muscæ simillimis fugiat ex loco uno in alium.

C A P. IV.

*De vocabulorum cognitorum quidem, sed aut omnino non,
aut difficulter significativorum in utraque
arte recordatione.*

In arte rotunda solent nomina substantiva, adjectiva & participia per ordinem alphabeticum Deorum, cum aliqua tamen eorum circa fixam imaginem actione

ne explicari. Sic Neptunus nihil faciens vel otiosus significabit, nihil. *Verba nō significativa* exprimuntur per alphabetum Dearum, ut proserpina in magna majestate significat posse: *Pronomina* porro omnia indicant ut aut vitio aliquo, quod erit monstrum vel Diabolus, aut virtute, quæ erit Angelus: sic (*Ille*) explicabitur per monstrum aliquod leprosum, & maculis repletum, digito aliquid ostendens *Adverbia* autem *Conjunctiones*, *Præpositiones* & *Interjectiones*, solent per bruta cœlestia significari. Atque sic etiam sese res habet in *arte quadrata*, hoc solo excepto, quòd pro vitiis & virtutibus aves solent usurpari: sint tamen hæc omnia cum notabili aliqua actione conjuncta aut iudicata: Possumus etiam totum animal aliquando per notabilem & distinctam quandam ejus partem denotare, ut *Leonem* per caudam, pellem vel ungues, *Elephantem* per dentes aut nasum retortum, *Pantheram* per relationem inter illum & rem aliquam maculis infectam, atque etiam per pellem, *Asinum* per lyram, *Bovem* per cornua, *Hydrum* per venenum, *Camelum* per vestimenta Sancti Johannis, *Gryphum* per alam cum cauda leonis, *Quastorem* per linguam aut canem, *Rhinocerotem* per cornu, *Simiam* per imitationē, aut hominē simiæ similē, *Ursam* per plaustrū cœlestē, *Felem* per murem aut ignem, *Mulum* per onera, *Equum* per frænum, *Agnum* per lanam, *Adamum* per pomum, *Bonifacium Papam* per clavem, *Cadmum* per serpentem aut arborem *Davidem* per Goliæ caput, *Eteoclem* per flammam divisam, *sanctū Franciscum* per crucem sanguineam, *Herculem* per fustem aut arcum, *Jasonem* per vellus aureum aut infidelitatem, *Midam* per aurum, aut aures asininas aureas, *Nestorem* per barbam albam, *Orpheum* per lyram, *Prometheum* per cor sanguineum aut vulturem, *Quintilianum* per Grammaticam aut virgam, *Raimundum Lullium* per phialam & alembicum, *Sinonem* per equum ligneum, *Tantalum* per famem aut pomum in aqua, *Ulysses* per Syrenes, &c. Sic ponitur pro *Aquila* oculus aspiciens Solem, pro *Bubone* obscuritas, pro *Corvo* nigredo, pro *Drepane* hyrundo, pro *Eri-thaco* homo solus in desertis, pro *Falcone* tintinnabulū, pro *Grue* locus aquaticus, rostrum acutum, vel herba geranium, pro *Hyrundine* tectum domus, pro *Ibe* parvulus serpens. Atque ita semper sese res habebit in distinctione formarum conceptarum in arte rotunda respiciendo assiduè ad prædictas exceptiones.

G A P. V.

De nominum propriorum cognitorum recordatione.

CUM nomina propria cognita atque communia vis recordari, oportet te alios eorundem nominum, qui vel familiariter, vel ex historiarum lectione tibi cogniti sunt, in locis collocare, & quidem simpliciter actione tali, quali communiter uti consueverunt: Verbi gratiā, si meminisse voluero alicujus *Caroli*, collocabo ibi quendam *Carolus* bene mihi cognitum: qui quidem, si *Notarius*, *Secretarius*, aut *faber ferrarius* fuerit, &c. ille quoque hoc officio in loco illo, ubi ponendus venit, cum evidenti imaginis adjuncto, & notabili ejusdem actione fungetur, vel etiam eligam quendam in historiis clarum, veluti *Carolus Magnus* belligerantem contra infideles. Sic si *Clementis* velim recordari, ponam in loco meo communi, *Papam Clementem* cum cornu in manu promeliore distinctione, & sic in cæteris.

C A P. VI.

De nominum propriorum, nunquam tibi ante auditorum, recordatione.

IN hac regula maximè requiruntur *ordines alphabetici*: Nam bestia *primam* significabit literam, homo, *secundam*, res mortua *terciam*, & avis *quartam*, idque non sine eximia imaginis actione, quæ rem aliquam non decentem peraget cum bruto, homine & ave; Exempli gratiâ, Angeli, teste Sibylla, qui custodes sunt, numerantur *Heromiel, Saniel, Uriel*, &c. In loco primo igitur pono Hydram, quæ veneno suo interficit principalem loci imaginem, & super dorso Hydræ imaginabor Eteoclem ardentem, tenentem manu labrum, ut aqua ejus ignem extinguat, sed olor instans ejus capiti omnem aquam magna siti percitus, ebibit, quare hîc non restat, nisi *miel*, quod facillimum est recordari, retento *Hero*; Nam *Hydra* significat *H. Eteocles E. Labrum R. & Olor O.* Actio autem erit, ut tangens hydram concidat mortuus. *Secundo loco* ponam Simiam, quam Adam ex Paradiso ducens furca sæpissimè percutiat: Sanguinem autem à simia dimanantem fingam nutrire Ibem avem: Actio itaque imaginis essentialis erit, ut Adamû vulneret, quia sæpissimè in domum suam introivit cum Simia & Ibe sua. *Tertio loco* collocabo Ursam in cujus dorsum elevabitur Raimundus Lullius cum phialis & alembicis. *Ursa* autem furibunda rumpet seu confringet phialas, eaque propter à Raimundo percutietur pistillo. Sed & alio quodam modo faciliori, hoc idem poterit fieri: Etenim si in continenti volueris aliquod vocabulum antea tibi inauditum memoria retinere, pones in locis destinatis alia quædam vocabula, aut propria nomina, aut alias significativa, quæ exprimant omnes ferè aut aliquot syllabas illius tui vocabuli inauditi, cujus recordari cupis; Verbi gratiâ: Si velis recordari *Uriel* ponetur primo loco *Urias*, qui iussu Davidis fuit in bello interfectus, & quia hæc dictio exprimit duas syllabas nominis tui inauditi aut inusitati, idcirco imaginaberis eum fuisse furca interfectum, quæ significat duo: Constitues autem illum in dextra loci tui parte, ut admonearis, eum denotare primas syllabas, & in sinistra parte collocabis *Eliam* ascendentem in coelum, ac tenentem manu lanceam, quæ significabit syllabam unam, & sic in cæteris. Hoc modo etiam poteris in arte rotunda operari.

C A P. VII.

De sententiarum recordatione tam in arte rotunda, quam in quadrata.

POSTEAquam perfectum vocabulorum significativorum modum didicisti, poteris, si ad amissum volueris operari, collocare omnia vocabula ordine convenienti in singulari aliquo loco, ut ita inter se distincta habeantur: sed quia illud in multitudine sententiarum tædiosum foret & infinitum, idcirco aliam incedemus via: Observentur igitur in hoc opere sequentes regulæ *primò* scilicet ut perfectum alicujus membri sensum exprimas vera aliqua & propria actione; verbi gratiâ, in hac sententia, *Corporum prima divisio est in simplicia*, fines, quod imago quædam dividat corpora, aut divisionem faciat in elementa, quæ sunt simplicia: *secundò* si vocabulum incipiens aut initiale sit non significativum, aut difficulter significari possit, tunc exprimes illud per imaginem, ut in secundo libro dictum est; ita faciet illud actionem cum vocabulo proximè sequenti: ve-

luti, *omnis motus simplex aut rectus est aut rotundus*: Hic Orpheus movebitur rectè & rotundè; aut Sol formabitur in manu, significans motum per relationē. *Tertiò* si duo vel tria adverbia aut conjunctiones, &c. inchoent sententiam oportet illa in uno tantum loco exprimere, ni consequentia sint manifesta, & in sensu natura inseparabilia. *Quartò*, cum exactè volueris & subito dictas membri particulas in locos suos disponere, assignabis prius imaginibus actiones fictorum vocabulorum significativorum: Ut, si collocavero atramentum in primo loco, & primum membrum fuerit illud: *Forma dat nomen & esse rei*; fingam, imaginem tollere atramentum, & post absterfionem ejus de facie cujusdam formosæ puellæ, appellare illam Mauram. Cum autem volueris hæc peragere in arte rotunda oportebit uti ro. portis Medæ, & deinde Europæ, &c.

C A P. VIII.

De orationibus & carminibus.

IN orationibus & Carminibus opus prædicta propositione & eodem præcisè modo; sed & in Carminibus facillimè id præstatur propter mensuræ necessitatem.

C A P. IX.

De subjectis & quotupliciter subjectum hic accipiatur.

SUBJECTŪ, uti hoc loco illud accipitur, est actio perfecta alicujus intentionis, que vel relatione aliqua, vel similitudine vel saltè realiter in uno solū loco exprimitur: Actionē autem perfectā alicujus intentionis voco illam, qua sensus alicujus historiæ vel dicti sapientis, vel legis, vel aphorismi aut consimilium exprimitur, & perfectè in loco aliquo explicatur: sed quia in his omnibus varius est operandi modus, idcirco ordine quodam & methodicè progrediemur. In historiarum igitur subjectis sciendum est, quòd *historia duplici modo in locis exprimitur, videlicet, aut generaliter aut specialiter*. Generaliter exprimitur historia cum tota ejus series & sensus in unico solummodò loco explicatur, ut si generaliter velim totam secundi libri Æneidos historiam Virgilianam in loco aliquo exprimere, fingam, quòd imago loci in summitate montis eminus conspiciat, qua ratione ingens equus ligneus de nocte in urbem introducat, adeoque etiam deinceps, cæca adhuc nocte, ipsa urbs lamentabili modo omni ex parte accendatur. *Specialiter* autem historia exprimitur, cum unaquæq; ejus pars seorsim explicatur.

C A P. X.

De modo exprimendi figuras arithmeticas in prædictis locis.

HUJUS rei mentionem fecimus in libro nostro *de Arithmetica universali*, ubi etiam particulariter de Arithmetica memoriali caput unum atq; alterum proposuimus, eaque ratione docuimus modum numerandi, addendi, subtrahendi, multiplicandi & dividendi per aptam figurarum memorialium positionem, in locis convenientibus. Quocirca vos ad illum tractatum nostrum hac remittimus, ut breviter huic sectionis secundæ portioni finem imponamus.



TRACTATUS PRIMI.
SECTIONIS II.

P O R T I O I V .

De animæ vitalis cum intellectuali
Scientia, hoc est, de Gene-
thliologia.

In qua agitur de Genii cujusque inquirendi ratione.





TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

PORTIONIS IV.

LIBER I.

De animæ vitalis cum intellectu
Scientia, hoc est, de Gene-
thliologia.

C A P. I.

De Astrologia, & ejus partibus.



Eteres recensuerunt *quatuor* Astrologiæ partes, quarum *unam* in tēris mutationibus, tempestatibus, cæterisque hujuscemodi rebus versari voluerunt, & per eam consueverunt præfagire salubritatem, morbos, & annonæ copiam vel penuriam: *Altera* agit de imperiorum, principatum, rerum publicarum, aut urbium principii, mutationibus, excidiis, bello & consimilibus aliis ejus generis alterationibus. *Tertia* se dividit in *tres ramulos* seu species, quarum *una* in temporum electionibus occupatur, de qua in generali nostro Tractatu de Astrologia integrum libellum scripsimus; *altera* circa quæstiones & interrogationes versatur; Et *tertia*, quæ merito princeps cæterarum Astrologiæ partium existimatur, appellatur *Genethliologia*, de qua hoc loco agere præcipuè intendimus: *Quarta* & ultima species *σοχησιωαλιχη* dicitur, quæ in fabricandis characteribus, sigillis, & statuis consistit, quorum effectus mirabiles historiæ multorum generum decantant: Sed quoniam ars diabolica, cùm hac se miscet (sicuti quàm sæpissimè videmus rem bonam impiorum abusibus commaculari & conspurcari) illam repudiabimus, & breviter nos ad Genethliologiæ inquisitionem ac explicationem accingemus.

C A P. II.

Genethliologia quid, & in quo versetur ejus judicium?

Genethliologiam definimus illam Astrologiæ partem, *quæ docet, quæ animi, quæ corporis, quæ fortune bona debeant nato contingere, & unde illa dimanent quibusque signis futura, eum concernentia, denotentur.* Hujus igitur Astrologiæ partis
judicium

judicium seu praxis dividitur, *in inquisitionem bonorum vel corporis, vel animi, vel fortune*: Quæ quidem omnia peritus Astrologus, ex diligenti domorum cœlestium observatione, ac Planetarum eas possidentium, & naturarum eorum consideratione ac mutuo illorum aspectu & relatione prælagire non dubitabit.

C A P. III.

De Astrologorum vulgariū in inventione Domini genituræ incertitudine.

CUM de hujus scientiæ praxi seu judicio agendum est, erecto prius schemate seu figura cœlesti, eo modo quo in Tractatu nostro de Astrologiæ antea declaravimus ad veri genituræ Domini cognitionem in primis procedendum censemus. At verò in hoc labore magna occurrit Astrologiæ vulgaris incertitudo, quatenus in Domini Genituræ electione haud exigua est inter Astrolog. opinionū diversitas: Nam *Firmicus*, vir quidem in hac arte peritus, eum planetam eligit pro Genituræ Domino, qui signo, quod Luna proximè post nativitatem ingreditur, præesse animadvertitur, Leone & Cancro, quibus duo luminaria imperant exceptis; verbi gratiâ, si Luna tempore nativitatis Taurum peragret, quoniam ea proximo loco in Geminis migrabit, qui domus sunt Mercurii, ideò Mercurius erit Dominus nativitatis. Alii autem nonnulli statuunt illum Genituræ Dominum, qui in puncto nativitatis fortior est in hemispherio, hoc est, qui eo tempore plures habet dignitates essentielles in cœlo. Alii verò volunt, illum esse nativitatis Dominum, qui plures & præcipuas dignitates obtinet in quinque locis hylegialibus, scilicet in locos Solis, Lunæ, Horoscopi partis fortunæ, & conjunctionis vel appositionis luminarium, nativitatem immediate antecedentis; & sic in aliis. Quorum quidem opiniones diversæ tantam hujus artis certissimæ incertitudinem, per Artistarum ignorantiam, mundo pepere-runt, ut ars ista nobilissima in se & per se simplex, pura & digitio Dei Omnipotentis cœlis insculpta, à vulgarib. hominib. pro sophistica, spuria, & præstigiōsa falsò habeatur & reputetur: Qualis ergo sit nostra de eligendo Genituræ Domino sententia infra declarabimus.

C A P. IV.

De loci fortunæ inventione in Genitura

OMNES ferè in Astrologia versati solent inventionem loci fortunæ in arte Genethliologica diligenter inquirere; Cum hic locus in maximo apud eos habeatur respectu, à meo verò in hac arte Magistro, viro certè in scientia Astrologica & Mathematica præcellentissimo *Domino Allen Oxoniense*, locum fortunæ hoc modo investigare fui institutus: Abstrahendus est locus Solis à loco Lunæ hoc modo: Si contingat, ut ☉. sit in 7. gr. & 18. min. ♀. oportet omnia signa numerare à signo primo videlicet ab ♃. & inventientur sex signa, scilicet ♃. ♄. ♀. ♁. ♆. & 7. grad. cum 18. min. ♀. Quæ abstrahenda sunt à loco Lunæ: Sit ergo Luna in 14. grad. & 9. minut. ♄. Quare distat ☾. à principio per novem signa nempe ♃. ♄. ♀. ♁. ♆. ♁. ♃. ♄. & 14 grad. cum 9. minut. ♄. disponantur igitur hoc modo.

☾.	9.	signa	14.	grad.	9.	minut.	
☉.	6.	signa	7.	grad.	18.	minut.	
☾.	3.	signa	6.	grad.	51.	minut.	Residuum.

Subtractione igitur facta, addenda sunt residuo signa interposita inter V. & signum ascendens cum gradu & minuta etiam ejusdem signi. Exempli gratiâ; si ascendens fuerit 8. grad. & 24. minut. ♄. tunc inter V. & illum interponuntur 4. signa. Quibus additis residuo supradicto, sic manebunt.

sign.	grad.	min.
3	6	51
4	8	24
7	15	15.

Hæc igitur simul addita producantur locum fortunæ, qui erit in septimo signo, numerando ab V. ad 15. grad. & 15. minut. ♃. Atque dicitur *locus fortunæ*, quoniam in illo loco seu gradu maxima nati fortuna sita est. Cæterum, si Lunæ signa pauciora fuerint quàm Solis, tunc 12. signa addenda sunt signis Lunæ, & deinde abstrahendus est locus Solis, à loco Lunæ, ut supra: Et si post additionem factam plura signa producantur, quàm 12. abjiciatur Zodiacus, & residuum in gradu & minuta respiciatur: Verbi gratiâ, Horoscopus sit 26. grad. 10. minut. 20. Locus Lunæ ♀. 26. 10. Locus Solis ♄. grad. 20. minut. 30.

sign.	grad.	minut.
2	20	10
4	20	30
9	29	40

Hoc facto addenda sunt signa cum gradibus & minutis interposita inter V. & signum ascendens. At quia post additionem 12. signa abjicienda sunt, & residuum cum grad. & minut. eligendum, inueniemus, quòd sign. 1. grad. 12. & min. 0. fuerit locus fortunæ.

9	29	40
3	10	20
1	10	0

Erit videlicet locus fortunæ 8. grad. 12. & null. minut.

C A P. V.

*Quòd vera Astrologiæ cognitio occulta nobis sit & abscondita, & quòd neglectis cæteris illis artis ambiguitatibus, quæ ambiguo modo nobis ab Astrologi-
cis scriptoribus traduntur, amplectenda sit via plana & simplex,
donec alia verior & certior nobis benigna
Dei voluntate innotescat.*

IN Tractatu nostro de Astrologia declaravimus, artem istam esse verissimam; Artistas verò spurios & incertis præstigijs ac ignorantia opinionibus fallacibusque documentis contaminatos. Et quamvis aliquibus divina hæc scientia fuerit revelata, attamen illi, si quid de ea in publicum ediderunt, tam obscure id fecerunt, tantisque ænigmatib. & rebus in speciẽ quidem veris aut apparentibus, sed nullo vero modo ulpiam existentibus illud permiscuerunt, ut ne Oedi-

dipi quidem subtile ingenium potuerit, aut certè vix ægréque potuerit occultam & abstrusam eorū intentionem enucleare, aut sententiam eorū & scientiæ veritatem ullo modo ex ipsorum scriptis elicere: Ita scripserunt Alchimistæ de lapide suo physico, sic Magi verè naturales de sua magia, aut sub sensu ænigmatico, tanquam naturæ sacrario, arcana sua abscondentes, aut sub nominibus Dæmonum atque Angelorum mysterii sui medullam tegentes, aut fabulis & fictis narrationibus rei veritatem scientificis revelantes, ut hac via stultos atque fatuos (ipsorum enim verbis uti liceat) fallerent atque errare facerent. Est tamen hujus & aliarum dictarum scientiarum arcanum certum, infallibile atque divinitus hominibus cum ipsa sapientia è cœlis sanctis missum, sed paucis admodum revelatū: Cujus quidè traditionē cabalisticam, quoniā à nemine adhuc viva voce verbisque apertis accepimus, contenti erimus cum reliquis in scientia hac vulgari versatis simpliciori & faciliori via, eaque, relictis omnibus compositis & fictis Astrologorum nominibus ac operationibus, utemur. Sic itaque *primo loco* Dominum ascendentis, hoc est, Planetam in signo primam domum occupante prædominantem, sive debilis sit, sive fortis, respiciemus, & secundum ejus dispositionem de corporis habitu, statura, complexione, sanitateque & hujusmodi aliis, uti & de animæ moribus inclinationibus judicabimus: Deinde pro nati divitiis & facultatibus bonorum considerabimus, *secundo loco* domum secundam, ejusque signi naturam atque Dominum, Domini que locum, in quo, tempore nativitatis, invenitur. *Tertio verò loco*, domo tertia, ejusque signo & signi Domino consideratis, fratrum & sororum numerum, eorundemque naturam ac dispositionem erga natum observabimus, & similiter de itinerum nati brevium prosperitate vel infortunio, & de religione quoque nonnulla cognoscemus: *Quarta domus* cum suo signo & signi Domino indicabit res ex occulto obventuras nato, thesauros absconditos, ejus in agricultura felicitatem vel infelicitatem, domos itidem ac ædificia & possessiones ex parte parentum ei obventuras: *Quinta*, ejusque signum, & signi Dominus arguet nati fecunditatem aut sterilitatem, multitudinemque aut paucitatem liberorum, similiterque nati solatia seu dona & munera in vita, ei promissa indicabit. *Sexta* cum prædictis ei convenientibus denotabit agritudines & morbos nati futuros in vita, itidemque servorum fidelitatem seu infidelitatem, & nati circa bestias seu pecora prosperam vel adversam fortunam aut successum: *Septima* cum suo signo & ejus Domino declarabit nati uxorem, matrimonium & lites, ac contentiones: *Octava* explicabit nati mores, naturam, laborem & tristitiam in vita ac hæreditates morientium: *Nona* præmonstrabit nati religionem fidem, visiones, sapientiam, & itinerum longorum successum. *Decima* nobis aperiet nati dignitates, officia & favorem apud Principem: *Undecima* spem nati, ejusque fiduciam, & amicorum multitudinem, ac eorum fidelitatem aut infidelitatem indicabit: Atque *duodecima* tandem nati occultos inimicos, deceptores, invidos, malasque hominum cogitationes atque susurrationses deteget, similiterque ejus fortunium aut infortunium in majoribus animalibus docebit. Ex quibus luculenter videmus, quod hac via de quolibet dubio in vita nati futuro possimus simplici ac plano Astrologiæ modo liberantes nos ea ratione ab infinitis veterum Astrologorum nugis & commentis, judicare & pronunciare. Nec tamen potentio rem totius cœli Dominum negligere omninò volumus, sed, ejus naturam cum cæteris signorum Dominis ad bonum vel malum commiscendo, prædictiones nostras contemperabimus, imò verò dicemus, quòd res prædicta eò magis fuerit confirmata, quòd fortius commiscentur radii Imperatoris cum Domino aut signo domus, in qua res illa secundum naturalem signorum dispositionem continetur. Nos ergo simplici hac via soliti fuimus in

hujus Astrologiæ speciei myrothecium ingredi: Nec tamen huic arti fidem certam attribuimus, nisi à Geomantia, quam superius animæ scientiam esse explicavimus, confirmaretur: Ubi ergo hæ duæ scientiæ convenerunt, ibi rei veritatem inesse non inefficaciter prædiximus; in loco autem, ubi eas dissentire percepimus, nihil certitudinis, sed potius prædictionis inconstantiam esse declaravimus, nec ausi fuimus quicquam asseveranter ore incerto ebuccinare. Quomodo autem duodecim schematis cœlestis domus fortunio aut infortunio nati respondeant ex speculo sequenti poteris ad oculum percipere.





TRACTATUS PRIMI. SECTIONIS II.

P O R T I O N I S. IV.

L I B E R II.

De Microcosmi Genethliologia.

C A P. I.


*De primæ domus schematis cœlestis natura in explicanda
nati dispositione.*

Naturalis primæ domus cum ejus signo & signi Domino proprietas est, duplicem in primis nati dispositionem explicare, quarum una est debita corporis ejus constitutio, atque altera naturalis animi in moribus inclinatio & aptitudo.

C A P. I. P A R S I.

De nati corporis habitu & constitutione.

In exacta nati corporis similitudinis ejusq; habitus crassi vel tenuis ac staturæ brevis, mediocris vel proceræ inquisitione gradû signi ascendens in natiuitate *in primis* considerare solemus; *deinde* Domini ascendens & signi, in quo reperitur naturam & dispositionem respicimus; *denique* Planetæ fortioris totius cœli virtutem cum cæteris commiscesimus, sicuti pictor in colorum variorum mixtione unum à cæteris differentem proferre solet: Nec etiam sunt duo luminaria negligenda. Pro corporis ergo figura respicimus naturam signi ascendens, cum stellarum illarum fixarum dispositionibus, quæ extra Zodiaci margines positæ cum eodem signi ascendens gradu surgunt; verbi gratiâ in figura sequenti.



Gradus ascendentis est 22. 8. cum minut. 33. Quærasigitur in astrologia nostra caput de signo *Tauri*, ubi reperies primò, qualẽ dispositionem tum animi tum corporis *Taurus* denotet; Deinde ibi deprehendes, quòd *Cassiopea* constellatio, & *Perseus*, & stella in capite *Gorgonis* ascendent cum dicti signi longitudine ubi etiam earum naturas percipies, atque secundum harum stellarum naturas earumque mixtiones de figura nati & dispositione animi ejus judicabis: Deinde Dominus istius signi quærendus est, quem invenies esse *Venerem*; quatenus ipsa est *Tauri* Domina. Nam *Taurus* est domus nocturna *Veneris*; Hujus ergo naturã & habitum, tam in animo quàm corpore nati invenies in lib. 1. de *Astrologia* cap. sexto. Porrò etiam respiciendum est signum & domus, in qua *Venus* reperitur: Quia igitur illa, deprehenditur in duodecima domo, quam ☿. possidet; ideò ex capite *Aquarii* in Astrologia nostra descripto, ejus vim percipies tam in animo, quàm corpore nati. Hic autem *Mars* aliquid per accidens ager, quatenus in spatio primæ domus invenitur: Unde propter malitiam suæ naturæ morbos acutos minatur: Idque tantò magis, quoniam in *Ariete*, sua propria domo, existit, & proinde affliget natum in ejus ægritudine doloribus capitis: Atque hoc idem faciendum erit in omnibus aliis nativitatibus, facta vel instituta inquisitione tam in naturam signi anguli cœli, atque illius in quo Dominus anguli manebit, quàm ipsius Domini: Porrò etiam aspectus tum benevolos tum malevolos aliorum Planetarum, cum Domino primæ domus respicere debemus, & secundum eos de fœlicitate aut infœlicitate, judicare.

C A P. I. P A R S II.

De corporis nati longitudine vel brevitate.

Principium signorum auget longitudinem. sed eorum finis diminuit.

Gemini, Virgo, Libra, Sagitarius & Aquarius, quatenus sunt signa humana, bonam & proportionatam corporis constitutionem polliceri dicuntur.

Luna

Luna in signis longioribus, corporis proceritatem, in brevioribus verò depreffionem indicare traditur.

Sol in occidente denotat altitudinem & longitudinem.

Ego verò, his omnibus omiffis, Domini nativitatís motum in primis observavi. Quem si reperi in sua *Auge* five *Apogeo*, prædixi, natum fore altum & procerum, si in opposito *Augis* seu *Perigeo*, prælagivi ipsum fore curtum seu humilem & depreffum: At vero, si inter illos duos locos eum movere deprehendi, staturam mediocrem prænuñciavi.

C A P. I. P A R S III.

An natus futurus fit macilentus vel pinguis.

Prima medietas *Sagittarii*, *Geminorum*, & *Scorpionis* disponit natum ad corporis debilitatem, tenuitatem seu gracilitatem, & maciem.

Virgo, *Libra* & *Sagittarius* bonam corpori attribuunt complexionem, proportionem, & habitum.

Prima medietas *Leonis*, *Arietis*, & *Tauri* pinguedinem, atque ultima maciem nato pollicetur.

C A P. I. P A R S IV.

De animi qualitatibus & impedimentis.

Quamvis ex superioribus possimus satis luculenter animi qualitates percipere; attamē, si quis adhuc exactiorem illius rei inquisitionem desideret, *Schoeneri* doctrinam sequatur velim, qui in captulo septimo de qualitatib. animi naticopiosè & optimè scripsit, & captulo, etiam octavo ejusdem animi impedimenta affatim expressit.

C A P. II.

De secunda Domo.

C A P. II. P A R S I.

De fortuna, seu substantia nati.

PRO faciendo hoc judicio respicienda est domus secunda, ejus signum & signi Dominus: neq; etiam pars fortunæ, ejusque Dominus erit negligendus.

Quod autem ad signum attinet, si quidem illud bonum est, ominatur bonum; sin malum, bono contrarium: Promittit ergo bonū signum possessiones, divitias, & substantiam, & quidem eò magis, si in cuspide secundæ domus inveniatur stella primæ aut secundæ magnitudinis, quæ habet proprietatem naturamque simplicem aut Jovis aut Veneris, sed præcipuè Jovis, quoniam est principalis divitiarum promissor.

Dominus etiam secundæ domus fortunatè positus, radiosque Planetarum benevolos recipiens, substantias gazasque promittit. Dicimus autem illam positionem Domini fortunatam, quando Dominus secundæ domus in angulo aliquo aut domo fausta constituitur, in quo etiam signum faustum, aut de ejusdem Triplicitate, aut aliquo alio modo ei conveniente, reperitur.

Pars etiam fortunæ, de cujus inventionem superius locuti sumus, præcipuè apud Astrologiæ peritiores consideratur, cujus Dominus, si in loco bono invenitur,

niatur, natum divitem futurum præfagiet: Similiter quoque, si pars ipsa in bono ac fortunato loco reperitur, multum boni promittit, si in malo, multum mali: si verò mediocri, mediocris itidem erit ejus fortuna; Porrò etiam Planeta malus in bono loco illum toxico quasi & odio adversus natum inquinare ac inficere solet; atque ita bonitatem loci depravat. Si autem pars fortunæ cadat in gradum ascendentis, denotat natum fore de causa levi divitem: Sed si partis fortunæ Dominus in aliquo infortunio inveniatur, prænunciat natum è divite pauperem subitaneo quodam accidente futurum esse.

Nota, quod si *Jupiter* sit Dominus loci fortunæ, vel in eo inveniatur, vel si sit Dominus domus secundæ & in bono loco repertus, divitias ingentes nato polliceatur.

C A P. II. P A R S. II.

De modo acquisitionis substantiarum seu divitiarum.

Inspiciendum est schema cœleste pro loco seu signo, in quo invenitur Dominus domus secundæ: Et permixta propria ejus natura, cum natura signi, in quo reperitur, hoc est, inquisito utriusque magisterii modo, cognoscemus, quomodò natus suas opes sit comparaturus: Sic, si Dominus in tertia domo reperitur, à fratribus, aut sororibus, aut amicis, aut itineribus divitias suas comparabit: Si in domo quarta, à parente ejus accipiet: Si in quinta, beneficio liberorum, donationum aut legationum eas acquirat, & sic progrediendo per cæteras figuræ cœlestis domus.

Similiter sciendum est, quòd ex Planetis *Mars, Venus & Mercurius* præcipuam dicantur habere vim in magisteriis seu exercitationibus corporis: Nam *Mars* red. lit. natum militiæ peritum, pugiles etiam facit & fabros ærarios, fusores, cauteria exercentes & chirurgos, &c. Similiterque ipse in $\nu. \Omega.$ & $\pi.$ venatores efficiet: *Venus* Musicos facit, item aulicos, muliebri favore eVectos, pictores, gemmarum seu vestium pretiosarum institores, Pharmacopolas, Aromatarios, &c. *Mercurius* facit literatos Mathematicos, Arithmeticos, Scribas, Poetas, Negotiatores, Mercaturæ deditos, Monetarios, Nummularios, Statuarios, &c. Et tamen hi magisteriorum significatorum effectus intenduntur aut remittuntur pro ratione configurationis eorum, cum *Saturno, Jove & Sole*, item pro ratione domuum & signorum, in quibus constituuntur.

C A P. III.

De domo tertia, videlicet de fratribus.

PRO numero fratrum, videas, an Planetæ fortunati hos celos sequentes occupent, videlicet angulum mediæ cœli, locum Veneris in diurna nativitate, & Lunæ in nocturna: Tùm enim eorum multitudo arguitur: Si verò Planetæ infortunati illic reperiuntur, contrarium ostenditur.

Quod si duo Planetæ occupaverint signa, duorum corporum, videlicet $\Pi. \chi. \gamma.$ & alter possederit signum unius corporis, denotabuntur quinque fratres nascituri.

Nota, quòd planetæ masculini denotent fratres, foeminini verò sorores: Præterea quoque Orientales Planetæ significabunt priores: Occidentales verò posteriores, atque sic in cæteris. Hic quoque observari velim, quòd doctiores quique & profundiores in Astrologia vulgari accipiant *almuten* pro significatione fratrum ex cuspidè tertiæ domus & ejus domini, &c.

C A P. IV.

*Qua ratione soleant Astrologi cætera nati abstrusa & futura
ex reliquarum domuum cælestium observatione
colligere.*

Simili etiam modo agendum erit cum cæteris quæstionibus & prædictionibus ad vitam nati & curriculum ejus pertinentibus; videlicet si ejus naturam amicitiam, prosperitatem, paupertatem, & hujusmodi alia velimus cognoscere: De parentibus igitur nati, & utrum pater vel mater natum magis diligat, aut uter ex illis prior morietur, pater scilicet an mater, & de istiusmodi aliis consuleri debemus significatorem patris, qui de die *Sole* est, & de nocte *Saturnus*; similiter quoque domum quartam & ejus Dominum. Atque simul etiam prædictorum loca in figura sedulo sunt inspicienda: à cuspide igitur quartæ domus incipiendum erit, atque ita cum cæteris progrediendum. Quòd si patris fecunditatem aut sterilitatem seu futurum liberorum numerum, qualitatem, staturam & obedientiam scire voluerimus, in primis domum quintam intuebimur, ejusque Dominum respiciemus. Nec rejicienda erit decimæ & undecimæ domus cognitio, ac notandum erit, quòd, *Venus* semper sit naturalis liber significator. Atque ita cum cæteris procedendum existimamus: Quæ omnia hoc loco repetere & nobis & vobis forsitan tædiosum, nec minus etiam inutile ac supervacaneum foret, cum omnes Astrologi in arte Genethliologica versati de particularium domuum significationibus fusè & copiosè egerint: Inter quos tamen methodum & scientiam *Johannis Schoneri* vobis præcipuè commendatam velim, quippe qui secundum vulgarem modum optimè & simplicitati accommodatissimè de his rebus in volumine suo de nativitatibus disceptavit.

C A P. V.

*De arcanis signorum & graduum ipsorum operationibus in
dispositione nati.*

Cum Planeta prædominans fuerit tempore nascentis viri in gradu masculino, hic gradus erit ei fortitudine propitius; similis etiam erit ratio in nativitate foeminae, videlicet si Dominus vel Domina inveniatur in signo foeminino.

Gradus *Azemeni*, hoc est, gradus debilitatis corporum (quia *Azemen* est quædam corporis debilitatio) denotant vel surditatem, vel cæcitatem, vel membrorum amissionem, &c.

Cum ergò ☾ in puncto nativitatis est in aliquo horum signorum, denunciât quendam horum in nato defectum.

Cum Planeta significans fuerit in gradibus lucidis, erit hoc nati fortitudo in significatione bonorum, denotabit etiam pulchritudinem, lucem & formam.

Cum fuerit in tenebrosis significat duritiem, tarditatem, & rem horribilem tenebrosam ac malam.

Cum fuerit significator in signis fumosis & vacuis, denunciabit rem inanem & horribilem.

Si reperiatur in signis puteis, denotabit, quòd nati pulchritudo & aspectus diminuetur ac debilitabitur.

Si inveniatur in gradibus augebitur formam, nati fortunam & dominium in terra augebit, multasque pollicetur divitias. Et cum aliquis horum graduum fuerit ascendens in nativitate, ingens portendet nati dominium atque divitiarum abundantiam.

Quod autem ad ipsa signa attinet, cum ascendens fuerit signum humanum, natus erit benevolus: Si bestiale, solitarius: & si fuerit in ferocibus animalibus, vexationem ac mala diliget.

C A P. VI.

Quomodo de nativitate per observationem Eclipsis judicandum sit.

SI Luna eclipsin vel defectum patiat in angulo nativitatis alicujus hominis, impedimentum aliquod nato afferet, & quidem in membro illo, quod respicit signum illud, in quo fit eclipsis, vel in promissione domus: Verbi gratia: si eclipsis fuerit facta in domo decima, impediet natum in negotiis cum rege: At si sit in angulo Orientis, impediet universum corpus nati, & præcipue illud membrum, cui signum ascendens adscribitur: veluti caput, si signum sit V. &c. Porro si fuerit in angulis revolutionis, minus erit illud impedimentum, quam in angulo nativitatis: Similiter non erit difficile cognoscere horam impedimenti, denunciati si observemus, quot horis eclipsis duraverit: Nam si fuerit eclipsis Solis horæ significabunt annos; si verò Lunæ, menses. Sin fuerint $\frac{1}{2}$ fractiones horæ, dabitur cuique earum dies. Deinde videndum est, quanta pars ex 180. fuerit illa, quæ est inter gradum ascendentis, & gradum eclipsis (sed denominabimus eos 180. gr. inter gradum orientis & occidentis) Postea accipienda est ex toto illo tempore, quod significat eclipsin tanta pars, quanta fuerit prædicta pars de 180. quia tantum erit ab initio eclipsis usque ad horam, qua incipit malum: Verbi gratia: Eclipsis ζ . erat in primo λ . quia erat angulus medii cæli, & durabat per tres horas: significabit ergo, quod regnum nati & dignitas per tres menses detrimentum patietur: sed si velimus scire, quando hoc detrimentum incipiet, videndum est, quantum sit spatium inter gradum ascendentis, & gradum eclipsis, & inveniemus, quod sit medietas ejus, quæ est inter gradum ascendentis, & gradum occidentis: Accipiamus ergo medietatem ejus, quod significabit eclipsin, scilicet mensem cum dimidio, & proinde dicemus, quod intra mensem & dimidium, post talem revolutionem impedimentum illud nato continget. Hoc etiam idem faciendum erit cum eclipsi Solis.

Porro etiam tradunt Astrologia peritiores, quod aspiciendus sit angulus alicui eclipsi proximus, & figura illius anguli in puncto seu tempore nativitatis aut revolutionis, dicuntque, quod si fuerit malum signum, eclipsisque fuerit universalis, denotet multo plus mali, quam si fuerit particularis; Præterea aspectus planetarum boni vel mali augent, vel diminuunt malum futurum; idque præcipue, si fuerint stationarii. Similiter observa diligenter, qualis gradus tempore eclipsis ζ . ascenderit: Nam quando Sol venerit in illud signum & gradum, tunc plenus, apparebit rei futuræ effectus. Sic quoque, ut in præcedentibus dictum est, vide quot horis Sol manserit in eclipsi: Tot enim annis durabit effectus rei sive impedimenti in eclipsi considerata. Atque itidem

quoque quot horas eclipsis Lunæ habebit, tot menses significabuntur.

C A P. VII.

Regulae nonnullae speciales ex Planetarum dispositionibus depromptae.

SI in alicujus nativitate, Fortunae sint Domini malarum domuum, boni homines malum nato facient

Cum maligni sint Domini bonarum domuum, boni homines nato afflictio beneficient. Et si maligni sint malignarum domuum Domini, homines mali nato malum facient.

Cum Fortunae aliquam * istarum quatuor partium aspexerint, augebunt bonum, vel diminuent malum, quod si aspexerint mali, bonum diminuent, & malum augebunt. Cum in nativitate ☾ aspexerit ♃. natus erit justus, cum ♄. patiens; cum ♀. Jocabundus, cum ♁. sapiens, cum ☿. impatiens & iracundus, cum ☉. superbus & indignabundus.

* Hic est hiatus in Authore Exemplari.

Omnis Dominus ascendentis absque aliorum participatione, solus ascendenti dominabitur, natusque erit de ejus natura: qui si fuerit ♄. diliget res acres, atque stipticas; si ☿. res amaras & acuti saporis, &c. Pro explicanda autem breviter, ex Dominis nativitatis, nati natura, carmina haec sequentia protulerunt Astrologi.

♃. ☿.
Si quis nascatur, dum Saturnus dominatur } ♄
Audax, urbanus, malus, antiquus fur, avarus.

♃. ♄.
Jup. facit audacem, letum, pulchrumq, tenacem, } ♃
Mitem, jucundum, verecundum seu generosum.

♃. ♄.
Estq, loquax, mendax, latro, Mars fur, spoliator, } ☿
Fallax, instabilis, grossus, rubeique coloris.

♄.
Natum quem genuit Sol, prudens, hicq, loquax sit, } ☉
Tristis sit, pulcher, verax, & religiosus.

♄. ♀.
Est bene barbatus sub Mercurio generatus, } ♀
Subtilis, verax, gracilis, nec non sapiens sit.

☉.
Luna creat natum fortem, magnum, coloratum, } ☾
In vultu rubeum, justum, castum, vagabundum

Septem sunt }
complexiones Planetarum, }
quarum }
Prima est fortis, bene appetens & proficua.
Secunda est fortis, bene appetens incommodi.
Tertia est fortis, non appetens proficui.
Quarta est debilis, appetens proficui.
Quinta est debilis, non appetens proficui.
Sexta est debilis, bene appetens incommodi.
Septima est debilis, non appetens incommodi, &c.

C A P. VIII.

*De directione & loco promissionis ascendens ad locum mortis
vel periculum ejusdem.*

QUANDO more solito erigitur figura, quæras oppositionem per directionem Planetæ interficientis vel prædominantis in domo octava, vel □ aspectum: Verbi gratiâ, Si ♄ fuerit in grad. 18. minut. 22. ♀ in domo octava, ejus oppositionem quæras, quæ est 18. grad. & 22. ☉. fit igitur ascendens 24. grad. & 14. minut. II. Quæras igitur in tabulis obliquæ ascensionis illum II. gradum, & invenies, quod æquatio sit 51. grad. & 13. minut. Deinde invenio 18. grad. ☉. Cujus æquatio erit 79. grad. & 8. minut. Et quia 79. grad. & 8. minut. sunt major numerus, ideò subtraho 51. grad. & 13. minut. ex 79 grad. & 8. minut. hoc modo;

Grad.	Minut.
79	8
51	13
27	55

Quare judico hujusmodi morbum periculosum vel mortem nato eventuram esse anno 27. quinquagesima quinta parte integri anni, qui dividetur in partes 60. Et de natura signi ac Saturni dico, morbum fore melancholicum.

Nota, quòd secundùm *Ptolomeum* unusquisque gradus significet annum.

Observe etiam sedulò, quòd semper pro qualibet directione accipienda sit pars infortunii, quæ habet malignum aliquem aspectum. Excipiuntur igitur aspectus trinus & sextilis.



TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

PORTIONIS IV.

LIBER III.

De proprii cujusque nati Dæmonis
inquisitione.

LIBRI III. PARS I.

De cujusque Genio in genere.

CAP. I.

*De variis autorum opinionibus circa Genium
cuique proprium.*

Porphyrus putabat, Dæmonem seu Genium cuique proprium à Domino nativitatis, hoc est, ab astris provenire, & in hominem descendere: sed hunc oppugnare videtur *Jamblici* opinio: quippe qui negat, Dæmonem cuique proprium à generationis figura descendere: sed, ait, ipsum ab antiquiori principio profluere, quam sunt astra aut astrorum duces: Vult igitur ille, quòd proprius cujusque Dæmon, non à parte quadam cœli aut elementorum procedat, sed potius à toto mundo, & multiformi in eo vita ac multiformibus corporibus, per quæ transit anima descendens in generationem, agnoscitque, illum Dæmonem fuisse in exemplari antequam in generationem animæ laberetur: quem quàm primum anima ducem accipit, adstat ipse Dæmon expletor subinde vitarum, &c. *Maternus* autem, vir Astrologiæ peritus, magis illi *Porphyrii* quàm huic *Jamblici* sententiæ adhærens, asseverare videtur, quòd proprii Dæmonis acquisitio & ortus à cœlo ac syderibus proveniat, & tamen videtur itidem, in eo dissentire à *Porphyrio*, quòd, dum hic querit Genium ex stella genituræ, uti dictum est; ille dicit, cum profluere vel à Planetis plura dignitatum & fortitudinis testimonia in puncto vel tempore nativitatis habentibus, vel ab illo Planeta, cujus domum ingressa est Luna post illam, quam nascente homine possidet: Similiter *Chaldaei* à *Jamblico* dissentientes, partimque cum *Porphyrio* & *Materno*, videlicet in loco, convenientes, & partim etiam ab iis dissidentes variante opinione dicunt, quòd Dæmon seu Genius proprius nato

non proveniat, nisi à Sole & Luna: Quare etiam ab iis eum requirunt: Alii autem (cujusmodi sunt *Hebræorum* quàm plurimi) ex aliquo cœlorum cardine, aut etiam ex omnibus illis hunc petendum esse opinantur: At verò in Astrologia communi seu vulgari versati, solent Da monem bonum ab undecima figuræ cœlestis domo petere (unde illa domus etiam *bonus Dæmon* appellatur) quemadmodum è converso, malum nativitatis Genium, secundum nonnullos ex domo sexta, utpote quæ corporis afflictiones & ægritudines denotat, vel potius, secundum nostram opinionem, Genii dispositionem ex 12 domo elicere possumus, quatenus illa est locus inimicorum nati: quid enim generi humano magis malitiosum, quid magis adversum, quam *Cacodæmon*? Hinc etiam est, quod secundum nonnullos, hoc domicilium *Cacodæmon* seu malus Dæmon appellatur. Ex quibus constat, quamvis habeatur via quædam, & ratio proprium suum Genium per regulas & observationes Astrologicas cognoscendi, illa tamen sit tam abstrusa, & falsarum opinionum sensibus ac tenebris ita obruta, ut & vel impossibile quidem etiam existimetur, indagare hujus mysterii veritatem per viam syderum, quàm conflare aurum, per doctrinam & scripta Alchymistarum. Atque uti videmus, quòd opinionibus potissimum agamus in Dei & veræ naturæ detectione ac inquisitione à posteriori, sicut etiam procul dubio tamen hujus rei veritas sit per demonstrationem à posteriori declaranda, attamen, quia pro imaginatione nostra tantum rem ipsam ostendimus, idè reverà illam ita se habere, dicere aut asseverare non possumus, nisi ipsa experientia conceptus nostri effectum luculenter demonstret: Id quod etiam innuere videtur *Porphyrus* quando dicit: *Si quis cognosceret figuram nativitatis. Dominumq; figuræ inveniret Dæmonem suum, & per ipsum salvaretur à fato nativitatis: sed impossibile est scire illam, & hunc invenire, quoniam regula Astrologiæ sunt incomprehensibiles, & incertæ, multaq; illis insunt dissensiones, & à multis impugnantur, &c.* Quibus fateri videtur, quòd quamvis in Astrologia habeatur via quædam investigandi Dæmonem seu Genium nativitatis, attamen illa propter multitudinem regularum & oppositionum earum, ferè sit impossibilis: Esse tamen modum quendam inveniendi Astrologica ratione proprium suum Dæmonem infra declarabimus, quæ tamen via (ingenuè fatebor) magis opinione statuminata est, quàm demonstratione aut infallibili veritate stipata: Confitemur enim cum *Jamblico* & aliis in sanctissima hujus rei inquisitione bene versatis, quòd saus cu que Dæmon & conductor ab antiquiori, altiori, & magis metaphylico principio seu initio oriatur aut derivetur, quàm ab astris aut eorum ducibus: Quare necesse erit, ut ad divinum vaticinium recurramus, quò veritatem certissimam circa stellas habeamus: *Vaticinium enim, ut Jamblici verbis utar, docere potest naturam & effectum astrorum sine arte.* Licet ergo difficile per solam Astrologiam, attamen facile per divinum Vaticinium Genius reperitur: Sed de his infra à latius.

C A P. II.

*De Genii appellatione, quomodo descendat cum anima nati,
& de officio ejus in nati vita.*

PROPRIUS nati Dæmon idè nuncupatur *Genius*, quòd, quasi Dæmon Genitrix: hoc est, quasi subterlabens à mundi dispositione syderumque circuitibus, qui in generatione versantur, ad genesin, & in genitum descendit. Modum autem hujus descensus videtur *Jamblicus* hoc modo describere: *Proprius, inquit ille, cuique Dæmon non à particulari quadam cœli elementorumve dispositione distribuitur*

tur, sed à tota mundi dispositione, quando descendit anima regnante, ipsiq; Dæmonem certum accommodante, executorem vitæ quem elegerit anima. Quod autem ad ejus in nati dispositione officium attinet, ipse, teste Jamblico animam conciliat corpori geniti, vitamq; ei communicatam curat, animaq; vim vivificam dirigit, cogitationi assidue exhibet principia, natusq; agere cogitur talia qualia ipse in mentem adducit, eatenus nos gubernat, quoad sacrus præfecti, Dominum pro Dæmone mutemus: Tum enim Dæmon Deo cedens, vel vacat ab opere, vel conducit ad idem: Sors autem alicujus propria attribuitur animæ, dum descendit ex toto mundi corpore & vitæ, prout tunc se habet ad illam, & illa sors certo Dæmone ducitur & impletur: Ex his igitur concludit Jamblicus, quòd impossibile sit certos indicare eventus causarum cum omnium causarum concursum comprehendere nequeamus, nisi per inspirationem divinam id assequamur: sed de his animi nostri sententiam inferius explicabimus.

C A P. III.

*An Dæmon seu Genius sit pars animæ nati, nec ne, & an per
Dæmonis Genitalis cognitionem possimus
effugere fata.*

Porphyrius suspicatus est, Dæmonem cuique proprium esse quandam animæ partem, videlicet intellectum: eumq; hominem & δαίμων, id est felicem dicit, qui sapientem habeat intellectum: Cujus quidem opinionem refellere conatur Jamblicus his verbis; Quod si ita sit, non erit amplius alius ordo præstantior homine præfectus homini, sed inter divisas animæ partes, superior inferioribus dominabitur, ubi tamen cuncta cognata sunt, nulla verò ut absoluta subditis dominatur: Porphyrius etiam addit, quòd, si figura nati vitæ & ejus Dæmonium cognosci aut dari posset, ille Dæmon suum natum à fato nati vitæ solveret: Cui Jamblicus respondere videtur, nos non tam per Dæmonem, quàm per cultum divini numinis solvi à fato, additque Dæmonem nati vitæ ab antiquiori principio, quàm ab astris procedere, videlicet à Diis superioribus: Unde concludere videtur, quòd per cognitionem figure nati vitæ non liberemur à fato, simulque jungit, quòd, si Dæmon ex nati vitæ cognosceretur, non foret propterea felix, qui genificum cognosceret Dæmonem. Et quisnam hunc ducem accipiat ad effugienda fatalia? Quid autem nos de his opinionibus censeamus, in parte ultima hujus libelli explicabimus.

C A P. IV.

An plures adsint cuique Dæmones?

Porphyrius alium Dæmonem corpus, alium animam, & alium mentem regere opinatus est; Sed Jamblicus ejus opinionem refutando arguit, ea omnia eodem Dæmone gubernari: Absurdum enim esse dicit, eidem animali præfectum multiformem putare. Porrò etiam alibi Porphyrius asseverare videtur plures cuique adesse Dæmones, quorum alii alia in homine gubernent: ita videlicet, ut alius nati sanitatem, alius pulchritudinem, alii quandam in his habitudinem curent, unusque illis æquè præsit. Cui Jamblicus negando respondet, Dæmonem unum non alicui parti nostrum præesse duntaxat, sed toti simul adesse, totum ducere, quemadmodum à totis, qui in mundo sunt, ordinibus est attributus: Iterum Porphyrius inroductatam tanquam dominantium Dæmonum; nam alios facit bonos, alios malos, cum tamen, teste Jamblico, nusquam mali spiritus sortem habeant præfecturæ, nec
pari

pari vel authoritate vel numero ex aduerso bonorum sint distributi. *Magi autem præstantiores, contra Jamblici Monadem nitentes, tres cuilibet homini, in ejus nativitate custodes seu Dæmones attribuunt: quorum primum appellant sacrum qui, juxta Ægyptiorum doctrinam, nec à stellis fixis, nec ab erraticis, sed à cælo superiori, videlicet ab empyreo per ipsum Dæmonum præsidem Deum descendenti animæ rationali assignatur, dicuntque, quòd hujus officium sit vitam animæ dirigere, cogitationesque bonas menti semper exhibere, & assiduè in nobis agere illuminando, quamvis non semper eum animadvertamus, sed quando purgati sumus, & tranquillè vivimus, tunc à nobis percipitur, & quasi nobiscum loquitur, studetque assiduè ad sacram nos adducere perfectionem: Secundus nuncupatur Genius, quatenus est genituræ Dæmon, qui à mundi dispositione siderumque circuitibus, qui in generatione versantur, descendit: Tertium verò nati Dæmonem professioni & magisterio præesse volunt, quem à syderibus infundi tradunt, animæque mores, & viam ad dignitates ac honores mundanos præbere. Et quidem hoc experientia compertum & comprobatum asserunt, quod si professio cum natura nostra consentiat similis nobis atque cum Genio concors adsit professionis Dæmon vitæque magis efficiatur tranquilla, felix atque prospera: At verò, si in professione versetur naturæ Genii contraria vel dissimili, laboriosa nobis redditur vita & discordantibus actionibus perturbata, &c.*

C A P. V.

An unicuique homini datus sit spiritus malus & Diabolus?

Et an animæ impiorum fiant Dæmones post suam à corpore separationem?

Quemadmodum unicuique homini datus est Genius seu spiritus bonus, ita etiam ei assignatus est malus atque diabolicus; quorum uterque unionem querit cum spiritu nostro illumque ad se allicere & attrahere summa ope nititur, atque, ut illi non aliter, quàm vinum aquæ commisceatur, omni conamine tentat: Homo igitur inter hos duos concertantes medius est, & loco liberi arbitrii sibi est, ita ut victoriam, utri vult præstare soleat: Bonus enim spiritus seu Dæmon per bona opera ipsi conformia nos sibi similes reddit, & in Angelos uniendo nos sibi transformat. Hinc *Malach. 4. 6.* de Johanne Baptista dicitur. *Ecce, ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* De qua transmutatione & unione alibi scriptum est, *qui adheret Deo, unus spiritus efficitur cum eo.* Sed & mali Dæmones malis actionibus nos sibi conformes, & unitos reddere student: Id quod etiam ex Christi verbis elicere possumus, quibus de Juda inquit; *Nonne ego vose legi duodecim & unus ex vobis Diabolus existit?* Atque hoc idem arguere videtur *Trismegistus; Quando Dæmon in humanam insluit animam semina propriæ notionis inspergit;* Unde anima talibus seminibus conspersa, furore prægnans parit inde mirabilia, & qualiacunque Dæmonum sunt officia: Bonus enim Dæmon, quando insluit in animam sanctam, extollit eam ad sapientiæ lumen; malus verò Dæmon in pravam transfusus animam incitat eam ad furta, homicidia, libidines, & quæcunque malorum Dæmonum sunt officia: Boni enim Dæmones, teste *Jamblico*, animas perfectissimè purgant, ipsique præsentem, dant corpori sanitatem, virtutem animo, menti securitatem, quod in nobis est lethiferum delent, calorem fovent, siccitatem reddunt ad vitam, & harmonia intelligibili menti lumen semper infundunt. Ceterùm de eo magna videtur inter Philo-

sophos

sophos suboriri dispositio, *An animæ hominum fiant Dæmones post suam separationem à corpore*: Magorum quidem sententia est, teste *Porphyrio*, animas in naturam Dæmonū converti ac perniciosas, uti illi sunt, fieri: Quorum sanè opinio verbis Christi de *Juda Ischariothe* supra allegatis confirmari videtur: Atque illi etiam expressis verbis ad stipulari videtur *Mercurius Trismegistus*, cum dicit: *Anima utique prava, cum Dæmon efficitur, ad obsequium Dei jubetur igneum capeffere corpus, inde in animam transfusa nefariam, eam flagellis verberat peccatorum.* &c. Bonorum autem animæ virtute administrationum bonorum Dæmonum in naturam Angelorum transmutantur.

L I B E R III. P A R S II.

De Genii nativitatīs inventionē.

C A P. I.

De principiis nonnullis intelligendis antequam ad praxim perveniamus.

PRiუსquam ad practicam Dæmonis genituræ partem accedamus, necessè erit prius intelligere res ad praxin illam conducentes, utpote sine quibus, non minus impossibile, est ad hujus artis perfectionem pertingere, quam ad completam Geometriæ cognitionem non consideratis punctis, lineis, superficiebus & corporibus pervenire: In primis igitur, intelligendum erit, quòd, ut in Geometria punctum est illius artis origo atque principium, ita quoque in hac inquisitione, quemadmodum in omni re alia, Deus sit sola unitas & principium à quo immediatè creaturæ dignissimæ atque omnium primæ ac potentissimæ profluxerunt: quæ se habent ad trinitatis numeros, qui maximè simplices sunt & quasi digiti per se subsistunt; ut denarii ad digitos, utpote qui immediatè à digitis derivantur: Sunt igitur creaturæ numeri denarii idèò potentiores, quoniam propinquius accedunt ad numerum meræ formalitatis: Atque ut numeri super substantialis imperando atque ordinando se habent in dominio ad creaturas numeri denarii, ita etiam creaturæ numeri denarii præponuntur creaturis numeri centenarii in annunciatione ordinationis primi præsentis, quemadmodum etiam hæ ipsæ ulterius in rebus à summo Domino per arcanum & abstrusum ejus consilium ordinatis, secundum annunciationem & admonitionem spirituum seu creaturarum denarii numeri voluntatem Regis regum accomplent impertiendo ulterius inferioribus sive numeri millearii spiritibus, quod ipsis debetur & necessarium est, ac sibi ipsis æqualiter distribuendo secundum cujusque dignitatem, quod à creatore unico ipsis statuitur, & per creaturas ei proximas illis annunciat. Per creaturas igitur numeri denarii intelligimus ordines Angelorum, quorum unus alteri deorsum, suo more susurrando voluntatem regis sui super substantialis indicat, atque tandem Archangeli & Angeli ordinum inferiorum, quæ à Seraphin & Cherubin acceperunt, annunciant, atque hi tandem voluntatem Imperatoris spiritualis inferioribus referunt, & sacri atque supercoelestes mentium duces inferiora ad hominum constitutionem labentium semper existunt, ut infra latius declarabimus. Per creaturas autem centenarii numeri intelligimus spiritus seu Dæmones orbibus syderum imperantes: quorum est, animæ mediæ hominis & animabus rerum cæterarum præesse, quæ vitam & vitæ rationem respiciunt. Ex his igitur colligitur uniuscujusque hominis Genius, quem tanto conamine quærere anniteba-

tur & exoptabat *Porphyrus*, sine ulla Dæmonis supercœlestis ei prædominantis consideratione: Quod quidem in viro docto maximus erat error, atque extrema ignorantia indicium, uti etiam *Jamblicus* verbis apertissimis agnoscere videtur. Per spiritus denique numerorum millenariorum Dæmones ventis, elementis, atque mundi plagis præsidentes denotamus, qui in carnem & corpus dominium in signe habent, & viam faciunt ac præparant, qua mens cœli supremi, & anima sive spiritus medii per aërem infimi in corpus introducatur. Quid autem intendamus per numeros simplices, denarios, centenarios, & millenarios in libro hujus Tractatus de numeris divinis uberrimè ostendimus, ubi scilicet per numeros simplices simplicissimam essentia super substantialis naturam & harmoniam seu punctum & quasi unitatem descripsimus, per denarios radicalem seu linearem cœli empyrei compositionem, hoc est, proportionem lucis cum spiritu ejusdem, & per centenarium numerum quadratum seu superficiale cœli ætherei mixtionem in luce & spiritu, ac per millenarium denique corpoream sive cubicam cœli infimi dispositionem demonstravimus. Ex cœlo igitur empyreo Angeli sive Dæmones hi respicere dicuntur corpora septem planetarum: ita ut spiritus centenarii numeri, qui olympici nuncupantur, nihil agere possint sine nutu, jussu & consensu illorum, qui ordinationes Dei Dæmonibus mediæ mundi regionis indicant atque curant, ut rectè illi secundum divinam voluntatem ea exequantur, quæ à Deo sunt ordinata & constituta.

C A P. II.

*Angeli cœli empyrei, mentis duces, natiq̄e custodes, qui
Planetis & Dæmonibus eorundem
prædominantur.*

SECUNDUM Hebræorum patres etiam Magi recentiores, ac præcipuè *Trithemius Abbas*, vir ille sapientia admirabili præditus, Angelum Saturno attribueri videtur *Orisiel* dictum, qui & ab aliis *Zabkiel* nuncupatur, Jovi *Zachariel*, vel, ut alii volunt, *Zadkiel*, Marti *Samael*, vel juxta alios *Camael*, Soli *Michael*, licet alii *Raphael* ei, minùs tamen rectè, ut mihi quidem videtur, assignent: Nam uti *Michael* dicitur in Apocalypsi esse quasi dux belli spiritualis, qui Diabolum deorsum suo conductu propulsa vit, cœlumque empyreum ab ejus lite & contentione, ac ab omni impuritate liberavit, sic etiam Sol cœlestis potestatem habet vitæ, mundificationis, multiplicationis, & summæ fortitudinis ac splendoris in mundo visibili, & quidem eò magis, quoniam Deus in eo posuit tabernaculum suum. Veneri præsidet Angelus *Aniel*, Mercurio *Raphael*, atque Lunæ *Gabriel*. Atque hoc est, quod asseverare videtur *Trithemius Abbas*, hisce verbis: Veterum sententia est plurimorum, mundum hunc inferiorem ordinatione primi intellectus, qui Deus est, per secundas intelligentias gubernari: quorum opinione *conciliator Medicorum* assentiens dicit: *Septem planetis, spiritus septem à principio cœli & terræ præfectos, &c.* Hi ergo Angeli septem sunt illi potentissimi, quorum dominio non modo stellæ erraticæ, verùm etiam ipsi Dæmones Olympici, quibus à planetarum creatione ipsis immediatè præesse datum est, actum suum habent: Nam ut Deus Monas Angelos cœli empyrei respicit, sic etiam illi hos cœli ætherei, atque hi denique istos cœli elementaris.

C A P. III.


De spiritibus Olympicis, ac primùm de iis, qui subjiciuntur prædictis Angelis empyreis, à quibus Genus nativitatìs procedit.

Spiritus illos vocant Magi Olympicos, qui in firmamento, & in astris firmamenti habitant; quorum officium est fata decernere & fatales casus administrare, quatenus id Deus approbaverit, ordinaverit, & permiserit; Nã neq; malus Dæmõ, neq; malũ fatum citra aut ultra ordinationem Dei altissimi nocere potest. Quilibet verò spirituum Olympicorum, hoc docebit & efficiet, quod astrum, cui assignatur, portendet: Et tamen omnes sine permissione divina nihil in actum deducere possunt: Solus enim Deus est, qui & posse & efficere illis dat: Et proinde, quando malum fatum important à superiori Angelo, in quo nihil mali est per voluntatem divinam corriguntur: Parent igitur Deo conditori omnium tam super cœlestia & cœlestia, quàm sublunaria & infernalìa.

C A P. IV.


De spiritibus Olympicis dominium immediatè habentibus in planetas cum eorum characteribus.

Aratron est spiritus Saturni, qui natum reddit aptum ad gravitatem & contemplationem, docet Alchimiam, Magiam & Physicam: Ejus character est talis;




NB. Hi Planetarum characteres sculptoris incuria à dextra in sinistram inversi sunt.

Bethor gubernat ea, quæ Jovi adscribuntur, ad maximas dignitates evehit, offert thesauros, aëreos conciliat spiritus, qui vera dant responsa, medicinas mirabulosas in suis affectibus reddit, & solet longam promittere vitam: Ejus verò character est hujusmodi;



Phuleg præest Marti, & ejus attributis, qui evehit genitum ad summas dignitates in re bellica; Ejus character hic est;




Sol dat spiritus præstantissimos, qui docent perfectam medicinam; convertit omnia in aurum pretiosissimum & lapides pretiosos, dat aurum & crumenam auro pullulantem: Ejus verò character est hujusmodi;



Hagith spiritus *Veneris* gubernat *Venera*. Quem suo dignatur caractere facit affabilem & ornatum omni decore, cuprum convertit in momento in aurum & è contra aurum in cuprum. Ejus character est talis;



Ophiel est spiritus *Mercurii* & gubernator *Mercurialium*. Ejus verò character est hujusmodi;



Luna dat spiritus familiares, qui facilimè docent omnes artes; Et quem suo caractere dignatur, facit posse in momento argentum vivum convertere in lapidem *Philosophorum*. Ejus autem character est talis;



C A P. V.

De spiritibus Olympicis seu Angelis, qui mansionibus Luna prædominantur.

Sunt etiam 28. Dæmones, qui præfunt cuilibet Lunæ mansioni, incipiendo scilicet à prima mansione, *Geniel*, *Enediel*, *Amixiel*, *Azariel*, *Gabriel*, *Darachiel*, *Sebeliel*, *Ammediel*, *Barbiel*, *Ardesiel*, *Neciel*, *Abdiznel*, *Jazeriel*, *Ergediel*, *Ataliel*, *Azeruel*, *Adriël*, *Egibiël*, *Amutiël*, *Kyriël*, *Bethnael*, *Geliël*, *Requiël*, *Abrinael*, *Aziël*, *Tagriël*, *Atheniël*, *Amnixiël*. Qui quidem spiritus conveniunt cum natura mansionum Lunæ, de quibus in libro nostro, de *Astrologia* egimus.

C A P. VI.

De Dæmonibus Olympicis, qui imperant signis Zodiaci.

Porrò etiam Dæmon peculiaris præest cuilibet duodecim signorum: Verbi gratià: *Arieti* præsidet *Malchidael*, *Tauro* *Asmodel*, *Geminis* *Ambricel*, *Cancro* *Mariel*, *Leoni* *Verchiel*, *Virgini* *Hamael*, *Libra* *Zuriel*, *Scorpion* *Barchiel*, *Sagittario* *Adrachiel*, *Capricorno* *Hanael*, *Aquario* *Cambiël*, & *Piscibus* *Barchiel*: De his secundum Magos scriptum est in *Apocal.* ubi dicitur, quòd in 12. portis novæ urbis, 12. Angeli sint collocati,

&c.

C A P.

C A P. VII.

De spiritibus elementaribus, & mundi plagis præsentibus.

Sciendum est etiam, quòd in regione mundi infima spiritus sive Dæmones reperiuntur multorum officiorum: cum alii 4. ventis præsent, atque præfetti sint quatuor mundi partibus: Sed quia venti sunt spiritus à Deo procedentes, ideo eorum dominia attribuuntur Angelis supremæ regionis: Quare *Michael* præfectus est vento Orientali, *Raphael* Occidentali, *Gabriel* Boreæ, & *Nariel* sive *Uriel* Austro: Similiter elemento aëri præest *Cherub*, aquæ *Tharxis*, terræ *Ariel*, igni *Seraph*, vel juxta *Philonem Nathaniel*. Quisque autem horum spirituum grandis princeps est, & habens potestatem multæ libertatis in dominio suorum planetarum & signorum, atque in eorum temporibus, annis, mensibus, diebus, & horis, & suis elementis, ac partibus mundi, & ventis, adeoque dominatur unusquisque eorum pluribus legionibus. Hi conducunt ad dispositionem corporis humani in genesi, & cæterarum creaturarum.

C A P. VIII.

De Angelis, qui horis cujusque diei attribuuntur.

Cuilibet planetæ attribuitur Princeps aliquis supercœlestis, ubi in præmissis declaratum est, videlicet *Michael* Soli, *Anael* Veneri, *Raphael* Mercurio, *Gabriel* Lunæ, *Orisiel* Saturno, *Zachariel* Jovi, &c. Quare cum Angelum in qualibet, cujuslibet septimanæ & diei hora prædominantem invenire desideramus, procedendum erit, ut in inventione Planetæ prædominantis in qualibet diei septimanæ hora, in Astrologia nostra declaratum est: Verbi gratiâ, diei dominici primam horam, incipiendo ab ortu solis, sibi vendicat *Sol*, secundam *Venus*, tertiam *Mercurius*, quartam *Luna*, quintam *Saturnus*, & sic in cæteris, pro ut loco antè allegato declaratum est: Sic etiam dicimus, quòd primam horam diei dominici, *Michael*, qui est spiritus *Solis* possidebit, secundam *Anael*, qui est spiritus *Veneris*, tertiam *Raphael*, qui est spiritus seu Angelus *Mercurii*, & ita in reliquis.

C A P. IX.

Quomodo signa atque planeta & per consequens Dæmones iis præsentibus magis uniterre loco dedidentur, quàm alteri & proinde vires suas ibi magis exercere & exequi cernantur quàm alibi.

Planetas colligimus ex Cosmographica doctrina vendicare sibi propria climata: Sic *Saturno* primum clima attribuitur, *Jovi* secundum, &c. Invenimus etiam ex *Chaldaeorum* documentis alias regiones his vel illis signis Zodiaci subijci: Exempli causâ, *Aries* Germaniæ, Britanniæ, Galliæ, Syriæ, Palestiniæ, Poloniæ, Burgundiæ, Sueciæ & ex civitatibus, Neapoli, Florentiæ, Capuæ, Veronæ, Bergamo, Paduæ, Marfilia, Sarragossæ & hujusmodi aliis præsidet. *Taurus* præfidet, Mediæ, Persiæ, Cypro, Poloniæ, Russiæ, Campaniæ, Rhetiæ, Helvetiæ, Lotharingiæ, Britanniæ, Irlandiæ, & ex civitatibus, Boloniæ, Mantuæ, Tarantæ, Paviæ, Palermæ, Turegiæ, Breslaviæ, Lipsiæ, &c. Atque ita de reliquis signis se-

cundum ordinem à nobis traditum in libro nostro de Astrologia. Ubi declaravimus, quibus regionibus & civitatibus quodlibet Zodiaci signum prædominetur. His igitur cognitis facilimum erit eorum spirituum locos magis familiares, hinc in terra invenire; Et proinde diligenter observare debemus regionem, civitatem, oppidum aut locum, quæ sunt sub signo domus in quo Dominus loci boni Dæmonis seu Genii nativitatis invenitur.

C A P. X.

Ob quam causam Magi naturales de proprio nativitatis Genio inquirendo fuerint solliciti?

Inquirere solebant Magi in Cosmologia versati Genium, ut ejus cognitione, familiaritate, & præsidio fata averterent, & ut ejus nutu opera vitæ redderentur efficacia, fortunata atque prospera. Hinc *Porphyrus: Si quis cognosceret figuram nativitatis Dominumq; figuræ, inveniret Dæmonem suum, & per ipsum solveretur à fato nativitatis fataliaq; fugeret, & foret felix.*

C A P. XI.

De modo inveniendi proprium cujusque Genium.

Magi solebant primum inquirere nomen & naturam Dæmonis sive Genii nati, & deinceps Dæmonem ipsum nato familiarem reddere, & affabilem studebant convocationibus, adjurationibus, precibus, characteribus, & id genus aliis ceremoniis: Cùm igitur eum investigare voluerimus, imprimis quæramus domus undecimæ dominum in hora nativitatis; Deinde videamus, qualis spiritus Olympicus illi Planetæ attribuatur, & præterea, qualis Dæmon detur signo, in quo reperitur Dominus, postea videndum, quomodo hi duo spiritus ad invicem conveniant: Porrò etiam spiritus signi domus undecimæ maximè considerandus est: Ut igitur spiritus Planetæ cum his magis conveniunt vel dissentiant, ita status vitæ nati erit, vel magis constans vel inconstans. Nonnulli & quidem non insulsè, eligunt spiritum Domini primæ domus pro Genio nativitatis, quatenus circa vitam præcipuè versatur: Deinde etiam spiritus illius mansionis Lunæ, in qua genitura fit, observandus est; Porrò quoque attendendum est, quisnam ventus potentiùs flet à plaga seu angulo mundi, & quòdam elementum magis cæteris prædominetur eo tempore, quo genesis accidit, videlicet an tempus sit calidum & igneum, an verò flatulentum vel pluviosum, vel ad congelationem & glaciem pronum: Nam per hæc ipsa percipiemus elementum prædominans, & per consequens spiritum potentiorum, & circa elementa prædominantem eliciemus. Quibus diligenter consideratis, Genii nativitatis adjumenta vel impedimenta colligere non erit impossibile, adeoque cognoscemus, cujus Planetæ dominium, cujus domus & signi assistentia, cujus venti flatus, cujus elementi imperium, cujus loci, hoc est, regionis vel civitatis præsentia Genio nativitatis magis aut minus conferre possit: Atque hac via & oratione ingentia procul dubio, res illas prædictas diligenti observatione ponderando & contemplando, proferre poterimus.

C A P. XII.

Quomodò quis sibi possit Genium suum, cognito ejus Planeta & natura, ac nomine, reddere familiarem & affabilem.

J*amblicus* narrat duplicem esse de Dæmone uniuscujusque tractatum: **Unum** *sacrum* sive Deificum, qui Dæmonem à supernis causis invocat: atque hic quidem exploratione uniuscujusque genituræ non utitur, sed universaliter supernam naturam Dæmonem colit & curat: *Alium* artificiosum, qui Dæmonem à circuitibus invocat, atque hic in generatione versatur, & uniuscujusque genituram explorat, & particulariter secundum naturam Dæmonem colit & curat: Ille ergo ad divinū & supernaturale ac principalem mentis ducem spectat, & de Angelis, ac Archangelis, primariis hominū custodibus tractat; hic verò de spiritibus Olympicis seu animæ mediæ ductoribus agit, qui Angelis & Archangelis subjiciuntur. Atque hi spiritus Olympici sunt illi, quos teste *Jamblico* consueverunt, qui circa naturam artificiosè operantur, perquirere ordinatè à Decanis, hoc est, à faciebus signorum atque ab influxuum dispensationibus, imaginibusque cœli, & à stellis, Soleque & Luna, item à polis & omnibus elementis atque mundo, hoc est, secundum illud, quod supra diximus, à dispositione graduum domus Genii, spiritus signi ejusdem, & Dæmonis domini domus boni Dæmonis sive undecimæ, Dæmonisque plagæ mundi fortioris, & Dæmonis elementi in mundo tempore nativitatis prædominantis, &c. Modum autem invocandi quemque Dæmonem proponit *Jamblicus* his verbis: *Per Deum, dominum unum Dæmonū agitur invocatio, qui & à principio suū cuiq; Dæmonē definiit, & in sacrificiis, secundum propriā voluntatem suā cuiq; monstrat, semper enim in sacrarum operationum ordine per superiora numina inferiora vocantur*: Quare quidem in Dæmonibus, unus dux eorum, qui circa generationem obtinent principatum, Dæmonem suum ad unumquemque dimittit: Postquam igitur adest unicuique suus, tunc & congruum sibi cultum pandit, nomenque suum modumque invocationis suæ proprium patefacit: Atque tales Dæmones sunt superiores, atque semper benigni, quatenus eorum sedes est super fatalium regionem: Alius autem est ordo prædictis cognatus eorum, quos Olympicos appellavimus: Qui quidem quatenus fati executores, bonum vel malum nato important, & tamen à superioribus ducibus, qui sunt præpotentes voluntatis divinæ nuncii, impediuntur nonnunquam in actionibus suis per velle divinum: Verbi gratiā; Spiritus Solis & ipsius corporis solaris actus impediti fuerunt virtute Archangeli *Michaelis*, Deo sic volente, ita ut per spatium unius diei immotus consistere visus sit, Scilicet tempore *Josux*: Virtute, inquam, *Michaelis*, quoniam ipse est supercœlestis spirituum cœlestium in Sole habitantium præfectus atque moderator, & voluntatem Dei sui, tam in exacta executione, quam in actuum moderatione in globo solari expedire semper paratus est. Sed ut ad rem redeamus cum familiaritatem, cum Genio seu spiritu Olympico nativitatis habere cupimus, observare in primis tempus illud debemus, quo dominus anguli cœli nativitatis familiaritatem & bonam dispositionem habet cum Domino undecimæ domus genituræ; Atque ita disponantur, siquidem id sit possibile, ut in iis domibus reperiantur, in quibus fuerunt in genesi; Prætereà, si fieri potest, eligatur tempus, in quo flet idem ventus, qui flabat in nativitate, & talis sit etiam elementorum temperies, qualis fuit in genitura, similiter quoque mansio Lunæ & Solis dispositio

rio illis, quoad ejus fieri potest, convenient. Quo ita disposito obfignentur & insculpantur in laminis metallicis secundum planetæ naturam characteres planetarum, qui domini fuerunt ascendenti & undecimæ domus: atque etiam characteres illi infecandi sunt temporibus exaltationis & fortitudinis utriusque planetæ prædicti ipsa hora & die, quibus isti planetæ prædominantur: Has itaque laminas teneat genitus, & tempore adaptato, ut prius, adeoque in ipsa die & hora, quibus Spiritus seu Genius prædominatur, fiat invocatio. Et dicunt Magi, quod Olympus & ejus incolæ in forma spirituum se ultrò hominibus offerant, ac sua illis officia etiam invitis præstent; Quantò magis ergo, si eos expectas aderunt? Sapientes autem nos admonent, ne arbitremur, divinas spirituum invocationes humanis similes esse, aut ineffabiles effabilibus posse comparari, vel ea, quæ omnem terminum omnemque determinatum modum superant, posse cum humanis imperiis mandatisque conferri, sive definita hæc sint, sive profus indefinita. Quare stultæ & nugatorix sunt hominum inventiones, & commenta ad vincendos Dæmones, & imperio suo subjiendos illos, quos invitos nemo mortalium cogere valet: Quocirca solus Dei permissione, & ejus invocatione hoc tantum opus est perficiendum, qui solus vim atque potestatem habet in Dæmones: Quod etiam Baconus hisce verbis agnoscere videtur; *In hoc est error eorum, qui legibus, tum Theologiæ, tum Philosophiæ neglectis, sibi subjiçi credunt spiritus, & quod spiritus cogantur humana voluntate: Hoc enim impossibile est quia vis humana longè inferior est, quàm illa spirituum, aut, quia in hoc magis aberrant quod per aliquas res naturales, quibus utuntur, credunt, vel advocari vel figurari spiritus malignos & adhuc errant quando per invocationes, deprecationes & sacrificia nituntur homines eos placare & adducere pro utilitate hominum: Facilius enim sine comparatione à Deo impetrandum foret vel à bonis spiritibus, quicquid homo debet utile reputare: Deus igitur præcipuè & solus precibus exorandus est, ut proprii sui Dæmonis notitia & familiaritas genito concedatur, quoniam ei soli, & præter eum nulli obediunt Angeli primi ordinis, seu regionis empyreæ, & Dæmones seu spiritus mediæ cæli, Olympici dicti, primùm Deo, & deinde Angelis superioribus obsequium præbent; Atque inferiores denique ordines subjiçuntur primùm Deo, deinde Archangelis & Angelis, postea & ultimo loco spiritibus Olympicis obediunt, ita ut quilibet Angelorum ordo inferior superiorem in honore habeat. Atque hinc dictum est, quod superiora agant in inferiora, eaque dominio quodam insigni regant atque gubernent. Magi ergo pii hujusmodi orationem tyronibus præscribunt, quæ Dei Dæmonum ducis auxilium invocent, ut Genii sui cognitionem & familiaritatem acquirant.*

Omnipotens æternæ Deus, qui totam creaturam condidisti in laudem tuam & honorem tuum, ac ministerium hominis, oro, ut Spiritum & Genium meum N. N. de Solari, Mercuriali, Joviali, &c. ordine mittas, qui me informet & doceat, quæ illum cum justitia & pietate interrogavero, & ut mihi necessaria illa indicet ad eruditionem meam in artibus & experimentis majorum meorum & philosophorum aut ut mihi modum conservandi sanitatis, & vitam rectè instituendi, aut modum me præservandi ab inimicis, &c. Verùm non mea fiat voluntas, sed tua per JESUM CHRISTUM filium tuum unigenitum Dominum nostrum, Amen.

Quare prædictis optimè consideratis, te quoque oportet ad vota tua consequenda, hoc modo præparatum ex intimo cordis affectu orationem istam devotè ad Deum fundere.

C A P. XIII.

Quomodò, cognitis duarum geniturarum figuris, facillimè possimus colligere, utrius Genius sit potentior, ita ut inde, uter ex illis duobus in omni actione alteri prævaleat, dignoscamus.

Cognitis duobus hominibus, inter quos familiaritas est, vel qui simul vitam degere debent; Artifex bonus unius & alterius nativitatem addiscens, & in utraque nativitate Dominum domus undecimæ ac spiritum ejusdem eliciens & animadvertens facillimè potest colligere, quis eorum Dominum habeat supra aliū, aut in ludo, aut in prosperitate, aut in pugna, aut in honore: Imò verò si inveneris q̄ unius undecimæ domus Dominus, & ejus bonus Dæmon sit; alterius cacodæmon vel spiritus duodecimæ, & quòd hic secundi cacodæmon fortior sit & potentior atque fœlicior in cœlo, quàm bonus Dæmon prioris, erit inter hos sodales seu socios unius natura alteri infestissima, periculosissima & inimicissima, ac quod plus est, illi priori, semper prævalebit hæc alterius malitia. Sic legimus *M. Antonium & Octavianum Augustum* singulari amicitia junctos sæpe solitos fuisse unà ludere; Verum cum semper *Augustus* abiret victor, Magum quendam admonuisse *M. Antonium* in hanc sententiam: *Quid tibi, ô Antoni, cum adolescente isto? Fuge illum & vita; Nam, etsi tu natu grandior, & rerum peritia præstantior es, etiam genere illustrior. & plurimum Imperator bella multa exantlasti, hujus tamen adolescentis Genium Genius reformidat tuus, & tua fortuna illius fortuna subblanditur; ni procul fugeris tota ad illum defectura videtur.* Hujusmodi haud dubiè erant Genii *Pompeii & Cesaris, Alexandri Magni & Darii*; Et quamvis *Cesaris*, itidemque *Alexandri Magni* exercitus instar manipuli tantum; & non magni fuerunt respectu illarum copiarum quas duxerunt *Pompejus & Darius*, attamen Genius unius fuit fortior Genio alterius, adeoque pugna in visibili & spiritali pugnarunt exercitus seu legiones unius & alterius, & proinde Genius debilior victus succubuit. Nec quidem dissentit hæc nostra opinio à sacris scripturis: Nam primò legitur ita apud *Esaiam*; *visitavit Dominus exercituum excelsi & in excelsis, & super reges terræ in terra* &c. De quo spiritu ac præsidum conflictu etiam apud *Danielem* 10. legimus: videlicet de principe regni Persarum & de principe Græcorum, de principe populi Israël, eorundemque ad invicem conflictu. Atque hoc idem etiam agnoscere videtur. Poëta *Homerus* hisce carminibus;

*Tantus cælestium percrebuit aula,
Cum sæva alterni ruerent in prælia Divi.
Neptunum contra bellabat Phæbus Apollo,
Adversus Martem certabat Pallas Athena,
Junoni obstiterat bello pharetra Diana,
Latonam telis volucer Cyllenius urget.*

Sed & nonnunquam accidit ut duarum geniturarum Genii naturâ ad invicem opponantur: & tamen alter altero potentior non est, sed unius malitia adæquat malitiam alterius: imò quidem accidere potest, ut Genius unius sit cacodæmon alterius, & vice versa. Nam videmus in Astrologia, quòd maxima est amicitia & inimicitia inter Planetas; Verba gratiâ, inter Saturnum & Venerem, quemadmodum in Astrologia nostra ostendimus: Hujusmodi procul dubio erant Genii duorum fratrum *Eteoclis & Polynicis*, quorum tam malitia, quàm potentia æqualis fuit: Quare ambo victoria exultarunt, ambo mutua manus

letho extincti sunt, & quod amplius est, eorum Genii post mortem prælio spirituali belligerari non desiverunt; ita quidem ut etiam ipse rogos, in quo simul usitato more combusti fuerant post mortem dividi ac findi & mutuo quasi odio separari observatus sit.

Epilogus Apologeticus.

NON ideò, Lector benevole, Magi impii nomen me mereri credas, quòd de nominib. spirituũ & nonnullis eorum characteribus verba feci: Scire enim te velim, me ore aliorum duntaxat esse locutum, & ea literis mandasse, quæ sequi, aut quibus fidem certam adhibere ipse negabo: Attamen hoc loco ea pertractare volui, partim methodi gratia, & partim ea ratione, qua Logici docere consueverunt fallacias: videlicet, non ut fallant homines, sed ut, ne fallantur, caveant & præmoneantur: sic enim hoc loco etiam inanem vel potius incertam veterum sapientiam depinximus, ut tu, certiori modo instructus viam veram, simplicem, & piam meliori spe, atque fiducia sequaris, genuinum cujusque Genium invenias, ac verum Astrologiæ abstrusæ arcanum cognoscas. Fecimus igitur in præmissa hujus libri parte, quod pictores solent, quando colores deteriores in margine alicujus insignis effigiei disponunt, ut in interiori imaginis delineatæ parte pulchritudo sit ornatior. Attende igitur, Bone Lector; Et si diligenter res, prout sunt, consideraveris, fortasse nostros, hosce exantlatos labores non respues, nec tuam etiam operam, aut oleum perdes. Vale.

L I B R I I I I . P A R S I I I .

De vera Genii inventionione.

C A P . I .

Autoris de proprii cujusque Genii seu Dæmonis natalitii inventionione opinio : Ac primùm de Angelo menti humanæ proprio.

NON ineptè quidem dixit *Jamblicus*, malè sanam *Porphyrii* opinionem refutando, *Dæmonem cujusque proprium ab antiquiori initio dari, quàm ab astris aut generationis figura*; Nam si rectè rem consideraverimus, aperte oculis intellectus percipiemus, quòd Dæmon aliquis, cuiquam astrorum proprius, quem *Olympicum* superius appellavimus, sit ipsius fati à divino præside ordinati executor, & non corrector: Nam quicquid Deus proponit stellis & suis Angelis perficiendum, id omne equidem necessario ab illis fieri & sive ad bonum sive ad malum expediri & executioni mandari oportet, cum omnia ad ejus nutum moveantur, ipsiusque imperato obediant. At verò Angeli superioris cœli, quatenus à creatione sua extra ac supra fati limites exurgunt & constituti sunt, nihil mali

mali homini aut mundo afferre solent, nisi in quantum pro meritis cuique bonum vel malum rependunt, hoc est, vel ei, sua præsentia assistunt, qui pius & bonus est, vel etiam pro impietate ejus relinquunt aliquem in potentia ultionis: Quare sæpissimè opinatus est *Porphyrus* hominem per natalitiæ suæ figuræ cognitionem, & Genii sui inventionem à fato nativitatæ suæ solvi, aut per eam felicem evadere: Quippe, uti verè dixit *Jamblicus*, Dæmon & dux mentis ac intellectus antiquioris est & altioris profapæ ac originis, quàm sunt illi fatalium executorum, qui ne pilum quidem aut punctulum mandata Dei excedere aut egredi possunt. Imò verò major est in Angelis empyreis factorum relaxandorum potentia quatenus digniores sunt, justiores, Deo propinquiores, & magis familiares quàm illi mediæ aut infimi ordinis: Unde major illis propter excellentem ipsorum justitiam, datur potestas, non modo in homines, sed etiam in ipsos Angelos inferiores. Nam uti in superioribus declaratum est, mentem esse quiddam divinum, passioni non obnoxium, & fato non subjectum, ac per consequens hominem ei adhærentem astris intacta ipsius mentis virtute, & proinde quoque fato dominaturum, ita sequitur exinde multò magis quòd Angeli superioris ordinis, qui diligentissimam ejus curam gerunt, multum præstare possint in ordinatione & directione mentis in homine, ut instar nautæ alicujus contra fluctuosa mundi pericula, & acerbas ac rigidas fataliù tempestates iter suum tutò ad exoptatum felicitatis portum dirigat. Sed ut ad opinionem meam antea allegatam propius accedam, & ad discutiendam veterum Philosophorum in hac causa contentionem me accingam, meminisse vos in primis velim (si quidem præcedentia diligenti observatione perlegeritis) me de tribus mundi regionibus, quas cælos vocavimus, & de totidem animæ humanæ portionibus, ab illis derivatis, verba fecisse; quarum primam & supremam, videlicet mentem in spiritu empyreo seu rationali & intellectuali, tanquam vehiculo seu curriculo ferri explicavi; media autem, nempe anima media, in spiritu intermedio æthereo seu vitali cum suo principe, & ejus spiritu empyreo ac supercœlesti deorsum vehitur in regionem elementarem, à cujus formis, & præsertim ab igne recipiuntur hi reges (nempe supercœlestis & cœlestis) ac aère tandem obducuntur quousque in terram, & corpora opaca immergantur. His igitur cognitis, æquum erit credere, quòd ut internus homo tres spirituales trium mundi regionum portiones in se continet, ita quoque haud dubiè, unaquæque harum portionum possideat suum proprium Dæmonem seu Angelum, qui naturam & sedem suam habeat secundum dignitatem portionis hominis spiritualis: Unde fit, ut ipsa mens, divinus Dei radius, immediatè ab essentia supersubstantiali efflatus, à prima & suprema hierarchia recipiatur, ubi unus ex Seraphinis flagrantissimo amore ardens, atque unus ex Cherubinibus scientiæ plenitudine abundans, atque itidem unus ex Thronis justitia divina plenus, & æquitate referentissimus, hi, inquam, tres, ex quolibet Epiphaniæ ordine selecti, in honorem Trinitatis, à qua mens effluxit, alis igneis, & amore, scientia, ac justitia ardentibus, ipsam mentem sustinentes, & undique eam stipantes deorsum ad secundam cœli empyrei hierarchiam traducunt, eamque in custodia Angelorum illius hierarchiæ, donis suis locupletatam & ornatam relinquunt: Hic igitur mens illa in intellectualem spiritum, quasi vehiculum activum, recipitur, qui itidem Angelo uno ex quolibet hierarchiæ mediæ seu epiphaniæ ordine sustinetur: uno videlicet Angelo ex ordine Dominationum, videlicet duce, in spirituali us præliis, & alio ex ordine Principatum, docente scilicet reverentiam principibus ac viam revertendi ad Deum; atque tertio ex ordine Potestatum, nimirum habente dominium in malignos spiritus: Horum igitur claritate statuminaus spiritus ille Zephyreo descensu mentem in suo curriculo intellectuali

flammis lucis primo die creatæ undique ornatam vehens, deorsum in infimam hierarchiam, Ephioniam nempe, conducitur; eaque ratione Angeli isti mentem illam cum ejus curriculo coruscante officiis suis & virtutibus, antequam discedant, condecorant: atque ita jam mens cum intellectu à spiritu rationali excipitur, spiritu limpidissimo, purissimo, & supercœlesti, qui eorum præsentia admodum videtur delectari & exultare: In hac ergo hierarchia recipitur mens intellectuâ luce à tribus similiter Angelis, quorum quilibet seorsim ad aliquam trium hierarchiæ ordinum classem pertinere videtur; Angelus itaque unus est de ordine virtutum, cui datum est ab origine miracula præstare, in hoc enim virtus Dei elucescere dicitur: Secundus est ex ordine Archangelorum, qui est unus ex altissimis Dei nunciis vel nunciorum Dei principibus, qui sunt cæteris Angelis tanquam reges, principes & duces; Tertius autem est ex Angelorum ordine: Hi, inquam, mentem recipiunt in duplici ejus vehiculo empyreo, cum amore & reverentia: Cui unus ex septem Archangelis, qui juxta illud Job. 12. 15.) astant ante Dominum, tanquam exemplar parentum ejus pro duce, Deo sic jubente, attribuitur. Ex his igitur liquet, quod mens substantialitatem, æternitatem, immutabilitatem, impassibilitatem & majestatem in se habeat essentiæ divinæ à qua prosiliit ab origine, & cujus actus existit, A *Seraphin* accepit amoris ignei & deiformis donum, à *Cherubin*, scientiæ & cognitionis plenitudinem, à *Thronis* æquitatem & justitiam, à *Dominationibus* id habet, ut victor evadat in pugna spirituali, & ut astris fatoque prædominetur, quando in terra carnosa habitat, à *Principatibus* docetur revereri Deum suum, & modestè se gerere erga superiores, à *Potestatibus* dominium & potestatem habet in spiritibus mundi malignos; à *virtutibus* miraculorum coram mundo edendorum facultatem & divinam illuminationem, ab *Archangelis* prophetandi donum: Imò verò horum omnium ex natura sua capax est, quatenus est radius Deiformis: Veruntamen, quia per se & in sua natura est super omnes Angelorum ordines, & per consequens Deo continua, idcirco sine ordinum inferiorum virtutum amictu gradatim se in inferiora immergere non potuit, nec de rebus mundanis aut terrenis cogitare. Et quoniam hæc divina essentia suo amictu empyreo exornata, & corpori opaco immersa, propter diversorium suum malignitatem, gravitatem, caliginem, & obscuritatem multiplicem, non potest hanc suam virtutem exercere, aut executioni mandare, ideò Deus ei Angelum bonum tanquam ducem & conductorem assignavit, cujus assistentia ejus diversorium seu palatium à pessimorum spirituum, tam corporatorum quam incorporeorum, malitia & rabie præservetur, ita ut ipsa anima media à Diabolorum insultibus & violentia queat manere tuta & illæsa: Quinimò etiam *Archangelus* nonnunquam ingreditur mentis diversorium, & se cum anima ac mente conjungit: Ita enim legimus, *Zachar. 2. 3. Et ecce, Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, &c.* Hujus equidem rei exemplis plenissimæ sunt sacræ literæ, ut ex infra dictis latius apparebit: Hic igitur manifestus sit *Porphyrii* error vanè & frivole existimantis, quod, si quis cognosceret figuram nativitatis, ejusque Dominium, facillimè inveniret Angelum seu Dæmonem, per quem liberaretur à fato nativitatis, & felix redderetur. Etenim constat ex illis, quæ dicta sunt, quod Dæmon iste, qui vim habet super astrorum operationes, obtineat locum & dominium suum primarium seu principale extra stellarum regionem, & supra firmamentum in regno supercœlesti, ita quidem, ut ejus naturam, vel ab astris, vel à qualitate figuræ, aut ejus Domino elicere sit impossibile, cum hujusmodi Dæmonis vis supra naturam cœli infinitis gradibus exaltetur, imò quidem ipse dominatur astris, & non astra illi, adeoque nequimus abstrusam ejus dispositionem per stellarum inquisitionem investigare. Rectius igitur *Jamblicus*

blicus asseveravit, quòd antiquius sit Dæmonis, fatum avertentis, initium, quàm à stellis, aut ex figura nativitatìs cognosci possit: adeoque negat, futurum, ut, si figura nativitatìs aut Dominus vel Dæmon ejus cognosceretur, protinus exinde felix foret natus; & *quisnam*, inquit, *hunc ducem acciperet ad effugienda fatalia?* Quare concludit, quòd hìc spiritus præpotens in homine cognosci non possit, nisi per vaticinium: Quomodò autem id fiat inferiùs dicemus. Patet igitur, quòd *Porphyrius* solummodò Dæmonem cœlestem seu Olympicum, animæ mediæ seu vitali proprium respexerit, quem appellari Genium infra declarabimus, hoc est, Dæmonem genituræ seu vitæ nati, & non illum sacrum ac supercœlestem menti assignatum, quorum ille versatur circa naturam & vitam nati, fataliter ac ex necessitate functionem & officium suum obiens: hic verò tùm animo, tùm corpori & vitæ præest, adeoque etiam ipsi Dæmoni medio seu Genio nativitatìs, tanquam ejus princeps, & astris que que ac fato nonnunquam, voluntate divina dominando, præsidere solet: Unde, inquit *Jamblicus*, *hic animam conciliat corpori, vitam corpori communicatam curat, vitam animæ propriam dirigit, cogitationi assidue principia exhibet, nosq; agimus talia, qualia hic adducit in mentem, eatenus nos gubernat, quoad sacris præfècti Dominum pro Dæmone commutemus.* Atque hoc modo Dæmonem illum sacrum invenimus, qui juxta *Agyptiorum* doctrinam non ab astris, neque à Planetis, sed à superiori regno, hoc est, ab ipso Dæmonum & Angelorum præside (Deo nempe) menti assignatur, priusquam illa in vehiculum suum medium descendit, quem quidem Angelum de Archangelorum choro esse infra ostendemus.

C A P. II.

*Exempla nonnulla ex sacris Bibliis & aliunde desumpta de
Dæmonibus hujus supremi ordinis, hominibus piis
inservientibus.*

Quoniam propter lapsum *Adami*, juxta illud, *Sap. 9. Corpus ag gravat animû & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, unde difficilia est imamus ea, que in terra sunt, & que in conspectu extant invenimus cum labore; Que autem in cœlis sunt, quis investigabit? Sensum autem Dei quis scire potest, nisi Deus sapientiam dederit, & spiritû suum sanctum ab altissimis miserit?* ideò mentis nostræ dux, quem ex Archangelorum numero esse, tum supra declaravimus, tum infra probabimus, cum corpore nostro propter carnis pollutionem nullum commercium aut familiaritatem habet; sed estei quasi peregrinus nec mentem instruit aut gubernat eo modo, ut in corpore percipiatur aut intelligatur ejus mysterium: solummodo menti & ei quidem soli spiritualibus documentis ministrat, ita ut si anima mediæ menti adhæreat: & negligat sensum ac formalem elementorum eruditionem, mundi voluptatibus & concupiscentiis contaminatam, tunc etiam aliquo modò, ipsum corpus gustet effectus sapientiæ mentis: Et licet ipse, Angelus primarius mentis conductor, corpori talis hominis ignoretur, oculis tamen obedientis animæ mediæ (virtute ac beneficio mentis) conspicitur & cum illa etiam communicationem aliquam, susurratione quadam spiritali habet, etiam si ea à corpore opaco non discernatur: At verò ubi anima, rejiciendo mentis Gubernationem, ad carnis voluptates & appetitum sensualem prona est & proclivis ut mens in corpore vacare videtur, & corpus ejusque animam mediæ sensualitate submersam negligit, ac cum suo bono Angelo consortium habet, qui

inter se de rebus regni supercœlestis sermonem suo more serunt, & inferiorum obliviscuntur, nisi quatenus domo corporea circumducuntur: Atque hujusmodi anima à mente deserta, inquam, tum fato subjicitur, & fatalem spiritum quem Genium nuncupavimus, habet pro summo duce, ita ut talis homo non magis possit fatum aut fatalia evitare, quàm ipsum brutum; Non enim astris dominatur, quia sapiens esse non potest, nec fatum suum corrigere potest, quia deest illi gubernator, qui Dominum habet super omne malum, videlicet mens & ejus conductor. Hinc igitur, iuxta illud *Mercurii Trismegisti Pimand. 12 decretum est fato, ut ille patiatur, qui turpe quid commiserit, & decretum est fato quosdam adulteros fore, quosdam sacrilegos, &c.* Et licet secundùm illum omnia sunt facti opera, & absque illo, nihil est corporalium, non bonum sine illo qui quam potest, non malum fieri sine illo, attamen malum virtute boni Angeli & sagaci mentis documento ab anima, suis superioribus obediente, averti posse dicimus: Nam ita virtute suorum ducum supercœlestium vixit Adamus ante lapsum, ut de malo ne quidem unquam gustaverit. Quis igitur juxta locum *Sap. 9.* antea à ligatum, unquam poterit hoc fatale poculum evitare, ô Sacrosanctè rerum conditor & creator, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum tuum sanctum ab altissimis? Quo quidem præsentè replebimur & perfundemur sapientia, & erimus omniscientia refertissimi, ita ut ab inquinatione parentum immunes, & ex insipientibus facti sapientes, astris dominemur & fatorum malitiam subjeciamus, ac filii Dei viventis per adoptionis gratiam efficiamur. Tunc sanè corpore mundato & rectificata anima, mens ipsa, ejus Angelus familiares erunt, tam corpori quàm animæ, & ipsius ab Angeli sacri vox ac susurratio auribus corporis percipietur, adeoque etiam ipse nonnunquam in conspectum corporeum prodibit, ut ex multis tam sacrarum literarum locis, quàm veterum scriptorum fide dignorum autoritatibus elicere possumus; ex quibus constat quod fatidici spiritus benè repurgatis animis & præparatis corporibus sese visibiles præbuerint, & comites exhibuerint: Verbi gratiâ; in sacra Scriptura legimus, Angelum apparuisse *Abrahamo, Agaræ, Jacobo, Gedeoni, Balamo, Moysi, Josue, Uxori Manoachi, Davidi, Elie, Danieli, Tobie, Josepho, & Mariæ matri Christi, Petro, Johanni, &c.* Qui Angeli haud dubiè fuerunt illi ipsi, qui duces primarii extiterunt mentibus eorum, quibus apparuerunt, ac si à nativitate illis cura talium hominum tanquam ducibus eorum primariis, commissæ esset. Hinc Magi & sapientes veteres attribuerunt cuilibet vati ex Patriarchis & Prophetis suum proprium spiritum fatidicum: Scripserunt enim, quod *Adam* familiarem societatem habuerit cum Angelo *Raziele*; cujus nomen in lingua Hebraica denotare vel significare videtur secretum seu mysterium, itemque voluntatè Dei; id sanè quod relationem optimam habuit cum Adamo, vel quatenus ille erat prima cista, & quasi sacrarium seu myrothecium, in quod Deus mysterium humanitatis, quæ est ejus imago reposuerat, vel quatenus per hunc Angelum & suæ Majestatis divinæ revolutionem primum fecit. *Sem* etiam filius *Noe Jophielem* habuit pro suo Angelo, cujus nomen Dei pulchritudinem significat: *Abrahamo Zabkielem* attribuunt seu *Zabdielem*, hoc est, dotem vel donatum Dei, qui est Archangelus dominium habens in stellam Jovialem, quem alii vocant *Zacharielem*, id est, memoriam Dei: Et certè *Zabdiel*, non sine ratione importat donatum Dei, ac ipsi Jovi, hoc est, Ethnicorum Deo summo præesse traditur, quoniam ubi dos Dei, ibi etiam ejus est, virtus & prosperitas: Hinc ipse *Jehova* & hic ejus Angelus, tam sæpè Abrahamo apparuit, tam divitem eum reddidit, tanta prosperitate eum induit, & ætatem tam completam ei concessit, videlicet centum septuaginta & quinque annos, ita ut de eo scriptum inveniarur, quòd deficiens mortuus sit in senectute bona, provecràque ætatis, &

plenus

plenus dierum, hoc est, radicem quadrati septenarii, de quo supra in numeris divinis locuti sumus, suæ ætatis numero complevit: Hinc igitur fit etiam, videlicet hujus Angeli beneficio ac dominio, ut Jupiter sit tam fausta stella vitæ humanæ, unde illum *Majus fortunium* appellaverunt in Astrologia periti. Porro Angelum *Pelielem Jacobo* assignarunt, ac si quis diceret *Pelaïam*, hoc est, occultum Domini & miraculum Domini: Nam virtute hujus Angeli Jacob in visione percepit Angelos per scalam ascendentes & descendentes, & mysterium divinum habuit, quemadmodum apparet ex his verbis, *Gen. 28. 6. Cumq̄, evigilasset Jacob de somno ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam: pavensq̄, inquit, quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Jacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper, &c.* Sic *Gabrielem Lunæ* Dominum *Josepho, Josua, & Danieli* dedicaverunt, cujus vocabuli occultum est fortitudo Dei, vir Dei, & fortis Deus meus: *Moses* vendicavit sibi Angelum *Mathatron*, ac si quis diceret donum Dei, cujus virtute tot mirabilia in *Ægypto*, & alibi præstitit: *Elias Meltielem*, id est, liberationem Dei sibi inservientem habuit: *Tobie Raphael*, hoc est, medicina Dei, præerat, qui est dux primarius stellæ *Mercurii*, vel, ut alii volunt, *Solis*: *Davidi Cervielem* dant; *Ezechieli Hasmaelem, Esdra Urielem*, qui significat lumen vel ignem Dei: Sic *Salomoni Michaellem* assignant denotantē sui nominis explicationē. Quis sicut Deus, item percussionem Dei: Qui quidē Angelus corporis solaris est præses & gubernator. Hinc *Salomonis gloria*, hinc ejus dignitas, sapientia, & dominiū, ita ut hinc in terris exclamari soleat, Quis sicut Salomon? Imò quidem erat quasi *Salomonis percussio*, hoc est, timor & metus in omnes gentes: Nec mirum, cum *Michael Archangelus* sit dux *Jehovæ*, cujus ductu & virtute *Satanas* cum suis Angelis victus, atque in abyssum dejectus est, & sic in cæteris: ita ut verisimile sit, quòd Angeli, qui cum hisce commemoratis familiaritatem habuerunt, soliti sint ipsis naturali quodam vinculo & inclinatione apparere, ac mandata divina iis referre potius, quàm Angeli naturis eorum peregrini: Sic enim videmus *Martialem naturam* contrariam esse dispositioni *Saturni ac Lunæ*, & naturam itidem *Saturni lethalem* esse proprietati *Jovis & Veneris*, & proinde etiam Angelorum dispositionem quodammodo contrariam & inter se repugnātem esse sentiemus, si diligenti lectione *caput 10. Danielis* pervolutaverimus, ubi ita scriptum videmus; *Inquit Angelus; Princeps Persarum restitit mihi viginti & uno diebus & ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansit sibi juxta Regem Persarum, &c.* Ex quibus patet, quòd Angeli varii variis, tam regnis quàm hominibus præsent, & quòd in bello & aliis contentionibus Angelus uni homini præsidens contendat contra Angelum alterius; Sic etiam Angelus unius regni contra Angelum alterius decertat. Atque hæc est causa mutationis aut confirmationis regni in monarchiam, atque iterum monarchiæ illius dissolutionis ac translationis in alterius gubernationem. Sed ut jam ad *Ethnicorum historias* à sacris descendamus, invenimus, quòd permulti etiam alii præter eos, qui in sacris literis recensentur afflati vel inspirati fuerint: Sic legimus, *Socratem* à suo Dæmone directum & gubernatum fuisse, quippe cujus monitis sedulò obtemperavit, ejusque vocem sæpenumero audivit, atque adeò etiam in forma Dæmonis frequenter eum vidit: Hujus autem Dæmonis sacri auxilio *Socrates* fati malignitatem evitasse dicitur: Nam cum à quodam Physiognomiæ peritissimo, inspecta prius *Socratis* facie, indicaretur, eum omnibus vitis & cuique improbitatis nequitia deditissimum esse, ipse falsus est sincerè, se ad omnia illa vitia per physiognomicum denotata, pronum esse, sed gubernatione potestatis cœlestis fatum istud suum, & malam inclinationem refrænasse, ac exinde in justitiæ & probitatis semitis ambulasse: *Mercurius*

Trismegistus etiam non dubitavit asseverare, se cognitionem veram & infallibilem à suo proprio Dæmone hausisse: Sermo ejus est talis: *Pimand. 12. Bonum Dæmonem audivi dictantem, qui, si literis quadam monumenta mandasset, mira quadam indies humano generi emolumenta conferret: Solus ille, tanquam ipse pro me genitus Deus, universa conspiciens, divina in nos effundit oracula.* Hujusmodi etiam Dæmone procul dubio instructus fuit *Plato*, cum ipsemet expresso sermone fateatur, nos ab eo juvari, tum in somniis, tum signis, mala avertente, bona auctius sospitante.

C A P. III.

De Archangelis & eorum officiis in hominibus respectu mentis, cui præsent, & quòd cæteri Angeli illis, quasi servi quidam subsint, & per consequens etiam omnes Angeli mali eorum voluntati & potestati subjiciantur.

Archangelus est quasi dux & princeps cæterorum Angelorum, qui ipsi subjiciuntur: Dicitur autem *Angelus* Græcè, quod *Malach* Hebraicè, & *Nuncius* Latinè; Archangeli digniores sunt cæteris Angelis, quia propter suam perfectionem prius percipiuntur & manifestantur in legationibus quàm cæteri, & horum diligentia Angeli inferiores de mysteriis divinis informantur. Horum autem officia erga homines, tam ex doctrina sacrarum literarum, quàm ex instructionibus *Platoniorum* & sapientum *Aegyptiorum* breviter recensebimus. *Officium Archangelorum*, inquit *Isidorus lib. 7. cap. 5. est docere & instruere in rebus ad fidem conducentibus, ut de adventu filii Dei, &c.* Sic enim ex *Genesi 24. 7.* colligimus, quòd *Jehova mittat hujusmodi Angelos, ante justos in negotiis eorum:* & juxta *Psal. 91. 10. Angeli Dei gerent curam justorum* Id quod etiam apparet ex verbis Prophetæ *Regii, Psalm 91. v. 10. quæ sunt talia: Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Quem eadem sermonem, teste *Hieronymo*, non solum de Christo, sed etiam de quocunque homine pio intelligebat *Propheta*: Similiter, juxta illud *3. Reg. 9. Excitant nos ad bonum, exuscitantque à somno vitiorum & peccatorum, reficiunt spiritualiter, ut non cadamus sub onere: sic etiam Dæmones malignos depellunt quemadmodum Tob. 8. legitur: in dubiis certa resolutione, nos informant, & res ambiguas nobis certas reddunt, Dan. 11. 10. conducent nos in via & itinere; Hinc *Exod. 23. 20. ita legimus; Ecce mitto Angelum meum ante te ad servandum te in hac via, & introducendum te in locum illum, &c.* Hujus etiam rei exemplum habemus *Exod. 32. 3. Reg. 19. consolationem afferunt hominibus tristitia & mœrore affectis, Luc. 23. & Gen. 16. compassione & commiseratione moventur erga nos peccantes, nec sinunt vel admittunt, ut in desperationem incidamus, Esaiæ 24. Jud. 2. hominib. assistunt ne cadant, Esa 24. adjuvant justos contra ipsorum inimicos ne vincantur, Genes. 32. Machab. penult. medicinam sauciatis subministrant, ne moriantur, Tob. 11. cibum & laticem afferunt famelicis, ne pereant media & fame, 2. Reg. 19. peccata nostra nobis præsentant & ob oculos ponunt, ut videntes ea pudore & pœnitentia afficiamur, Jos. 2. voluntatem Dei nobis aperiunt, & nos docent, quid sit faciendum. Luc. 2. obstacula & impedimenta tollunt, ut Deo inserviamus, Exod. 23. sæpè visitare solent, & in visitationibus nos admonent ne voluntatem divinam transgrediamur, Esaiæ 40. sunt semper in præsentia Dei, ut eum contemplantur Luc. 1. Dan. 7. preces hominum ad Deum deferunt, nec cessant**

cessant Deum venerari, *Esai. 6. Apoc. 5.* Deum de facie ad faciem, nullo interposito velamento, contuentur, *Math. 18.* homines docent, & ostendunt iis futura. Unde inquit Archangelus *Gabriel ad Danielelem*, cui præpositus erat in custodia; *Veni, ut doceam te, quæ eventura sint populo tuo in novissimis diebus. Dan. 10. 14.* Prophetias igitur docent, & prophetas faciunt, Cæcædæmones expellunt, qui vim habent super homines, uti legimus hoc idem in historia à *Raphael* Archangelo factum: Archangeli ergo malignos spiritus propellunt ab hominibus, quemadmodum potestates reprimunt malorum Dæmonum conatus contra majestatem divinam, ut narrat *Dionysius*, qui etiam asseverare videtur, quòd hujusmodi intelligentiæ attollant, inspirant, & adducant homines ad cognitionem Dei, ac doceant & informant eos, ut possint piè vivere: Atque ita possemus infinita alia Archangelorum, & eorum ministrorum officia recensere sacrarum literarum testimonio confirmata, sed omnia hîc describere longum foret. Audiamus igitur, quid Ethnici de his Dæmonibus statuerint, & qualia illis officia attribuerint. *Jamblicus* dicit primum, quòd intelligentiæ inter se non conveniant vel differant genere differentive vultu (simplicissimæ enim sunt) sed quatenus vel eadem vel diversa ratione referuntur ad primum, & aliæ in prioribus, aliæ autem in sequentibus seu posterioribus perfectionis gradibus sunt dispositæ: Respectu ergo differentiæ in perfectione graduum alibi intelligentias distinguunt in Deos, Dæmones, Heroës, & animos puros, & supra hos omnes agnoscit summum bonum seu Deum unicum, post quem sequuntur Dii creati, ultimumque intelligentiarum ordinem & infimum animas facit, inter quas & Deos, duo intermedia posuit, videlicet Dæmones & Heroës, quemadmodum inter ignem & terram constituuntur aër & aqua: Dæmones, qui Heroibus superiores sunt magis participant de natura Deorum, & Heroës de natura animæ: Unde fit, ut duo media participant & componantur ex proprietatibus duorum extremorum: Hinc ergo cum animæ proprietas sit declinare ad multitudinem, sequitur quod Heroës etiam, qui de illis participant, declinent & propendeant magis ad particularia & mobilia quàm Dæmones: Similiter quoque è converso, quoniam proprietas Deorum est quasi unitas, permansio in seipsis, immobilis motionum causa, providentiæque eminens, sequitur exinde: quòd Dæmones in se Deorum dotes, quatenus illis adhærent, contineant, & ad unitatem inclinent: Dæmonum officium est versari circa naturas mundanas, & rerum perfectionem, animæque ad corpus alligationem; Officium autem Heroum est vivificare, animas custodire, & eas à corpore solvere: Ex quibus patet, quòd Dæmonum officium latius se extendat, quàm Heroum, cum illi magis circa universum, hi verò magis circa animas operentur: Archangelos verò & Angelos videtur Philosophus inter Dæmones superiores referre, vel potius proprium quendam ordinem illis assignare alibi inter Deos & Dæmones: Verba hæc sunt: *Deorum imagines apparent penitus immutabiles, &c. Archangelorum & Angelorum gradatim minus immutabiles, sed prope Deos: Dæmonum mutabiles, &c. ac Heroum fermè sicut Dæmonum: animarum denique longè mutabiliores quàm Dæmonum.* Hic ergo videtur distinguere, Archangelos & Angelos à Dæmonibus; At verò in loco antea citato eos cum Dæmonibus confundit: In ultima autem distinctione videtur per Dæmones intelligere eas intelligentias, quæ sub cælo empyreo, proximo loco disponuntur, videlicet Dæmones duodecim signa & cælum stellatum possidentia, & per Heroës, Dæmones Olympicos, seu spiritus Planetis præsidentes: Unde dicit: quòd officium Dæmonum sit opificium circa naturas mundanas usque ad singula transigere, simulatque perficere, & animas ligare corporibus; Heroum est vivificare, & animas custodire: Et quemadmodum Zodiaci officium latius est, quàm planetarum, quatenus primum in planetas

agit, & in elementaria: Atque ita magis circa universum versatur, sic etiam Dæmonum officium latius est, quàm Heroum cùm illi circa universum magis, hi circa animas potiùs operentur. Nos autem ex sapientum testimonio elicimus, quòd omnes intelligentiæ, sive dicantur Dii creati, sive Archangeli & Angeli, sive Spiritus, Dæmones & Heroës, comprehendantur sub vocabulo Dæmonis non minùs, quàm species variæ solent eidem generi subjici, dicimusque quòd Dæmones supra stellas habitantes sint boni Dæmones: Sic etiam Dæmones Olympici & mediæ mundi regionis respectu sui, & per se quidem boni sunt: sed tamen respectu nostri, in quibus fataliter agentes, nonnunquam bonum, & quandoque malum operantur, & boni & mali dicuntur: Ita Saturni, Dæmones appellantur majora infortunia, & ipse Saturnus mala stella, & majus infortunium vocatur: Similiter Martis Dæmones minora infortunia nuncupantur: dum interim proprietates Dæmonum Jovis & Veneris contrario modo se habent. *Chaldaei* itaque & *Ægyptii* videntur distinguere Dæmones in sacros, & Dæmones stellarum seu genituræ sive nativitatibus aut genitæ figuræ Dominos & elementares, qui omnium pessimi existimantur. *Dæmones sacros* volunt esse illos, qui ab ipso Dæmonum Deo descendenti animæ rationali assignantur, universales supra naturam: horum officium esse dicunt, vitam animæ dirigere, cogitationes bonas semper menti exhibere, assidua in nobis illuminatione agere, quantumvis illam actionem non semper in anima animadvertamus, sed, quando purgati sumus, & tranquillè vivimus, tunc à nobis percipitur ipse Dæmon, & quasi nobiscum loquitur, ac suam nobis communicat vocem antea silentio prætens, studetque assidue ad sacram nos ducere perfectionem: Tradunt etiam, quòd hujus Dæmonis auxilio possimus fati malignitatem evitare, quòd *Socratem* fecisse legimus: Et *Platonici* credunt, homines mirum in modum ab eo juvari, tùm somniis tùm signis mala avertendo, bonaque auctiùs sospitando: Atque illa etiam his dictis confirmare videtur *Jamblicus*: Hic animam conciliat corpori, communicatam curat, vitam animæ propriam dirigit, cogitationi assidue principia exhibet, nosque agimus talia, qualia his adducit in mentem, eatenus nos gubernat, quoad sacris præfecti Dominum pro Dæmone commutemus: Tunc Dæmon hic Deo cedens vel vacat ab opere, vel conducit ad idem: Et alibi dicit: Hic Dæmon fuit in exemplari antequam in generationem animæ laborentur, quem cùm primum anima ducem accepit, astat ipse Dæmon, expletor subinde vitarum, animamque descendente alligat corpori, commune ejus animal ipsi curat, vitam animæ propriam dirigit, & quodcunque ratiocinamur, exhibet ratiocinandi principia, agimusque talia, qualia adducit in mentem, gubernatque nos, quousque sacris operibus expiati Deum subeamus pro Dæmone ducem, cui post hæc Dæmon ita cedit, ut vel vacet eo præsentem, vel conducat ad idem. *Porphyrius* etiam ait, hujus Dæmonis sacri auxilio malignitatem fati evitari: Nos autem concludimus hunc Dæmonem esse superiorem ex tribus corporis Dæmonibus, mentis custodem, ducem & conductorem, quæ optima sunt menti subjicientem, ac turpia ab ea propulsantem, rationis discursivæ in probis & bonis directorem, internum intellectus sapientia implentem, atque ita in universum hominem, & per consequens in ipsos quoque Dæmones eidem præeuntes gubernationem ac dominium habentem, non aliter quàm mens sapientis in animam vitalem, animaleam seu sensitivam: Nam mens quatenus ex supercœlestibus parentibus orta est, supercœlestem ducem & conductorem in suo ad inferiora itinere requirit, qui ipsam, cum ejus amicis, intellectu scilicet & ratione in lucem seu animam mediæ cœli & ejus spiritum imponat, atque hæc omnia simul, mediantibus liquidioribus elementis cum corpore jungat, uti inferiùs latius dicemus: Ex his igitur evidens est, quòd hujusmodi Archangeli, cum suis ducibus eis inservientes, non modò dominium habeant in spiritus Olympicos, qui

quidam & fataliū sunt gubernatores, sed etiam in spiritus elementares & Caco- demones, qui infimā mundi regionē possident, & homines malo afficere solent: quæ admodum a quod *Tobiam* legitur, quòd Archangelus *Raphael* *Dæmoniū nomine Amodeum apprehenderit, ipsumq. in deserto superioris AEgypti ligaverit. &c.* Quibus etiam docemur, quòd omne, quod bonum est, dominium habeat, & imperium in malum, ab eo tempore, quo summum bonum cum suis Angelis summum malum & litigium è cœlis in terram propulsavit. Idcirco divina providentia nobis hujusmodi Dæmones priores seu potentiores in propinquo constituit & præfecit, quibus nos, tanquam pastoribus seu rectoribus commendavit, ut nos quotidie adjuvent, & Dæmones malos arceant, compescant & religant, ne quantum vellent, nobis noceant, uti in historia allegata declaratur.

C A P. IV.

De Angelis septem, qui astant coram Deo, & quòd quilibet eorum sit dux multorum millium, tum principum tum communiorum & inferiorum Angelorum specierum.

COLLIGIMUS ex sacrarum literarum institutione, tum etiam ex ipsius naturæ fatalis ordinatione, quòd summi Archangelorum principes sint in numero septenario à Deo constituti, quatenus hic solus est numerus ille primarius & virgineus, à quo & in quo, ac per quem Deus unus simpliciter formalis, & essentia super substantialis, tecum materia infirmi miscet, ut à potentia eam ad actum aquarum seu naturæ humidæ deducat. Simili etiam respectu Archangelorum principes in tali numero à creatore eliguntur ut in tenario numero relationem ad Trinitatem sacrosanctam & unicum Deum ac Dominum suum habeant, & in quaternario mandata & voluntatē ejus in massa materiali accompliant & perficiant. Quod quidem sermone manifesto agnoscere videtur Psalmista Regius *Psalm. 103. 20. Benedicite Jehova Angeli ejus, Valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus: Benedicite Jehova omnes exercitus ejus, ministri ejus, facientes placitum ejus:* Sed, ut ampliori Bibliorum sacrorum testimonio horum Angelorum principalium numerum septenarium ostendamus, legimus *Tob. 12. 15. Ego sum Raphael, Angelus unus ex septem, qui astantus ante Jehovam, & Luc. 1 19. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum & missus sum ut loquar ad te: Et Dan. 10. 13. inquit Angelus Gabriel ad Danielelem: Ecce Michael unus de principibus venit in adiutorium meum, &c.* Hi ergò sunt tres principales Angeli de numero illo septenario quorum mentionem fecit *Raphael* loco antea citato, atque horum quilibet habet dominum super aliquem ex septem planetis, ea videlicet ratione, ut semper astant ante Dominum auscultantes voci verbi ejus, & tamen interim etiam efficientes seu expedientes verbum ejus tam per se quàm per ministros, exercitus, & virtutes sub se positos & sibi subjectos, qui in cœlo medio & infimo constituuntur, ut ex prædictis Psalmistæ verbis intelligimus: Unde fit, ut, licet prædicti septem Archangelis tent coram Deo, at tamen habeant dominium in septem Planetas ac Dæmones iis appropriatos, simulque in stellas fixas iis natura & dispositione affines: Sic videmus, unum eundemque Imperatorem Romæ mansisse, cui tamen Africa, Asia & Europa paruerunt; Atque iterum Gubernatores Africæ, Asiæ, & Europæ ante Imperatorem Romæ manentem astante potuerunt, dum tamen reges illi, qui cuilibet harum mundi partium regioni præsidere consueverunt, nihil perficere aut ordinare potuerunt, præterquam quod à gubernatoribus permillum & mandatum fuit, qui tamen & ipsi

etiam nihil præstare ausi fuerunt contra voluntatem & imperatum summi & maximi Imperatoris. Simili itaque modo etiam licebit Deum summum & optimum maximum Imperatori primo comparare, cui deinceps in imperii ejus gubernatione Angelorum ordo unus sub alio gradatim substituitur: sic Archangeli auscultant voci verbi divini, secundus Angelorum ordo efficit verbum illud, & ordo tertius est ministrorum facientium placitum divinum superioribus ordinibus ab unitate indicatum. Accipiunt ergo Angeli medii à superioribus illuminationes & claritates, quas ostendunt & immittunt inferioribus Angelis, ita ut voluntas Dei fiat tam in terra, quàm in cœlo. His autem septem Archangelis hujusmodi nomina imposuerunt sapientes; *Oriphiel, Zachariel, Samael, Michael, Anael, Raphael & Gabriel*, qui secundùm hunc ordinem cuilibet planetarum descendendo attribuuntur, videlicet, ut *Trithemius Abbas*, à Magorum opinionibus haud dissentiens, dicit, *Oriphielem* præsidere Saturno, *Zachariel* Jovi *Samael* Marti, *Michael* Soli, *Anael* Veneri, *Raphael* Mercurio, & *Gabriel* Lunæ; Atque horum cuique tradit ascriptam esse gubernationem annis trecentis quinquaginta quatuor, mensibusque ex ordine quaternis: cujus etiam positioni complures viri doctissimi hæctenus præbuere consensum: Verba ejus sunt hæc; *Veterū sententia est plurimorū, Sapientissime Caesar, mundū hunc inferiorē ordinatione primi intellectus, qui Deus est per secundas intelligentias gubernari &c.* Hi 7. Angeli procul dubio sunt illi, qui ætatē mundi commenturant, quorū Johannes in sua revelatione mentionem facit referendo, eorum quemque subalternatim tuba sua sonuisse, phialamque tribulationis effudisse, ita ut inter Juridicos Angliæ vetustiores inde in proverbio dici soleat, quoties aliqua illis impossibilitas in lege vel judicio occurrit, *istud quidem recuperabit, quando Gabriel cornu suo sonabit seu clanget*: Unde liquet, quòd apud veteres pro certo creditum sit, nomen istius Angeli septimi, cui tuba ultima in die Judicii clangere à Jehova injunctum est, esse Gabriel, qui præsidet ultimo ac infimo planetarum, atque ita ultimum in in mundi terminatione ordinem habebit. Hisce autem septem Archangelorum speciebus omnes inferiores Angeli boni subjiciuntur ac obediunt, & sub illis, tanquam ducibus, bellum spirituale gerunt, juxta illud *Apocalyp. 12. 7. Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum Dracone & Draco pugnabat & Angeli ejus, &c.* Similiter, quòd Angeli inferiores superioribus ministrorum loco sint & obedientiam præstent ex his *Zacharia* dictis 2. 3. elicimus: Et *Ecce, Angelus qui loquebatur in me, egrediebatur; & Angelus alius egrediebatur in occursum ejus & dixit ad eum; Curre, loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Jerusalem, &c.* Ex his, inquam, patet, quòd unus Angelus præsit alteri, & Angelus majori officii imperet ei, qui est officii minoris. His ergo consideratis, videmus, quòd 7. sint principales Angeli seu Archangeli, qui astant ante Deum, & procul dubio dominium habent in ordines inferiores & minoris officii, qui sunt in multitudine, quemadmodum ex *Math 26. 53.* colligimus: *An putas, inquit Christus, me non posse rogare Patrem meum, ut mittat mihi plures quàm duodecim legiones Angelorum?* Sic *Luc. 2. 13. Et subito fuit cum Angelo multitudo militia celestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelsis Deo; Et alibi, decies centena millia, &c.* Patet igitur infinitos esse Angelos alios præter hos septem, qui sunt principes & Angeli, ut cum *Propheta* regio loquar, qui auscultant voci Dei. Atque illi omnes hisce primariis sunt quasi ministri & servi: Unde & primarium sub Archangelis locum obtinent hi Angeli boni & accipiunt illuminationes suas ab Archangelis non aliter, quàm Archangeli à superioribus hierarchiis, & ab ipso Deo. Porrò etiam Olympici spiritus illuminationes suas immediatè recipiunt ab Angelis, qui sunt infimi ordinis in ultima hierarchia cœli empyrei. Quibus cognitis, sciendum est, quemlibet horum Angelorum naturali quadam disposi-

tionem tempus habere sui domini super stellam seu planetam proprium ei subiectum, & similiter super signum Zodiaci fortiores totius cœli angulum possidens: Unde fit, ut eo tempore, quo Angelus aliquis ita est in dominio suo, Dæmones quoque tam signi Zodiaci, quàm planetæ, quibus prædominatur fortiores, liberiores & activiores sint quàm Dæmones cæteri reliquarum stellarum, utpote qui pro illo tempore ei subjiciuntur. Durat autem istud tempus prædominii, quamdiu planeta ille, cui aliquis septem prædictorum Angelorum prædominatur, plures habet in universo cœlo suæ fortitudinis dignitates: Si quis igitur nascatur eo tempore (verbi gratiâ) quo *Gabriel* efficitur princeps totius cœli & mundi, tunc aut ipse, aut aliquis Angelorum ejus supercœlestium erit gubernator mentis nati, & aliquis Dæmonum ex regione Lunæ præsidebit vitæ geniti, itidemque spiritus aliquis elementi aquæ, quod Lunæ maximè ex natura ac dispositione sua subjicitur, animam ejus animalem, ex formali elementorum concretionem factam, gubernabit, atque sic in cæteris: ita quidem, ut spiritus legionum, cui libet prædictorum Angelorum subditi, quo tempore Domini eorum potentiores existunt, aliis mundi Dæmonibus prædominentur, ut in Meteororum generatione, mundi alteratione & temporum mutatione luculenter explicatur.

C A P. V.

Quòd unus ex septem Angelis aut ducibus ejus, auctoritate ipsi proximis, dominum habeat super mentem humanam; Et quòd plures Angeli custodiam agant unius hominis; Similiter Jambluci opinionis unicum Dæmonem integro homini attribuentis refutatio.

Sunt multi, scio, qui negabunt, imò verò & vel jam etiam negant, ni fallor, quemque hominem habere suum proprium Angelum ei præsentem, & mentis ejus directorem. Quibus quidem unico verbo respondemus ex *Josephi* Patriarchæ verbis, quemlibet hominem habere Dæmonem sacrum sibi præeuntem: Verba enim ejus hæc sunt, Genes. 48. 15. *Angelus, qui me vindicat ab omni malo, benedicat mihi & pueris istis, &c.* Unde manifestum redditur, quòd ipse *Josephus* confiteatur se à Dæmone & Angelo suo sacro conservatum fuisse in sua vita atque vindicatum ab omni periculo & peccato: Similiter hoc idem hisce Salvatoris nostri verbis elicimus. *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis.* Math. 18. 10. Hinc igitur est, ut Magi asseveranter dicant, quòd *Adam* familiari consuetudine conversatus sit cum Angelo *Raziele*; *Sem* filius *Noæ* cum *Jophiele*; *Abraham* cum *Zadkiele*; *Jacob* cum *Peliele*; *Joseph* cum *Gabriele*: Unde liquet, quòd Angelus ille cujus mentionem facit *Joseph* in verbis modò allegatis fuerit Angelus *Gabriel*: qui idem etiam dicitur *Josue* & *Danieli*, atque etiam *Mariæ* præfuisse. Sic *Moyse*, familiariter conversatus est cum *Mettatron*; *Elias* cum *Maltiele*; *Tobias* cum *Raphaele*; *David* cum *Cerviele*; *Esdra* cum *Uriele*; *Salomon* cum *Michaele*; & sic in cæteris, uti antea dictum est. Ex quibus evidentissimum evadit, quòd non semper unus ex illis septem, in propria sua persona soleat præesse, sed quòd sæpiusculè etiam aliquis ex ducibus ejus, per ipsius mandatum opus illud tutelare administrat. Sic ex prædictis videmus, quòd *Abraham* pro suo Angelo habuerit *Zadkilem* seu *Zachariam*, principem stellæ Jovialis; *Daniel* *Gabrielem* Lunæ gubernatorem; *Tobias* *Raphaelem* Mercurio præsentem; *Salomon* *Michaelem* principem

sphæræ Solaris: Unde observandum est, quòd cuique in sua nativitate detur aliquis horum principum, qui menti nati præsit, talemque hominem admirabilem reddat & idoneum ut queat arcana & mysteria divina cognoscere atque revelationem majestatis sacrosanctæ possidere: Similiter quoque cæteri Angeli potestatem ingentem atque insignem habent à ducibus illis, qua natum itidem, multa felicitate & scientia frequenter induere solent: Unde *Jophiel* quasi Dei pulchritudo, *Raziel* secretum seu mysterium Dei, *Uriel* ignis seu lux Dei, *Piel* quasi occultum & miraculum Domini, *Mettatron* donum Dei, *Meliel* liberatio Domini, *Phadael* redemptio Domini, &c. Immediatè à cæteris principibus tum potestate, tum autoritate derivantur: Imò verò nonnunquam accidit, ut hi Angeli sacri vendicent sibi nomen nati: Sic legimus in *Esdra* nomen Archangeli *Jeremiela* *Jeremia* Propheta, Sic *Zachariela* *Zacharia*, & *Uriel* ab *Uria* Propheta, quem occidit *Joachim*: Similiter *Samael* vel *Samuel*, *Ezechiel* & *Daniel* sunt Prophetarum pariter & Angelorum nomina, &c. Quinimò etiam plures Angeli sunt custodes, Microcosmi uti antea dictum est, quorum unus & princeps mentem, intellectum & rationem respicit ac curat, alter vitam, & tertius corporis constitutionem ac appetitum: Sed, quia hæc nostra sententia aliquibus dura & à veritate alienior videbitur, dicimus eam explicari & probari per verba Prophetæ *David*, *Psal.* 91. 10. Ubi ipse, de Christo loquendo; *Non accedet ad te, inquit, malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem:* Id quod, teste *Hieronymo*, non solum in Christo, sed in quocunque homine locum habet. Omnes itaque homines diversorum spirituum ministerio reguntur, contra illam *Jamblici* sententiam, qua dicit, Dæmonem unum non alicui parti nostrum præesse duntaxat, sed toti simul adesse, totum ducere, traditque, quòd præstet potius, ut corpus, & anima ac intellectus eodem Dæmone gubernentur, subjiciens hæc verba: *Noli ita dividere, ut alius sit corporis Dæmon alius anima, & alius intellectus, absurdum enim est animale esse unum, Dæmonium vero animalis præfectum, multiforme putare, &c.* Quibus quidem verbis conatur *Porphyrus* rationes confutare, asserentis, quòd plures cuique præsint Dæmones, quorum alius sanitatem, alius pulchritudinem, & alii quandam in his habitudinem curent, ac præterea quoque statuentis, quòd unus Dæmon corpus, unus animam, & alius mentem regat. In hoc igitur *Porphyrus* causam suscipiens, acriter me ad abstergendam infamiam à *Jamblico* ei aspersam, hisce rationibus sequentibus accingam: *Primò* quidem, si unus tantum Dæmon, isque supernaturalis, præest tam corpori & animæ, quàm menti, tum quilibet homo virtute & assistentia illius Dæmonis effugiet fatum, & fatalia omnia evitabit, ac per consequens nec fata nec astra vim ullam habebunt in hominem, quod tamen ipse *Jamblicus* sibi in eo contrarius, negare videtur, quippe qui uno loco fata esse agnoscit, quibus homines subjiciantur, & tamen virtute ac præsentia Dæmonis homini præsentis dicit fata evitari, ita quidem, ut si hæc eo modo sese haberent, omnes indistinctè homines fata sua evitarent, quatenus hujusmodi unus ac solus Dæmonis tantum essent participes & Dæmonibus fatalibus ea ratione penitus carerent: *Porrò* etiam dicit, præstare potius, ut corpus & anima, ac intellectus eodem Dæmone gubernentur, dum tamen omnes, tam in Theologia, quàm Philosophia periti agnoscunt, tantam inter animam & corpus distere partem & oppositionem, ut mirabile sit, quomodo & quibus mediis hæc duo ad invicem copulentur: *Præterea* Archangelorum proprietas, uti ipse *Jamblicus* testatur, est tenebris contraria: Unde ipsi nullo modo gaudent aut delectantur corpore, quod est carceris divinæ carcer, sed summopere mentem instruunt &

dirigunt, ut corporis illecebras fugiat, & cautè declinet, ac affiduè mentem & animam captam è corpore tenebroso liberare student suæ perfectionis virtute: *Similiter* quoque, si Archangelus seu Dæmō solus & unicus esset princeps ac præses tam corporis quàm mētis, sequeretur, quòd tam corpus in bonum dirigeret, quàm mentem, quæ nunquam errare potest: Atqui corpus & carnem ad omne vitium & concupiscentiæ speciem, pronum esse videmus, & proinde dubium esse non potest, quin illud gubernetur ab alio quodam deteriori, & inferioris conditionis Dæmone, quàm est Archangelus: qui tamen Archangelo, tanquam inferior superiori, subicitur, si anima media menti constanter & fideliter adhæreat: *Pari etiam ratione*, si anima vitalis non haberet alium quendam Dæmonem diversum à duobus extremis, videlicet à Dæmone mentis, & à Dæmone corporis distinctum, non esset tam inconstans & mutabilis, ut modò mēti adhæreret, modò animæ animali, quæ est formalior pars corporeæ compositionis: *Porrò etiam*, si unicus tantum Dæmon integram massam, tam internam, quàm externam regeret, mirum foret, ut mens animæ, ac corpori, & corpus itidem animæ, atque tam mens, quàm anima corpori essent ita aliena, uti in hominibus affluè percipimus: Ex his igitur evidens est, quòd plures sint Dæmones, quàm unus solus, qui potestatem habent in integrum hominem. *Denique etiam* ultima Jamblici ratio non minùs futilis est, quàm anteriores, qua ita dicit: Noli ita dividere, ut alius sit corporis Dæmon, alius animæ, & alius intellectus, absurdum enim est animal esse unum, Dæmonium verò animalis præfectum esse multiforme. *Respondeo* enim, quòd absurdius sit credere unicum animal habere tantum unum Dæmonem, quàm si quis diceret, mundum, qui unicus est, non habere nisi unum Dæmonem, omnes & singulas ejus partes gubernantem. Quis autem dubitat, quin in mundo sint alii Dæmones empyrei, alii Olympici seu ætherei, & elementares, à quibus illæ mundi regiones gubernentur? Simili itaque ratione etiam, cùm corpus humanum confletur ex quatuor elementis, quis hæsitabit in eo, an aliquis Angelorum elementarium habeat dominium in corpore? Imò credendum est potiùs, quòd particularis spiritus cujuslibet elementi dominium habeat in sua corporis portione. Quantum autem ad hominem internum attinet, equidem impossibile est credere, quòd ligamentum æthereum vitæ sine Dæmonis Olympici moderamine & tutela continetur, aut quòd fatalia homini accidentia imprimantur sine spirituum cœlestium respectu: In eo autem, quod *Jamblicus* dicit, unum animal requirere unum præfectum, & non multiformem, asserimus, quòd, tùm Macrocosmus, tùm Microcosmus unum & multiformem habeat præsidem: Unum, inquam, habent, quatenus à Deo summo & uno respiciuntur, multiformem verò, quatenus à ministris seu intelligentiis secundum Dei voluntatem gubernantur: Nam homo ideò dicitur Microcosmus, quoniam in compositione sua participat de qualibet Macrocosmi regione, & per consequens etiam Dæmones ac Angelos ejusdem requirit mundanos, ad prædictas istas portiones gubernandas. Atque ut jam tandem ad ipsius quoque *Porphyrii* errorem loco ultimo redeam, quo opinatur, plures nobis Dæmones pro numero partium nostrarum adesse, & præterea etiam in ipso corpore diversos esse Dæmones, quorum alios facit pulchritudinem curantes, alios sanitatem, & alios quandam in his habitudinem respicientes: *Respondeo*, frustra fieri per plura, quod fieri potest per pauciora; Unde, si Dæmon, corporis præfectus, omnes corporis partes respicere & tueri potest, frustra requiruntur Dæmones plures: Cùm itaque animæ vitalis præses Olympicus pulchritudinem & sanitatem corporis in quantum sufficit, respicere ac tueri possit, cur plures Dæmones ad tale opus requirentur? Quocirca, hæc optime consideratis percipiemus oculis spiritualibus, *unum esse Dæmonem*

monem mentis, eumque regium & maximè principalem, quem superiùs Archangelum esse probavimus, alium animæ vitalis, quem spiritum Olympicum nūcupavimus, qui semper est fatalium executor, atque tertium denique elementarem, qui corpus, corporisque officia & appetitus respicit: sed de his alibi fusiùs.

C A P. VI.

De mentis lapsu in animam & spiritum medium: ubi sibi vitæ materialis portionem adjungit, qua ejus diversorium obscurum urvat, moveat, & ad completam suam capacitatem vigescat.

A Pulejus in jucundissima sua de Cupidine & Psyche historia, fingit Psychen super alis venti Zephyri renitentem à summitate altissimi scopuli in jucundissimam vallem omnibus necessariis instructam descendisse, ubi illam ministris invisibilibus stipatam omnia sibi necessaria accepisse tradit. Quid igitur censendum erit, de hac Psyche supercœlestis descensu in vallem cœlestem, Cupidini seu luci cœlesti attributam? Nimirum dicitur in Psalm. 104. 4 *Qui ambulat super pennis ventorum: Qui facis Angelos tuos spiritus seu ventos, & ministros tuos ignem ardentem:* Nonne igitur juxta hoc ipsum quoque descendere solet super ventorum seu Angelorum alis mens divina, divinus Dei afflatus, actus increatus, atque radius immediatè à Deo profiliens, & deorsum ad instar parentis sui, vehi in mediam mundi regionem? Sicutaque juxta illa Prophetæ prædicti verba (*Qui pennis nubem ascensum tuum, qui ambulat super pennis ventorum, &c.*) mens, divina propago, insidens throno spiritus rationalis seu cœli Empirei, qui nubes est spiritualis gloriam Dei continens, ambulat seu transit super pennis & alis Archangelæ sibi præsentis, &c. Idque etiam juxta illud Psalmistæ antea allegatum ex Psalm. 91. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortè offendas, &c.* Quod quidem de interni hominis principe, verbo Dei, & mente, quæ est spiraculum Dei, immediatè cum verbo ab ore Jehovah procedens, est exaudiendum. Mens ergò divinus ille Dei radius seu afflatus, ad iter suum in mundum visibilem & materiale præparata, ut relictis regnis supernaturalibus, ipsius naturæ regna tam cœlestia, quàm elementaria peragret, omnibusque jam hierarchiarum numeris instructa & exornata, ac Archangeli sibi destinati & adjuncti præsentia contra mala & passiones mundanas munita ac stipata, alis ministri sui, insistens saltu levi deorsum in regionem stellatam se immergit, ubi ab Angelis Olympicis, Archangelo isti mentis comiti ac præsidi inservientibus & subjectis recipitur, & amictum induit æthereum ex animæ vitalis & spiritus ætherei portione compositum, cui itidem etiam spiritus unus ex orbe Planetario Archangelum mentis pro suo superiori ac Domino recognoscens, præesse seu præfici perhibetur, qui quidem spiritus propriè dicitur nativitatis, seu *Nati Genius*, & dominium habere solet in vitam, & actiones circa vitam versantes. Atque hujus operationibus fatum in quolibet homine executioni mandatur: Attamen hic spiritus duci mentis non aliter subjicitur, quàm Rex Imperatori, vel servus suo domino, quemadmodum ex loco antea: s. *Zacharie* 2. 3. citato, constat, quippe ubi unus Angelus, tanquam iterum Dominus ei imperat, tanquam servo dicens; *Curre, loquere ad puerum istum.* Ex qui-

quibus luculenter patet, quòd sit in Archangeli seu Angeli dominantis & principalis potestate, fara alterare, & Angelum fatalem sibi suppositum cohibere & jubere, ne hoc vel illud faciat: Similiter quoque Dæmones duodecim signorum, qui, *vindices à Mercurio Trismegisto* appellati, spiritibus planetariis ad expedienda & executioni mandanda fataalia assilire solent, nullam habent Archangelis sibi propriis resistendi potestatem, sed ipsis, tanquam principibus Dominis, ac ducibus suis obedientes sunt & morigeri: Et proinde, si anima media cum mente consentiat, eique obedienter, tanquam principi suo adhareat, nec stellæ nec Dæmones earum vim ullam aut potestatem in eam habent: Unde oritur illud proverbium: *Sapiens dominabitur astris*, &c. hoc est, qui menti & duci ejus, utpote quorum virtutes proprietatibus stellarum ac Dæmonum earundem præferuntur, gubernatur, ille aliorum & dæmonum eorum actus atque influentias evitabit.

C A P. VII.

De mentis cum anima & spiritu medio in infimam mundi regionem descensu.

Mens divina, potestate Archangeli munita, & vitalis animæ amictu, quæ suo quoque Genio custoditur, induta, omnibusque virtutibus æthereis ad vitæ conservationem necessariis affluens (recepta scilicet *voluntate* à primo mobili, *actione* à firmamento seu octava sphaera, *vi receptiva* à Saturno, *vi naturali* à Jove, *vi irascibili* à Marte, *vi vitali* à Sole, *vi concupiscibili* à Venere, *vi phantastica* à Mercurio, & *vi vegetativa* à Luna) deorsum labitur in regionem elementarem, ubi, contra frigoris intensi injuriam se muniens, igneam aëreamque naturam induit, priora sua ætherea indumenta tegumento elementari cooperiens simplici, & tandem composito. Omnes igitur ibi dæmones, qui sunt de ordine, & conditione Archangeli menti prædominantis, illi occurrunt obviam & hilariter eam æthereis suis vehiculis insidentem recipiunt, & stipant cõtra dæmonum contrariæ dispositionis vexationes. Sed jam poterit hîc suboriri quæstio, *quomodo Dæmones isti elementares referri possint seorsim ad quemlibet Dæmonem septem Planetarum, cum sint tantum quatuor elementa, de quibus Dæmones inferiores participant?* Cui quidem dubio breviter respondemus, quòd licet quatuor solummodo enumerentur elementa, hæc tamen quatuor commodissimè ratione naturarum suarum ad septem Planetarum dispositiones referantur, & per consequens quoque ad dæmones cuique ex Planetis convenientes: Verbi gratiâ: *Saturnus* relationem habet cum terra, *Jupiter* verò & *Venus* cum aëre, *Mars* cum igne, & *Sol* cum aëre & igne, hoc est, cum suprema aëris portione igne accensa. *Luna* cum aqua, & *Mercurius* cum hisce omnibus & ventis: Unde facillimum erit invenire, qualis dæmon elementaris in nativitate dominium & curam habuerit ac potestatem in corpus nati. Qui tamen dæmon imperatur & regitur à mentis præside, non aliter, quàm servus à suo domino, & in recta ac sancta via instituitur, si anima media & ejus dæmon mentem magis respiciant, quàm elementatum. Ex his igitur videmus, quòd mens habeat suum ducem, qui est Archangelus, & anima media itidem suum, qui est Genius ac spiritus Olympicus, atque anima denique animalis seu sensitiva ex formaliori elementorum parte constituta suum quoque, qui cæteris & menti magis est adversus, quatenus in

materiæ multitudine magis submersus. Atque hoc modo homo internus conflatur, ejusque partium trium, ex tribus trium mundi cœlorum naturis derivatarum, quælibet proprium suum Dæmonem possidet, & proinde, uti Deus supra Angelos, & Angeli supra stellas, ac stellæ tandem supra elementa dominium habent, ita quoque sequitur, quòd Angeli cœli empyrei vim atque potestatem habeant, tùm super stellas, tùm super elementa & eorum Angelos.

C A P. VIII.

De modo acquirendi cognitionem & familiaritatem sacri & supercœlestis cujusque Dæmonis menti attributi,

Jamblicus duplicem fecit tractatum de Dæmonibus unum scilicet sacrum & Deificum qui Dæmonem à supernis causis invocat atque hic quidem exploratione unius cujusque genituræ non utitur, sed univeffaliùs super naturam Dæmonem colit & curat; alterum artificiosum facit, qui Dæmonem à circuitibus invocat, & in generatione versatur, atque hic unius cujusque genituram explorat, & c. uti dictum est: Unde, ut mihi videtur, tractatum primum intellexit de bono & supercœlesti Angelo menti proprio quem sacrum alibi vocat, & secundum de Angelo seu Dæmone qui Genius appellatur, seu spiritus Olympicus; quæ quidè *Porphyrus* summoperè quærere aut invenire exoptabat, credens, quòd si quis figuram nativitatis Dominumque figuræ cognosceret, Dæmonem suum inveniret, per quem solveretur à fato nativitatis. Contra quem *Jamblicus* disputando asserit, sacrum hominis Dæmonem non dari ab illa genesis figura, sed ab antiquiori & altiori principio, videlicet à diis superioribus, unde videtur agnoscere, Dæmonem hominis principem profluere à loco altiori & eminentiori, quàm est stellarum regio & proinde impossibile esse ut ad veram hujus Archidæmonis cognitionem & familiaritatem perveniamus, aut scire eum possimus virtute Astrologiæ, aut scientia stellarum: Atque hoc idem quoque *Porphyrus* tandem post longas & assiduas lucubrationes agnoscere videtur loquendo in hujusmodi verba: *Impossibile est, inquit, figuram nativitatis scire & Dæmonem nativitatis cognoscere, quoniam regulæ Astrologiæ sunt incomprehensibiles & incertæ.* Et nos dicimus, quod licet cõprehensibiles & certæ essent regulæ Astrologiæ, attamen non possemus exinde Dæmonem genituræ sacrum cognoscere, aut percipere, aut familiaritatem ejus nobis acquirere, quoniam talis Dæmon sacer gubernat astra; ita quidem, ut astrorum cognitio nequeat eum, aut naturam ejus à priori detegere. Quibus igitur modis comparanda erit hujus Dæmonis cognitio & familiaritas, cùm cœlum & ipsæ stellæ, ejus naturam, nomen & proprietatem nobis explicare non possint? Equidem si ad inferiora descenderimus, ibi inter elementa, quæ cœlestibus, imperfectiora sunt, modum illum non inveniemus: Etenim elementorum in compositione humana impuritas est causa præcipua, ut Dæmonem supremum, medium & infimum ignoremus. Quid igitur faciendum erit, ut hujus creaturæ sacre & præstantissimi præsidis nostri cognitionem, familiaritatem, præsentiam, assistentiam & illuminationem obtineamus? Huic quæstioni ita respondere videtur *Jamblicus*: *Dæmon, inquit ille, per Astrologiam difficile reperitur. facile verò per divinum vaticinium.* Et alibi: *Non artibus humanis, sed divinis proprium Dæmonem possumus invenire:* Porro etiam dicit quòd *divinum vaticinium possit docere naturam & effectum astrorum sine arte, & proprium cujusque Dæmonem nato prædominantem manifestare.* Quid autem sit vaticinium, superius

per s amplè explicavimus, videlicet, quòd sit spiritus divini in animum hominis illu-
 io: Nani solus numine divino afflatus veram astrorum scientiam, & sui pro-
 priò Dæmonis societatem ac familiaritatem adipisci potest: Imò verò istius
 spiritus portio homini in ejus nativitate concessa, uti mihi quidem videtur, est
 quasi ipse Dæmon sacer quo regitur & gubernatur atque inspiratur mens hu-
 mana: Nam *Job 33. 4. Spiritus Dei fortis fecit hominem. Proverb. 16 3. omnesque ejus*
vias perpendit, Sap. 1. 7. Is scientiam habet vocis, Sap. 7. 14. & est thesaurus hominibus qui
nunquã desicit, quo qui utuntur, cum Deo contrahunt amicitiam. Sap. 7. 17. Hic sapientiæ
 Spiritus dat cognitionem certam, facitque ut homo cognoscat constitutionem
 mundi, & vim elementorum, principium, medium & finem temporum, solsti-
 tiorum mutationes, & varietates temporum ac tempestatum, anni circuitus, &
 stellarum situs, naturas animalium, & animos seu iras bestiarum, ventorum &
 spirituum vires, & hominum cogitationes atque adeò etiam sciat & intelligat
 quæcunque occulta & manifesta, *Sap. 7. 21. estque artifex omnium, qui docet*
sapientẽ, Num. 11. 25. & facit Prophetas, Exod 28. 3. & 31. 2. & 35. 30. à quo est omnis
scientia: Nam Ecclesiast. 1. 17. Spiritus hic sapientiæ scientiam & cognitionem
intelligentiæ velut umbrem profundit, & gloriam exaltat eorum, qui obtinent
ipsam, Prov. 30. 1. quippe qui est scientia sanctorum, Sap. 8. 4. qui scientiam Dei
docet, eligitque opera illius, Sap. 7. 2. est Spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus,
simplex, multiplex, subtilis, modestus, disertus, mobilis, contaminatus, perspi-
cuus, certus, suavissimus, amans bonum, innoxius seu passionis expertus, qui nihil verat
benefacere, omnia prospiciens, & qui capit omnes spiritus intelligibiles, &c.
 Attingit ubique propter suam mundiciem: nam vapor est virtutis & poten-
 tiæ Dei, & emanatio quædam seu fluxus sincerus claritatis omnipotentis Dei,
 adeoque nihil in eum incurrit inquinamenti, candor seu splendor est lucis æter-
 næ, & speculum majestatis Dei sine macula, ac imago bonitatis ejus, & cum sit
 unus, potest tamen omnia, & permanens in se omnia innovat, ac per nationes in
 sanctas animas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit: neminem enim
 diligit Deus, nisi eum, qui cum spiritu sapientiæ habitat: Est enim hic speciosior
 Sole & supra omnem dispositionem stellarum: Luci comparatus invenitur
 prior: illi enim succedit nox: Hic igitur est Spiritus ille sanctus, cujus illapsione
 & fruitione vaticinium comparatur; *Num. 11. 25.* Hic est ille Spiritus Jehovæ, qui
 fecit hominem, estque in homine mentis divinæ loco, *Job. 33. 4.* Omnes ejus vias
 perpendens, *Prov. 16. 3.* Quo Spiritu etiam Jehova suos in principio ornavit cœ-
 los, *Job. 26. 13.* Patet itaque, quòd major vel minor sit hujus spiritus portio in uno
 homine, quàm in alio secundum donum divinitus homini concessum: quæ qui-
 dem spiritus portio, quoniam post & propter Adami lapsum in exigua dunta-
 xat quantitate nobis relinquitur, idcirco propter ingentem corporis opaci &
 corrupti aggravationem perspicuè hominem in via sua dirigere non potest, se-
 cundum illud sæpiùs repetitum Sapientis. *Sap. 9. 15. Corpus, quod corrumpitur, ag-*
gravat animam, & terrena habitatio deprimit mentem multa cogitantem, & difficilia
æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt, invenimus cum labore, &c. Unde
 necesse est, ut hæc Spiritus divini scintilla, naturaliter nobis in nativitate insita,
 illuminetur ab alto per gratiam & misericordiam Jehovæ, juxta sequentem il-
 lam Sapientis sententiam, quæ ita habet: *Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit,*
nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum tuum sanctum ab altissimis? &c. Nam fla-
 tu Spiritus nasi Jehovæ fiunt opera mirabilia, occulta revelantur omnia mira-
 cula, superiùs allegata præstantur ac perficiuntur, & cujuslibet rei cognitio cõ-
 paratur, *2. Samuel. 22. 16.* A Spiritu enim Dei nemo & nihil occultari potest, *Psal.*
139. 7. & Sap. 1. Sed jam consideremus, quomodò hæc Spiritus divini scintilla,
 post lapsum Adami in nobis superstes, queat suo pari augeri & illuminari, & an

Deus soleat ex gratia sua portionem Spiritus disciplinæ in homines spiritus inopia laborantes, & corporis immundi mole turgentibus, infundere, quo addiscant scientiam Dei? Dicit Sapiens, *Sap. 9. 10* quòd *Deus sapientiam suam mittat è sanctis cælis, à throno, inquam, gloriæ suæ mittit illam homini, ut præsens versetur secum in labore, & cognoscat, quid gratum sit apud ipsum: Illa enim novit atque intelligit omnia: Prætereà, Sapient. 9. 17. Nisi Deus sapientiam dedisset, & misisset Spiritum suum sanctum è locis altissimis, quis hominum novisset Dei consilium?* Sic enim correctæ sunt eorum semitæ, qui in terra versantur, & res, quæ placent Deo, edocti sunt homines: Nam uti *Sap. 10.* habetur, *Sapientia homines fuerunt servati: Hæc enim conservavit Adam, & potentiam dedit ei dominandi omnibus rebus. &c.* Denique certum est (*Sap. 9. 17.*) quòd Spiritum suum sanctum miserit Jehova è locis altissimis, ut daret sapientiam hominibus, quòd noscerent consilia ejus: Et proinde, considerata illis, constat, Deum posse scintillas mentis, in hominibus relictas, ita illuminare Spiritu suo ab alto emisso, ut lumen istud divinum quasi vacans in corpore opaco, & tenebris submersum illustretur Spiritu sibi simili seu pari, & Dominus ea ratione evadat super errores & tenebras, ita ut, quæ incognita prius & occulta fuerunt homini ignorantia onerato, reddantur ei postmodum, virtute affluentis & illabentis hujus luminis sancti, cognita & manifesta: Hujus Spiritus supercœlestis afflatu *Elizæus* evasit è rustico admirabilis Propheta, stupenda quæque miracula ad culmen & exitum perducens: Hujus illuminatione & illapsione in mentes Patriarcharum & Prophetarum ac cæterorum divino afflatu inspiratorum ipsi suum Dæmonem sacrum, & Archangelum menti præsidentem de facie ad faciem viderunt, verum ejus nomen & proprietatem cognoverunt, & amicitiam ac assistentiam in omni opere ab eo habuerunt: Nam Angeli, quos Propheta Regius appellat filios Dei, magnoperè gaudent ac delectantur societate hominis inspirati, & inimici sancti præsentiam in eo habitantem, vehementer affectant, quippe cui Spiritus intelligentiæ sanctus est vita, illuminatio & actus, ita ut ubiunque Spiritus hic sanctus affluenter se & manifestè in homine exhibeat, ibi etiam Angelus ejus facer se manifestè prodar, & ad tutelam, tam corporis, quàm animæ paratus sit, quemadmodum in multis sacre Scripturæ locis demonstratur. Unde liquet, quòd vera Astrologiæ cognitio, & solus amicitia cum suo Dæmone sacro acquirendæ modus consistat in inspiratione divina, utpote cujus sancto afflatu, cujusque rei scientiam, imò verò & ipsius sapientiæ sacrosanctæ fundamenta veteres sibi comparaverunt. Quare hunc nostrum libellum concludimus opinione *Jamblici*, videlicet quòd Dæmon cujusque facer ab antiquiori & altiori principio, quàm à stellis & figura nativitatis sit cognoscendus, & quòd tum Dæmonis hujus natura, nomen & proprietat, tum etiam certissima circa stellas veritas per divinum vaticinium, quod à sola Spiritus sancti missione & in homines illapsione provenit & contingit, haberi & recuperari possit.



TRACTATUS PRIMI,
SECTIONIS II,
PORTIO V.

De animæ vitalis cum animali Scientia
seu Astrologia Physiognomica
seu Physiognomia.





TRACTATUS PRIMI.
SECTIONIS II.
PORTIONIS V.

De animæ animalis cum vitali Scientia
seu Astrologia Physiognomica.

L I B E R I.

De Physiognomiain genere.

C A P. I.

De Physiognomiæ etymologia, ejus definitione, laude
& utilitate.



Nonnulli ex antiquis, *Physiognomiam* dici volunt, à *γνώμην*, id est signum & *φύσιν*, id est, *natura*: Unde *Physiognomia* quasi naturæ signum appellatur, & definitur certa quædam observatio, qua ex iis, quæ corpori naturaliter insunt signis, animæ etiam qualitates denotamus: Nam solent, uti in proverbio est, *artificem instrumenta, dominumq; qualis sit, domus ostendere*: Et quamvis ignorantes ac vulgus hanc scientiam aspernentur, & deridere soleant; sapientibus tamen in Socraticæ & Pythagoricæ Philosophiæ arcanis sanctissime custoditur: Et sanè, si à viro discreto ac sagaci hæc ars bene consideretur, magnum ei utilitatis fructum afferet; quippe quæ docebit illum tutò huic credere depositum, illi fidere, conjugium inire, pueros disciplinis tradere, cum honestis conversari, turpes & obscenos fugere, non temerè societates & amicitias diligere, scelestorum improbitatem absq; ullo detrimento & periculo devitare; & denique hæc Scientia prudentes facit & fortunatos eos, qui ipsam callent & colunt: Namq; ut primùm hominem conspiciamus, possumus per eam de illius animæ dispositione in bono vel male judicare. Porro etiam *Hippocrates* asseverare videtur, teste *Galeno*, quòd quicumque in medicina se exercet, & ignari sunt ejus philosophiæ, quæ docet dare judicia de rebus à natura earum sumpta (*Physiognomiam* vocant) horum animus, in tenebris oberrans, fatigatus consenescat: atque non solum non rectè agere hujusmodi homines, sed etiam plurimùm decipi dicit: Ait enim, *eorum animus errore confici ac defatigari, qui Physiognomiam ignorant*. Hinc ergò evidenter elucescunt *Physiognomiæ* laudes, ejusque tam in sanitate, quam in omni

mnipræter naturam intemperie necessitas & notabilis utilitas. Quod verò ad hujus scientiæ inventorem attinet, deprehendo, quòd circa eum auctores varient : Famam tamen frequentiore esse percipio, quòd *Phylomon*, summus Physiognomiæ Doctor & Magister reverà ex compositione hominis, qualitates & naturam ejus invenerit. Ut cunque autem legimus, *Physognomiam esse scientiam insignem*, qua per longitudinem dierum uli sint antiqui in inquisitione pulchritudinis naturæ in hac scientia, cujus perfectio attribuitur de numero antiquorum *Phylomoni*, ut dictum est. Hanc etiam excoluerunt *Aristoteles*, *Avicenna*, *Constantinus*, *Palomon*, *Trogus*, &c.

C A P. II.

Quòd Scientia Physiognomica declaret animæ mediæ fatali dispositioni subjectæ, dispositionem.

Quemadmodum aër vesicæ inclusus secundùm suam dispositionem alterare solet ipsam vesicam, ita quidem, ut si ipse sit vaporosus & humidus madiorem quoque reddat & molliorem, ac albiorem ipsam vesicam, si calore accensus, sicciorem & asperiorum ac dispositionis flavioris, si valdè accendatur eam desiccet, & rugoso modo contrahat, uti in vesica vel pergameno circa aërem igne inflammatum apparet; in tantum, ut etiam soleamus exinde per externum vesicæ seu vasis continentis habitum ac dispositionem naturam interni seu contenti aëris cognoscere; sic etiam sese res habet in invenienda internæ animæ humanæ dispositione per ejus externum & in cognoscendo naturæ Domino per ipsius domus observationem: Namque cùm anima media ex genio Martiali fovetur, & calidam sibi ab eo dispositionem attrahit, corpus colore flavum, capillos nigros & crispas cum dispositione sicca & tenui ad asperitatem tendente, ut plurimum reddere observatur; Unde ex hujusmodi corporis dispositione, tanquam à posteriori, de ejus interno facillimè judicare possumus, naturamque animæ indicare: Et proinde dicemus, talem hominem natura esse audacem, iracundum, impetuosum, rapacem, & bellicosum, ebrietati & scortationi deditum: sed tamen nonnunquam fallitur artifex in hac sua conjectura, videlicet quando anima media menti adhæret; Nam hæc scientia, quatenus est naturæ humanæ indicium, potens est in illis, in quibus Genius fatalis, cujus in præcedenti hujus sectionis parte mentionem fecimus, summum habet dominium; hoc est, in quibus anima media, mentem & Archangelum ejus negligendo, adhæret animæ animali seu sensitivæ: In his enim fatum suas exequitur partes & pronum reddit hominem ad omnes cœlorum influentias, ita ut necessitate ea soleant animæ humanæ evenire, quæ cœlestia ei naturaliter & fataliter minantur; quippe quòd mens in talibus hominibus aut parum operatur, aut ut plurimum vacare observatur: Cæterum si anima menti sit obediens, eique firmiter adhæreat, decipietur Artista in suo judicio; quatenus anima hæc virtute mentis & Archangeli seu Dæmonis sacri directione ex fatalibus vestigiis emerget, & ipsis astris dominabitur. Quod quidem ex sequenti de *Hippocrate* relatione innotescet: Hujus enim discipuli, cum ejus effigiem in pergameno depictam Philosopho cuidam, nomine *Phylomoni*, peritissimo quidem in hac arte, & omnes sui sæculi in ea superanti, attulissent, eumque de imaginis natura & dispositione percontati essent, dicuntur ab eo post diligentissimam figuræ, & qualitatum ac partium ejus inspectionem & examinationem tale accepisse responsum; *Quem vos imagine ista representari dicitis, eum nos pronunciamus esse personam luxurie deditam*

deditā & deceptorē: Cui illi: O stulte, hac est figura hominis optimi & dignissimi in omni mundo, videlicet sapientissimi illius Hippocratis: ad quæ illæ; Hec est igitur sapientissimi Hippocratis icon: Quid hoc quesivistis ex me? De mea sententiâ hac ostendi vobis, & quid de hac figura sentiam indicavi: Hicce autē Hippocrati annunciatis, fertur ille discipulis suis ita respondisse: Certè veritatē dixit Phylomon nec unicam certitudinis figuram prætermisit: Veruntamen, ex quo ego respexi & consideravi, hac turpia esse reprobanda, constitui animam super seipsam regem. & retraxi eam ab illis, ac triumphavi refrenatis & cohibitis concupiscentiis meis. Ex quibus evidenter liquet, quòd solus ille dicendus sit sapiens, qui dominium habet in animam suam, hoc est, qui menti & supercœlestibus ita se addixit, ut cœlestia & naturalia, adeoque etiam ipsam animam mediam ex illis conflatalem soleat contra fati necessitatem, aut naturæ inclinationem & leges dirigere ac gubernare.

C A P. III.

De judicandi ratione in hac Scientia.

PRiusquam ad judicandi rationem accedamus, intelligendum est exactè, quòd *tuplicia sint signa judicii: deinde cognitis illis, quomodo per ea ad iudicium sit accedendum.* Sciendum est igitur in primis, quòd signa judicandi, secundum Aristotelem, sint duplicia, videlicet aut *communis*, aut *propria*: *Communia*, iterum trifariam subdividuntur, videlicet in ea, quæ judicantur colore, figura & motu: *Signa verò propria* maximè in quibusdam peculiaribus & propriis corporis partibus manifestantur. His igitur prævia consideratione reputatis, notandum est diligenter, quòd non oporteat te scientiam, sententiam aut iudicium præcipitare, sed testimonia universonum intelligere: Et cum tibi offeruntur signa diversa & adversa, prudenter ad meliorem & probabiliorem partem semper est declinandum.

T R A-





TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O N I S V.

L I B E R II.

Designis Physiognomicis

P A R S I.

De signis communibus Physiognomicis.

C A P. I.

De universali colore.

Dixerunt in hac scientia peritiores, *matricem mulieris esse sicut ollam ferulo decoquendo*: Unde ajunt, quòd *albedo cum livido colore*, similiterque *color flavus* sit signum diminutæ decoctionis: si igitur accidat circa hanc ipsam diminutio in creatura, diminuetur itidem ejus natura: Proinde nos monent, ut *omnem hominem lividum & flavum fugiamus*; quoniam hujusmodi sunt ad vitia & luxuriam proclives.

Albedo cum rubedine mixta, & fuscus color temperatus cum integritate corporis in persona, cui adest staturæ rectitudo, ac capitis mediocritas, & verborum raritas, & aliq̄ue necessitati respondens paucitas, ac vocis mediocritas, denotat bonam dispositionem.

Albicantem etiam colorem volunt indicare pigrum, phlegmaticum, intemperantem, effœminatam, & incontinentem ac debilem.

Fulvus color denotat hominem dolosum & multiformem seu varium & inconstantem; sed ut pollicetur ingenii bonitatem.

*Croceus color significat in sanis caliditatem hepatis, & complexionem cholericam: Unde fit, ut hujusmodi homines sint immansueti, iracundi, luxuriosi, & amoribus dediti seu amorosi propter hepatis caliditatem juxta illud; *Cogit amare jecur.**

Luteus arguit hominem avarum & invidum.

Mellinus sive melleus denotat iracundum, epulonem, dicacem, meticulosum.

Flammeus in leviter subrubescente corpore, si perduraverit, arguit naturæ bonitatem, aptitudinem, in disciplinis capeffendis promptitudinem, & animi nobilitatem.

Rubeus color arguit completam nativitatem.

Color mediocris in albedine & rubedine significat mediocrem complexionem, perfectum ingenium & virtutibus deditum.

Sanguineus & rubicundus color denotat magnum calorem.

Rubicundus & clarus modestum indicat & verecundum.

Ruber instar flammæ ignis denotat instabilem ac rabidum.

Subviridis, nisi sit ex aliquo morbo, timidum arguit.

Niger sine crocei vestigio, malè moratum indicat.

Nigredo intensa, denotat melancholiam.

C A P. II.

De signis à corporis motu desumptis.

Signa communia secundùm motum hominis, sumuntur ab ejus diversitate in velocitate vel tarditate.

Motus tardus significat mollem & segnem hominem qui de levi patitur ab infirmitate, vel facile vincitur à passionibus: Ratio autem est, quia tarditas motus denotat debilitatem spirituum vitalium.

Motus acutus seu velox arguit hominem multùm cogitantem de dignitate & perfectione temporali; itidemque calidos & subtiles, ac tales, qui abundant hujusmodi spiritibus vivificis; ii quidem, qui in dispositione vulpibus comparantur, & astuti sunt, callidi, cauti, ac deceptores.

Gradus seu passus largi & tardi denotant fœcordiam, & talem qui prosperos habebit in operibus suis successus: quemadmodum è conversò *breves* indicant homines impetuosos, suspicaces, importunos & malæ voluntatis.

C A P. III.

De figura & statura corporis.

Signa communia à figura desumpta sunt multifaria; cum alia considerentur in impedimentis aut superfluitatibus naturæ, alia in corporibus perfectis & completis,

Sic ab homine deformato, & diminuto aut augmentato præter justitiam legum naturæ admonemur nobis cavere, tanquam ab inimico.

Facies oblonga significat misericordem, *Rotunda* autem indicat hominem subdolum & perversum.

Homines prodigiose longitudinis parum vel nihil omnino sapiunt; sed & impetuosii sunt, atque hoc è magis confirmatur, si macro sint & oblongo corpore cum collo ciconiano.

Qui curvè incedunt, non multùm sapiunt.

Statura parva seu humilis arguit superbum: Unde natum est illud proverbium. *Raro vidi procerum sapientem & parvum humilem.*

Statura mediocris & decenter obesa denotat ingeniosum, prudentem, & in rebus omnibus expeditum: *Æquior enim & temperantior est creatura*, quæ convenit mediocritati staturæ cum nigredine oculorum ac capillorum & ro-
tunditate faciei.

De signis propriis.

De signis à capite sumptis

Signa physiognomiæ propria sunt illa, quæ ad aliquam particularem corporis partem, vel actionem notabilem spectant: Verbi gratiâ: Signa *capitis, oculorum faciei, vocis in risu, colli & gutturis, humerorum, brachiorum, manuum, ventris, pectoris, crurum, genuum, pedum & carnis*: quorum membrorum nonnulla iterum in alia signa magis particularia producentia vel exhibentia, subdividuntur: Verbi gratiâ: *Caput* in pilos & aures; *Facies* in mentum, nasum, genas & tempora; *Oculi* in pupillam, palpebras & supercilia; *Os* in dentes, linguam, labia; *Pectus* in costas & mammillas, &c. *Manus* in digitos & ungues. Ut igitur à *capitis* signis exordiamur diligenter observanda est capitis forma, an scilicet illud in eminentiori parte sit rotundum, oblongum, quadratum vel triangulare. *Caput* in eminentiori parte *rotundum* significat consultum, providum, mansuetum, amabilem, iram celantem: Et si huiusmodi *capitis color fuerit albus*, durum ingenium attestatur, & memoriæ tenacitatem constante nique amicitiam, facilem ad iram; *Si rufus*, indicat hominem satis amabilem & boni ingenii, ac in sermone dignum fide, sed iram minimè celantem; *Si fuscus*, valdè modestum, & in sermone benignum, multùm lascivum, perfectæ societatis & benignæ rationis.

Caput in eminentiori parte *oblongum* denotat hominem perspicacis ingenii, inconsultè multa agentem, impetuosum, levem, mobilem, iracundum, non bene secreta celantem, non naturaliter lascivum, acutum in sermone, ratione commendatum, in actionibus disponendis nimis profundum: Et si huiusmodi *caput fuerit album*, significabit impetuosum ad iram, & naturaliter prodigum, *si nigrum*, denotat leve ingenium, & nullius ferè rationis, &c.

Caput quadratum in eminentiori parte indicat moratum, mansuetum, piùm, benignum, non multùm iracundum, providum, sapientem: sed avarum, & in sermone mendacem ac favorem hominum non appetentem: Et si sit *album*, denotabit humilem, sed avarum & iracundum: *si nigrum*, constantiorem animum, amicitias facilè parantem, & diu eas conservantem, valdè lascivum, secreta bene celantem; *Si rufum*, circumspectum in rebus utilibus, adulatorem: *Si fuscum*, cæteris meliorem, modestum, largum, sed facilè mentientem, amicitias perfectè servantem.

Caput in eminentiori parte *triangulum* significat avarum, subdolum, versutum, arrogantem, ingeniosum, mendacem, invidum, & multùm de alicujus actionibus detrahentem: Et si sit *album*, malitiosum; *Si nigrum*, prævaricatorem & ad iram proniorem; *Si rufum*, superbiorem, sed liberatem, *si fuscum* significat cæteris meliorem.

Caput valdè parvum denotat hominem ab omni sensu humanoque captu alieniorem: *Mediocre* fortem, probè sensatum, magnanimum; *Permagnum*, imbecillum, illiteratum & rudem, gulosum, tardianimi, & minimè sapientem, iliberalem, nullius aut minimæ perceptionis; *Obliquum*, in verecundum; *Curtum*, insipientem; *Longum*, imprudentem; *Tumidum in anteriori parte*, perversum; *Altum*, contumacem: *Pars ejus superior depressa*, perversum; *humilis* verò timidum arguit, & formidolosum, ac prorsus omni animo carentem.

Sinciput rectum & angustum significat rudem, immundum & voracem; *Parvum*, stultum; *spatiosum*, tardum ingenium: *Largum*, ignaviâ; *Curvum*, quod etiam

altum & rotundum, stupiditatem & torporem; *Quadratum & moderatum secundum magnitudinem corporis*, magnam virtutem sapientiam, & magnanimitatem: *Continuum vel planum*, vendicatorem bonorum ac dignitatum supra sua merita: *Planum & sine lineis*; seminatorem discordiæ ac litis; *In medietate contractum & angustum* denotat iracundum & impetuosum; *Rugis in frontis aræ repletum*, & præcipuè *in summitate narium* instabilem admodum, & cogitabundum. *Si laxetur cutis frontis*, derisores arguit & adultores. *Frons longa multum* denotat durum ingenium; *Rugosa* subtiles, & callidos; *Lata quadrata*, liberalem fortitudinem intellectus, lascivum, levem; *Triangularis* iracundum, stabilem in amore, libenter oburgantem: *In albo homine* stultum; *in cri spo* iracundum; *in fusco* valde liberalem; *stricta* valde significat *in nigro homine* magnam lasciviam; *Rotunda* modestum in verbis, & satis largum in donis; *Obliqua & larga*, stultum.

C A P. I. P A R S II.

De signis sumptis à capillis & à pilis in variis corporis locis.

In capillorum consideratione observanda est eorum *quantitas & qualitas*; quæ in colore consistit: Quod autè ad eorū quantitatem per se attinet, respicimus capillos & aliarum partium pilos vel in trina eorum dimensione, hoc est, grossitie, aut tenuitate, vel in discreta eorum dispositione, hoc est, in eorum raritate, aut multitudine, vel in varia loci positione. Quod igitur ad trinam capillorum dimensionem attinet, *grossi ac duri capilli* significant ingenium agreste, & hominem audacem: *tenuiores verò & molliores*, timidum & facilius ingenium; sed de his latius infra.

Quò *tenuiores, pauciores, & variores sunt capilli*, eò denotant subtiliores, astutiores, acutiores, formido losiores & avariores, sed si substantia eorum sit tenuior cum asperitate, significat timidum & frigidum.

Capilli plani arguunt timorem, & *si fuerint plani ac molles*, designant humilitatem & timiditatem.

Multitudo pilorum in utroque brachio indicat rabiem, aut naturam agrestem: *Multitudo autem eorum in pectore & ventre* arguit horribilem & singularem naturam, illiteratum, luxuriosum, & parvi sensus.

Quò ad situm attinet, *capilli depressi & vasti circa aures & tempora* significant curiosum & luxuriosum; *si pauci sint & rari circa tempora*, denotant frigiditatem & imbecillitatem: *Si deciderint è sincipite*, adeò ut illud relinquatur nudum, arguunt ignavum & pauci intellectus: *Si adsit linea dividens capillos in medietate calvaria*, arguit hebetem ingenio, & luxuriosum: *Pili in costis* audaciam & animositatem docent; *in omnibus coporis partibus* formidinem & timorem, *in brachiis* stultitiam & furorem, *in collo & humeris* insaniam & obstinatiam; *in pectore & ventre* agrestem dispositionem.

Capillorum color consideratur vel in genere per se, vel respectu magis peculiari; ubi scilicet color cum quantitate & figura capillorum comparatur.

Generales colorum in capillis significationes sunt hæ: *Canities in juventute* arguit dolosum & ira calidum: *Pili nigri* denotant justum & justitiam: *inter nigrum & rubrum*, pacis amatorem; *subnigri & tenues*, res bonas, *Flavi & tenues seu rari*, bonos mores.

Capillorum signa particularia ad alia comparata sunt hujusmodi.

Capillus niger & grossus ac directus significat bonum ingenium, bonos mores, egregiam faciundiam, fidam societatem, sed lascivum, voracem: *Niger, tenuis & directus*

directus indicat stultum, superbum, voracem, non libenter obedientem, odiosum: *Niger & crispus* valdè pronum & facilem ad iram, voracem, citò omnia facientem, lateivum valdè, sed in lascivia non admodum potentem aut validum.

Capillus rufus, spissus & directus: significat valdè malignum, superbum, arrogantem, immundum, fallentem seu fraudulentum, subdolum; *Rufus tenuis*, occultam iram, & multos dolos frequenter cogitantem tacitè. *Rufus tenuis & crispus* significat hominem in iram subito perrumpentem, & diu iras alentem, adulatorum, sedes amoris non perfecte servantem; *Rufus spissus & crispus* arguit superbum, jactabundum, levem, mendacem, in societate liberalem, & impensè multa largientem.

Capillus glaucus spissus significat humiles, & merentes laudem ac favorem; *Glaucus & tenuis* denotat humilitatem, & minùs mendacem; *Glaucus & crispus* arguit libidinosum, non multum appetentem cibos nec voracem.

Capillus fuscus, & spissus, ac grossus, denotat valdè liberalem, pium, mansuetum, plura patientem, quàm alioquin moris est, pollentem memoria: *Fuscus* arguit superbum, libenter accusantem, non libenter alicui in ira cedentem, multa sibi perquirentem.

C A P. I. P A R S III.

De signis desumptis ab auribus.

Auris magna significat bonam memoriam, & longam vitam, sed dolosum & multa jactantem; *Parva* autem denotat, humilem & benignum: sed, si valdè parva sit, arguit stultitiam, item hebetem, luxuriosum, furem & malignum; *Dura* indicat bonam cordis dispositionem; *Mollis* ejus contrarium, & leviter irascentem; *Tenuis ac veluti circumcisa fatuum* denotat, callidum, maliciosum & *crassa ac magna* furdastrum; *Exstans*, facilem & promptam docilitatem, mansuetudinem, benignitatem; *Pressa* autem inscitiam, ruditatem, *Quadrata & mediocriter magna*, in audiendo argutissimum; *Curta* stultitiam; *Longa & angusta* invidum.

C A P. I. P A R S IV.

De signis temporum.

Tempora inflata cum venis principalibus magnis & genis plenis denotant iracundiam.

C A P. II. P A R S I.

De signis faciei & frontis.

Faciei signis comprehenduntur stigmata seu notæ aut integræ faciei, aut partium ejusdem, cujusmodi sunt frons, nasus, mentum, &c.

Facies valdè magna hebetem denotat; *Parva* hebetem & Gnathonem. Et si parva inclinat ad colorem croceum, arguit vitiosum & ebrium; *Longa* superbum, impudentem, adulatorum, invidum; *Quadrata*, sapientem, & constantem, ac boni consilii; *Rotunda*, moratum, humilem, simplicem; *Triangularis*, subdolum facilem ad iram, & indignabundum; *Tenuis*, providum in operibus, & subtilis intellectus; *Subtilis*, multa cogitantem; *Mediocris cum genis & temporibus ad nigredinem vergentibus*, verum & amabilem, intelligentem, benè compositum, & ingeniosum.

Facies non multum pulchra rarò importat bonos mores; sed multum letæ stultum arguit.

Facies plana sine timore aut pudore, malum discipulum denotat, contentiosum, injuriosum, sed ingeniosum.

Facies carnosæ significat importunum, tardum, mendacem.

Multa caro in faucibus arguit naturam grossam.

Facies ebriosa ebrios ostendit.

Facies iracunda iracundum dem onstrat, & complexionem calidam, quæ admodum *verecunda* verecundum.

Quantum autem ad faciei colorem attinet, sciendum est, quod *facies pallida* significet avarum, subdolum, versutum, *Rubea* levem, mobilem seu inconstantem, non facile ad trium horarum spatium confidentem, maleficum, & malefacta citò corrigentem; *Alba* foemineum, mollem, frigidum, *Livida* & *Saturnia*, pessimas animi affectiones, ut invidiam, iram, rancorem, infidias.

Porro de *frontis* signis diximus quædam supra in prima parte capitis primi; quibus addantur etiam hæc.

Frons angusta denotat rudem, *plana* fo cordem, *magna* segnem, *longa* docilem, *rugosa* studiosum & sollicitum, *depressa* effœminatam, *rotunda* iracundum, *gibbosa* intensatum, *circumducta* impudentem, *aspera* infidum, callidum, *alta* contumacem.

C A P. II. P A R S II.

De signis à naso collectis.

Nasus multum Gibbosus ostendit admodum ebriosum, voracem, arrogantem, laicivum, libenter sua largientem; *directus* & *in medio curvatus*, significat valdè iracundum, & nulli ferè cedentem; *in medio gibbosus cum naribus largis* denotat valdè liberalem & verbis constantem; *Largus* demonstrat hominem multa cogitantem, & facilè irascentem; *oblongus* & *gracilis, rostratusque* fortem ac jactabundum, & rapacem instar avium: *Curvus obliquus* & *intortus*, significat iracundum, simulantem & de suis frequenter detrahentem, similiter que mentis & animorum obliquitatem; *Grossus in medio* indicat voracem, & de rebus futuris cogitantem; *In medio acutus* amarum, prodigum, libenter largientem & valdè mundum.

Summum nasi gracile & *tenue* denotat facilem ad iracundiam, & amatorem discordiæ; *Crassum* & *depressum* pravos mores denunciat, *plenum, solidum, obtusumq;* denotat fortem & jactabundum; *Longum* verò indicat subtilem, cholericum & levem.

Nasus naturaliter rubeus arguit subtile ingenium, memoriam levem, amicos multos acquirentem, graviter inconstantem; *Pallidus* durum, inconstantis memoriæ, & in amicitia constantem ac patientem in sermone.

Nasus adclinans signum dabit honestatis vitæ morumque; *Rectus* denotat linguæ intemperantiam; *Acutus* facilitatem ad iram; *Obtusus* mollitiem; *Aduncus* & *Aquilinus* regalem animum ac magnificentiam; *Simus* immodestiam, scortationem; *Minor* fraudem, rapacitatem; *Adapertus* animæ vim, roburque corporis; *Angustus, rotundior obstructusque*, stoliditatem, fo cordiam, vesaniam; *Grossus* insipientiam.

Nasus planus & *parvus* denotat in senibus ingenium; *Longus ad os ferè pertingens*, denotat hominem dignum & maganimum.

Nasus latus in medio & *declinans in ascensu*, multa arguit verba & mendacem; *Subtilis* & *tenuis* iracundum

Nares grosse, hominem invidum ostendunt, *late* luxuriosum, *curve* magnanimum, sed luxuriosum, *perversa* perversum, *directæ* intemperantem linguam, *apertæ*

aperta libertatem & fortitudinem, *angusta, rotunda & clausa* stultitiam, *lata & magna* fortem ac magnanimum: *Nares difficilis dilatationis* denotant iracundiam, *plena & aperta* iracundiam. *Nasus* denique *probatissimus* debet esse æqualis & mediocris longitudinis ac latitudinis ad suam extremitatem.

C A P. II. P A R S III.

De signis genarum.

Gena sive male carnosæ arguunt segnes & ebriosos, *graciliores* verò exhibent signum improbitatis, deceptionis, timiditatis; *Pinguiores & plena* indicium præstant calliditatis, segnitiei & luxuriæ, *crassa & ab oculis demissores* habent invidiæ signum, *rotunda* produunt dolosos, *prælarge*, vaniloquentiam arguant, *crassa & densa* indicant stultos acidiotas, *leves & proluxæ* importunum.

C A P. III. P A R S IV.

De signis menti.

Mentum rotundum ostendit constantem & indignitatem, *Longum* significat levem in verbis, loquacem, facilem ad iram, *Breve*, crudeles, ditos, insidiatores ut serpentes, *Scissum evidenter*, liberalem, dolosum, & inconstantem, *Grossum* denotat integritatem animi, indignitatem & mendacem, *acutum*, audaciam, iram, tyrannidem; Et tamen ut alii volunt hujusmodi homines bonam habent mentem, *Quadratum* arguit virilem. *Quibus rotundiorum figuram circumscripserit*, effeminaunt.

C A P. III. P A R S I.

De signis oculorum.

In signis oculorum perquirendis multa sunt observanda, videlicet in primis eorum tegumentum seu supercilium, deinde ipse oculus, qui consideratur aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, idque vel in toto vel in parte oculi centrali: In ejus autem toto respicimus, vel colores, vel situs, vel humores, vel motus ejus, quippe quæ præcipuè in ejus conspectu vel obtutu occurrunt: Sic enim percipimus alios oculos esse vibrantes, alios languidos, nonnullos splendentes, quosdam tenebrosos, alios mæstos, alios acutos, alios obtusos, alios ridentes, alios graves, alios truces, alios ludibundos, alios blandos, &c.

Ex quantitate autem oculi eliciuntur signa ejusmodi: *Oculi magni mobiles & lucidi, si torvum videant simul & supercilia porrigantur*, indicant hominem agrestem, crudum, & rapacis animi; Hujusmodi enim sunt oculi luporum & aprorum; *Magni simpliciter* significant invidum, inobedientem; *Oculi magni & rubri, sursum spectantes* indicant malum, mæstum & ebrium; *parvi*, malum, stultum; *Unus oculus altero major* denotat malitiæ seminatorem & stultitiam; *Sinister dextro major*, arrogantem, facundum, pauca largientem; *Mediocres & coloris carulei* ostendunt curiosum, bonum ingenium: Item *oculus magnus & rotundus ac albus*, significat valdè superbum, lascivum, & facile in ira procedentem; *Magnus & rotundus ac glaucus*, malitosum corde, simulantem vultu, non valdè rationalem, nec bonæ amicitiae fœdus servantem; *Si niger*, indicat rationalem, & indignantem, per se multa cogitantem: *Oculus magnus & oblongus & glaucus* significat castum & sobrium, *Si sit albus*, arguit versutum, & insidias multum cogitantem, nec fidem in societate, sub ira detrahentem aut fallentem, & sibi alienos actus adscribentem: *Si niger*, superbum, & multa passurum infortunia, & per insidias ac dolos

dolos proferum seu fortunatum, multa mala de suis cogitantem, & vultu ac verbis valde simulantem: *Si glaucus & luscus*, ostendit superbum & liberalem & benignum ac humilem humilibus, valde autem in ira dolosum superbis: *Si niger & luscus*, significat valde dolosum & fraudulentum, multosque dolores patiurum, valde solutum in amicitia acquirenda: *Oculus parvus, rotundus & albus* significat cautum in sermone, multum providum & tenacem, & libenter largientem multis gratis: *Si glaucus*, denotat valde amabilem & jocabundum, facilem ad iram, diu amicitias servantem: *Si niger*, significat omnino lascivum, & valde liberalem ante trigessimum annum, valde inconstantem & deinde brevi ante mortem aliis multo constantiorem: *Oculus parvus, oblongus & albus* indicat hominem valde affectantem alterius dignitatem & parum proficientem, multum adulantem, & paucis gratum: *Si glaucus* invidum, & qui ab amore sibi temperabit, postea autem diligit: *Si niger*, malitiosum, subdolum & multa cogitantem, vix bonum finem in actu consequentem: *Oculus parvus & luscus ac albus*, denotat perniciosum & in suis actibus largum, in rationibus suis cautum & domesticis suis invidum: *Oculus parvus, longus & glaucus* significat facilem infirmitatem ex ira, & valde laboriosum ac inconstantem: *Parvus, longus & niger* denotat malignas cogitationes, & subdolas ac iniquas prodiones per iram & magnam cordis superbiam.

Colores autem oculi sunt hujusmodi.

Oculus albus in albo homine arguit inconstantem & mendacem, quandoque prodigum, & nonnunquam avarum, *in homine autem nigro*, iracundum, & ex levi causa infirmum, ac non sæpè sanum seu valetudinarium: *Subalbidus cum paucis glaucis* arguit tumidum & impotentem; *Ceruleus* denotat bonum, moratum, amabilem & liberalem, ac libenter sua largientem; *Glaucus cum minima acie* illiberales, avaros, callidos, *subpurpureus cum siccitate* iracundos, *cum humiditate* ebriosos, *Glaucorum* etiam oculorum alii sunt coloris tanneti, & aliorum diversorum colorum, *Glauci castanei* sunt meliores quam sicci, *Nigri & coruscantes* indicant hebetem & timidum: *Oculus diversi coloris in pupilla, vel circa eam*, denotat perturbationem, invidiam & imbecillitatem. *Circulus circa uvam niger cum rubedine*, sed non expressarubedine, indicat flexile, & bonum ingenium ac iustum: *Gutta rubra in pomo oculi* significant proclivem ad iram: Nota quòd, quòs majores sunt guttæ, eo majora vitia denotent. *Circulus niger* latronem & injustum arguit: *Oculi ad instar iridis* denotant siccos & furiosos. *Oculi rubri instar ignis* arguunt pestimum & obstinatum, *Rubri*, fortitudinem & animositatem, *Glauci cum flavedine & viridantes* malum hominem. *Glauci & virides* malum ac infortunatum, & furem: *Albi in pomo seu pupilla* omnium sunt pessimi. *Si guttae sint in pupilla rubicunde, aut igni similes & interius alia gutta pallida cum aliis glaucis mixta & circulus extrapupillam sanguineus sit aut castaneus, oculusq; sit clarus, & moveatur ut iracundus, atque etiam palpebrae sint istiusmodi*, denotatur, quòd homo iste excedat ferocitatem ferarum, quia talis oculus omnis nequitiae executionem indicat.

Situs etiam & positio oculorum varia signa producit: Nam *prominentes oculi qui sese extramittunt seu propendent*, quibusque *in circuli speciem tumor circumducitur, aut quos veluti fossa quadam castrorum circumdat*, significant dolosum, furiosum, sanguinolentum, stolidum: Atque hi, *si mobiliores fuerint*, denotabunt voracem si petulci atque sanguinei ebriosum si glauci, nec iustitiam nec consuetudinem hominis ullam, *si prominentiores splendidi, grandiores, puri & humidi*, denotant hominem insigni iustitia & consuetudine præditum, disciplinis aptissimum (Tale referunt fuisse Socrate si parvi, impudentem, stultum, luxuriosum, hebetem: *Oculi reconditi & occulti, nisi fuerint magni, nullo pacto probantur*: Nam hujusmodi, *si parvi sunt*, arguunt pravitatem, dissimulationem, invidiam, insidias, & si sicci, fu: rint

fuerint, perfidiam, *si humidi amentem*. Laudatur igitur oculorum *status medius* inter *prominentem & reconditum*, quod scilicet oculi nec tumidi sunt, nec concavi: sed *mediocritatem habent in magnitudine*.

Humor quoque in oculis apparens vel non apparens producit aliquando signa: Nam *oculi humidi* formidinem, *aridi* velaniam, quandoque arguunt: Unde liquet, quod rigidiore oculi nunquam sint boni: Nam *oculi pallidiores rigentes* stolidum atqueunt, *grandiores & rubicundi* libidinosos, gulæ deditos, & impotentes indicant: At *si hujusmodi oculi simul sint splendentes*, velim, ut tibi, à tali homine caveas, nam malis & calamitatibus aliorum gaudet.

Motus etiam oculorum, & ipsa aspectus ratio detegit multa absconditæ naturæ humanæ signa: Nam *oculi mobiles* denotant turbatorem, suspicacem, interpellatorem, infidum, ac curiosum magis quam pervicacem, furem, & *si palpebra moveantur*, certè animam præpotentem *sin minus* audacem. *Oculi ocyus circumvolitantes & volubiles* indicant animū perturbatum, tardum in actionibus, ganeonem & luxuriosum. *Oculi parvi sæpius clausi & moti*, *si etiam frons moveatur*, timidum ostendunt, pusillanimum, maniam: *Si tardioris fuerint motus*, pigrum atque inertem. *Oculi tremuli si in dextram moveantur*, fœcordiam declarant, infaniam *si in sinistram* adultenum *si verò introrsum*, quasi naso annuentes, gratiosum venerum & amorosum. *Oculi qui, cum clauduntur, sursum attolluntur* gulosos indicant, libidinosos, ac sacri morbi certissima signa sunt. *Quod si hujusmodi oculi sint pallidi*, impios, atque homicidas: *si subrubentes nigricantes* virum hominem arguunt intemperatissimi oris, mulieribus deditos, stolidos, altercatores. *Oculi qui cum aperiuntur fixè stant*, vel cogitandum, vel altius rei poenitentiam ostendunt. *Oculi tremuli seu vibrantes & parvi* indicant dolosum, adulterum, *si verò sint magni*, ineptum, rudem, gulosum, intemperantiam vini & veneris: *si grandiusculi, splendidique & humidiores*, ingentem commonstrant spiritum, excelsum, & maximorum effectorem seu præclarorum gestorem, iracundum tamen & ebriosum ac gloriabundum; Talem referunt *Alexandrum Magnum* fuisse. *Oculi tenebrosi si sicciore sint*, infidum denotant, *si parvi*, bilinguem, dolosum, insidiatorem, *si verò humidi & grandiores*, animosum, constantem, studiosum, prudentem, ad disciplinas aptum ac habilem, timidum ac propè avarum: *Præalucidi & clari* sunt optimi, si cætera non contradicant. *Oculi splendentes*, quamvis sint utiles, non tamen sunt certæ probitatis indices: *Qui si sint glauci vel sanguinei* calliditatem arguunt & audaciam. *si subnigri*, timorem, formidinem, suspicionem, *si nigri* adulterium, *si torvum videant*, difficultatis, mœstitiæ & morositatis præbent iudicium. *si sint humidi*, fortitudinis, imprudentiæ, celeritatis, iracundiæ, fœcordiæ, inveniustatis habent argumentum: *Oculi in quibus voluptas est & quasi risus*, indicant dissimulatorem, & *si sint reconditi aut submersi*, insidiatorem. *si sicci*, reprobatum. *si humidi*, non malos quidem, sed vanos, rudes, & omni animæ motione carentes, pigros & intemperantes: At verò, *si horum inanes palpebra non nictarint fuerintque, frons leta, & utrinque simul vacua supercilia*, denotabunt hominem magnificum, iustum, suavem, pium, facilem, hospitem, & optimi consilii. *Oculi tristes humidique*, arguunt studiosum, plurimarum artium sectatorem. *Oculi sicci, si vultus sit trucior, item si frons sit aspera, aspectus immobilis, palpebræque rectæ, ruficæ* designant voluptates & improbissimas cogitationes. *Oculi acuti* denotant tumultuosum & rapacem, ac pessimum. *si non sint humidi*. *Oculi, qui sæpius connivent* (id autem est, cum immoto capite huc illuc obliquantur) timorem & formidinem coarguunt, *si cum sicitate*, fraudem, insidias, occultumque aliquod malum, *si cum tremore palleant*, fatuitatem: At verò e contra, *qui non connivent*, robustiores sunt, invictique: *Oculi nictantes* denotant insidiatores, fures: *Quibus non nictant oculi sed, quando clauduntur, defluunt*, verecundi sunt. *Oculi graves* de-

notant quietem, timorem, pusillanimitatem. *Oculi sepius clausi & aperti* timiditatem, & *si sicci sint*, insidias, similiterque malos mores arguunt, nisi cætera repugnent. *Oculi aperti* hominem significant vanum & attonitum; *Immobiles & sicci*, iracundiam & furorem. *Oculi citò mobiles, itemq; oculi & frons simul moventes* indicant animosos & fortes atque fideles.

C A P. III. P A R S II.

De pupilla, superciliis, palpebris, & angulis oculorum.

Pupilla seu oculorum acies parva pravissimas ostendit cogitationes, & avaritiam, ac pusillanimitatem: Nam hujusmodi sunt serpentes, simiæ, & vulpes: *Magna autem pupilla* denotat mentem placidissimam, liberalem, magnanimam, fortem: Nam hujusmodi sunt boum & ovium: *Mediocrates porrò & decentes pupille* probos indicant.

Superciliorum pili nigri & spissi arguunt bonum & fortè ingenium. *si curvi sint deorsum*, mendacem indicant: *Recta supercilia* ostendunt mollem, *si juxta nasum flexa*, rigidum, *juxta tempora densorem*, *contracta* invidum, *demissa* malevolum indicabunt: *Supercilia grossa. & in longum protensa*, significant arrogantiam in gestu, & laudis cupidum, *Arcuata*, seu *ad modum arcus protræta*, modestum; *Gracilia* lascivum; *Alba* effæminatam, credulum, stolidum; *Rubra* inverecundum, impudentem, invidum; *Hirsuta* simplicem; *Mollia & plana*, *in vicemq; sibi ex æquo respondentia nigricantibus pilis* complexionem probam. *Anguli oculorum à temporibus parvi* denotant reprobos; *à naribus carnosi* reprobissimos.

C A P. IV. P A R S I.

De signis ab ore sumptis.

Oris appellatione os, labia, dentes, & lingua continentur. *Os magnum gracilia habens labia*, indicat valdè avarum, animo constantem, iram non durabilem: *Magnum verò habens grossa labra & rubra*, denotat voracem, lascivum, iracundum, constantem, & valdè amabilem; *Os in medio grossa habens labia & subtiliora in fine*, significat inconstantem, liberalem, & non durantè in vita: *Os grossa habens labia & pallida*, significat fatuum, vitiosum, constantem seu fidam memoriam, & durantem seu firmam amicitiam; *Si labrum superius sit grossius inferiori*, indicatur homo occultus admodum & nequam in cogitationibus: *Os magnum & labia mediocris proportionis* denotant largum, de suo & gaudia conlectantem: *Os parvum, quacunq; ratione quis philosophetur*, non attestatur liberalitatem, & hoc credendum est experto: *Os neque firmum neque protervum*, est signum audaciæ, nugarum & dementiæ: *Os parvum & prominens*, denotat insidias & reprobationem: *Os humile & depressum* formidinem arguit & consiliorum instabilitatem: *Oris vastitas* significat appetitum & famem caninam.

C A P. IV. P A R S II.

De labris.

Labra tenuia in magno ore indicant magnanimitatem, seu fortitudinem, *in minore verò ignaviã, inhumanitatem, molestiã, impietatè, perfidiam, timiditatè, pusillanimitatem. Quibus supra dentes caninos labia attolluntur ex rictu dentes illos ad instar canum nudos reliquentia* sunt homines pessimorum morum, acclamatores, injuriosi, conviciatores, mordaces. *Quibus totum os protenditur, labraq; sunt prapinguiora*

pinguora, rotunda atque extrinsecus inversa, hi & moribus & operibus sunt suini. Quibus inferiori labro superius superadjicitur, prudentiores sunt: Quibus verò labium labio præminet, his accidunt stoliditas & vanitas: Magna labia & rupta cū ore magno denotant invidum, voracem, stultum: Magna labia utcunque, hebetem & stultum arguunt seu fatuum. Labia tenuia in magno ore, si labium supremum sit rubicundum & superpositum inferiori, indicant fortem, leoninum & magnanimum: Si labrum inferius protuberet extrorsum, arguit malè moratum & imprudentem: Quando labia magnitudine excedunt, & os est parvum, denotant hominem in magnis honoribus & possessionibus constitutum. Labia dependentia sunt signum stultitiæ.

C A P. IV. P A R S III.

De signis à dentibus desumptis.

Dentes debiles & pauci significant corpus debile; Longi & firmi malos ac voraces; Albi denotant fatuum & laudis valdè avidum; Nigri libenter detrahentem & accusantem, & suis frequenter insidiantem, non mendacem; A Equales significant iracundum, bene loquentem, multa disponentem, & bona consilia dantem; Inæquales significant multa cogitantem; Rari ostendunt maledicum & lascivum; Spissi voracem & delicatum; Malè locati indicant nebulonem, loquacem, insolentem, pomposum & instabilem; maridi, minuti brevitatem vitæ, caloris abundantiam, noxium humorem.

C A P. IV. P A R S IV.

De signis à lingua desumptis.

Lingua grossa, immoderata, & prælonga balbutiem efficiunt; tenues & acuminata, limata, instar viperarum, eloquentiam, astutiam & calliditatem præ se ferunt.

C A P. V. P A R S I.

De signis à voce desumptis.

Vox grossa animosum denotat & fortem; Exerta, & acuta bellicosum & eloquentem: Mediocris inter grossum & tenuem, significat prudentes, paratos, fideles, & justos; Gravis & ponderosa ventri obedientem, segnem; aspera invidum & in cujus corde malum absconditur; Velocem & subitaneum, iracundum, bene moratum & præcipitem; Parva seu submissa, cum festinatione in sermonibus importunum & mendacem; Grossa cum sermone veloci iracundum & imperantem, ac malæ conditionis; Suavis invidum & suspicacem; Pulchra & adulans plenitudinem & stupiditatem; Pulchra stultitiam & exiguitatem scientiæ: Qui sæpe se & manus movet dum loquitur, denotatur esse invidus & eloquens; Cujus manus dum loquitur, quiescunt ei utilitas & intellectus adscribitur: Talis n. est bene dispositus & boni consilii: Cujus spiratio est longa, in eo arguitur pessima natura & conditio.

C A P. V. P A R S II.

De signis desumptis à risu.

Qui multum ridet, benignus est & idoneus in omni re conveniēti; Qui parum ridet, spernit & contemnit actus omnium hominum; Qui coactè quasi ridet, impudens est sine pudore & stultus: Qui ridendo tussire solet aut cum difficultate respirat

impudens & malus est: *Risus cum oculis siccis & jucundis* invidiam indicat. *Risus cum palpebrarum contractione vel connexione* arguit gaudium post facinoris perpetrationem. *Debilis risus* denotat hominem innocentem: *Oculis in risu humidis existentibus & omnibus aliis partibus convenientibus* significatur gaudium.

C A P. V. P A R S III.

De signis à Gutturis & Colli observatione desumptis.

Collum oblongum & gracile indicat timidum, stolidum, imbecillum, loquacem, & malorum morum hominem; *Pingue & prolixum* animosos, jactabundos, contumaces; *compactum* robustos, fortes, & idoneos ad disciplinas, *non compactum & magis inane* vafros & adulteros. *Præpingue* iracundos, & ad disciplinas ineptos ac inhabiles, & suinos; *valde breve seu curtum*, audacem, callidum, deceptorem, ingeniosum. *Densum nullam in partem procidens*, sinistros, contumaces, ineptos. *Collum effractum* semivirum arguit; *ad dextrum inclinans* declarat ornatos, prudentes, & sinistros; *Sin inclinēt ad sinistram*, adulteros ac nullius prudentiæ; *Si in quamvis aliā*, pravissimi animi ac mentis est indicium; *Si in nullam* indicat moderationē artis & exercitationis: *Collū magnū* denotat magnum comeitorē.

Guttur asperum levitatem arguit, verbofum, protervitatem linguæ, atque arrogantiam: *Si nodus fuerit in gutture*, levitatem significat, pravitatem, audaciam seu animositatem.

C A P. VI. P A R S I.

De signis sumptis à pectore & mammillis.

Pectus magnum & dearticulatum significat roburum; *Gracile*, imbecillum & pusillanimum; *Carnosum*, affectus dexteritate carentes.

Mammilla in obeso pectore dependentes indicant scortatores, ebriosos, & ganeones.

C A P. VI. P A R S II.

De signis desumptis ab humeris & brachiis.

Densi humeri, densum dorsum & latum pectus arguit animositatem, bene merendi studium & intellectum; *Lati humeri* arguunt bonum ingenium; *Angusti* contrarium; *Tenuēs & graciles ac recti in loco arcuato* virum incertæ fidei & pessimum; *Non pingues, sed bene dispositi* virtutibus deditum; *Laxi* naturam acutam & mendacem; *Robusti* robustum & moratum; *vacui effœminatū & timidum*.

Scapula robusta arguit hominem robustum: *Imbecillis* verò & *gracilis* timidum: *Carnosa* sentium indicat egestatem: *Angusta* fatuitatem: *Latioꝝ* mentis altitudinem: *Rotundior* industriam & sagacitatem: *Gibbosa curvâq;* invidentiam & pravitatem.

Ulnæ si fuerint ita prolixæ ut manus demisse pertingant, usque ad medium infra coxendices, sunt fortitudinis & felicitatis signum, *Breviores verò quorum capita occurrunt*, malevolentia, invidentiaque sunt indicium, *Exiles* hominem arguunt effœminatū; *Carnosiores* indicant hominem sensibus disciplinisque carentem. Item, *Brachia tam longa & prolixa, ut manus possint contingere genua*, arguunt animositatem & nobilitatem; *Brevia* discordiam & ignorantiam, pusillanimes & pravos.

Musculi brachiorum magni & fortes sunt boni ingenii argumentum.

Ulnæ, brachia, cubitiq; ipsi bene articulati esse debent ut, quo probare voluerimus.

C A P. VI. P A R S III.

De indiciis sumptis à manibus, digitis & unguibus.

Cùm manus ita sunt cum brachiis formatae, ut directè stante corpore pertingant usq; ad genua, denotant habilem; si se extendunt, non nisi ad coxas, aut ad medietatem femoris, significant malevolos, qui gaudent infortuniis aliorum; Manus per breves indicant stultitiam; Parva, sed plena & fortes callidum ac sagacem; Tenera & molliores optimum ingenium arguunt, & disciplinis aptum; Dura & magna hominem fortem & ad disciplinas fatidoneum; Angusta gracilesq; rapacitatem & tyrannidem; Leves & subtiles prudentiam; Pingues cum digitis curtis avarum, minantem & furem; Palma longa cum longis digitis bene dispositum ad multas artes, melancholicum, bonæ gubernationis & prudentem.

Digitum magni & curti arguunt hebetem, dementem; Nodosi stultitiam. Parvi gracilesque paucissimum intellectum; Oblongi gracilesque minima & rigidioris mentis hominem; Qui claudit & contrahit digitos, invidus est, impius, avarus.

Ungues albi cum rubedine suffusi sunt signa boni ingenii; valde curti, parvi & nigricantes pravum indicant hominem; Angusti & longi soliditatem & sapientiã: Ac si sint angusti, prolixiores & curvi, improvidum, & male sensatum arguunt; Acuti & rotundi denotant actus venereos, hominemque paratum; Obliqui & adunci impudentem & rapacem; Impressi & multum fracti, stultos & fures.

C A P. VII. P A R S I.

De signis desumptis à coxis & cruribus ac genibus & tibiis.

Coxa inarticulata & molles timidum arguunt & imbecillum; Praegraciles improbum.

Crura tenuia significant foeminarum amatores.

Genua carne impleta denotant virtutis imbecillitatem.

Tibiae grosse fortitudinem arguunt & animositatem; Subtiles ignorantiam; Lata cum calcibus latis corpus forte.

C A P. VII. P A R S II.

De signis à pedibus sumptis.

Pedes grossi & carnosi arguunt stultitiam in amore & mœchum, ac amatores iniuriarum; Multum carnosi indicant hominem difficilem & malum ingenium; Nervosi & articulati, & generis & morum vestigia imprimunt; Teneri molliorem indicant; Oblongi sunt plurimæ cogitationis signum; Parvi autem caliditatis & duritiei indicium exhibent; Pulchri & fortes jucundum & fornicatorem describunt.

Tardè moventes indicant hebetem; Velociter autem moventes levem denotant; Largi passus segnitiei sunt argumentum; Veloces cholericum & suspicacem ostendunt.



TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O N I S V.

L I B E R . III.

De Physiognomica complexionum inventione.

C A P . I.

De hominis cholericis indicis.



Quis ex faciei, capitis, & aliarum corporis partium inspectione velit ad veram complexionis cognitionem pertingere, necesse est, ut in primis colorem pilorum & cutis, deinde staturam, habitumque corporis & partium ejusdem figuram ac dispositionem diligenti contemplatione consideret: Verbi gratia, in complexionis biliosæ sive cholericæ perquisitione solemus observare hæc, quæ sequuntur.

Tria sunt
quæ arguunt
biliosam
& cholericam
complexionem,
scilicet

- | | | |
|--------------|-------------------|--------------------------------------------------------------------------------|
| Color | Aurium | Ferrugineus & fuscus. |
| | Cutis | Niger. |
| Faciei | Capitis | Niger instar Corvi: Et quò nigrius est caput, eò intensiorem choleram denotat. |
| | | Cujus capilli sunt crispi denotat choleram in quarto gradu. |
| Figura habēs | Oculorum, | niger cum multitudine albedinis in aspectu ut plurimum. |
| | Frontis | ad nigredinem vergens. |
| | Barbæ | niger. |
| | Corporis | universi ferrugineus & fuscus. |
| | Linguae | ferrugineus aut citrinus |
| | Urinæ & stercoris | citrinus. |
| | Frontem | remissam, &c. |
| | Faciem | macilentam & tenuem. |
| | Nasum | directum & aduncum. |
| | Os | rotundum. |
| Figura habēs | Labia | larga. |
| | Genas | macras & duras. |
| | Brachia | tenuia & gracilia. |
| | Manus | subtiles & tenues. |
| | Digitos | longos. |
| | Cutem | duram per universum corpus. |

Statura: Nam semper hæc complexio comitatur habitum corporis tenuem, & proportionem ut plurimum mediocrem.

Hiscæ

Hiscæ ergo hominibus in quibus sunt prædicta indicia, *Martis* constellatione ut plurimum prædominari dicitur: Unde patet, quod huiusmodi complexio participet de natura *Martiali*: *Martialis* autem complexio est calida, sicca, & conditionis igneæ.

<p><i>Martiales</i> ergo & <i>Cholerici</i> antea descripti, respiciendo eorum animorum qualitates</p>	}	<i>Multum</i> appetunt <i>Venerem</i> , & <i>luxuria</i> sunt dediti ratione caliditatis; sed ob <i>siccitatis</i> præsentiam parum efficiunt.
		<i>Apti</i> sunt <i>seminandis discordiis</i> .
		<i>Ebriosi</i> & <i>compotatores</i> esse solent, & subito <i>ebrietate</i> capiuntur, in qua <i>submersi</i> sunt <i>feroces</i> & <i>furibundi</i> instar <i>leonum</i> , & quidem sine ullo modo.
		<i>Semper</i> occupantur aut <i>negotiantur</i> in re una vel alia.
		Sunt <i>maledici</i> & <i>malefici</i> , <i>ovantes</i> & <i>jactatores</i> .
		<i>Facile</i> sese <i>periculo vitæ</i> exponunt pro re <i>levi</i> & <i>nullius</i> ferè <i>momenti</i> , & in <i>ira</i> sua sunt instar <i>hominum</i> <i>rabie</i> aut <i>furore</i> <i>correptorum</i>
		<i>Gubernari</i> & <i>frænari</i> solent à <i>fæminis</i> , quas <i>vehementer</i> amant.
		<i>Parum</i> comedunt & non <i>multum</i> dormiunt.
		<i>Vocem</i> habent <i>altam</i> & <i>exertam</i> ut <i>tuba clangor</i> .
		In <i>omni</i> suo <i>regimine</i> <i>subitanei</i> sunt & <i>ferventes</i> ac <i>veloces</i> .
<i>Per societatem</i> <i>mulierum</i> <i>magno</i> <i>damno</i> <i>afficiuntur</i> , & <i>quasi</i> <i>occantur</i> .		

Est autem & alia adhuc *Cholera*, quæ dicitur *rubea*.

<p>Atque huiusmodi <i>Cholerici</i> sunt</p>	}	<p><i>Colore</i>.</p>	{	<p><i>Facie pallidi</i>, uti <i>Phlegmatici</i>. <i>Cute</i> ut plurimum <i>pulchri</i> & <i>lentiginosi</i>. <i>Capillis rubri</i> tam in <i>capite</i> & <i>palpebris</i> quàm <i>alibi</i>.</p>
		<p><i>Qualitate</i></p>	{	<p><i>Luxuriosi</i>, & quidem <i>insatiabiliter</i> <i>ita</i> ut <i>nunquam</i> sint <i>contenti</i>. <i>Phlegmaticis</i> <i>natura</i> <i>similes</i> præterquam, quòd <i>luxuria</i> <i>abundant</i>; Quare <i>caveas</i>, ne <i>talibus</i> <i>fidem</i> <i>habeas</i>: Nam in re <i>Veneræ</i> sunt <i>omnium</i> <i>pestimi</i>. <i>Intrinsicus</i> <i>virulenti</i>, ut <i>bufo</i>: Unde in <i>cute</i> habent <i>maculas</i> seu <i>lentiginis</i> uti <i>serpentes</i>; & proinde <i>peiores</i> sunt, quàm <i>Cholerici</i> antea <i>descripti</i>. <i>Tales</i>, ut si <i>caput rubrum</i> <i>habeant</i> & <i>barbam nigram</i>, <i>miraculum</i> sit, ut <i>ulla bona actio</i> in <i>illis</i> <i>inveniatur</i>: Nam huiusmodi complexio <i>miscetur</i> ex <i>cholera rubra</i> & <i>nigra</i>, hoc est, ex <i>melancholia</i> & <i>cholera adusta</i>.</p>

Homines, quorum complexio est cholera rubra, nati sunt sub constellatione *Lunæ* & *Veneris*; scilicet, quando *Luna* est in trino aut opposito aspectu, aut in conjunctione cum *Veneræ*, ita ut ambo hi *Planetæ* habeant in illum dominium.

C A P. II.

De complexionē sanguinea.

Facies rubicunda, rosacea & pulchra cum albedine mixta est.

Labia sunt rubra aut rosacea.

Capilli sunt in sanguineo { Albo-flavi ut plurimum.
Nigro-fusci.

Color: Nam in sanguineis } Frons & barba sunt unius coloris.
Aures sunt rubicundæ.

Oculi sunt in sanguineo { Albo carulei seu glauci.
Nigro fusci.

Ungues sunt rubei cum sanguinis plenitudine.

Lingua est rubra.

Urina & stercora sunt aurei seu carabæi coloris.

Tria arguunt complexionem sanguineam, scilicet

Figura: Nam in sanguineis sunt

Frons larga & obliqua seu convexa.

Genæ rotundæ seu pingues.

Nasus directus.

Labia densa.

Aspectu modestus.

Dentes albi, æquales, & bene ordinati.

Collum pingue.

Cutis crispa & mollis.

Compositio pinguis adipe repleta & corpulenta, ac carne refertissima: quare arguit corpus densum.

Brachia & tibiæ pingues.

Manus & reliqua membra satis crassa & compacta.

Pedes pingues & non longi.

Ungues sanguine suffusi.

Statura ut plurimum satis procera & habitus robustus.

Hujusmodi igitur homines sub constellatione *Veneris* nasci observantur, ut nonnullis placet: Sed nobis credibilius videtur, Sanguineos albos *Jovis*, & nigros *Veneris* esse attribuendos. Utunque: Tales natura calidi & humidius esse observantur; cujusmodi sunt dispositiones tam *Jovis* quam *Veneris*.

Homines sanguinea complexionis quo ad animi qualitates.

Rationie caloris multum appetunt actiones venereas, & propter humiditatem potestas voluntati respondet: Imò verò in actu procreationis superat hæc ipsa complexionēs ceteras.

Bene sunt dispositi ad res omnes, & luxuria facile vincuntur.

Ventris sunt amatores, convivia diligunt hilarem societatem eligunt, omnibus deliciis delectantur, & in risu saltationibus seu choreis & musica versantur: Quare hilares sunt & curas à se abigunt & exulare jubent.

Humani sunt in conditione benevoli.

Alvum habent ut plurimum laxam.

Copia rerum omnium ut plurimum abundant, & secundi sunt in liberis.

Vocem habent claram & sonoram.

Statum mutant si sint sanguinei { Albi facile succidit.
Fusci, tarda seu difficilis.

Si calvi sunt, quò calidiores è sapientiores.

Si labia densa & spissa habent, magis sunt mansueti & benivoli.

Hic

Hic denique notare debemus, quòd *Jupiter* sit planeta sanctior & melior quàm *Venus*: cui etiam *Venus* bonitate accedit: Unde ipsa *Fortunium minus* dicitur, & *Jupiter Fortunium majus*.

Nota, quòd in sanguineo nigro sit. { *Color* } Facies fusca seu bruneta.
 Genæ rubicunda.
 Capilli nigri in capite & palpebris.
 { *Habitus corporis pinguis & corpulentus*, ut in sanguineo albo supra dictum est.

Distinguuntur complexionones sanguineæ, an à *Jove* vel *Venere* sint simpliciter & sine mixtione hoc modo; { *Jupiter facit capillos subflavos & aureos cum cæteris.*
Venus facit capillos & pilos nigros in omni loco.

Cæterùm, si cum cæteris Planetis misceantur, mutant capillos in alios colores: Etenim *Venus & Luna* se invicem respicientes, solent capillos candidos & natos corpulentos procreare: Sed, si *Mars cum Venere* in aliquo aspectu jungatur, sanguineum colore brunum, & habitu corpulentum ac pinguem gignit: Sed qui sanguinei & bruni seu fusci sunt, ferocioris sunt naturæ quàm albi, propter *Martis* dominium: Et sanguinei albi sunt magis timidi, effœminati, & tardiores ad iram, quàm bruni, propter *Luna cum Venere* mixtionem.

C A P. III.

De complexionone Phlegmatica.

In complexionone phlegmatica respiciuntur tria, videlicet	}	Color, nam sunt ei	Facies pallida, alba.
			Capilli subflavi aut albicantes, molles & tenues.
			Palpebrarum pili ad flavedinem vergentes.
			Barbæ pili subflavi aut eburnei.
			Labia pallida.
			Cutis alba & crispa per universum corpus.
			Oculi glauci & grisei seu cinericei.
			Lingua pallida.
			Excrementa pallida.
			Urina pallida & spissa.
Figura: Nam hujus complexionis nato sunt	}	Statura; nam tales sunt	Facies ad pinguedinem vergens. sed non tam pinguis, ut est sanguinea.
			Vultus sobrius & modestus.
			Habitus corporis non multum corporeus.
			Capilli & pili corporis, molles & tenues.
			Nasus magis curtus, quàm sanguineo, & ut plurimum acutus in parte anteriori, & largus in posteriori.
			Labia densa.
			Collum densum & pingue.
			Brachia & manus uti sanguineo.
			Oculi & caput ut plurimum morbis subiecta.
			Halitus seu respiratio dulcis.
Statura; nam tales sunt	}	Statura; nam tales sunt	Manus & Ungues pulchri & bene compositi.
			Ut plurimum homines parvæ statura. Personæ bene composita & bona constitutionis.

Quod attinet
ad animæ
qualitates
Phlegmatici

Solent esse conditione satis hilares ac lati.
Facile irascuntur & citò peccatum condonant.
Mutabiles sunt in omnibus operibus suis.
Non sapientes, quatenus prodigaliter omnibus dant, nec in secreto tenere aut occultare possunt consilia sive arcana, quando commoventur iracundia.
Temperati sunt nec diu manentes in uno loco, nec cum servis diu quieti.
Rebus noviter inventis bene delectantur.
Multum dormiunt.
Multas cogitationes cerebro suo volvunt.
Quod faciunt, leviter & subito faciunt.
Quod habent diu servare non possunt.
Multum laborant pro aliis.
Compassionis & misericordie magna sunt & contemplationis bona.
Lunam habent pro sua domina: Unde fit, ut sint in omnibus operibus suis Lunatici.
Citò gaudent hilaresque sunt, & citò post lætitiã contristantur.
ingenii melioris sunt in casu subitaneo, quàm præmeditato.
Quo tenuiora labia habent, eo proniores sunt ad iram.
Non sunt ita mansueti & benigni ut sanguinei.
Natura frigidi sunt & humidi: Unde multum possunt in Venere, sed parum volunt.

Hujusmodi autem homines nascuntur sub constellatione Luna: Quare ab o— Luna cum Sole ad o—o virtute influentiæ lunaris, frigiditas nati vertitur in caliditatem: sed ejus humiditas semper permanet: Unde fit, ut hujusmodi complexionis homo proximus sit dispositioni sanguinæ, & tamen ratione mutabilitatis sequatur naturam Luna.

C A P. IV.

De complexione Melancholica.

Color } Faciei & totius corporis lividus ac plumbeus:
Capillorum Aburneus, niger, & citò canescens.
Oculorum subflavus & quidem apertè prospicientium.
Labiorum & nasi pallidus & malè habitus,
Linguae plumbeus.
Excrementorum plumbeus.
Urinæ albus & tenuis quidem.
Juncturas magnas per universum corpus,
Ossa magna
Faciem largam cum cute magnorum granorum instar pellis
bovinæ seu bysæ
Capillos multos & duros.

In

In complexione Melancholica consideran- tur tria, scili- cet	Figura, Nam	Aures grandes & pendentēs. Frontem rugosam & dependentem.	
	hu- jus- modi	hu- jus- modi	Pilos multos in palpebris, qui deorsum super oculos instar tecti prominent.
			Oculos apertè respicientes, profundos. Nasum magnum. Labia magna.
	ho- mi- nes	ho- mi- nes	Dentes magnos instar dentium equinorum. Os magnum: Unde & valde sunt edaces.
			Collum instar corii. Magnas manus.
	ha- bent	ha- bent	Pedes magnos magnarum juncturarum Tibias longas. Genua magna nervisque venisque repleta Corpus valde nervosum & venosum sed extenuatum lon- gius, pallidum & ferè languidum & fœtidum instar hirci tempore calido. Cutem duram per universum corpus.
			Statu- ra Nã
		sunt.	Macilenti & non corpulenti.
	Quod ad animæ qualitates at- tinet Melan- cholicus		Est frigidus, siccus, & terreus. Res venereas parum appetit propter suam frigiditatem. & parum et- iam in ea potest propter suam siccitatem. Unde & sterilior est cæteris omnibus. Citò alterat naturam suam. Nunquam aut rarissimè hilaris est. Bonus compotator, & comestor est. Non nunquam multum appetit luxuriam, sed parum præstare potest; quo quidem casu de Marte aliquid participat. Zelotypia in re qualibet facile accenditur. Tristis est & laboriosus ac sordidus & vilis, si h. sit infelix. Non multum dormit. Homo mundanus est, & bona conscientia destitutus. Deceptor est insignis qui omnibus solet imponere. Nemini fidem adhibere solet, sed valde est suspicax. Quod habet de proprio illud firmiter tenet. Rabidè iracundus est, & quidem subito, ac pro re parvi pretii ac tar- dus in peccati remissione aut ira dimissione. Omnibus est ingeniosus. Nunquam diu cum uxore quietus est. In actionibus & operibus suis tardus est. Corde tumidus & superbia inflatus est. Omnes superat in consilio & gubernatione hominum vel Reipub. Gaudet possessione rerum terrenarum. Facile affligitur cæcitate. Saturnum semper habet dominum, & ultimus hujus complexionis fi- nis ut plurimum est malus.


Hujusmodi igitur homines nascuntur sub constellatione Saturni.



TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O VI.

De Scientia animæ naturalis cum vitali,
seu astrologia chiromantica*seu*
Chiromantia.



TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O N I S VI.

De Scientia animæ naturalis cum vitali seu astrologia chiromantica.

L I B E R I.

De chiromantia in genere.

C A P. I.

*Chiromantia quid? Et quòd sit scientia naturalis fato astrisque
subjecta, cujus iudicium solummodò sapiens
potest impedire.*

Chiromantia dicitur *ἡ ἐκ τῆς χειρὸς καὶ μαντείας*, id est, à manu & sciētia, & definitur à nonnullis *scientia naturalis*, per quam ex docta manuum inspectione, de rebus presentibus, prateritis & futuris divinationo fieri solet: Vel, est scientia, qua per manuum lineamenta felicitatem vel infelicitatem presagiunt *Artiste*: Quibus declaratur, quòd hæc scientia versetur circa res homini naturaliter eventientes; non aliter, quàm ipsa Astrologia & Physiognomia: Est igitur naturæ & complexionis geniti quasi tabula, in qua more occulto nativitatæ mysteria sculptuntur, & delineantur, cum sub physiognomiæ & hujus artis characteribus à natura formatis fatalia, hominis tam in bonis quàm in malis referantur, & manifestè ac luculenter doctis revelentur, atque ita à sapientibus percepta supercœlesti acumine evitentur: Nam sapiens, quemadmodum sapiùs illud repetitum est, dominabitur astris, & multò magis Physiognomiæ & Chiromantiæ signis malum minantibus, quippe quæ à syderum influentiis immediatè promanare percipiuntur: *Verbi gratiâ*: si quis signum in manu observet, quòd debeat ultimum vitæ suæ diem in mari terminare, mortemque in fluctibus subire, poterit, si sapiens fuerit, duplici ad evitandum hoc periculum remedio uti; primò videlicet, ut verum vitæ suæ periculum ex characteribus manuum addiscat, & deinde ut, illo semel cognito, voluptuosas carnis suæ affectiones refrænando & gubernando temperet sibi ab itineribus marinis, quòd hac ratione minùs se exponat illi periculo, quod fata ei secundùm naturalem genituræ constitutionem imposuerunt. Hac ergo via stellarum malignitatem effugiet, & à mente mentis que custode angelico dirigetur & custodietur.

C A P. II.

De vocabulis nonnullis huic arti necessariis.

EX quinque digitis primus dicitur pollex, qui omnibus robustior est & grossior; Secundus, qui pollicis proximus est, vocatur index, quoniam extenso eouti solemus in re indicanda: Tertius appellatur, vel medius, quoniam medius est ex quinque, vel medicus, quoniam eoutuntur Medici locis infamibus: Quartus nuncupatur annularis, quòd annulo aureo, ornari solet, quoniam, ut sapientes voluerunt, nervus tenuissimus ab eo ad cor protendi ab anatomicis observatur; & verò Medici dicunt, quòd virtute annuli aurei huic digito impositi cor reficiatur & confortetur: Quintus, qui minimus est, à quibusdam dicitur auricularis, quoniam eo veluti auriscalpio in purgandis auribus uti solemus.

Palma est interior manus planities, in cujus medio situm est illud concavum, quod dicitur *Vola manus*.

Pugnis est manus clausa & compressa contractis digitis.

Percussio manus est illa pars manus, qua solemus res pugno percutere.

Manus restricta vel *junctura* dicitur, ubi ea jungitur brachio, unde restricta dicitur, quoniam ibi restringitur.

Montes digitorum sunt singula tubera, quæ à radicibus digitorum insurgunt, & singulis Planetis seorsim attribuuntur.

Lineæ manus naturales dicuntur sectiones potiores, ad quas reliquæ minores tanquam ad principales lineas referuntur.

Linea vitæ vel *cordis* est illa, quæ sub tubere indicis, & quasi inter pollicem ac indicem orta, manum secat ad restrictam tendens.

Linea media naturalis est, quæ ad indicis tuber oritur, & per transversam manum, ad lunæ tuber protenditur.

Linea tabellaris vel *hepatis*, aut *linea stomachi* est quasi basis triangularis areæ, quam cum hac constituunt linea vitæ & naturalis in angulum concurrentes: oritur autem hæc linea juxta restrictam sub tubere seu monte pollicis, & mediam naturalem secando profluit ad montem Lunæ. His autem lineis comprehensum spacium datur Marti, unde & *Martis Triangulus* appellatur.


Linea mensalis radicem & originem habet sub auriculari ea parte, qua Lunæ tuber reperitur, & in suo processu indicem petit; Atque hæc etiam appellatur *linea fortuna*.

Consa manus est illud spacium, quod facit suis dimensionibus quadrangulum.

Via lactea est linea quædam transiens à percussione versus receptam.

Linea Martialis est, quæ transire solet per partem montis Veneris à restricta descendens versus angulum inter indicem & pollicem.

Via Solis est linea recta ascendens à radice interiori annularis versus manus cavitatem.



- A. *Linea vitæ seu cordis.*
- B. *Linea discriminæ seu restricta.*
- C. *Linea mediæ naturalis, seu jecoraria aut hepatis.*
- D. *Linea cerebri.*
- E. *Triangulus Martis.*
- F. *Linea thoracis seu mensalis aut fortune.*
- G. *Mensa thoracis seu quadrangulus manus.*
- H. *Linea Saturnia.*
- I. *Linea Martialis seu linea mortis, sive soror vitæ.*
- K. *Via lactea.*
- L. *Cingulum Veneris.*
- M. *Via Solis.*
- ♃. *Mons Jovis.*
- ♄. *Mons Saturni.*
- ♅. *Mons Solis.*
- ♆. *Mons Mercurii.*
- ♇. *Triangulus Martis.*
- ♈. *Mons Veneris.*
- ♁. *Mons Lunæ & Percussio manus.*

C A P. III.

De lineis in genere, quæ in manu observantur.

Variæ sunt linearum in vola manus genera, variæque earum differentiæ, Nam quædam dicuntur *Naturales tantum*, cujusmodi sunt *Vitalis, Naturalis, Mensalis, Jecoraria, Restricta, Via lactea, Martialis, Cingulum Veneris, &c.* Quædam, sunt *Triangulares*, quæ triangulum constituunt; & hæ semper sunt naturales: Quædã sunt *Accidentales tantum*, quæ ex calore, vel labore vel frigore, vel nutrimentorũ defectu & consimilib. accidentib. eveniunt, & solent esse fallaces: Quædam sunt *tum naturales tum accidentales*, quatenus sunt naturales, & tamen non omnibus contingunt, sed quibusdam tantum, & quasi contingenter à radice naturali; De quibus infra latius. Harum autem linearum effectus important aut præteritorum aut præsentium, aut futurorum fortunium seu infortunium, prout fata volunt. Sunt autem & aliæ linearum differentiæ à figura earum derivatæ. Quia aliæ sunt *rectæ* aliæ *obliquæ*, quædam *subtiles*, quædam *grossæ*, nonnullæ *obtusæ*, una *rubea* & altera *pallida*, quædam *continua*, quædam *fissæ*, aliæ in uno unius subjecti loco, & in alia alterius subjecti positione manifestiores. Item lineæ diversis figurarum impressionibus obsignantur in manu, variosque & abditos naturæ characteres solent efformare, uti infra latius.

Lineæ manus sunt vel	} Naturales; quæ sunt aut	} Principales, quæ in omnibus sunt, ut	} Minus principales, quæ non sunt in omnibus manibus, nec perspicuè apparèt, ut	} Compositæ quæ faciunt.	} Simples quæ constituunt.	} Cardiacæ, quæ est lineæ vitæ. Hepatica, vel media naturalis. Cephalicæ, seu lineæ capitis & cerebri. Ichoralis seu mensalis, quæ etiam dicitur lineæ fortunæ. Restricta seu discriminialis.	} Via Solis. Via lactea. Via Saturnia. Cingulum Veneris. Linea Martis, seu soror vitalis, quæ & lineæ Martialis dicitur.	} Crucem †. Stellam *. Lineas parallelas III ¶. Scalam F.	} Ramusculum F. Quadratum □. Craticulam ▯. Capillamenta ≡ &c.	} Semicirculum C. Circulum O. Tortuosam ~. Spiralem ⊙.	
											} Accidentalis, hoc est, quæ non à natiuitate nec communiter eveniunt & sunt vel.

C A P. IV.

De figuris superficialiis, quæ manui naturaliter solent imprimi.

Superficerum quæ in manu conti- nentur	} Mons	Veneris, seu tuber pollicis.
		Luna, seu tuber percussionis manus.
tres sunt differen- tia; scilicet,	}	Jovis, seu tuber in radice indicis.
		Saturni, seu tuber in radice medici.
		Solis, seu tuber in radice annularis.
		Mercurii seu tuber in radice auricularis.
		Triangulus Martis in medietate volæ manus.
		Quadrangulus, seu mensa, aut spatium inter lineam jecorariam & lineam menfalem comprehensum.

C A P. V.

Quæ in hac arte sint in faciendo judicio respicienda.

PRiუსquam ad iudicium in chiromantia perveniamus in primis observare debemus lineas, & in lineis res plures infra descriptas: deinde superficies & earum contenta; atque ultimo loco lineas hominibus non communiter evenientes, sed iis quasi accidentaliter contingentes sedulo respicere debemus.

In inspectione ergo linea- rum obser- vare debe- mus.	}	Qualitatem; in qua colorem lineæ & figuram ejus considerare debemus, & in figura an sit curva vel recta.
		Quantitatem; in qua longitudinem & profunditatem consideramus.
		Actionem; videlicet, an una linea aliam tangat vel secet.
		Passionem; hoc est, an linea secetur vel tangatur ab alia.
		Locum sive situm & positionem.

Regula I.

Notandum est in omnibus lineis principalibus, quod si sint recta & indistincta ac bene colorata, semper denotent bonitatem complexionis.

Regula II.

Nonnulli in diurna nativitate dextram tam viri, quam mulieris respiciunt, in nocturna sinistram: sed omnes ferè sinistram dant femina, dextram viro.

Regula III.

Manus sinistra lineis plenior quam dextra hominem indicat effeminatum.

Regula IV.

Si lineæ sunt rubicundæ significant factum esse propinquum & brevi venturum. Sin pallidæ, arguunt illud esse præterlapsum & tempus præteritum.

Regula V.

Quum volueris per hanc artem operari, in primis aqua calida abluas manum, donec cutis contrahatur: Deinde sicca eam, & manu tua illam frica, ac secundum lineas satis apparentes & colores, uti inferiùs declaratur, judica.

Regula VI.

Lineas quas videbimus non naturales tantùm & subtiles non accidentales esse scimus, has prætermittere debemus ne falsum pro verò incurramus.

Regula VII.

Non capiamus iudicium ab uno vel altero indicio, sed à multis testimoniis simul unitis: quia unum indicium seu signum alteri contradicere potest.



TRACTATUS PRIMI,
SECTIONIS II,
PORTIONIS VI.
LIBER II.

De iudicio ex chiromantiæ lineis &
superficiebus magis
naturalibus.

C A P. I.


De Linea vitali.




Linea cardiaca seu vitalis est illa, uti dictum est, quæ includit & circumambit pollicis montis radicem. Hæc linea consideratur multifariam: videlicet quatenus est longa vel brevis, vel crassa vel grossa, vel continua vel interrupta, vel stricta vel lata, vel furcata vel non furcata, vel cum forore vel sine, vel recta vel curva, benè vel malè cum naturali conjuncta.

Longa crassa ac vivo colore pellucida, vitam longam & paucis ægritudinibus obnoxiam.

Hepatica.




Brevis discolor & livida & tenuibus rimulis sæpè obversa & scissa, vitæ brevitatem, ac virium imbecillitatē & adversam valetudinē.




Curta

Curta & brevis versus pollicem atque etiam tortuosa & circularis, periculum. Quod tamen periculum evitabitur, si curta sit versus concavitatem.




Stricta & subtilis ac bene colorata, versus mediam naturalem procedens, hominem boni consilii, subtilis intellectus, magnique & regalis animi.




Lata & male colorata vel pallida contrarium astrictæ.




Ampla vivo colore in suis metis prolongata & existens absque intersectionibus seu punctis, vitam longam, paucosque morbos.




Furcata versus partem inferiorem, superabundantem calorem & virtutem naturalem bonamque complexionem.




Furcata versus montem Jovis, honorem & divitias.




Furcata versus hepaticam in parte superiori, divitias & honores.



Extendens ramos versus restrictam, paupertatem & domesticorum infidelitatem ac infidias.



Sorore comitante conspicua, luxuriam magnam & constantiam pro suis.




Media naturali bene conjuncta, & in angulo parallelis vel cruce signata, ingenii bonitatem naturæque æqualitatem.




Linea vita seu cardiaca indicat, si sit


Confusa habens in se capillamenta, morbos, & quidem, si inveniantur juxta a vitatem, in media ætate.




*Cum Solis caractere uno, unius oculi amissionem; si cum duobus, am-
borum.*




*Discontinuata, infirmitatem naturalem: Quod si fossa fuerit in me-
dio aut si multa adsuerint puncta mortem subitanam. De tem-
pore autem horu ex præceptis infra descriptis poterit judicari.*




*Discontinuata & disrupta extremum vitæ periculum eo anno,
quem linea in 10. annos divisa notabit.*




*Discontinuata atque etiam naturalis, adjuvat tamen ad vitam, modo si
mensalis sit continuata.*




*Ejus infra hepaticam ascensus ad Saturni usque tuberculum, morbum,
Saturnium & pestem.*



Linea ex hac ad Solis tuberculum ascendens, honores obventuros à muliere splendida seu regina, vel nobilis fœminæ favorem.



Linea per hanc ad Martis caveam transiens vulnera febresque & in peregrinatione infortunium.




Rubea & splendida, sanguinis abundantiam, contrarium autem denotat palliens & livida, &c.

Experimentum narrans, & quasi digito ostendens, quo tempore vel anno vitæ eventura sint illa, que in linea vitali denotantur.

Variæ sunt opiniones, tam in ratione dividendi lineam vitalem, quam in partitionis termino à quo: Etenim quàm plurimi incipiunt numerare à restricta atque ita progrediuntur versus jecorariam: Eos verò naturam magis imitari statuimus, qui à jecoraria sive media naturali incipiunt, eò quod in principio vitæ cor, cujus linea est vitalis & hepar, cujus linea est jecoraria, ad vitæ & corporis in embryo seu fœtu compositionem concurrunt, atque ad invicem junguntur: Quæ quidem unio cum à vitæ exordio fiat, procul dubio vitæ originem denotat, & per consequens à puncto vitalis cum naturali angulum efficiente, imò verò, quamvis nullum angulum efficiat cum jecoraria, annorum denumerandorum rationem inchoandam putamus.

Quod verò ad ipsam divisionem attinet variæ circa eam proponuntur opiniones, cum alii lineam illam in 70. partes, alii in 60. alii in decem, & deinde illas iterum in alias decem dividere soleant. Nos verò mundum ejusque divisiones imitando hunc arcum vitalem in partes 90. dividere velimus, cum quarta Zodiaci pars (qui ab animali sua dispositione *Zoon* dicitur) in totidem gradus ab Astronomis dividatur: Unde dicimus, quod, si manus optimè disponatur, tunc ejus linea vitalis, si in incurvationibus impediatur, respondeat quartæ circuli portioni. Hinc igitur etiam observare possumus, quod quanto magis hæc lineæ proportio distiterit à tali arcu circuli, tanto brevior possessori vitam polliceatur, nisi curva & flexuosa ejus dispositio impediatur, quæ suam quoque propriam & distinctam habet significationem, ut in sequentibus explicatur.

Ex-

Experimentum est tale.

Sed quoniam vitæ humanæ ut plurimum non est tanta duratio, vel lineæ hujusmodi rarissime inveniuntur tantæ perfectionis, & tam exactæ mensuræ, solemus arcum istius lineæ in 70. partes ut plurimum dividere, si sit satis longa: si breviter & minus proportionata, in pauciores.

P R A X I S.


Hujus rei praxis & experimentum est hujusmodi: Si linea interfecans, futuram gravem infirmitatem præfagiens, vel fossa mortem subitanam indicans, vel puncta periculum magnum prænunciantia, vel character unicus aut duo Solis, uni vel ambobus oculis damnum minantes, vel disruptio & discontinuatio periculum vitæ denotans, observetur in aliqua prædictarum divisionum, tum prædicere potes, rem illam nato eventuram circa illud ætatis tempus, quod divisio ista significare & denotare videtur, videlicet, si inter 30. & 40. vel 20. & 30. vel 40. & 50. &c. Porro etiam de anno judicare possumus, si lineam illam in partes distinctas & particulares distribuerimus.

C A P. II.

De linea hepatica, sive jecoraria, sive media naturali.

HÆc linea incipit à radice lineæ vitæ & palmæ medietatem, versus montem Lunæ progrediendo, dividit.


Recta & indistineta, nec capillamentis transversaliter divisa aut scissa, valetudinem optimam, jecur sanum, ingenium vivax, memoriam bonam, justitiam, & bonam conscientiam.




Longa & ad Luna tuber usque porrecta, animum audacem & vitæ longitudinem; & quantò longior, tantò vitam longiorem.

Brevis, choleram malignam & avaritiam.


Conjuncta cum vitali, bonam complexionem & hominem liberum ac ingeniosum in judicio; Sed nota quòd sit recta à suo loco.



Non conjuncta cum vitali, cerebrum leve, phantasticum, furiosum, & qui suam opinionem sequetur negligens aliorum consilia. ut.




Projiciens ramos in vitalem, idem quòd non conjuncta, sed cum diminutione facti, ut.




Projiciens


*Projiciens ramos intersectos. ita videlicet ut rami ab ea versus vitalem
progreddentes aliis quibusdam lineis intersectentur, phantasticum
& iracundum.*




Intersecta multis lineis, vitam brevem.



*Habens ramos vergentes versus vitalem profundos cum punctis vel
parvulis fossis, magnum damnum & exilium.*




*Descendens versus percussorem manus pauperiem & miseram
mortem, ac sæpissimè submersionem in aqua.*




*Linea jecoraria
seu media
naturalis in-
dicat, si sit*

*Vergens versus pollicem, infortunium.
Vergens versus mensalem, hominem inconsideratum.
Habens in se puncta, damnum oculorum.*



Non vergens versus quadrangulum per inclinationem, timidum, suspicacem & hominem perverſæ naturæ.


Retracta versus vitalem, idem indicat quod præcedens.



Brevis & delicata, hoc est, non ampla, sed tenuis, debile jecur & cerebrum, ac ascendentes à stomacho in caput vapores, malam animam & infidelem.

Disjuncta cum vitali, invidum & instabilem.

Divagans in forma hemicycli præter ac circa Lune montem, quanto productior erit, tanto vitam longiorem, sed in senecta egestatem.



Ex altera parte recurvata, si tangat lineam mensalem, invidiam, damnum, & adversam fortunam.


Tortuosa, non sibi constans, sed inæqualis, ac diversi coloris, pravitatem ingenii & animi avaritiam, & furtum aliquando etiam, malam hepatis dispositionem, morbosque ex hepatis debilitate oriundos.



Lata & grossa cum quadam rubedine permixta, ruditatem ingenii & prudentiæ inopiam.

Nec angusta nimis nec admodum larga, & bene colorata, lætum, hilarum ac fortem.


Continuata duris nodis in hac forma o. tot homicidia vel jam admittenda, quot ibi fuerint nodi.



Curva & concazum manus non pertransiens, morbos & vitæ brevitate.

Dissecta in fine per interventem lineam, egestatem in senio.


Satis alta atque elevata super cardiacam, cordis intemperiem, ut palpitationem, syncopen, &c.



Sorore stipata, hæreditates.


In medio notata hoc signo †. mortem vicinam.

Desinens in furcam bifidam versus percussorem manus, pessimam dispositionem & hypocrisin.




Faciens fissuram notabilem per cardiacam ad montem Veneris & Martis sororem, damnum à furibus, & insidias ab inimicis.

Radios à Marte exurgentes patiens, vehementem hepatis fervorem.



Ostendens hiatus, mutationem generis vitæ in ea ætate, quæ significatur per infra descriptam demonstrationem.

Furcata versus vitalem, naturam malignam & nimium calorem.



Demonstratio temporis, in quo predicta per lineam naturalem demonstrata sunt eventura.

Dividatur linea naturalis in tot partes, in quot vitalis fuit distributa, incipiendo hanc numerationem à monte Indicis, & progrediendo versus auricularem hoc modo.

10 | 20 | 40 | 50 | 60 | 70 |

Si ergo signum cadat sub annulari, significabit rem futuram in aetate declinante; si sub medio seu medico, in virili; si sub indice, in pueritia; si sub auriculari, in ultima senectute.

C A P. III.

De linea Cephalica & ejus signis.


Hæc linea transit suo motu à Cardiaca & tangit Hepaticam, hoc modo.



Juncta cum vitali & non cum naturali, indigestionem.

Pura, clara, & non unita ad unam vel alteram lineam modo dictam, debilitatem cerebri.

Furcata versus vitalem, naturam malignam & nimium calorem.



Linea Cephalica indicat, si sit


*Projiciens in montem Lunæ rimulas inæquales & compositas, in viro debilitatem, & periculum in navigando; in fœmina verò multos animi dolores, atque in partu labores. Atqui projiciens lineas æquales, in viro bonam cerebri constitutionem, & fœlices navigationes; in fœmina hilaritatem ac partus fœlicitatem. Habens fissuram vel stellulam * sursum in area cava Martis, animum & audacem; sin deorsum, furta & mandacia.*



Conjun-

Conjuncta notabili concursu restricta, prudentem & lætam senectam.

Deducta superius versus locum fortune in furcam, versutiam & astutiam in gerendis rebus bonis vel malis. Etsi in illa furca sit tale signum ꝑ. divitias & honores, quos per astutiam & ingenium suum acquireret.




C A P. IV.

De linea Mensali seu Thoracis.

HÆc lineadicitur etiam *Fortuna*: ortumque habet sub monte seu radice minimi digiti, & versus indicem porrigitur: *Mensalis* dicitur, quoniam mensa seu quadrangulus manus ab ea constituitur: Unde etiam *quadrangularis* dicitur, eò quod hæc cum linea media naturali quadrangulum penè perficit.

In proprio & destinato loco, bonitatem & procreationem infantum, & in fœminis liberorum pariendorum aptitudinem. Extra suum locum, contrarium.

Formata è pluribus lineis, versus quadrangulum, naturam malignam ex nimio calore.



Ramosa versus angulum supremum, malum propter linguam à parafitis.


Conjuncta cum vitali, capitis sectionem ab inimicis.



Finita in medio montis Saturni, & grossa in fine sine ramis, ictum in capite, & mortem ex eo.


Tortuosa, hominem iniquum.

Subtilis, lepram.



Projiciens ramum, aut intrans versus medium & indicem, adjumentum fortunæ & deceptionem à suis.

Projiciens ramum inter indicem & medium, viro vulnus capitis, fœminæ periculum in partu.



Linea mensalis
indicat, si
sic


Projiciens ramum inter duos digitos. & alterum ad montem Saturni, abundantiam, divitias, & bonam fortunam per fœminam.

Finita versus medium indicis, hominem iracundum & contentioni deditum.

Non se inclinans ad aliquem locum, nec exiens de suo loco, luxuriosum.

Habens fossam, amorem erga religiosam & doctorum hominum ordinem.

Bifurcata versus indicem, vitam laboriosam.




Longa satis, & sine intersectionibus aequalis alta & recta, bonam naturæ qualitatem, debitum membrorum in homine principalium robur, modestiam, temperamentum, constantiam in bonis operibus.

Brevis curta, incisa & contorta ac dissecta, contrarium.

Rubicunda, alienæ felicitatis invidiam.

Extensa ultra medietatem tuberis indicis, ita ut tangat vel secet montem Jovis, crudelitatem, aut vehementem iracundiam.


(tuber) 2f



Habens ramos rectos tendentes ad montem Jovis, honores & magnas possessiones.


Desinens infra montem Saturni, vanum, mendacem.

Nuda sine lineis aut rimis, & se porrigens ad indicis radicem, infortunium & paupertatem.



Habens tres lineas vel in fine quosdam ramusculos, videlicet juxta montem Jovis directè respicientes angulum supremum, fortunatum, lætum, jucundum, liberalem, nobilem, modestum, æqui atque honesti cultorem, gaudentem indui bonis ac decentibus vestibus, diligentem omnes res mundas, & odorum ac saporum varietate gaudentem.


Crux parva in prædicto loco, liberalem, veritatis amatorem, benignum, affabilem, & omni quasi virtute ornatum.



Divisa ita, ut una pars respiciat lineam mediam naturalem, altera vero montem Saturni, varium vitæ periculum.

Incisa in regione media, adulatorem, bilinguem, & quem pauciamabunt.


Intersecta à linea directè à quadrangulo ad montem Saturni ascendente, atque parvam illic crucem habente, mortem coactam.



Aut omnino absens aut non apparens, malevolum, contentiosum, iracundum, suspectæ fidei, & qui in omne malum facile proclivis est.

Annexa cardiaca deficiente hepatica, capitis truncationem, aut lethale vulnus.

Lineis confusis conspicua, ægritudines sub Mercurio in prima ætate, sub Sole in virili sub Saturno in senio.



C A P. V.

De linea restricta.

Hæc linea dicitur etiam linea recepta.

Quatuor lineæ transversaliter secant brachium, & sint continua, honorem & utilitatem per mortem alterius.

Secet pollicem, hominem à suis parentibus & cognatis decipiendum.


Recta sit, manui propior, continua, bonique coloris, divitias.

Linea rest:

Intercisa sit, tortuosa nimisque pallida, corporis debilitatem, rerumque inopiam:

*Habeat in se hæc signa †. aut *, vitæ tranquillitatem in senio.*


Projiciat lineam per montem Veneris, à consanguineis vel uxoris causa aduersitates.



Linea restricta arguit, si


Media restricta projiciat lineam ad montem Lunæ, aduersitates & occultas inimicitias, & quidem si tortuosa est malum duplicat; imò verò perpetuæ seruitutis signum est.

Projiciat talem lineam claram & rectam ad Lunæ usque regionem, multa terra marique itinera.




Projiciat talem lineam ad indicis montem, extra patriam magnos honores.

Projiciat talem ad hepaticam, morum integritatem, vitæque longitudo.



Projiciat talem vel simplicem vel duplicem lineam ad Solis tuberculum insperatum bonum magnamque administrationem.

Projiciat talem ad montem Mercurii, hominem multis rebus apertum: Quòd si illa non perueniat ad montem Mercurii, sed decurtata sit & brevis, loquacem, mendacem.



Projiciat talem directo ductu ad montem Saturni ascendentem, bonam diathesin.

Tortuosa sit versus restrictam vel etiam versus hepaticam, laborem durum.



C A P. VI.


De linea prosperitatis seu via vel linea Saturni.

Quamvis hujus lineæ jam tum antea mentionem fecerimus quatenus est linea illa, quæ projicitur à restricta versus montes planetarum, & præcipuè versus tuberculum Saturni (unde & à quibusdam *linea Saturni* dicitur) attamen de ea adhuc magis particulariter agemus.

Ascendat à recepta versus manum & sit recta & continuata, ac transeat versus partem exteriorem manus, divitias & quòd è paupere futurus sit dives.

Plena sit ac integra, & ad medium digiti protensa, cogitationes profundas, & felices eventus in consiliis ac actionibus.

Ramosa sit, divitias, & ex pauperie in divitias mutationem; sed oportet ut sit illa linea interfecta.




De recepta transeat una linea continua directè ad naturalem, in prima ætate vitam communem, & in secunda meliorem.

Transeat ad radicem annularis & revertatur vel reflectat sese versus auricularem, prosperitatem & bonam fortunam.

Jungat sese ad radicem prædicti digiti, fortunam per fœminas.


Linea prosperitatis denotat, si



Procedat à recepta versus montem Saturni, infirmitatem ac dolorem nervorum.

Non continua & recta, febrem.


Non continuata seu combusta & deficiens, infortunia.



Tortuosa & duplex, morbum Neapolitanum.

Juncta cum radice medii digiti, infirmitatem & humorem melancholicum.

Recurvata in manus concavo in semicirculum versus ferientem seu per cussionem manus, cancerum.



C A P. VII.


De via Solis.

Via Solis est linea recta à tuberculo annularis deorsum in cavitatem manus deducta.

Integra, aequaliter ducta, beneq; colorata, favorem Magnatum, honoresque latos.

Dissecta atque inaequalis, contrarium, & in honoribus adipiscendis impedimenta varia, invidiamque, nec non Magnatum ac Principum odium & iracundiam.

Via Solis indicat, si sit



C A P. VIII.

De via Lactea.


Via lactea est linea (uti dictum est) quæ ad percussionem manus à restricta producitur.

Proportionata & bene continuata, fausta itinera per terram marè-que, cerebri in mulieribus fortitudinem & sanitatem, sermonis-que elegantiam.

Divisa & tortuosa, infortuniū & naturam ad mendacia promptā.

Integra & ad auricularem producta, magnam prosperitatem.

Via lactea si-
gnificat, si
lit



C A P. IX.

De cingulo Veneris.


Hoc cingulum est linea semicircularis, transiens ab interstitio indicis & medii digiti ad spatium inter annularem & auricularem, ut in plena demonstratione præcedenti declaratum est.

Intemperantiã ac libidinem tam in viris, quàm in fœminis, luxuriam, & immundos in omni genere actionum Venerearū.

Si habeat sororem, hominem imputissimum & cum bestiis aut pueris coëuntem.

Si dissecta sit in monte Saturni, turbataq;, damnum, periculum, atque infamiam ob libidines.

Cingulum Ve-
neris deno-
tat



C A P. X.

De linea mortis seu sorore vitalis sive lineâ Martis.

HÆc linea transiens per eminentem pollicis locum facit parallelas cum linea vitali.

Quæ { *Si appareat, Cardiacæ significata confirmat & auget.*
Si clara & rubicunda sit, prosperum denotat in militia successum.

C A P. XI.

De Triangulo.

Quantò est concinnior, tantò temperamentum & ingenium est foelicuis. Hoc est, quantò magis ex lateribus æqualibus conflatur, &c. denotat fidelem, longam vitam, amabilem & maximè si omnes ejus lineæ sint bene coloratæ.

Obtusus rusticam arguit naturam, & rudem, atque agrestem dispositionem.



Interruptus aut deficiens in aliqua vel pluribus partibus, stultitiam arguit, prodigalitatem, mendacem & vitæ brevitatem.

Habens angulum superiorem rectum nec acutum nimis, significat optimum cordis temperamentum: Si acutum & è regione medii tangentem vitalem, avaritiam & miseriam indicat.




Lineam projiciens in montem Luna rimulâsque inæquales & incompuestas, in viro arguit cerebri debilitatem, & periculum in navigando, in fœmina multos animi dolores, itidemque dolores in partu.

Triangulus

{ *Longus versus partem superiorem circa finem, hoc est, circa vitalem lineam transiens per montem Luna versus basin, significat mortem in aqua & submerfionem.*




Crucem in se habens tendentem versus vitalem in Triangulo respicientem directe digitum Saturni, infortunatum arguit: Tempus etiam cognoscendum & considerandum erit hac via: Si adsit foror linea vitalis, aut linea vita transeat de restricta versus cavum manus, infortunatus erit usque ad 35. annum; & deinde dives fiet, nisi divitiarum significatores reddant eum perpetuò pauperem & infortunatum. Nota igitur, quòd divitiarum significatores sint, foror vitalis, & mons Jovis elevatus. Si in spatio inter lineas triangulares habeat planitiem, bonam complexionem arguit, & maximè si bene coloretur: Sin malum colorem habeat, denotat frigiditatem & diminutionem caloris naturalis.



Habens lineam superiorem versus mensalem longiorem ceteris, versus pollicem vel indicem, furtum ostendit: curtiorem autem, fidelem, maximè si aequè jungatur cum linea dextra, sin grossiorem, denotat iracundum.

Amplus & patens animum liberalem denotat & magnificum atque audacem; Angustus contrarium.



C A P. XII.

De quadrangulo seu mensa manus.

Illud interstitium, quod quadrangulum appellamus, situm est inter lineam mensalem & mediam naturalem.

Incisuras & rimas habens coloris vivi ac lucidi vitæ æquitatem & bonam temperiem, arguit; sin contra, naturam iniquam & minimè bonam.

Amplus & latus decentique figura, liberalem, magnanimum, longævum.

Angustus & exiguus exilem fortunam, avaritiam & tenacitatem cum timiditate.

Quadrangulus

Crucem in se habens significat bonam fortunam & incrementum bonorum ex propria industria cum labore: atque etiam hoc signum II.

Cruces duas continens arguit præsumptionem, actalem, qui præsumit nimium de se ipso.

Habens supra crucem \dagger . talem figuram \dagger . arguit hominem aliquid occultè machinantem.



Talem comprehendens figuram \odot . denotat malum oculorum.

Tale in se signaculum possidens U . solet sæpissimè proprii sanguinis homicidium arguere.

C A P. XIII.

De monte Jovis.

Elevatus, & radiis dissectis destitutus arguit hominem divitem.

Habens crucem in medio aut stellam bene formatam denotat divitias & honorem.

Duas vel tres lineas habens valdè apparentes significat fortunam cum Prælato, vel Episcopo, vel Cardinale aut consimili.


Mons Jovis



Habens crucem male apparentem denotat impedimentum fortunæ.

Nullas habens lineas, & ipsemet apparens optimè significat fortunam & divitias.

Habens lineas vergentes versus medietatem sui & versus radicem indicis bifurcatas significat teores quartanas.




C A P. XIV.

De monte Saturni.

Sine lineis & bene coloratus denotat hominem simplicem & boni animi: Contrario verò modo se habens significat contrarium.

Multas habens super se lineas carcerem indicat.

Habens lineam concavam intrantem in radicem denotat mortem in carcere.




Habens

Habens lineam subtilem & malè apparentem, significat hominem vilem & pigrum.


Habens illam lineam valdè profundam in radice digiti Saturni, ostendit tormenta, carcèrem, & præcipuè, quando illa est grossa in fine.

Mons Saturni



Elevatus sine lineis & radiis arguit hominem felicem in mobilibus, & in terra, ac in domo: At, si sit depressus & male apprensus, declarat bonorum defectum & iracundiam, ac præcipuè, quando sunt in illo lineæ malè apparentes.

Habens ad se à linea mensali transeuntem ramum, significat fortunam in bonis mobilibus: Sed tamen denotat, hujusmodi hominem esse subiectum inimicis suis: significat etiam Hypocritam, quando linea est apprensus & projiciens ramum unum ad montem Jovis, & alterum ad montem Saturni.



C A P. XV.


De monte Solis.

Elevatus sine radiis malè apparentibus arguit divitias, honorem, dignitatem, officia ex mensa Regis.

Crucem in se habens bene formatam indicat officiorū acquisitionē.

Crucem possidens male formatam & intersectam linea quadam transeunte de monte Saturni versus montem Mercurii arguit fortunam interceptam gratia paupertatis: At si linea intersectans veniat ex latere montis Mercurii versus montem Saturni tendens, ostendit impedimentum & interruptionem fortunæ ex parte lubricitatis & luxuriæ ipsius.


Mons Solis



Rectam

Rectam habens de hoc monte procedentem versus radicem, denotat hominem honorificum, honorabilem, & virtute plenum.

Lineam habens intrantem in radicem Solis, declarat compositionem operis memoriae.



C A P. XVI.


De monte Veneris.

Bene elevatus cum lineis equalibus & characteribus pulchris, arguit lætum, hilarem, luxui deditum, attamen amabilem, gratum, venustum ac libidinosum, justum & bonum, animo nobili præditum, idque si Venus satis bene disponatur in manu: Et tunc erit corpore candidus, capillos habebit crispes & spissos, animaque ejus ad Musicam inclinabit: Sin contrario modo se habeat, & Venus malè in manu disponatur, denotat jactabundum & incontinentem.

Habens crucem prope primam pollicis juncturam, indicat adulterium aut infelicitatem in matrimonio.

Planè vacuus, & incisionibus destitutus, denotat effœminatum, rudem, tristem, & ad gaudia ac jocosa ineptum.

Mons Veneris



C A P. XVII.

De monte Mercurii.

Moderatè elevatus arguit eloquentem, & gratiam in sermone: sed depressus significat contrarium.

Non intè sectus indicat hominem castum & continentem.

y Habens

Habens subtilem lineam inter mensalem & radicem hujus digiti extensam, denotat in viro avaritiam, in foemina castitatem: sed si magna sit & tortuosa, contrarium arguit castitati.



Lineas aequales in se habens significat luxuriam & avaritiam simul. Lineas rectas & apparentes in se habens significat habere amorem inter nobiles: sin tortuosas, denotat amorē erga homines viles.


Mons Mercurii



Habens in se unam lineam magis apparentem, & manifestiorem alia seorsim per se posita, arguit eum plus amare unum quam alium: Atque hoc intelligitur, quando rectae sunt & non tortuosae.



|||




C - A - P. XVIII.

De monte Luna.


Sincerimis & rugositate indicat itinera felicia per mare, & tollit omne periculum marinum.


Habens lineas procedentes de parte inferiori hujus montis, ac intrantes intra ipsum montem, denotat tot invidos & inimicos, quot ibi sunt lineae tales: Et notandum est, quod inimici sint aut parvi aut magni, secundum magnitudinem aut parvitatem linearum; atque etiam secundum quantitatem linearum discretā.

Mons Luna



Habens

Habens unam lineam cum alia hujusmodi angulum facientem  punctimq; versus ipsum Luna montem vergentem, ostendit, quòd inimici sint æquales cum illo, qui tales habet lineas.

Habens in se lineas hoc modo formatas  significat submersio-
nem in aqua: Oportet etiam respi- cere vitalem lineam
pro tempore, quo hæc accidere de bet.

C A P. XIX.

De signis in digitis repertis ex tabulis chiromanticis.

- Inter unguem ac juncturam lineæ claræ & longæ divitias arguunt.
Ab ejus supremo articulo lineæ decurrens ad cardiacam, denotat vio-
lentam mortem vel periculum ab uxore.*
- Pollice** *Lineæ passim in imo ejus articulo sparse indicant res litigiosas.
Linea eum circumdans per mediam juncturam minatur suspen-
dium & præfocationem.
Æquales sulci sub infimo ejus articulo deducti, indicant divitias &
opulentiam in possessionibus.
Complures lineæ transversim in extremo articulo procedentes polli-
centur hæreditates.
Linea in medio articulo currentes invidiam hominis & malevo-
lentiam arguunt.*
- Indice** *Linea rectæ inter juncturas denotant in viro linguæ virulentiam,
in foemina prolis multitudinem.
Linea rectæ in primo articulo propè montem Jovis indicant natu-
ram Jovialem.
Stella * in eodem loco apparens declarat in manu mulieris, eam
esse impudicam & lascivam.*
- In digi-
torum** *Craticula in juncturis arguunt ingenium infelix planeque me-
lancholicum.
Lineæ æquales, denotant fortunam in venis metallicis.
Stella * ibidem reperta, minatur mortem violentam ex sub-
merione aut veneficiis, aut istiusmodi aliis.
Linea grossa à radice sursum per totum digitum ad finem juncturae ulti-
ma decurrens, indicat stultitiam & mentem insanam.
Linea à radice oriens rectoq; tramite per juncturas pergens, arguit fa-
mam splendidissimam.*
- Annu-
lari** *Lineæ æquales in prima junctura pollicentur honores ac divitias.
Lineæ transversæ minantur Principum inimicitias, si tamen in-
tersecantur bonum est, quoniam effectus impedimenta
indicant.*
- Auri-
culari** *Stella * in prima junctura versus tuberculum denotat ingenium
& facundiam.
Signa obfusa in secunda junctura arguunt furem & fallacem.
Linea diversæ in extremo articulo significant incontinentiam
diurnam.
Brevitas tanta, ut sua summitate non attingat ultimam juncturam
medii, indicat uxorem per omnia imperiosam.
Ex lineis in monte Mercurii ad manus extremitatem positis solemus
notare conjugum numerum.*



TRACTATUS PRIMI,
SECTIONIS II,
PORTIONIS VI.
LIBER III.

De secretis quibusdam particularibus
in manu observatis.

C A P. I.

*De characteribus seu signis Planetas faustos vel infelices in manibus
indicantibus.*

Dicuntur signa Planetarum, quæ in monte vel loco illius Planetæ, cui assignantur inveniuntur : Et si lineæ sunt æquales, vel characteres pulchri cernuntur, Planetam fœlicem denotant; Sin lineæ sint turbata & inconsuetæ, de decorantur, ut in distinctione sequenti latius declaratur.

Signa Planetas	}	Faustos significancia.	}	Cruce, ut. †.
		Infelices arguuntia.	}	Stella, ut. ✱.
Linea parallela tres vel plures, ut III.				
Scala, ut. ≡.				
Ramusculus, ut F F.				
Quadratum, ut □.				
Character Jovis, ut. ♃.				
Semicirculus murilus, ut. C.				
Craticula, ut. ≡.				
Character Saturni, ut ♄.				
Capillamenta, ut s s s s.				

Si igitur Venus bonasit & fœlix, lætos arguit, hilares, luxui deditos, amabiles &c. Sin infausta incontinentiam, jactantiam: quod si crux sit prope pollicis juncturam, notat adulterium.

Mars fœliciter positus facit audaces, animosos, & belli peritos, Infelicitè autè positus, litigiosos, violentos, deceptores, iracundos, intolerabiles, latrones, sanguinolentos, &c.

Jupiter fœlix nobiles arguit, gloriosos, religiosos, probos, mundos, justos, formosos, lætos: Infelix vero hominè de fortunio in infortunio dejicit. Craticula in ejus monte minatur damnum à mulierib. potentioribus: Linea transversaliter montem Jovis scindens, & ad Saturni montem abjens, ibique capillamenta faciens, denota
apople-

apoplexia m. Item *Jupiter infelix* denotat passiones cordis, spasmus, peripneumoniam & vitia alia ex ventositate: *Signa* hac \oplus vel \ast . clara ac rubicunda in monte ejus, denotant honores splendidos divitiasque à publicis Principibus.

Saturnus felix indicat foelicem in agricultura ac rebus metallicis è terra sumptis, providos taciturnos, & profundi consilii, &c. *Infustus* verò arguit tristes, laboriosos, sordidos, viles, abjectos, avaros, infideles, mendaces, malitiosos, carceres, casum ab alto, vitæ periculum in aquis: Et ex morbis catharrhos, phthisin, melancholiam, hypochondriacam passionem, hydropem, podagram, morbum caducum, &c. *Sol felix* facit homines fide plenos, ingeniosos, honoratos, elatos, sapientes, humanos, religiosos, omnia honestè gerentes. *Infelix* verò superbos, elatissimos, ambitiosos, iniquis rationibus ad honores aspirantes, jactabundos, immodestos: Et ex morbis, fluxum ad oculos, cordis tremorem, & sincopen.


Luna felix denotat homines honestos, splendidos, honoratos, magnos, placidos, libenter peregrinantes, & ad aquas ambulantes. *Infusta* verò, vitam & valetudinem valdè inconstantē, dolores & anxietates: Ac inter morbos paralytin, epilepsiam, cancrum, colicam passionem, & quæcunque ex frigoris ac humiditatis abundantia promanant. Et *notandum est*, quòd, si lineæ in Lunæ tuberculo repertæ sint valdè pallidæ, mala omnia augeant.

Mercurius felix arguit homines ingeniosos, sciendi cupidos, secretis quoque investigandis aptos & ad artes quaslibet idoneos, Poëtas facundos, Mathematicos, Mercatores: *Infustus* verò mendaces, leves, garrulos, fures deceptores, instabiles, infideles, proditores; Et ex morbis maniam, furorem, febres acutas pro reliquorum consensu.


C A P. II.

De nonnullis secretis magis universaliter per manus aream consideratis, quæ nonnulli verè sunt experti.


L Inca una de monte manus procedens versus mensalem significat inimicum de suo proprio sanguine.




Ramus transiens de linea mensali ad naturalem significat garrulum & talem, qui pro lingua sua passurus est periculum mortis.



Semicirculus in fine quadranguli versus montem Jovis significat casum ab alto.




Crux talis ✚ parum infra naturalem versus montem Jovis significat beneficium seu dignitatem.



Si in percussione manus reperiatur tale signum ◁ mortales inimicos ostendit & tale ∟ arguet, quod præcipitio interibit.

Si in manu juxta lineam vita prope receptam reperiatur tale signum ∟ arguet patricidam vel sacrilegum; At si in muliere denotabit meretricem nequissimam.

Dua linea æquales & parallela de mensali ad naturalem porrecta denotant hominem justum, hoc modo;



Linea mensalis juncta cum naturali non projiciens ramum aliquem versus vitalem, denotat mortem violentam & subitanam.



C A P. III.

De demonstrationibus signorum ex manu sinistra seu fœmina secundum Salomonis doctrinam

Sunt insuper & alia quedam signa diligenter ab Artista observanda, quæ omnia hinc manu, tam sinistra seu muliebri, quàm dextra seu virili expressimus.

- q. *Hæc linea apparens signum est mortis in puerperio: Et si super digitum medium porrigitur, aliâque super indicem signum est subitanæ mortis.*
- r. *Hæc significant mulierem esse liberam ab omnibus erroribus.*
- s. *Si ex hac parte plures sint lineæ, plures habebit filios quàm filias.*
- t. *est signum filiorum.*
- u. *est signum filiarum.*
- w. *Hæc lineæ meretrices significant.*
- x. *Quot lineæ tales post primam habet, tot viris desponsabitur, si majores fuerint secundæ, quàm prima, nobiliores erunt mariti, quàm ipsa sponsa: Ex alia parte, è contrâ.*
- y. *Hæc lineæ significant meretrices.*
- z. *Hæc lineæ, si fuerit lata, significat inuolatam.*
- A. *est signum clementiæ.*

De aliis secretis mulierum.

Si in triangulo quasi foramen apparuerit, & tale signum erectum cum rubedine V. tunc mulier illa filio gravida est.

Si linea vitæ inter pollicem & indicem tumescat, arguit suffocationem partis vel interitum infantis ostendit; Et si diversis fuerit tincta coloribus, tunc significat, eam cum pluribus viris illicitam consuetudinem habuisse seu fornicatam esse.

Si lineæ hepatis & stomachi versus brachium fuerint bifurcata, malam mortem significant in muliere, in homine furtum aliquod incertum.

Si vis cognoscere virginitatem, inspice manum mulieris dum adhuc est jejuno stomacho; Et si habuerit lineas graciles ac pallidas, virgo est: sin latas & rubeas fractas, infallibiliter est corrupta.


Sunt & aliæ lineæ in mulieribus secreta earum indicantes, quas hoc modo inueniemus: Inspice Triangulum, & si in eo fuerint multa quasi foramina & rubedo mixta, indicabunt prægnantem: Et si in medio talis figura VI apparuerit, ex adulterio concepit.

In eodem Triangulo in parte inferiori, si planus fuerit angulus & rubeus, masculo gravidam indicat.

Si figuram quasi Y inueneris, masculû denotat: Cæterum si se inclinaverit ad angulum, & quoties ibi tales figuræ reperientur, filiabusque absque dubio gravidam judicabis; Idem de filiis, si eadem sint erecta.

C A P. IV.

De demonstratione signorum in manu viri seu dextra.



- a. Hæc ✚ fidem ponit, & cum fide recedit.
- b. Hæc ✚ dignitatem baculi significat.
- c. Hæc ✚ vitam removet, & quanto magis sese extendit, tanto citius mors aderit.
- d. Hæc lineæ significant votum incompletum, si crux fiat completum.
- e. Hæc lineæ sunt signum voti completi.
- f.g. Si in medio trianguli naturalis unum punctum appareat, unus oculus amittetur, si duo, perdentur ambo.
- h. Hæc lineæ sunt signa voti completi.
- i. Hæc sunt lineæ nuptiarum: Quot verò tales aderint post primam, tot uxores ducentur; & quò longiores eò meliores.
- l. Hæc lineæ signa sunt vulnerum corporis infra genua, magna futurorum, parva præteritorum.
- m. Hæc lineæ subintrans auricularem, significat mutationem vitæ.

z

n. Hæ

- n. *Hæ lineæ sunt signa vulnerum in femore, magnæ futurorum, parvæ præteritorum.*
- o. *Talis lineæ si fuerit extensa inter digitos significat audacem.*
- p. *Hæc lineæ lata, non longa, inter digitos extensa, est nota temeritatis.*
- q. *Hæc sunt signa vulnerum, grossa futurorum & subtilia præteritorum.*
- r. *Hæc lineæ inter digitos istos, si extendatur, est signum mortis ex vulnere: Sed si supra medium digitum extendatur, & alia supra indicem, signum est mortis subitanæ.*
- s. *Hæc lineæ, si ad aliam alligetur, denotat eo anno infirmitatem.*
- t. *Hæ lineæ arguunt vulnera capitis, si magnæ sint, futura. si graciles, præterita.*
- u. *Hæ arguunt divitias in senectute.*
- x. *Hæ lineæ pollicentur divitias in medio ævo.*
- y. *Hæ significant divitias in juventute.*
- z. *Hæc lineæ non longa sed lata, ad digitum extensa audaciam significat.*
7. *Hæ lineæ sunt signa fidelitatis & infidelitatis, quæ, si fuerint infidelitatis, suspensionem significant.*
- Б. *Hæc lineæ, si per medium trianguli extendatur, est signum naufragii. Sed intelligendum est, hæc omnia quidem esse, quo ad fatum, indicia vera, sed tamen adversus divina mentis humanæ decreta nullam firmitatem aut robur obtinere.*

T R A.






TRACTATUS PRIMI.
SECTIONIS II.

P O R T I O VII.

De speculativa Pyramidum Meta-
physicæ, & physicæ Scientia.





TRACTATUS PRIMI.

SECTIONIS II.

P O R T I O VII.


De speculativa pyramidum metaphy- sicae & physicae Scientia.

C A P. I.

De pyramide metaphysica seu formali per se sumpta.



Quoniam maxima Philosophiæ nostræ, tam Macrocosmicæ, quam Microcosmicæ perspicuitas in duplicis pyramidis, *formalis* nimirum & *materialis*, explicatione consistit, idcirco haud inuisum, aut frivolum fore existimavimus, luculenter de ipsis agere, ut scilicet iis rectè atque sufficienter intellectis, Lector ad convenientem demonstrationem, tam in tractatu nostro Macrocosmico, quam Microcosmico delineatarum significationem absque ullo conceptus sui impedimento perveniat. Et quamvis verbum unum atque alterum de pyramide physica *in libro de Macrocosmo* succinctè fecimus, attamen, quia rationes nostræ, tibi propositæ, non ita facilè forsitan quorundam ingeniis, captu non adeò profundis, imprimuntur, ideò ampliorem illarum relationem, hoc loco instituemus, quò, quæ dicta sunt, tam in Macrocosmico, quam Microcosmico discutià, faciùs apprehendant. Sciendum igitur in primis est, quòd alia sit *pyramis Mathematica*, atque alia *Metaphysica & Physica*, quæ sunt ejusdem naturæ: Nam *corpus mathematicum* pyramidale angulum facit in suo cono, & è converso basis ejus superficie aut rotunda aut octogonea, heptagonea, hexagonea, pentagonea, tetragonea aut trigonea adornatur: *Verbi gratiâ.*





Atverò *pyramide metaphysica & physica* basis & conus dimensione haud differunt, sed raritate potius & spissitudine, vel subtilitate & densitate ab invicem distinguuntur, aut etiam, si quæ tandem est in pyramidum illarum basi & cono differentia, sit ea quidem consideratione universæ pyramidis, & non partis, & sic basis pyramidis formalis latior est, quàm ejus conus, quatenus circumferen-

tia cœli latior atque infinitis gradibus amplior est,quàm centrum seu terra,ut infrà copiosius referemus. Dicimus ergo,quòd pyramis formalis nihil aliud sit,quàm effluxus seu emanatio lucis sive fulgoris,à fulgido Dei solio,sive rutilo essentia super substantialis mundo,deorsum tendens in mundum substantialem: Quam quidem lucis effluentiam ideò pyramidem nuncupavimus, utpote cujus basis in loco superiori invenitur,ejus verò conus deorsum ad terram usque profilire videtur,quoniam ejus multitudo in formalitate est in summitate juxta fontem suum lucidum,ejus verò unitas (corporali modo loquendo) in terra reperitur,ubi est maximus lucis defectus. Nam reverà, spiritualiter loquendo, formæ plenitudo est vera unitas materia,uti ejus defectus est materia multitudo: Unde dicimus,quòd à multitudine recedere ad unitatem,est ab unitate formæ ad ejus multitudinem ascendere,hoc est,à materia crassitudine,videlicet à terra,ad conum tenuitatis ejus,hoc est,ad thronum Dei. *Demonstratio igitur pyramidis formalis sit hujusmodi:* Quando accedimus ad ignem magnum,maximam percipimus in eo calefaciendi virtutem atque efficaciam: At verò pedentem & gradatim ab eo recedentes observamus,eum subinde minùs minùsque calefacere,atque ita semper successivè de potentia & actu suo aliquid amittere & perdere. Unde patet,quòd ejus vis eò magis decrescat,quò magis à suo fonte in aëris frigidi undas retrogreditur.




Sic itaque res etiam sese habet in *pyramide formali*: Nam quò magis acceditur ad ejus fontem & originem,eò magis informare,illuminare,subtiliare,purificare & beare cognoscitur,modo quidem non multum dissimili ab eo,quem in annuo Solis motu experimur: Nam quò longius aut remotius Sol à nostra Britannia,aut à Tropico Cancrici recedit,eò magis nos caloris defectum luminisque & diei decrementum pati animadvertimus,adeò ut si Sol extingueretur,tolleretur,aut in regionibus tenebrarum & oblivionibus cohiberetur,nihil præter frigus nobis ad futurum credamus: At verò,Sole à Capricorni regione ad nos redeunte, magis magisque nobis subinde luminis & caloris effectum appropinquare observamus: His ergo docemur, quid sit pyramis formalis seu *Metaphysica*, videlicet,quòd sit nihil aliud,quàm formæ lucidæ multitudo,proportione progressiva transiens in unitatem,hoc modo;



Veruntamen hac demonstratione non dum explicatum est hujus pyramidis mysterium: Nam licet hęc usi sumus progressionis Geometricę formula in pyramidis nostrę delineandę ratione, aliter tamen sese res habet in pyramide lucida: Nam ejus conus reverà tam latè se expandere solet, quàm basis: Attamen ita operatur lux in aëre, ut crocus vel sanguis in aqua: Nam paucitas croci tam latè tingit aquam in vasculo contentam, quàm maxima ejus quantitas; sed non tam altè & extensè colorat exigua ejus portio, quàm major: Sic etiam res se habet in aëre: Nam minima loci caliditas tam afficit universum loci aërem, quàm major, imò quidem intensissima, sed tamen illa, remissior existens, nimirum attenuatur, atque exiguitas substantiæ ejus lucidæ dispergit sese subtiliando per universum loci medium: Sic etiam videmus, aureum nummum, minimum locum occupantem, posse reduci in folia locum amplum cooperientia, & tamè non plùs valoris in se habent folia ista, quàm aurū, ex quo fuerint per artem dilatandi in eam amplitudinem diducta. Sed ut ad priorem de croco indicationem nos restringamus, accipiamus granum croci & immittamus illud in libram aquæ, percipiemus quidem omnem illam aquam acquisivisse colorem subpallidum, & tamen debilis admodum erit color ille, quamvis universum suum medium tinxerit: Quòd si igitur iterum ei addatur granum secundum intensior erit aquæ fulgor, atque ita ad denarium, & à denario ad centenariū, ac à centenario ad millenarium progrediendo. Talis igitur erit in pyramide formalis ratio tingendi universalem spiritum mundanum. Nam, ut in descriptione trianguli inferiùs à nobis traditi, declaratur, ubi vis trianguli sive pyramidis materialis est in denario numero, ibi fortitudo pyramidis formalis est in millenario, atque ubi fortitudo pyramidis materialis seu physica est in numero millenario, ibi vis pyramidis formalis est in denario; In medietate verò ambæ conveniunt in centenario: In infima ergo mundi regione conus pyramidis formalis reperitur, ubi lucis, & quasi granorum croci portionem habemus in numero denario; ita ut numerus denarius formæ concurrat ad tingendam millenariam materiæ quantitatem, & per consequens, debilis est hic color, remissa illius croci tinctura. In media verò mundi regione multò intensior est lucis efficacia, tam ex sua multiplicatione, quàm propter spiritus subtilitatem & obedientiam: In supremo autem cœlo abundanter & exuberanter affluit lucis fulgor, adeoque admirabilis est pulchritudinis ejus species, quoniam ipsa ex substantiali unitur. His igitur diligenter consideratis, primùm pyramidis metaphysicę veram essentiam inter duos parallelos describemus, atque tum postea rationes nostras, cur lux integra formalis pyramidi comparanda sit, explicabimus. In primis igitur à mundo increato seu essentia super substantiali parallelos nostros, ad omnes mundi regiones seu cœlos penetrando continuabimus. Deinde intervallum seu intercapedinem inter illas duas lineas, secundùm mundi regionem, aut majori aut minori punctorum lucem referentium proportionem secundum majorem aut minorem virtutis ejus efficaciam complebimus, atque tum postea in pyramidis formam lineas illas parallelas seu æqualiter ab invicem distantes redigemus: Quibus bene perceptis & mente sana examinatis, spero, te (Lector trutinis justitiæ hæc conamina nostra justè ponderans) confessurum esse, nos à veritatis ratione non longè aberrasse: Parallelas autem cum suo integro contento proportionaliter sic depinximus in *figura sub num. 1.*

A. b. c. d. sunt duæ lineæ parallelogrammales pyramidem formalem & lucidam includentes; cujus regio superior est illa pars sesquialtera, in qua basis pyramidis reperitur: Unde fit ut illa pyramidis pars sit reliquis plenior, magis spissa & lucidis radiis referta, uti in pyramide corporali videmus, quod basis ejus sit cæteris partibus prominentibus crassior: In ejus verò regione media radij
flam

flammigeri tenuiores conspiciuntur superioribus, at in inferioribus densiores ac longè efficaciores reperuntur: In infima denique mundi regione magis sunt tenues atque rari, magisque parè sentiuntur horum radiorum effectus, quemadmodum in demonstratione superiori satis luculenter est demonstratum vel explicatum. Ex quibus liquet, quod ut pyramis mathematica se habet in proportione sua Geometrica, nimirum in spissitudine sua & crassitie, ita quoque ostendant sese nobis lucis actus in hoc mundo, de super respiciendo versus terram deorsum: Unde accidit, ut contractis & unitis extremitatibus linearum *b d.* fiat duorum in unum pyramidis formalis conum conversio: Quæ quidem contractio faciliè fieri potest propter paucitatem contenti formalis, in hac parallelarum parte repertam: At verò duæ supremæ linearum extremitates propter abundantiam & plenitudinem in unam haud coarctandas esse agnoscimus, quippe quarum interstitium radiis luminis divini impletur: Unde fit, ut illud sit loco basis huic pyramidi formali, cujus respectu omnes hujus pyramidis regiones, interveniente debita & proportionali compressione apparent vel videntur esse talis vigoris essentiaæ atque formæ; qualis in exemplo sequenti sub Numero 2. explicatur.




Hic ergo in parallelas pyramidem produci cernitis, in qua æqualis lucis effectus operatur: Atque ita pyramidem Metaphysicam in se sola consideratam ostendimus: ejusque concinnandi rationem depinximus, facta simul demonstratione perspicua, quod non infulsè istius pyramidis formalis fecerimus tam in Macrocosmica quam Microcosmica historiam mentionem.


C A P. II.

De pyramidis physica seu materialis per se consideratæ productione.

POSTEAquam jam de pyramidis Metaphysicæ seu formalis principiis verba nonnulla fecimus, pressè & succinctè ulterius sermonem nostrum ad pyramidem Physicam seu passivam convertemus: Velim igitur, Lector, ut in primis intelligas, quod Pyramidem formalem ideò Metaphysicam nuncupavimus, quoniam basi & fundamentum suum habet in essentia super substantiali, & est quasi radius è Deitatis throno non aliter deorsum est fulgens, quam flamma ex corpore lignorum emergens sursum tendit in forma pyramidalis, vel radii solares deorsum profiliunt, angulosque rectiores vel acutiores cum terra faciunt. Atque hæc pyramis figuram habet pedis seu cruris circini, qui ab unitate procedens, videlicet ab A. quò magis deorsum tendit, eò fit vel evadit subtilior & acutior, circumquæ tandem seu mundum ambitu suo circulari describit. Hunc circini pedem dualitati seu secundæ Trinitatis personæ seu verbo Jehovah seu filio, à patre immediatè procedenti assimilavimus in demonstrationibus nostris in fine capitis quarti, libri primi, Tractatus primi, Historie Microcosmicæ: Atque hoc est, quod Mercurius Trismegistus voluisse videtur dicendo, quòd verbum natura huic mundo estans eam fovet, &c. Demonstrationem hic iterum subjecimus.




Est igitur pyramis formalis verbi divini præsentia, cujus sapientiâ, actu, justitiâ, atque potentiâ natura humida de hylæ potentia in aquarum actum deducitur, & in figuram sphæricam redigitur: Atque hæc massa aquarum dicitur spiritus universalis, seu *Pan secundus*, hylæ filius à *Damogorgone* post liigium, hoc est, tenebrarum principem, productus; qui nihil aliud est, quam universalis natura humida per universam machinam expansa. Hæc est igitur pyramis illa spiritualis seu humida, & aqua universa, quam pyramidē physicam in multis tā Macrocosmici quàm Microcosmici nostri Tractatus locis appellavimus: Atque hæc in formam pyramidis materialis eò redigitur, quoniam superior ejus pars subtilior est propter infinitam lucis præsentiam, inferior verò crassior propter majorem vel minorem lucis absentiam. Sciendum est autem quòd ratio, cur pyramis physica seu materialis basin habet basi pyramidis formalis oppositam, talis esse videatur; videlicet, quoniam natura humida in suo ortu *natura, substantia, operatione & loco* omninò contraria est dispositioni naturæ lucidæ: Etenim utriusque *naturam* respiciendo videmus, quòd frigiditas sit naturalis comes naturæ humidæ, caliditas verò lucis focus. Deinde, quo ad *ortum* differunt, quoniam natura humida à ventre hylæ vel chaos secunda vice gravidæ producta est a potentia ad hoc aliquid. At verò natura lucida semper in actu fuit, semperque in ipsa essentia super substantiali reservata usque ad mundi creationem, in qua etiam, tanquam filius in patre, æternùm permanebit, & tamen mirum in modum semper materiæ mundanæ præsens aderit: *Substantiâ* etiam discrepant, quoniam spiritus materialis est quodammodò magis vel minùs corporea, & per consequens physica; Substantia verò lucis incorporea, & quasi natura super substantialis in se: *Operatione* etiam hæc duo omninò sunt diversa, cum lux semper agat per se; natura verò humida seu spiritualis semper patiat: *Loco* denique differunt, cum lucis fons sit à cælorum cacumine & apice, spiritus verò matrix ipsam terram constituit: Quare, sicuti natura lucida deorsum semper tendendo, à fonte lucido, subinde tenuior, parcius, & rarius invenitur, uti suprâ demonstratum est, ita è converso natura humida, à fonte seu matrice spissâ materiali profiliens atq; exurgens, inferiùs crassior, densior & corpulentior est (unde in terra ejus pyramidis basin finximus) At verò paulatim & gradatim sursum affurgendo evadit subinde gracilior & tenuior, quousq; ibi conum suæ pyramidis faciat, ubi lux habet suæ pyramidis basin. Hic ergo naturæ humidæ parallelogramma, atque pariter quoque tandem ejus pyramidem, conjungendo simul duas superiores linearum parallelarum extremitates descripsimus.



Atqui jam ambas hæc pyramides in suis positionibus per se consideratas & in se sine mixtione hoc loco exprimere necessarium existimamus, quo certior fiat conceptus lectoris in apprehendenda hujus nostræ intentionis veritate. *Vide figuram sub num.*

Sed & ulterius hoc loco secundum exactam unius pyramidis cum altera mixtionem in Macrocosmo, figuram hanc sequentem depinximus, quo facilius concipere possis rationem & proportionem, quibus hæc duæ pyramides in mundo conveniunt: Quare ante omnia pro certo hoc considerandum est, quòd, nisi pyramis formalis se permisceret per minima cum pyramide materiali seu humida natura, sequeretur repente, & in ictu quasi oculi, ut aquarum seu spiritualis naturæ facies, vultus seu effigies occultaretur, evanesceret, & ab aliquo actu existente nihil efficeretur, ac in meram hylæ potentiam rediret: Unde necesse est, ad naturæ corporeæ existentiam, ut lux seu actus misceatur cum ente in potentia; sine qua nihil, quod unquam fuit in potentia in actum deduci potuisset; *Verbi gratiâ*; Nocte obscurissima, & caligine profundissima densissimisque

misque tenebris submersa, obiecta, & velata locus aliquis illuminatae candelae seu ignis accensi flamma adeo collustratur, ut legere etiam, & alia visus objecta percipere possimus: Medium ergo istud, videlicet humida seu spiritualis natura, aut aer quem tenebrae & privationis obvelamentum seu cooperculum antea contraxit, propter lucis sive actus absentiam, jam flammæ quidem adventitiæ præsentiam lucidam atque actualem iterum formam induere percipitur, quam prius deposuerat propter formæ lucidæ defectum. Imbuitur ergo spiritus seu natura humida lucis affluentia: Et proinde earum mixtiones eo modo, quo sæpius eas in historia Macrocosmica & Microcosmica explicavimus hinc quoque annotavimus. Vide figuram sub num. 2.




C A P. III.

Luculentior adhuc explicatio, qua veræ harum pyramidum nature & proportiones, quatenus sunt per se in mundo, ostenduntur.


HAs quidem pyramides duobus pectinibus quàm aptissimè possumus comparare; quorum unius dentes deorsum tendent, alterius verò sursum respicient

cient. Pectinem ergò succumbentem ad Pyramidis physicæ naturam, relationem habere fingemus; supereminentem verò pyramidi Methaphysicæ comparare intendimus. Sic igitur situm utriusque depinximus uti patet ex sequenti figura *sub Num. 1.*

Atque secundùm hanc ipsam pectinum demonstrationem, ipsa duo hæmisphæria depinximus, videlicet superius & inferius: quorum illud respondet naturæ masculi atque dispositionem generativam & activam lucis ac cœli arguit; hoc verò naturæ fœminæ & matricis spermata lucis recipientis: Et ergò hoc hæmisphærium materiale quasi mulier hæmisphærio lucis, cujus actiones recipit atq; patitur impressiones in se semper consignatas, uti cera sigilli sculpturam retinet. Sic itaque hæc duo hæmisphæria secundùm pectinum ordinationem & loci positionem hic in *figura sub Num. 2.* delineavimus.




N^o 2.



At jam per se intelligendum est, quod hi duo pectines, sive hæc duo hemisphæria ita debeant per minima conjūgi, ut duo illa ejusdem proportionis unum idemque corpus constituent; hoc est, ut nullum sit interstitium vacuum inter dentes pectinum, sed ut vacua & inania inter unius pectinis dentes loca impleantur debita adaptatione dentium pectinis alterius: sic enim cum hemisphærium superius intret & in naturam hemisphærii illius inferioris, quod resistendi causa è terra prosilit, in unam naturam & dispositionis identitatem concident, & rem unam constituent, videlicet spiritum mundi universalem, quem *Moyfes & Petrus* aquam nuncupaverunt: Nam spiritus lucidi atque ignei præsentia, virtute verbi in spiritum tenebrosum & deformem infusi, spiritus ille, seu aqua universalis, seu natura humida generalis mundificatur atque exuit suam deformitatem, visibilis secundum partem redditur, & aquarum nomen sibi vindicat. Atque propter mixtionem unius naturæ cum altera spiritus ille idem modò dicitur corpus; modò elementum Terræ, Aquæ, Aëris, Ignis, modò Æther, modò ipsa Lux secundum majus vel minus lucis dominium in eo; ita ut, quo altius dentes pectinis seu hæmisphærii materialis penetrant & ascendunt inter dentes hemisphærii formalis, eò spissiores ac densiores inveniant acuti illi tentes ejus alteros istos dentes hemisphærii formalis. Atque eodem quoque modo sese res habet è converso cum dentibus hemisphærii formalis deorsum procedentibus vel descendentibus inter dentes hemisphærii materialis, uti in icone sequenti *sub. Num 1.* planè ac evidentè oculis objicitur.

Et quamvis hanc nostram demonstrationem grosso modo explicaverimus, ut tu, *Bone Lector*, faciliùs queas oculis atque sensu nostram intentionem percipere, videlicet, quomodo lux superior in materialem spiritum inferiorem tenebris ante creationem obrutum, penetraverit; (nam lux penetravit in tenebrosum spiritum & non spiritus in lucem, quatenus præpostero more patiens ageret in agentem, & non vice versa) attamen velim te adhuc altius considerare, quòd lucis partes in eadem proportione, quæ declarata est, inter pectinum dentes per minima cum partibus spiritus commisceantur. *Verbi gratiâ*, in demonstratione sequenti duos pectinum dentes expressimus; quorum unus erit pectinis formalis, alter materialis: Hos dentes in partes tres vel plures distinximus, quarum pars una in uno dente respondet alteri parti dentis alterius hoc modo;




- A. A. refertur luci & spiritui Empyreo, ex quo factum est illud cælum
- B. B. relationem habet ad proportionem in luce & spiritu cæli ætherei.
- C. C. denotat proportionem inter lucem & spiritum cæli elementaris.


Concipiatur igitur imaginatione, quòd dens formalis ex minio sive plumbo rubro sit factus; dens verò spiritus ex cerussa sive plumbo albo: Accipias ergo portiones duorum dentium A. A. & per minima commisceantur; Et totum illud compositum propter magnam minii, & exiguam cerussæ proportionem

vindicabit sibi adhuc nomen minii: Sic ergò in mixtione per minima lucis, videlicet trium lucis portionum, cum una parte spiritus in cœlo Emyreo, habet illud cœlum nomen lucis primo die creatæ. E converso in portionibus dentium C. C. modus quidem contrarius habetur: Nam tres cerussæ partes unica pars minii non multùm mutat; Unde cerussæ nomen ibi manet propter cerussæ prædominationem. Simili modo etiam propter paucitatem lucis in infimo cœlo parum immutatur spiritus à corporis natura, ita ut corporeus dicatur, tam in aqua, aëre, & igne, quàm in ipsa terra. Ex hisce ergò concludimus, quòd Pyramis tum Metaphysica, tum Physica ad amissim hunc in modum ad invicem commisceantur, ut ambo prædicta hemisphæria simplicia unicum hæmisphærium ex materia & forma, seu spiritu & luce creatum constituent: Atque hoc idem de tota sphaera seu orbe mundano est intelligendum.

Vide figuram Num. 2.



Nº 1.



Hic ergo est nostræ intentionis scopus, *Lector benigne*, cum pyramidis formalis aut materialis aliquam facimus mentionem; quem plene tibi cæterisque hoc loco ideò volui explicare, quoniam est præcipua doctrinæ nostræ clavis sive porta per quam in hujus Philosophiæ, imò verò in omnis veræ scientiæ naturalis aream aditus patet: At verò quoniam ad secretum mysterium compositionis cælorum pauci potuerunt, propter veræ harum pyramidum cognitionis defectum aut difficultatem, pertingere, ideò volui de illis presè & succinctè in hoc libello agere, quò hujus scientiæ cupidi queant tantò promptiori & aptiori via ad felicem desiderii & voti sui honesti finem ac metam pervenire.

F I N I S.



Errata in Tractatus de Microcosmo sectione prima irrepperant, quorum
prior numerus paginam, posterior lineam denotat.

Pag 6. lin. 4 lege, summe, æterne, 7. l. 3. lingenti, & l. 6. secreto, p. 8. l. 27. conquassasti & l. 28. fidisti, & l. 40. exercitus, p. 9. l. 3. & 4. quidem. & l. 6. periodum, & ibid. tu es, l. 28. 29. Ecquis p. 10. l. 17. gnificandi, p. 12. l. 2. plene, & l. 14. scientia, & l. 22. comparavit. & l. 24. Shamgar percussit, & l. 27. consecrandum, & l. 35. Nos, & l. 37. sublimaris, p. 14. l. 5. labia, p. 15. l. 3. alacritate, p. 16. in posterioris sectionis partitione, loco secundo, lege, *Geomantiam*, p. 17. l. 39. commo- dabo p. 18. l. 7. quàm, & l. 13. Numerorum divinatorum, & l. 27. libr. 7. p. 19 l. penult. in supersub- stant. p. 20. l. 32. generalissimo p. 21. l. 10. fabricam, & l. 15. exaltator, & l. 16. habuisse non, p. 22. l. 2. & iterum, & l. 30. melodia, p. 24. l. 13. *dele*, ut, & l. 23. radice, p. 25. l. 5. numerorum divinatorum & l. 27. dupla, p. 31. l. 15. equitat. & l. 38. reunitur, & l. 19. unumque est opifici menti, p. 33 3. u- nitates, 35. 35. hic, & l. 44. post verba; medio & fine inferre: principio scilicet, ut, à quo omnia, medio, ut, & c. 37. l. 48. sic, 39. 8. primam, 31. redeant. 40. l. 16. cognatione, 24. texunt, 26. signif- cant, 41. l. 41. indiget, 47. l. 13. Homero, 77. l. 8. expellebatur.



RERVM PRÆCIPVARVM

Quæ Tractatus hujus de MICROCOSMO sectione
prima continentur

I N D E X.

A.

Abraha atas benedicta 49
 Actiones microcosmi 199.
 Actionum anima media faustarum, infau-
 storum & mixtarum ratio 158
 Aetates hominis cur subinde breviores 233
 AEtheris suprema regio confertur Patri 37,
 media filio ib. infima spiritui 38
 Ancilla felem conculantis historia 139
 Angeli 37, primo die creati 203 (107
 Anatomia levis totius humani corporis
 Anima cæli ætherei cur irrationalis 74,
 sensitiva quid 76, humana quibus vehi-
 culis corpori jungatur 78, an corpori in-
 fundatur, & infundendo creetur 80,
 menti adhaerens passioni non subjicitur
 132, media quomodo cum Domina sua
 mente, mediante spiritu æthereo, corpo-
 ri infundatur 158, quomodo immortalis
 & quando mortalis nuncupetur. 165,
 quomodo in loco esse dicatur ib. humana
 per se unitatem amplectitur, ratione verò
 materia inclinatur ad multitudinem 170,
 media, cur vegetabilibus & plantis vi-
 tam vegetativam solummodo dederit,
 cum animalibus quibuscunque sen-
 sum cum vegetatione tribuerit 173, qua
 ratione ad inferiora alliciatur, ita ut su-
 periora negligere soleat 183, quomodo à
 sensu carnali obfuscetur, & suis obli-
 viscatur 185, qua ratione per vitia seu
 sensualia in naturam corporis transeat,
 ib. vitalis est quasi lucis cælestis scintilla
 177, proprio pabulo nutritur 180, ex cali-
 do innato & humido radicali componitur
 174, participat de natura solis 175, quo-
 modo mediante spiritu per universum
 corpus dispensetur, ibid. cur aëre recenti
 destituta profocetur 181, quomodo in vi-
 sione sua per sensus decipiatur 204, quo-
 modo in imaginatione nonnunquam fal-
 latur, patiatur ac gravari videatur 205,

quomodo spirali ascensu per viginti duos
 mundi gradus à terra ascendat ad Deum
 219, animalis cur non tam citò agat in fu-
 tu, quàm vita & motus 231, quid sit
 264, ejus potestas 265, à spiritu quomodo
 differat ibid.
 Anima ab unitatis perfectione in multitu-
 dinem immersio 45, ejusdem ab imper-
 fectione ad perfectionem regressus, ibid.
 vitalis cum spiritus sui ætherei proprietatibus
 actus in corpore humano 154, na-
 tura ac gradus diversi in corpore 167 sen-
 sitiva actus in corpore humano 182, per
 totum mundi tam majoris, quàm minoris
 systema, harmonia 261, per ejus quinq. vi-
 res quomodo ad Dei solium ascendatur 267
 Anima an pariter cum Angelis omnes ini-
 tio creata fuerint 80
 Animam quomodo definiant Cabalista 52
 Animalia immunda cur numero binario
 arcam ingredi Deus jusserit 34, præter
 hominem etiam nonnullas rationis scin-
 tillas habent 100
 Animalium corporum origo, & à minera-
 libus & vegetabilibus differentia 97
 Animarum humanarum inter se commu-
 nicatio 142, creatio 166
 Apollonius Tyanæus avium loquelam in-
 tellexit 152
 Archangeli 37
 Arithmetica radix est monas 21
 Auditus natura & effecta 191
 Author cur circa exactam animæ suæ inquisi-
 tionem versetur 64, virtute animæ suæ
 Dn. Coxii fratrem in bello periisse indicat
 146, ejus oratio gratulabunda ad Deum
 5 præfatio ad lectores 17, 64
 B.
Beatitude humanæ causa 123
 Biarmenses quomodo absentium in re-
 motissimis lacis statum explorent & nar-
 rent 146

- Binarius numerus in materia infaustus in forma beatissimis 24, formalis dicitur iustitiae peculiaris sapientiae scientiae memoria in d. ipsius hominis, in unig. amoris nodis 32 materialis est discordia, confusio, infortunio, atque immunditia 34*
- C.**
- C**aput hominis univ. quadrato exacte respondet 116, etiam figura rotunda 117
- Caro quomodo per virtutem in naturam spiritus migrare solet 185*
- Centenarii, mediae mundi fabricae referuntur 41*
- Cherubim officium 37*
- Circulus adaequationis 54*
- Caelestium corporum cum nonnullis humani corporis partibus consensus harmonicus 117*
- Caeli nomine quid Cabalisticè intelligant 55, atherei anima cur irrationalis 74*
- Caelorum divisio tripartita, quomodo suo ordine personis tribus sacrosanctae Trinitatis correspondeat 36*
- Caelum stellatum patri respondet 37, est generationis rerum origo 225.*
- Conclusio huius operis 276*
- Cordis figura pyramidalis, est anima vitalis palatium 175.*
- Corporis cuiusq. creatura origo 97, microcosmici positio recta secundum quatuor macrocosmi plagas 106, convenientia cum figura mundi 111, cum anima lucida inaequalis proportio 137, harmonia 273, vigor & fortitudo unde 167*
- Corpus microcosmi 199 quid & quomodo ab aliorum mixtorum materia differat 100*
- Cubus quomodo reperitur in sacra substantialis naturae trinitate 41.*
- D.**
- D**AEmorgonis fabula 221
- Demonnes boni vel mali quomodo assumant hominis spiritum 209, mali qua via futura denuncient ac falsis apparitionibus deludant 210.*
- Dei majestas in mundi hominisque creatione relucens 7, nomen tetragrammaton 32*
- Deitas cur secundum Mathesin numero, & quidem ternario designata sit 39.*
- Deitati cur secundum Logicos relatio attributa sit 40.*
- Denarii subtiliori mundi compositioni respondent 41. huius numeri mysteria 52*
- Deus cur numero impari dicatur gaudere 25 quomodo Chaos filias discordes concordiae pace ligaverit 63*
- Diadis, seu secundae personae proprietates & officium in mundi fabrica 30*
- Dias mystica & supersubstantialis 24 corrigitur qua per materialem inducta sunt mala 34*
- Differentiarum ratio in speciebus creatis 167*
- Digitus novem sunt numeri simplices, ideog. Trinitatis essentia maxime proprie attribuitur 41 (realis ratio 62)*
- Discordiae mundanae elementaris & corporales Dominationes 37*
- E.**
- E**Cstasis 209.
- Elementa quatuor in Microcosmo 195*
- Elementaris caeli regio suprema patri, media filio, infima spiritui sancto adsimilatur 38*
- Elementorum repurgandorum ratio in die novissimo 233*
- Ensophi quid dicatur cabalisticè 54*
- Ephialtes 209*
- Epiphania patris personae confertur 36.*
- Epiphonomia filii 37*
- Ephionia spiritus sancti 38*
- Essentia Deiformis, quomodo uniformis & triformis 24*
- F.**
- F**aciei humanae latus unicum triangulo aequilatero comprehenditur 115, facies integra ovali figura delineatur 117
- Filii aeterna generatio 24*
- G.**
- G**enerationis ratio 220. quomodo a creatione differat 225
- Geometriae radix est monas 21.*
- Gontrani Calliae Regis mirabilis historia*
- Gustus naturae & effecta 192 (146)*
- H.**
- H**armonia divina 58, ejus demonstratio quatenus in sola trinitate reponitur 59 mundana eodem modo se habet ut divina 60. quod demonstratur 61. elementaris in microcosmo & macrocosmo 118
- Harmoniae animae prima demonstratio ex duplici numero ternario 248. secunda, secundum*

- dum proportiones dimensionum geometricarum 251, tertia in numero septenario 254, quarta in numero nonario 159, microcosmica cum illa caelorum macrocosmi comparatio 109
- Hierarchia caeli Empyrei, quomodo personis Trinitatis conveniant 36
- Hominis excellentias, post lapsum deplorata conditio 77, interni seu spiritus hominis effigies 83, proportiones Geometrica, quibus mundus delineatur 102, creatio 122
- Homines virtute mentis illuminata non modo res locis diffitis actas percipere sed secretas hominum absentium susurrationes intelligere, & mira atque ineffabilia praestare possunt 151.
- Hominum in bestiarum figuras prestigiosa transformatio 209
- Homo factus est in omnibus perfectione mundo aequalis. unde Microcosmus dicitur 65. cuiuslibet lucida speciei portionem in se continet 68 unde dicatur imago Dei 71 ejus nobilitas, quam a radiis naturae alibus, tam increatis quam creatis accipit 71
- Humana rotunditatis centrum potius circa genitalia, quam in umbilico statuendum 67.
- I.
- I**gnis inferior affinitate proximus est igni caelesti 180.
- Imaginationis ortus 188
- Infortunii humani ratio 123
- Insomnium 206
- Intellectualis animae visio nunquam fallit
- Jovis sphaera ut respondeat filio 37 (212)
- L.
- L**itigii productio & depressio. 32 (nadis 21)
- Logica relatio nulla absque respectu motus
- Lucis infinita & ineffabilis proprietas 68, lucis & tenebrarum ratio in corpore humano 118
- Luna sphaera comparatur spiritui 38
- Lux per universum orbem mundanum eadem, quomodo tendat ad spirituum purificationem & elevationem 135, solummodo ad corporis elevationem, & ab impuritate expurgationem laborat 137 id duobus experimentis probatur 138
- M.
- M**arsilius puella Daemonica literarum ignara, graeca verba profatur 210
- Marsis sphaera ut filio conveniat 37.
- Melodia symphoniae: a inter animam spiritum & corpus 243.
- Mens qua harmonia mundana virtute ad corpus suum opacum alliciatur 91, id ipsum oculaveriter demonstratur 93. quomodo mysteria cuiuslibet caeli animadvertat, de natura cuiuslibet caeli participet, atque ipsorum virtutes secum in hominem mundanum introducat 92, cur in corpore opaco includatur, ejusque in humano corpore imperium 126, passioni non subjicitur 132, cur superiorem microcosmi regionem, caelum empyreum inhabitet 134. unde dicatur 266 ejus praestantia 267
- Mercurii sphaera ut spiritui conveniat 38.
- Metaphysicae res a monade mystica originem trahunt 20.
- Microcosmi partium spiritualium ad illius Macrocosmi exactissima relatio 82. externi compositio crucem Christi, vel S. Andreae refert 114, 115
- Microcosmica cuiuslibet regionis levis anatomia 107
- Microcosmus interior seu spiritualis omnes mundi ideales partes in se continet 67
- Millenarii grossorum elementorum & elementatorum constitutioni referuntur 41
- Mineralium origo & ab animalibus & vegetabilibus differentia 97.
- Monadis proprietas seu officium in mundi fabrica 29
- Monas omnium rerum. summum & unicum principium 20
- Moses ad quinquagesimam portam scientiae non pertigit 55
- Multiplicationis ratio in natura 220
- Mundi majoris & minoris numeri & consonantiae. quam relationem ad invicem habeant 84
- Musicae harmoniae origo est monas seu unisonus 21
- Musica humana convenienter refertur ad divinam 239, ejus tam ex parte animae, quam corporis proportio 275
- Nyrandulani comitis de denario formalis in Arithmetica iudicium 55.
- N.
- N**aturalis facultas in microcosmo 196
- Naturales res, quae ad duplicis hominis constitutionem requiruntur 198

*Nemosius Languidochia fons famigerabilis
sive fundo* 192

Numeri anima 86, *materiales de diadis dei-
formis proprietate orti* 32.

*Numerorum formalium tam in personis
deitatis, quam in mundo, ejusq; creaturis
luculentissima demonstratio* 45, *divino-
rum mysterium in creatione* 49

O.

Octonarius dicitur numerus justitia,
beatitudinis, salutis & consecratio-
nis 33

Offectus natura & effecta 192

Oraculum quid 206

P.

Pana quem Poeta finxerint 33

Partes microcosmi 199

Partus muliebris tempestas vera 230

*Persona qualibet sancta & individua trini-
tatis proprietatem habet distinctam in
mundi fabrica, creaturarumq; ejus pro-
ductione* 29

*Pes humanus quadrato parallelogrammo
exprimitur* 116

Phantasma 206

*Philosophorum de origine animarum sentē-
tia* 78

*Physice res monadi mystica primum locum
concedunt* 21

*Planetarum relatio ad corporis humani
membra* III, *quomodo agant ad fetus
complementum* 229

Platoniorum de anima sententia 75

Plotini de anima sensitiva judicium ibid.

*Potentia animi rationalis, irascibilis &
concupiscibilis, quomodo inter se consen-
tiant* 270

Potestates 37

Praludium totius subjecti 19

Primum mobile patri confertur 37

Principatus 37

*Principia microcosmi secundum Philosophos
298, secundum authorem* 200

*Prophetia causa est mentis ex illapsi divini
spiritus afflatu illuminatio* 147

Pyramidum mundanae compositionis ratio
253

*Pythagorae cur unitatem Apollinem seu De-
um, diadem materiam seu litem, triadem
formam seu justitiam nuncuparint* 25,
34 *unde animam componi velint* 75

Q.

Quadratum quomodo reperitur in sa-
cranature super substantialis trini-
tate 40 *septenarium* 48

*Quaternarius dicitur natura fons & nu-
merus omnem implens scientiam* 32

Quinari numeri mysteria 52, *ratio in har-
monia supercaelesti* 55

Quinquaginta porta intelligentia 54.

R.

Rabbi Rambam ait Moysen per portas in-
telligentia mysteria legis cognovisse

55.

Radiorum lucidorum species tres 69, *super-
caelestes, qui sunt actus Dei* ibid. *caelestes
seu mundani, quos natura actus appellant*
73, *elementares unde anima sensitiva* 75

Ratio humana 126 *non subjicitur fato* 128,
quenam infra, juxta, supra rationem sint
269

Rationabilitatis duplex differentia 100

S.

Salomo per legem omnia cognovit teste
Gerundenfi 55

Saturni sphaera patri respondet 37

*Scale, qua per anima vires ad Deum ascen-
ditur, delineatio* 272

*Secundo creationis die cur non fuerit di-
ctum: Vidit Deus, quod esset bonum.*

34

Sensus exteriores quinque, interiores tres 76
omnes in lapsu Eva conspirarunt 76, *cur
in facie exprimentur* 188, *cur fallantur
circa propria objecta* 190.

Sensuum doctrina in genere 185, *origo* 188

Septenarius est temporis symbolum 33, *qua
hoc numero mysteria contineantur* 46, *e-
jus mirabiles proprietates ac mutationes
in suo quadrato* 47

Seraphim officium 87

*Sexti numeri ratio in harmonia supercaele-
sti* 55

*Sol visibilis Dei filius cur dicatur à Platone
60, ejus natura ut Filio respondeat* 37,
virtus ad animalium procreationem 98.

99

Sammiorum quinque genera 206. (226

Sperma quid, & quomodo à semine differat
ejus

I N D E X.

- ejus procreandiratio ex quatuor elementis* 227, *oritur ex prestantiori membrorum corporis substantia* 228, *ejus operatio posteaquam in vulvam muliebrem immissum fuerit* 272
- Spiraculum vita non modo hominibus, sed brutis quoque datum* 166, *utriusque differentia* ib.
- Spiritus sancti à Patre & Filio emanatio* 25
- Spiritus medii libera dispositio, qua solet de uno, et alio extremo participare* 123 *per universum orbem mundanum idem est* 135, *hominis ab animalium spiritu medio quomodo differat* 167
- Stella menti & rationi humane non possunt imponere necessitatem* 128
- Symphonia mundana & materialis oritur à divina & formali* 60
- Synescius spiritum appellat centrum filii & patris medium inter radicem & germen, lucem conciliatricem* 25
- T.
- T** *Actus natura & effecta* 192
- Temperamentum microcosmi* 199
- Tempus suam originem à monade mystica habet* 21
- Ternarii numeri excellentia* 25, *cur sacer, perfectionis & potentissimus numerus dicatur* ib.
- Theologorum de origine anime sententia* 80
- Thronorum proprietates* 37
- Timæi de essentia anime sententia* 75
- Transfigurationis humanorum corporum causa, atque exempla varia tam sacra, quam profana* 14
- Triadis seu numen ternarii super substantialis ortus* 25, *ejus officium in mundi fabrica* 31, 35
- Trinitatis sacrosancta proprietatum demonstratio per oculum, Solem, nubis eruptionem* 27, *circinos* 28
- V.
- V** *Eget. bilium origo, & ab animalibus & mineralibus differentia* 97
- Vegetatio omnis fit ab hepate* 196
- Venefica in Lotharingia igni exusta* 211
- Veneris sphaera confertur spiritui* 38
- Virtus triplex microcosmi* 199
- Virtutes* 37, *anime in genere* 185
- Visionum in anima tria sunt genera* 204, *earum luculenta demonstratio* 217
- Visus natura & effecta* 190
- Umbilicum non esse centrum peripheria microcosmica* 112
- Unitas summa & mystica* 20, *ut demonstratur per unitatem in Arithmetica, per punctum in Geometria, per Nū. in physica* 23
- Unitatis proprietates universales, ejusque cum denario numero convenientia* 29, *simplicis ratio* 55
- F I N I S.

Sectionis secundæ

I N D E X.

- A** *Bdala Arabis de somniis sententia* 32
- Actionum, in quibus imagines in locis memoria exprimentur, typus* 64
- Aeromantia notatio* 46
- Afflati percipiunt, ac presagientes neque dormiunt neque vigilant* 18 (*phyrium* 18)
- Afflatus divinus duplex secundum Porphyrium*
- Afflatus Dei non cadunt in homines carnales* 6
- Albertus Magnus Magus* 21 (75)
- Alchymista & Magi arcana sua abscondunt*
- Alexander sonis in furorem excitatus* 22
- Alexandri Genius potentior Genio Darii* 97
- Allen Oxoniensis Mathematicus excellentissimus* 80 (*lens* 73)
- Alphab. necessaria in arte memoriae* 59 & f.
- Amicitia & inimicitia inter planetas* 97
- Amphiarus vatem divinare volentem à cibo & vino abstinere jubet* 41
- Angelus quid* 104
- mentis humane proprius unde* 98
- altioris originis quàm fatalium executores* 99
- Angeli apparitio realis olim miraculosa habitata* 20
- Angeli delectantur societate hominis in spiritibus usque diei attributi* 93 (*ratio* 116)
- maiores president minoribus* 108
- predominantes mansionibus Lunæ* 92
- plures presunt uni homini* 110, 111
- sanctis extrinsecus apparuerunt* 13
- septem qui adstant coram Deo* 107
- habent dominium in planetas* ibid.
- bb 3 *Speculum*

- Speculum in quo Dei gloria conspicitur* 8
Angelorum planetis & Demonibus predominantium nomina 90
Angelorum unus alteri imperat 112
numerus magnus 108
quilibet habet tempus domini super planetam proprium 109 (13)
Angelis bono & malo quilibet stipatus est
Angelum peculiarem cuique electorum datum tradunt Magi 13
Angelum proprium quilibet habet 109, 110
Anima Microcosmus internus 44
quo magis mundana speculatur eo debilius est ad attrahenda supercaelestia 7
Anima definitio secundum cabalistas 23
natura ex corporis dispositione cognoscitur 119 (cō major est eorum vis 24
radii quō magis ad centrum extrahuntur.
Anime impiorum an post mortem Demones fiant 89
Animi qualitates & impedimenta 79
Annulus sive virgula Salomonis 51
Apollo mundi mens 22
Apologia Autoris aduersus suspensiones Magie impie 98 (112.
Apuleii historia de Cupidine & Psyche
Archangeli cacodæmones pellunt 105 (104
Archangelorum officia respectu hominum
Archangelis subsunt Angeli 105
Arithmomantia notatio, & declaratio 46
Artis quadratae locus communis eiusque divisio 56 (110 54, 55
Artis rotunda locus communis & eius parti
Artificis motus imitari debet motum Solis diurnum 56
Aspectus planetarum cum Domino prima domus in Genethliologia respiciendi 78
Astrologia ars vera, sed artista spurii & inpartes 72 (certi 74
vulgaris incertitudo 73
Astrologorum diuersitas in electione Domini geniturae 73
Augurii notatio 46
Augustus à medico admonitus ne in praelium contra Antonium exiret 31
Augusti Genius potentior Genio Antonii 97
Aures quae signa praebeant natura hominis
Axinomantia notatio 46 (124
Azemen 81. B.
Bahalis propheta confusi 11 (107
Bonum omne imperium habet in malum
Brachiorum signa 132 (rem rationalem 53
Bruta in arte memoria non possunt explicare
- C. *(mano* 86
Cacodemone nihil perniciosius generi hu-
Casaris Genius potentior Genio Pompeji 97
Caligula cadaver 26
Capnomantie notatio 46 (123
Caput quomodo naturam hominis indicet
Carmina naturam nati explicantia 83
Ceremonia magorum somnatori non necessaria 34
Chareses spirituum Olympicorum 91 92
Characteres rerum inanimatarum significantes in arte memoria literas alphabeti & notas arithmeticas 61
Chiromantia quid 41
Chiromantie notatio 46
Cholera duplex 135
Cholericam complexionem arguentia 134
Christiani veri in mundo paucissimi 9
Ciceronis de diuinatione sententia 27
Cinguli Veneris significata 164
Cleromantie & Clidomantie notatio 46
Caeli aetherei sphaera novem 21
Cognitio rerum vera est à Spiritu Dei 115
Colli & gutturis signa 132
Color in homine quid denotet 121, 122
Complexiones planetarum 83
Complexionis physiognomica inventio 134
Cornelius Agrippa citatur 23
Corpus & caro obstant quō minus radii mentis ad sensus transcant 40
Corpus hum. sparsis mentis radiis minus aptum ad magna expedienda 43
Crurum coxarumq. signa 133
Cubiculum somnatoris quale esse debeat 34
Cupido cur oculis destitutus fingatur 23.
- D.
DAEMON cuiusque ab altiori principio quàm à stellis cognosci debet 116
genitura non potest cognosci ex regulis astrologicis 114.
Dæmones an plures adsint cuiq. 87
etiam imbuunt suos vaticinii dono 10
imperio humano non subiciuntur 96
Olympici imperantes signis Zodiaci 92
supremi ordinis hominib. piis inserviunt 101 & s. (10
Dagon coram arca Dei subsistere non potuit
Deus Imperatori comparatur 108
modo ut plurimum invisibili alloquitur prophetas 24 (ritatē proprii demonis 96
solus orandus ut genito concedat familiaris spiritum mendacem suis prophetis aliquando immittit 11
- varie

- variè homines alloquitur* 15
non habet membra corpora *ibid.* (nes 6
Dei afflatus non cadunt in carnales homi-
allocutione fiunt propheta 16
apparitio pro ineffabili benedictione o-
lim habita 20
Dentium signa 131
Diabolus à Deo cohibetur 11
an cuiuslibet datus 88
Spiritum fatidicum idolis infundit 14
Divinatio in Achæa fonte 14
Divinationis species ab extra 45
earum singularum notatio 46
Domus undecima figura cælestis, bonus Dæ-
Dormentium situs 34 (mon 86
E.
Eclipsis in nativitatibus angulo quid portet
Ecstasis quid 27 (dat 82
ad divinationem Geomanticam requi-
Ecstasis exempla 26 (ritur 43
in Ecstasi existentis anima sibi melius con-
stat 44 (runtur 113
Elementa ad planetarum dispositiones refe-
Elias visionem similitudinis Dei habuit 20
Eliseus harmoniã musicã ad prophetiam u-
sus est 22
indicabat regi Israelis ea quæ rex Syria in
occulto loquebatur 26
Error Porphyrii 100
quorundã in arte memoria refutatus 51
Esdras quomodo spiritu prophetico imbutus
22. & 23 qualis 97
Eteoclis & Polinicus Geniorum malitia &
Ezechiel quomodo spiritu prophetico reple-
tus 23 **F.**
Faciei signa naturã hominis declarantia
quæ 125
Firmicus Astrologus peritus 73 (clives 121
Flavus & lividus ad vitia & luxuriam pro-
Fortuna locus in genitura 73
Frustra sit per plura quod potest fieri per pau-
ciora an semper verum 53
Furor divinus Musis dedicatur 21
G.
Genarum significatio 127
Generaliologiæ definitio 72
Genius difficile per Astrologiam, facile per
vaticinium reperitur 86
an sit pars animæ & an per ejus cognitio-
nem fatum effugi possit 87
Genius nativitatibus cur à Magis quasitus 94
quomodo inveniri possit *ibid.*
quomodo familiaris & affabilis redda-
itur 95
unius Cacodæmon alterius, & contra 97
Genii appellatio 86
descensus cum anima, & officium in vi-
ta nati 87 (mo elicienda 86
dispositio, secundum Autorem, ex 12 do-
in Genii nati inquisitione discordant A-
Genii inter se pugnant 97 (strologi 85
Geniis duorum cognitio, quomodo colligen-
dum uter potentior sit 97
Geomantia vera animæ scientia 38
transit rationis vulgaris limites *ibid.*
ab effectu vera esse deprehenditur 39
ab ignavis cur absurda putetur 40
cum Astrologia conjungenda 76
de Geomantia primi scripserunt Chaldaei
Indi & Aegyptii 45
Geomantiæ effectuum rationem reddere dif-
notatio 45 (cile & cur 38 39
puncta sub se abscondunt 12. signa 7 pla-
netas & 4, elementa 40
punctorum motus non est simpliciter ac-
cidentalibus *ibid.*
Geomantica figura attribuuntur planetis 44
cōtinent naturas duodecim signorum 45
denotant 4 elementa *ibid.* (40, 41, 42
Geomanticus quomodo preparari debeat
radius animæ dispersos in se convertere
debet 42
Geomantici exteriora cogitantis incertitu-
domagna 44
Gontrani regis mirabile somnium 26, 27
Guisenses Author docuit artes mathemati-
cas 48 **H.**
Haruspicum notatio 46
Homo actiones tum humanas tum be-
luinas imitando exprimere potest 53 (88
inter spiritus bonum & malum medius
Hominis descriptio secundum Trismegistum 23
Humores naturales qualia somnia causentur
Hyantia lapis ad prophetiam confert 21 (32
Hydromantia notatio 46
I.
Jamblicus Porphyrio opponitur 18, 85, 100
Idea artis memoriae partitio 62
Idea in arte memoriae quid 50
ante portas theatri memoriae requisita 65
Idearum artis memoriae per sphaeras planeta-
rum ordo 62, 63.
Jehova vide Deus (quisita 32, 33
imaginationis apta ad somniandum requi-
Imaginum fixarum in arte memoriae expres-
sionis utilitas 65
Impostores circa artem memoriae 50 (ris 98
de Inventione Genii natalitii opinio Au-
Jovis sphaera respicit rationis discursus 22
Judicium in Physiognomia non precipitandum
Junonis palus 14 (120
Jupiter fortunatum majus 137
Jupiter

K.
 Κοσμομαγίας notatio 46
 L.
Linea vitalis in manu & ejus significata
 146, & f.
 Hepatica 152, & f.
 Cephalica 156, 157
 Mensalis 157, & f.
 Restricta, 160
 Prosperitatis 162
 Mortis 165
 Linearum manus partitio 144
 Linguae signa 131
 Locorum in arte memoriae colores 63
 Lunae sphaera respicit vegetabilia 71
 Lux prius dispersa, quarto die in Solis cen-
 trum collecta fuit 43
 M.
Magi & Alchimiistici scriptores arcana
 sua occultant 75
 Magi Norwegici 26
 Magi vaticinium furibundum in quatuor
 species dividunt 21
 Mandata Dei quid 9
 Manuum figurae superficialiæ 145
 Manuum signa 133
 Martis sphaera refertur ad affectiones & mo-
 tus animi 22
 Maternus Astrologia peritus 85
 Matrix ollæ comparatur 121
 Medicamenta conferunt memoriae laesa 50
 Medicamenta per os adhibita debiliora sunt
 ad medendum calculo vesicæ 52 (118)
 Medicus Physiognomiam ignorare non debet
 melancholicam complexionem arguentia 139
 Memoria quid & quotuplex 49
 hominis quid differat à memoria brutorum
 ib. naturalis duplici via juvatur ib. & 50
 Memoriae ars non debet fieri ex locis vacuis 53
 Memoriae ars sphaerica cum quadrata compa-
 rata 51 (Author 48)
 Memoria artem in Gallia sibi comparavit
 Memoriae locus communis realis cur esse de-
 beat 52, 56
 Menippus à tentationibus Lamiae per Apollo-
 nium liberatus 26
 Mens humanae ejusdem essentiae cum divina 39
 Mens divinum quiddam 99 (100)
 quid acceperit à Seraphim Cherubim &c.
 Mens Dominus & rex intellectus 38, 39
 Mens humana cum Spiritu divino conjun-
 cta, miracula facit 7

Mens quomodo in infimam mundi regio-
 nem descendat 113 (munito 43)
 Mentis radii assimilantur militibus in loco
 Mentis radii cur ad sensus non transeant 40
 Menti signa 127 (41)
 Mercurii sphaera respicit animalia 21
 Merlinus propheta Anglicus 9 (fectus 95)
 Michaël spirituum in Sole habitantium præ-
 Monachus per habitum, & res per effectum
 cognoscitur 39
 Montis Jovis in manu significata 197
 Saturni ibid.
 Solis 168
 Veneris 196
 Mercurii 170
 Luna ibid.
 Mors nati & ejus periculum 84
 Motus corporis quid significet 122
 Moses reliquis prophetis praefertur 12
 Mosi encomium 20 (tueri 20)
 Mosi faciem cur non potuerint Israelitæ con-
 Moli singulari modo apparuit Deus 18, 20,
 25, 30
 Musica excitat divinam harmoniam 14
 maligni Sp. furorem in Saule mitigavit 22
 N.
Natus quæ signa naturæ præbeat 126
 Natus, longus an brevis, macilentus an
 pinguis futurus sit 78, 79
 quomodo opes sit comparaturus 80
 Nati divitiæ unde præsagienda 79
 fratres 80
 Nati corporis habitus & dispositio 77
 Necromantie notatio 46
 Nemosiensis civitas antiquitatibus nobilis 48
 Nobilis familiae ejusdem in Gallia Demò 24
 Nominum propriorum in arte memoriae re-
 cordatio 68
 Nostradamus propheta Gallicus 9
 Nox optimum somniorum tempus 34
 O.
Oculorum signa 127 & f.
 Olympus & hujus incolæ ultrò homini-
 bus se offerunt 96
 Onomantie notatio 46 (stat 21)
 Operatio per magica naturalia in quo consi-
 Operationes arcana signorum & graduum
 in dispositione nati 81
 Opiniones variae de Genio nati 85
 Oracula Ethnicorum Trinitatem conspici
 sunt 11 (unit 33)
 Oratio Spiritum divinum spiritui precantis
 Oris

- Oris signa 130
 Ostus Rex Sicilia 23
 P. (52)
Palatiū in arte memoria quale esse debeat
 Parentum nati qualitas quomodo in-
 Pectoris signa 132 (stigmata 81)
 Pedum signa 133
 Phantasia ostium memoria 51
 Phantasia circa memoriam actio duplex 50
 Phlegmaticam complexionē arguentia 137
 Phylomon Physiognomia author 119
 Phylomonis iudicium, de Hypocrate 119, 120
 Physiognomia quid, quamque utilis 118
 Physiognomia notatio 46
 Pili in toto corpore quid denotent 124
 Planeta malus in bono loco bonitatem loci
 depravat 80 (habentes 80)
 Planeta precipuam vim in exercitationibus
 qui fratres quive sorores denotent? ibid.
 Planeta qui, quibus regionibus dicati 93, 94
 Planetarum complexiones 83
 Platonici tres in Deo personas agnoverunt 9
 Plumbi & ferri natura tendit ad naturam
 Porphyrii error 90 (auri 40)
 Porphyrio Iamblicus opponitur 18, 85,
 100, 110, 114 (rumq; colores 86)
 Porta theatri cuiusque in arte memoria, ea-
 Preparatio somniatori necessaria 32, 33, 34
 Preces avertunt somniorum malitiam 35
 Primum mobile hominem ad spiritualia con-
 templaanda pellit 22
 Primum mobile uno die naturali cursum
 suum perficit 54 (tum 10)
 Prometheus cruciatur ob ignem à caelo abla-
 Principia intelligenda in Genii natiuitatis
 inventionem 89
 Prophetæ etiā falsus prodigia facere potest 10
 Prophetæ Moysi similis promittitur 20
 Prophetæ sine Spiritu Dei non est verus 12
 Prophetæ verirequisita 16
 Prophetæ sensuum effectus dum afflatur, non
 magis apparent, quam flamma candela
 Soli exposita 18
 Prophetæ in sacris Bibliis haud allegati 9
 Prophetæ & Patriarchæ Damonem suum
 viderunt 116
 Prophetæ sunt etiam extra orbem Christia-
 Prophetæ cur dicti videntes 15 (num 9)
 Prophetarū afflatorum habitus qualis 20, 21
 Prophetarum afflatorum habitus cur furor
 dictus 21 (gelos 8)
 Prophetia conceditur etiam mediate per An-
 Prophetia Diabolica impotens 10 (tum 9)
 Prophetia non est sublata post Christi adven-
 Prophetia per auditionem vocis 24
 Prophetia divisionis typus Authoris 19
 Prophetia donum summum, hominib; utilif-
 Prophetia species varia 11 (simum 6)
 Prophetia species nobilissima, cum Deus im-
 mediate in os prophetam alloquitur 20
 Proverbium Iudicorum Anolia 108
 Ptolomeus Astrologia peritissimus 7 (tur 40)
 Puncta Geomantica sensus beneficio viden-
 in projectione non numeranda 41
 Punctorum Geomanticorum series universi
 ideam comprehendunt 44
 Pyramis formalis seu Metaphysica 180, & f.
 Materialis seu Physica 184, & f.
 Pyramidum proportionum & naturarum
 luculentior explicatio 187 & f.
 Pyromantia notatio 46
 Q. (166)
 Quadranguli seu mensæ in manu significata
 R.
Raptus quid dicatur 43
 duplex ibid. (natio 39)
 Ratio melius facit conjecturas quam imagi-
 Regula ad Chiromantiam necessaria 145
 Regula Astrologia sunt incomprehensibiles
 & incertæ 114 (depromptæ 83)
 Regula speciales ex planetarum dispositione
 Responsa data in palude Junonis 14
 Risus signa 131 (tur 23)
 Rusticus, lota facie liquore quodam, innova-
 S. (sin evocabat 22)
Sacerdos Calamensis sese melodia in ecclia-
 Salomonis liber de somniorum interpre-
 Samuel præses prophetantium 21 (tatione 30)
 Sanguinea complexio duplex 137
 Sanguineam complexionem arguentia 136
 Sapiens dominabitur astris 113 (plationes 22)
 Saturni sphaera refertur ad secretiores contē-
 Saulis legati afflati, adeoque & ipse Saul pro-
 phetant 21
 Schoneri doctrina commendatur 79, 81
 Secreta in manuū figura observata 172 & f.
 mulierum 176
 Selenites ad prophetiam confertur 21 (tio 69)
 Sententiarū in utraq; arte memoria recorda-
 Sibylla quomodo Deum suscipiebat 14
 Sibylla adventum Christi præfagiverunt 9
 Signa Zodiaci, quæ quibus regionibus impe-
 rent 93, 94
 Signorum in digitis significata 171
 demonstratio

- demonstratio ex manu sinistra secundum Salomonis doctrinam* 175
ex manu dextra 177
Socratis Damon 24, 103, 106 (21)
Solis sphaera refertur ad voces & harmoniam
Somniores diabolici proni dormiunt 34
Somnium quotuplex 29
Somnium naturale quotuplex 31
Diabolicum & vanum ibid.
Somnium precedens alio confirmatum optimum veritatis indicium 31
Somnium verum cum verbo à Deo prolato comparatur 30
Somnium Abrahami, Abimeleci, Jacobi, Salomonis, Josephi 24, 29
Gontrani regis mirabile 26, 27
Somnium hominis spiritu prophetico destitutum cui revelandum 35
Somni veri species & exempla 31, 36
Somnia vera à solo Deo 29
Somniorum prophetorum & naturalium discrimen 28
Speculum caeleste accidentia nati exhibens 76
Spelunca in Thracia ex qua oracula reddita
Spiritus Dei elogia 115 (14)
Scintilla post lapsum in nobis superstes quomodo augeatur 116 (mortuis 14)
Spiritus propheticus inest aliquando rebus
Spiritus malus etiam extrinsecus apparet 13
aliquando animalium interiora ingreditur 14
fallit vanitate & prestigiis ibid.
Spiritus elementares mundi plagis praesident
Spiritus Olympici, qui? 91 (tes 93)
Splendor divinus non habitat in anima peccatrice 16 (prodat 122)
Statura corporis quomodo naturam hominis
Στοιχειώματα Astrologiae species rejicitur 72
Subiectum in arte memoriae quid & quotuplex 70
Sympathia Magnetis & ferri 6
- T.**
- Talpa cor palpitans devoratus vim divinatricem confert* 21
Taurus est domus nocturna veneris 78
Theangelica ad prophetiam confert 21
Theatri arte memoriae descriptio 55
Theatri veri in arte memoriae figura 64
Tempora inflata quid denotent 125
Trianguli in manu significata 165
Trismegisti Damon 104
Trithemius Abbas 90, 108
- V.**
- Vaticinium quid* 7
profluit non tantum à Deo immediate sed & ab Angelis 8, 11
Vaticinium divinum docet invenire Demonem genituræ 114
Vaticinium docet effectum astrorum sine arte 86
Vaticinii afflatus triplex secundum Magos 18
Venus planeta reddit homines Deo similes 23
Venus fortunium minus 137
Venus semper naturalis liber significator 81
Veneris sphaera respicit odores, pulveres & unguenta 21 (vivat 23)
Veneri eo furore similis Deo factus quomodo
Verbena ad prophetiam confert 21
Verbum Dei triplex 15
Vermis in medeo cerebri 49
Via Solis in manu significata 163
Lactea 164
Visio quid, hujus species & exempla 25, 26
Visiones tam in somno quam vigilia 13
Umbilicomantia quid 46
Vocabulum in arte memoriae quid & quotuplex 66
Vocabula ad Chiromantiam necessaria 142
Vocabulorum in arte memoriae significativorum expressio typus 65
Vocabulorum in arte memoriae tam rotunda, quam quadrata, recordatio 67, 68
Vocis signa 131

F I N I S

Errata in sectione secunda.

Pag. 7. lin. 1. naturali p. 10. l. 10. munera p. 11. l. 38. Propheta p. 13. l. 31 vindicat p. 15. l. 20. instituitur p. 16. l. 13. vaticinandi p. 31. l. 15. prius l. 39. somnianti more p. 35. l. 28. accidat p. 40. l. 5. Macrocosm l. 36. virtute p. 42. l. 12. scrupulum l. 13. integram p. 43. l. 43. sic p. 49. l. 11. memoria p. 50. l. 29. l. 4. earum, sic l. 39. & alibi 35. p. 53. l. 33. polychordo p. 56. l. 6. ab n. sma. lege, artificis p. 57. l. 7. hinc p. 60. l. 5. ipsorum l. 24. Historica. p. 73. l. 22. locol. 26. digit. p. 79. l. 21. capitulo p. 82. l. 20. videndum p. 87. l. antepenult. introducitur p. 97. 26. invisibili p. 114. l. 44. vaticinium. Cætera benevolus lector facile correxerit.

Tomi Secundi

TRACTATUS SECUNDUS;

De

PRÆTERNATU- RALI UTRIUSQUE MUNDI HISTORIA.

In Sectiones tres divisa,

In Quarum

Prima, de Meteororum tam Macro, quam Microcosmico-
rum causis, earumque effectibus in genere agitur.

Secunda, de particularibus Meteororum, tam ad prospe-
ram, quam adversam valetudinem, impressionibus: de-
que indicijs ea præterita, præsentia, & futura prælagienti-
bus tractatur.

Tertia, pessimos & malefanos Meteororum eventus futu-
ros avertendi; præsentis ipsorum insultus debellandi, &
sanitatis denique pristinae jam amissæ restituendæ ratio
ad amussim explicatur:

Authore

ROBERTO FLVDD, alias de Fluctibus, Armigero,
& in Medicina Doct. Oxoniensi.




FRANCOFURTI

Typis ERASMI KEMPFERI,
Sumptibus JOAN. THEODORI DE BR.

ANNO M. DC. XXI.

Historiæ Microcosmi præternaturalis



Tabula Compendiosa,



Historiæ

Historiæ Microcosmi Præternaturalis Tabula.



Tomi Secundi

TRACTATUS SECUNDUS;

Sectio Prima:

DE THEOSOPHICO, CABALISTICO ET PHYSIOLOGICO UTRIUSQUE MUNDI discursu,

In Portiones tres diuiso.

IN QUIBUS STRICTA CAUSARUM REI METEOROLOGICÆ (quæ est propinquior mixtioni perfectæ, illiusque ruitæ atque corruptionis origo) in quolibet mundo se habentis, facta est inquisitio.

Cui, in fine, Appendix quædam Analytica, comparationi in cauda Harmoniæ Mundanæ Joannis Kepleri, sub titulo Appendicis, inter eandem illam suam & meam Harmoniam Mundanam factæ, ipsissimis veritatis argumentis respondens, inseritur.



Hujus voluminis contenta hîc breviter recensentur.

Sectio hac prima integrum hoc Volumên implens, habet: Partes duas, quarum

Prima continens particulas duas, quarum

Vna de tribus literis nominis Tetragrammati agit. Habetque

Alter in se continet

Introductionem indicantem:

Libros 3. quorum

Introductionem, qua

Libros tres quorum

Literarum sanctarum mysterium, de quo cap. 1.
Characterum sphericorum virtutem in mundi creatione, de qua cap. 2. 3. 4.

De Aleph tam tenebroso, quam lucido tractat, de quibus cap. 1. 2.

Ad trinitatem relationem, cap. 3.
Rotunditatis rationē. lb.
In mundi creatione effectus. lb.
Proprietates in mundi divisione, cap. 3. 5. 6.
Inclinationem ad clementiam vel severitatem, ad morbos, vel valetudinem, cap. 4.

Primus

Respicit Literarum nominis Tetragrammati

Secundus

Sanitatis, seu valetudinis causam primordiale[m] narrat, vt cap. 1. 2.
Divinitatis presentiam in spiritu mundano declarat.

Tertius

Morborum rationem primordiale[m] narrat. Vt in cap. 1. 2.
Nominis tetragrammati latitudinem, tam ad severitatem, quam ad clementiam inclinare indicat:

De tribus matribus seu characteribus naturalibus agit, cap. 1. 3.
Principiorum Physicorum seu secundariorum characteres assignat, cap. 2.

Primus ad Aleph tenebrosum seu tenebras spectat &c.

Tenebras atque ejus species denotat, cap. 2.
Characteres tenebrosos explicat, cap. 3.
Hyle[m] mysterium simul atque Abyssum, Chaos atque terra[m] aperit, cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Secundus ad Mem seu Aquam attinet: Nam

Aquam seu spiritum universalem describit, cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6.
Mysteria docet Aquarum, & 7. 8.

Tertius ad Shin seu ignem vel lucē attinet in quo

Lucis relatio ad Shin explicatur, cap. 1. 2. 4.
Caelorum characterum fit expositio, cap. 3. 7.

Secunda versatur circa Microcosmi principia: de quibus suo loco.



BENEVOLE INTUENTI, ANIMÆ CORPORISQUE IN MESSIA SANITAS.



Necce, Lector Candide, in sacrosancto & ineffabili Dei omnipotentis nomine ipsi soli appropriato, inque viva atque ignea Symbolicorum Trinitatis individua, *Patris* nempe, *Filij* & *Spiritus Sancti* characterum, י.ו. & ה. inspiratione atque afflatu divino, admiranda stupendaque nominis illius mirifici, videlicet יהוה, ex ijs super substantiali ratione prolati, mysteria nonnulla mundo feliciter sum exorsus ebuccinare, medietatisque metam sine ullo mentis obitaculo transigendo ad operis tandem hujus finem, complementum, atque culmen fausto optatoque perfectionis gradu pertigi. Faxit etjam Deus meus gloriosus ut potentissima istius sui nominis unici, incomparabilis, atque supremi prolatione, ineffabilique ejusdem suffuramine, simulatque telis igneis ab ejus pharetra omni fortitudine fortiori de promptis in stygias oblivionis undas pessimæ præcipitentur Momorum atque malevolorum calumniæ, in letheo lacu stultæ submergantur filiorum ignorantie garrulitates, & ad tenebrarum usque centrum male sanæ repellantur superbiorum atque sapientiæ mundanæ discipulorum increpationes: Manebit enim verbum Domini ineffabile (in quo est sola veritas & perfectio) in æternum; dum falsæ Diaboli præstigiæ, vanæ mundi delusiones atque fallacia spiritus tenebrarum phantasmata peribunt, evanescant, ad nihilum redigentur & ex omni hominum memoria in exilium sempiternum exigentur.

Ad vos ergo, ô veræ doctrinæ & abstrusioris Philosophiæ fratres, mysterii divini pennis alivè immitentes, vosque mei ordinis discipuli à derisione odiosa, perversaque obstinatia, & pessima maledictione remoti, & qui mecum in veritatis sacrarium, arcanæque mysteriorum theosophiæ cænobium penetrare concupiscitis; ad vos, inquam, imo ad vos solos sermonis atque orationis meæ filum converto.


Et quamvis me sola opinione & contemplatione (praxi nulla præeunte) secundum captus atque ingenii mei tenuitatem (quod scio quam sit exiguum) hoc opus in lucem edidisse, publice promulgasse, atque oculis vestris propalasse fatear, attamen si elata veri atque sinceri Christiani mente rem, prout intrinsecus se habet paulo accuratius exploraveritis, scientiarum nostrarum principia à fonte sacro & totius veritatis origine potius, quam à vana & incerta Ethnicorum opinione derivanda aperto intuitu, oculisque quasi illuminatis percipietis. Imo vero idololatriæ quandam esse speciem arbitramur, alienorum Deorum cultorum opiniones atque inventiones (scaturigine totius sapientiæ atque cognitionis neglecta) tanta devotione atque obstinatia venerari, ac si nulla præterquam an Ethnicis spiritibus, scholis videlicet Græcanicis, Arabicis aut Latinis eruditio in sanitatis tuendæ ratione, morborum diiudicatione, aut medicamentorum ad pristinam sanitatem restaurandam conficiendorum atque applicandorum scientia acquireretur: Etenim egregio Prophetæ documento, quam impia & profana sit ista Ethnicorum doctrinæ imitatio, informamur, quo docemur, quod non convenit deserere fontem omnis sapientiæ, & in regionibus extraneis quærere artem, scientiam, & intellectum, uti faciebant *Agareni*, & qui erant in *Theman*: quippe qui viam veræ sapientiæ nunquam agnoverunt. *Baruch. 3.* Quibus differen-

ferentiam arguere videtur Propheta inter vanam mundi ab incerta hominum peccantium & ignorantia obrutorum opinione in ventre tenebrarum procreatam, atque abortivo, temerario ac intempestivo quodam nixu in mundum prolatam scientiam, & illam unicam, sacrosanctam, solam, atque veram à JEHOVA Deo per *Verbum* seu *Sapientiam* (quæ est Spiritus disciplinæ unanimis) hominibus iustis atque pietate insignitis traditam.

Hatum ergo scientiarum, divinæ nempe atque humanæ discrepantiam secum iterum iterumque reputando Psalmista Regius (tanquam in utraque bene versatus) spiritu divino exultans, atque veritatis quasi stimulis exagitatatus in hæc verba prorumpit. *Pf. 119. 125. Omnibus Doctoribus meis intelligentior factus sum, quia testimonia Dei meditatio mea sunt: Sēmbus prudentior sum, quia mandata tua similiter custodio.* Hanc etiam sapientiæ divinæ & humanæ differentiam peroptime Regi Nabuchodonosori c. 2. 27. hujusmodi sermone indicavit Propheta Daniel; *Mysterium, quod Rex interrogat, Sapientes, Magi, Arioli & Aruspices nequeunt indicare regi; sed est Deus in celo revelans mysteria, qui indicabit tibi Rex, quæ ventura sunt in novissimis temporibus.* Magi etiam & sapientes Ægypti scientiam Jehovæ veram suis artibus præstigiolis præesse ac præsidere verbis hilce expressis regi Pharaoni fatebantur: *Digitus Dei est hic, &c.*

At quodam etiam jamiam murmurantes atque subridentes videre videor, qui in credulitatis voragini & ignorantia cæno profundius immerfi obiciunt; Quid ad medicinæ arte n literæ sacræ? Ubi morborum differentia, causæ, signa, prognostica, atque tum postea curandi ratio in Bibliis verbi divini investiganda? Anne possibile sit ut in sacro contextu medicamenta omni morbo convenientia reperiri queant? Quibus verbis quasi uno (siquidem sapientum loco haberi cupiant) respondeo; Legite, perlegite, sed & legendo intelligite; & vestris dubiis procul dubio satisfaciam: At si vobis tantillum mihi operibusque meis honoris tribuere non placuerit, Christiani tamen istam meam admonitionem alis obstinantiæ vel potius impudentiæ freti ne contemnatis obtestor; Creaturarum oracula fugitote, creatorisque voci cum timore & reverentia auscultate; eum solum, ipsiusque verbum cum Spiritu Sancto conjunctum adoratote, ne pro Azachiæ Regis discipulis seu sectatoribus habeamini, qui morbo quodam affectus suis Balzebubum, Deum Hekronis falsum atque stercorem; JEHOVA Deo Theorum neglecto, an sanitatem in ea ægritudine esset recuperaturus, consulere imperavit: Unde factum est, ut, ira JEHOVÆ in eum excitata, nullo Dei falsi auxilio prævalente exanimatus sit. *2. Reg. 1. 16.*

Adsit mihi JEHOVA, per fugium & præsidium salutis; cornuque meum in sublime exaltet, ut salutarum sapientiæ eius laticem, benignitate ipsius assistente, in hac vita gustare atque prælibare queam, quo ad veri tandem iubilæi fastigium Sabbathiq; & quietis culmen seu portam intelligentiæ supremam, & divinæ præsentie propinquorem numine propicio, omine fausto, benignoque Spiritus divini afflatu feliciter perveniam. Amen.



POST SCRIPTUM.

NE quis in horum librorum nostrorum lectione deterreatur, Lectorem imprimis admonitum velimus, exactam linguæ Hebraicæ cognitionem ad eorum intellectum minime requiri; sed solam characterum Hebraicorum cognitionem huic operi nostro intelligendo sufficere; quippe quarum figurarum exteriorum seu artificialium animadversione ad characteres mere formales sive Metaphysicos, sive Physicos atque naturales recte quivis procedere, iisque operam utiliter navare poterit: Nihil enim in hisce characteribus mere vulgaribus & exterioribus invenitur mysterij, sed in illis vere spiritualibus ac igneis, quæ sub hisce, tanquam thesaurus in arca, vel nucleus in cortice delitescunt, ita quidem ut characteres isti occulti sint horum manifestorum quasi anima & vita: Memoria igitur teneantur solummodo characterum illorum vulgariarum effigies, cum præter hoc solum, nihil difficultatis Hebraicæ ad opus hoc nostrum requiratur: Literæ autem sunt hæc. א. ב. ג. ד. ה. ו. ז. ח. ט. י. כ. ל. מ. נ. ס. ע. פ. צ. ק. ר. ש. ת.



SECTIO-



SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARS I.

De characteribus supernaturalibus & mysticis, seu Elementis
primarijs, Archetypicis, atque supersub-
stantialibus,

I X


Libros tres distributa:

C O N T E N T A

Sectionis I. Portionis I. Partis I.



Prælu-



Prælium de Principio in genere.



Hoc verbum *Principium* extat in Scriptura sacra hoc modo scriptum **בְּרֵאשִׁית** *Bereshiths*; hoc est, *in principio*; Et descendit illud vocabulum à primitivo seu radice **אֶשֶׁת**; quod significat caput, vertex, summitas, fastigium &c. At, si ratione Cabalistica hujus vocabuli characteres diligenti observatione notaverimus, ordinem totius creationis mundi ex ijs investigabimus, omnesque machinæ sphaericae portiones proprietate ab invicem differentes percipiemus: Nam **א** seu *Resh* denotat in primo loco inane quasi & vacuum, & per consequens tenebras; nam *Resh* est symbolū paupertatis atq; inopiæ: Sic etjā **ו**, vice contraria est symbolū repletionis; arguens videlicet, quod illud inane & vacuū, seu solitudo illa jam sit præsentia & lumine **ש** seu *Jehovæ* repleta; quanquam *Shin* significat spiritum igneum, seu aquas illuminatas: **ס** denique est medium & principium, quo vacuum & paupertas terrena ac squalida ipsius **א** seu abyssi, super cujus facie ei at caligo, tollitur, & aqua seu **ו** in ventre **א** occultata illuminatur atque animatur, atque **ו** ita clarificata & lumine animata convertitur in **ו**: quod est cælorum hieroglyphicum. Unde, ut vocabulum **אֶשֶׁת** primordium suum habuit cum **א** seu paupertate, squalore, ac defectu; ita primum principium omnium erat inane, vacuum, seu tenebræ, propter lucis & gratiæ absentiam ac defectum, *hyla* & aliquid in potentia dictum, quatenus omni gratia & luce apparente destitutum, & per consequens in actu nihil; quoniam omnis actus à viva lucis divinæ præsentia derivatur. Sed cum *Jehova* monas in **א** tenebris delitescens, & in seipsum ardorem lucis suæ reflectens, & per consequens *Aleph* tenebrosum respectu capacitatis nostræ dictus, se patefacere voluit, hoc est è tenebris e-lucescere, tunc *Aleph* manifestum dicitur: Unde in *Moysè* primum verbum capitæ ejus erat **אֶלֶף**; & deinde sequebatur nomen **אֶלֶף** quasi **א** apparsens è tenebrosa nube: Atque ita verificatur illud *Iob. 12. 22. Revelat fundamenta è tenebris, & educit in lucem umbram lethalem.* Et illud **א** manifestum & lucidum est prima ab *Aleph* tenebroso emanatio, hoc est, commixtio radiorum *Aleph* lucidi cum spiritu tenebrarum: Quod quidem *Aleph* jam *Iod* appellatur; quod est numeri denarij character atque symbolum; in quo secundum Arithmeticæ vulgaris rationem unitas, hoc est, *Aleph* tenebrosum, seu in se tanquam in centro tantum seu puncto lucens, cum cifra jungitur; hoc est cum spiritu tenebrarum **א** *Resh* permiscetur: Unde denarius numerus apud vulgares sic stat 10. more mystico **א**: quippe ubi *Aleph* unitas facit **א** tenebras aliquid actu ex nihilo apparente; hoc est ex deiformi formatum reddit pulcherrimum. Hinc **ס** post **א** est symbolum emanationis primæ ab *Aleph*, in ventre *hyla* & occultato, & proinde à Cabalisticis tenebrosum dicto: quare pro *Messia* seu *Aleph* occultato, quod **ו** in se conmet, seu ipsa *Tetragrammati* illius virtute accipitur; cujus tandem cum spiritu tenebrarum jam revelato permixtione **ו** producit, quod est indicium seu exemplar ignis seu lucis creatæ, hoc est Spiritus illuminati. Atque hinc est quod in hoc vocabulo **אֶשֶׁת** tres tanquam in speculo videmus proprietatum *Trinitatis* sacrosanctæ imagines; cum *Aleph* obscurum, per **א** significatum, *Patri* seu unitati comparetur, *Aleph* lucidum *Filio*, *Verbo*, seu *Dualitati*, atque **ו** *Shin* Spiritui Sancto ab ut. oque procedenti; cum spiritus mundani mater fuerint tenebræ seu *hyle*, & genitor informans aquas seu dictum spiritum *Aleph* lucidum; ita ut evidens sit, quod *Shin* procedat ab **א** & **ס**; quare in prædicto vocabulo tertium atque ultimum supplet locum: Atque hinc considerare possumus, quod magnum *Trinitatis* mysterium in omni vocabulo *Hebraico* consistat, quatenus radices fere omnes juxta *Hebræos* ex characteribus tribus conflantur. At ubi numerum ternarium excedit radix, ibi mysterium etjā mundi supersubstantialis & substantialis comprehenditur: Verbi gratia vox illa ineffabilis **יהוה** denotat per **י**: idem quod **א** lucidum è nube tenebrosa deorsum prospiciens, sed tamen in cælo cælorum summo habitans: At vero tres literæ sequentes sunt mundi creati radices; cum a. a. a. exemplar illius regiones formatæ sint, ut in sequentibus luculenter demonstrabimus. Ut ergo **א** & **ו** cum **ס** permiscetur, ita denotant actum mundi creati: Nam **א** & **ו** sunt literæ ordinis ultimi Alphabetici, & extra numerum digitorum 10. Unde compositionem denotant; quæ quidem apud *Deum*, & in *Archetypo* non est: Quare **א** & **ו** sunt duæ ex matribus seu principijs secundarijs; quatenus **א** hic pro *Aleph* tenebroso accipitur: Unde etjā **א** terræ elementum denotat. At vero principium primum universale est *Tetragrammaton* mysticum; cujus characteres sunt principia primaria particularia; ad cujus exemplar mundus est creatus. Atque hi characteres sunt de vera digitorum simplicitate; quatenus **א** est tanquam **ס** obscurum ex parte occultum in nube, & ex parte emicans: Et **ו** est numeri senarij tymbolum, quemadmodum **ה** est numeri quinarij figura; quæ in primo numeri denarij ordine comprehenduntur: Est ergo **ו** *Jod* idem, quod *Aleph*, tam tenebrosum, quam lucidum; & **ו** idem, quod spiritus in tenebris occlusus, & **ו** idem,

dem, quod Ψ seu spiritus illuminatus seu luce permistus: Sed de his infra latius atque copiosius.

Quod autem hos characteres primum elementa rerum primaria, & tum postea secundaria appellavimus, rationem sic breviter accipite: Literæ Hebraicæ dicuntur elementa quali Hylementa, hoc est characteres formales in hyle seu principij deformis atque tæri superficie materiali Spiritu Dei æterni conditoris igneo delineati: Hinc dictum est à Cabalisticis, quod *Deus legem suam in globum igneum conscripserit per ignem fuscum super ignem candidum.* Atque hæc literæ 22. ex quibus dicta scriptura formata est, fundamenta mundi & omnium creaturarum esse traduntur, quæ sunt & nominantur in eo, & omne dictum, ac omne creatum ex illis est; & ex earum impressionibus in materiam cuncta, tanquam à sigillo in ceram immerso, suas effigies, nomina, & virtutes sortiuntur.

In prima igitur Portionis primæ parte de tribus principijs primarijs atque metaphysicis in-creatis, seu Elementis Archetypicis, & super substantialibus, seu characterib. mysticis soli nomini ineffabili Tetragrammati appropriatis videlicet יהוה , hoc est, de luce, spiritu, & igne, seu spiritu igneo sermonem instituemus; in secunda primæ, de tribus principijs secundarijs, creatis, & Phycis, seu Elementis mundanis & substantialibus, seu characteribus arcanis ad exemplar characterum nominis illius ineffabilis יהוה proditis tractabimus; videlicet de tenebris, aquis, & luce creata: atque in

Tertia primæ de principijs tribus Microcosmicis, à prædictis immediate derivatis, nempe de

Corpore, Spiritu, & anima verba nonnulla raptim & breviter faciemus. Hæc

ergo erit nostra in prima hac Sectionis primæ portione intentio;

hic integer sensus, sive mentis no-

stræ scopus.





INTRODUCTIO

Ad

SECTIONIS PRIMÆ, PORTIONIS PRIMÆ, PARTEM PRIMAM:

C A P. I.

De admirabili Literarum sanctarum & verè formalium myste-
rio, atque ineffabili literarum sphaericarum vir-
tute & potestate.



QUAMVIS nonnulli fortasse, oculis sensibilibus & plane corporeis rerum mundanarum sive creaturarum exteriora considerantes, & non visione spiritali atque formali earum interiora speculantes, ridiculum existimabunt, rerum essentias symbolice literarum typis includere, non sine ratione hominibus satis probabili occurrunt, quod litera sint meræ accidentia ab inventione humana in mundum, quo alter alteri sensum suum characteribus scriptis excuderet, prolatam, at tamen, si rem paulo accuratius inspexerint, in literis Hebraicis res longe aliter se habere percipient; quippe quæ non ab homine inventa, sed ab ore Tetragrammati in mundi primordio formaliter & characteribus igneis in hylis ventrem insculpta fuerunt, & earum vires atque virtutes per vocem ac verbum FIAT, ex tenelrarum hyle editæ, expirata, efflata, atque tono admirabili ebuccinata. Hinc igitur Cabalæorum opinio erat, quod Deus legem suam in globo igneo conscripserit per ignem fuscum super ignem candidum: Vnde dicit Rabbam Gerundensis; Apparet nobis per Cabalam, quod fuerit scriptura in igne fuscò super dorsum ignis candidi: Atque hinc illud Deuter. 33. De dextra ejus ignea lex ijs &c. Similiter Cabalista arguunt, quod ars transpositionis literarum necessaria sit, ut הוה mutetur in יהוה : Vnde sensus mutatur propter literarum primariorum confusionem, quæ in igno globo apparuerat, ut liceret quasi è Chaos eas educere atque hinc inde legere. Hinc igitur factum est, quod litera ista (quemadmodum Bæsus Vigenereus haud inconsulte recitat) dicuntur Elementa quasi Hylelementa, hoc est, impressiones formales in chartam hyla obscuram atque tenebrosam: Nam hæc litera, uti testatur Abraham Ietzirah l. c. creatione, essentias rerum in nube materiali important: Hinc etiam vult Socrates in Cratyle, quod imitatio essentiarum consistat in literis & syllabis: Et Zoar dicit, quod, cùm Adâ veras & proprias rebus omnibus appellationes imposuerit, omne nomen cuiusque rei per literas sanctas composuerit, quæ denotant influentias astrorum pro ministerio & servitio rerum destinatarum: Quæ, quidem litera in materia sunt quasi partes corporis, & puncta & accentus earum sunt loco spiritus & vita: Sed tamen hæc vita seu hic spiritus, literis mortuis in charta ad vivorum imagines depictus ante tempus prudentis Esdra delitescibat, atque occultatus erat: Vnde inquit R. uchlinus; Litera sancta post primordium confusa & conglomerata fuerunt; quas studiiosissimi quique speculative intuentes, atque diligenter considerantes Spiritu Sancto ducti facile possunt hinc & inde, susque deque, ultro citro, prorsus, iursus, eligere, legere, colligere, ac in verba quælibet formare sententiam in bonis bonam, & in malis malam. Significancia: Et quidam alius dicit, quod lex, quam Deus Moysi dedit in duabus tabulis, fuerit scripta uno tenore ac modo tunc syllabarum aut dictionum separatione, & quod penetraverit ab uno latere ad aliud, ita ut, iuxta sententiam Rabbiorum, aliquis modo & ratione multiformi, secundum legendis phantasiâ, legere potuerit; videlicet à dextra ad sinistram, antrorsum & retrorsum, ab alto ad imum & è regione; At vero occultam & secretam horum characterum significacionem de mysterio divino seu revelatione maiestatis divina, secundum quam Deus se ipsum patefecit sibi atque suis electis ipse reservavit; cuius quidem arcanum consistebat partim in forma characterum, & partim in vera ac propria vocabulorum distinctione. Hæc ergo est ratio, quod lex Mosaitica tot modis diversis legi, atque in sensum tam diversum mutari solebat. Secundum hoc dixit David Psalm 119. vers. 29. Viam falsitatis amove à me, & legem tuam gratiosè largire mihi; Viam veritatis & præceptorum tuo-
rum;

rum; Doce me viam statutorum : Et Pf. 87. 7. Viam tuam doce me Jehova & pergam in veritate tua: Et Job. 11. v. 6. declaratur, quod lex Dei sit multiplex: Similiter in legis administratione dixit Moyses populo Deut. 30. 15. Contestor hodie contra vos cœlum & terram, me vitam & mortem proposuisse tibi, benedictionem ac maledictionem; quare elige vitam ut vivas cum semine tuo; Et Christus ipse juxta illud Matth. 5. v. 18. Noli putare, quod venerim solvere legem aut Prophetas, non veni solvere, sed implere; ubi de lege spiritali loquitur, quæ non venit interpretanda quoad literam, sed quoad spiritum. Hinc ergo dictum est Nehem. 8. 7. Legis sensum exponit Esdras populo; dabatque intelligentiam per scripturam ipsam: Quare & in eundem sensum Georg. Nazianz. in lib. De statu Episcoporum dicit: Accipit legem, ipsis quidem multis eam, quæ est litera; ipsis autem super multos eam, quæ est spiritus. Et libro 1. De Theologia vult ita tabulis solidis & lapideis conscribi; & hinc aliter secus propter manifestum legis & occultum; illud quidem multis & inferius manentibus, hoc autem paucis & sursum pervenientibus.

Ex quibus patet, quod Moyses legis textum plebi tradiderit, at mysterium, parabolas, & symbola sibi ipsi ac prastantioribus reservavit: Hinc dicit D. Paulus 2. Corinth. 3. Litera mortua est, sed spiritus vivificat. Non ergo, cum de litera in sequentibus loquor, illarum mortuarum & manu humana depictarum me mentionem facere, sciatis atque intelligatis, sed literarum formalium & spiritu igneo, seu atramento lucis per manum Tetragrammati descriptarum; quæ quidem in primordio in creatione ad peculiarem, cujusque creature formationem expressæ sunt: Vnde observaverunt tam Hebræi, quam Christiani interpretes, quod Deus Elohim singulis creationis diebus opera dierum numero paria, progressionis ordine procedendo, constituerit; quatenus in prima luminis divini apparitione seu die ex aquarum simplicium mundificatione, virtute presentie prædicti luminosi spiritus unum opus, videlicet lux, productum est; secunda duo, nempe firmamentum seu cœlum medium, simulatque aquarum divisio; tertia aquarum densarum in locum constitutum congregatio, terraque positio, seu prima tenebrarum subterlapsarum apparitio & quies in universe machina centro, atque etiam fructuum ex eo germinatio; quæ sunt opera tria; quarta quatuor creata fuerunt opera diversa, nempe stella, Sol, & Luna, & tum postea eorum situs seu positio; quinta, opera quinque, videlicet pisces, & jumenta & volucres, atque etiam eorum benedictiones; sexta, sex, quæ sunt terra animalia, homo, femina, eorum benedictio, & potestas eis data ac cibis; ita ut per additionem Aleph, quod denotat unitatem ipsius creatoris, 22. produci videantur, eaque ratione qualibet harum literarum Hebræicarum est symbolum cujusdam numeri: Nam denotat א 1. ב 2. ג 3. ד 4. ה 5. ו 6. ז 7. ח 8. ט 9. י 10. כ 20. ל 30. מ 40. נ 50. ס 60. ע 70. פ 80. צ 90. ק 100. ר 200. ש 300. ת 400. י 500. ב 600. ג 700. ד 800. ה 900. ו 1000. ז 2000. ח 3000. & sic in cæteris: Ita etiam singuli numeri vim habent peculiarem in rebus creatione productis.

Ex his igitur liquere videtur, quod 22. Hebræorum elementa sint mundi & omnium creaturarum eiusdem fundamentum, quæ sunt & nominantur in eo; & omne dictum & omne creatum ex illis sunt, & ex eorum revolutionibus nomen & esse atque virtutem sortiuntur; Nec certe mirum, quia qualibet littera est ipsa forma, seu figura formalis egressionis varia sermonis seu Verbi seu Messie, ex ore Tetragrammati ineffabilis, in palatio suo obscuro, & occulto lumine increato intrinsecus deaurato, in hyle tenebrosa sedentis, efflatis; cuius varia per Spiritum ejus vivificum illustratione, varia littera ignea, & ad varietatem illarum literarum seu characterum spiritalium, varia quoque apparitiones, species, & natura in mundo sunt productæ; quibus secundum occultam sui characteris conditionem nomina propria & esse attribuantur. Secundum arcanam ergo horum elementorum dispositionem Deus edocuit Adamum cuique creatura nomen conveniens adhibere: Atque hinc est, quod hæc littera non primordialiter Hebræica, sed revera sancta & divina, adeoque etiam per consequens sermones per illas prolatis, Sancti dicti sunt, & quod Jehova quoque per horum elementorum characteres tum Patriarchis, Prophetis, & viris sanctis collocutus est: Etenim cum ipse sanctus sit, lingua procul dubio ejus debet sacrosancta esse: At vero post confusionem Babylonicam, & multitudinis linguarum in terris productionem; lingua hæc sancta incorrupta & sine depravatione apud quendam nomine Hebræum permansit; atque postea subsequenter lingua Hebræica & littera Hebræica ab eo sunt cognominata; cum tamen neque Heber, neque alius quisquam eas invexerit, sed immediate illa à Deo ipso usque ad Hebræum dimanarint: Hinc etiamnum hodie à prudentioribus Sancta, & nullatenus Hebræica lingua, & elementa itidem ejusdem Sancta dicuntur; quoniam Jehova sacrosanctus ea & loquendo & scribendo usus est, atque homini eam, uti etiamnum habetur, tradidit. His ergo literis vivis, formalibus, & igneis locutus est Elohim sacrosanctus in primordio, & statim facta verba facta sunt omnia. Atque hoc idem innuere videtur Abraham in Jetzirah seu creatione; ubi docet, quod mundus, & omnia in mundo contenta è 22. literis nata sint, videlicet א ש ו, tres omnium rerum creaturarum matres fecit; Per א tenebrosam, tenebras, & ipsam terram, per ש ignem seu lucem, & per ו spiritum seu aquas universales intellexit. Porro etiam ex septem elementis duplicibus, videlicet א ב ג ד ה ו ז provenerunt tam corpora quam anima 7. stellarum erraticarum, quas Planetas vocant: Quæ elementa, ideo duplicia dicuntur, quoniam ex spiritu duplici fiunt; videlicet ex Empyreo, qui est Planetarum anima, & Aethereo, qui est ipsorum corpus: Atque iterum duodecim literis simplicibus, videlicet א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס ע פ ק ר ש ת duodecim signa Zodiaci subdiciuntur, & eorum viva atque formali presentia constituuntur: Ex quorum omnium influxionibus cætera inferiora producta sunt. Ex quibus evidens est, juxta illud Blajei Vin. quod 22. characteres literarum seu hieroglyphicarum vivarum sint idæ omnium creaturarum tam formatarum, quam formandarum: Nam res omnes cognoscuntur per propriam & genuinam suam cognominacionem, quæ nobis representari non potest, nisi per locutionem aut scripturam: Vnde ars sculptoria, & pictoria cum alijs hujusmodi, sunt quasi rami seu rivuli à prædictis fontibus emanantes. Concludimus igitur, non modo verisimile sed certissimum esse, quod qualibet dictorum elementorum sanctorum effigies particularis speciale aliquod creationis opus importet. Atque

hoc eo evidentius declaratur, quoniam Deus singulas suas in creatione actiones cum demonstratione seu particula אר Eth conclusit; quippe qua sumitur pro signo, figura, caractere, litera, aut forma; ac si res omnes in creatione per istam limitationem aut circumscriptionem comprehenderentur את השמים אלהים Bara, Elohim (Eth) hashamaym, Deus creavit figuram, signum, characterem aut literam colorum &c. Quae quidem litera est Shin ו; quatenus est symbolum ignis creati, qui constat ex spiritu, qui est lucis ardentis pabulum seu nutrimentum, & ipsa luce, quae est actus in spiritu seu aqua patiente, Et ambo simul dicuntur ignis: Vnde caelum summum vocatur Emypreum, id est igneum; & medium appellatur Aethereum, quasi igneus aer. Atque hinc in arte Cabalistica bene versatis quam certissime atque clarissime apparet, quod duae & viginti literae formales seu ignea characterum, in velamento hyle nigerrimo pigmenta fundamenta fuerint tum mundi, tum etiam legis: Quod quidem etiam sequenti Moysis asseveratione confirmari videtur; Dixit enim Deus ad Moysen; Ecce venio ad te in densa nube, ut audiat populus, cum loquar tecum; Quin etiam וו, id est, 22. credent in perpetuum. Nam וו significat 20. & וו duo: Oportet ergo, ut verus Cabaleus credat, & singulari amore, ac iucundo letoque animo recipiat cum gaudio & fiducia: Vnde etiam Psalmista Regius dicit Psalm. 70. Exultent, & latentur וו, id est, viginti duabus, qui quarunt: Nam viginti & duae literae, uti narratum est, fundamenta existunt mundi & legis, quatenus mediantibus illis Iehova locutus est, & Verbo Domini firmati sunt caeli & spiritu ab ore eius omnes virtutes eorum. At vero, ut supra res omnes creatas tres constituuntur proprietates spiritus unius excelsissimi: super substantialis, & increati, quae omnibus tanquam reges imperant, cunctaque huius mundi moderari cognoscuntur; ita inter literas seu elementa haec 22. tres solummodo principes atque patres reperiuntur unius nominis ineffabilis, essentiam superessentialem constituunt, qui ceteris omnibus tanquam Imperatores praesunt, omnesque illas inferiores partu stupendo gignere atque producere percipiuntur. Hi autem inter ceteros characteres, tres, ac praeter eos nullus alius, ob excellentiam suam sphaerica & circularis esse reperiuntur, arguentes hoc ipso, quod, ut figura sphaerica in arte Geometrica descripta ceteris figuris omnibus dignior & excellentior esse dignoscitur, quatenus sua capacitate omnes alias figuras Geometricas in se comprehendit atque continet, sic etiam hi characteres sphaerici omnes alios 19. characteres, imo & universam naturam seu spiritum mundanum brachyis quasi suis infinitis amplectantur, vimque suam in spiritum, atque per spiritum vel aquas amplexu suo comprehensas usque ad peripheriam centrum immittant. His ergo characteribus mere spiritualibus & formalibus ad sui nominis ineffabilis productionem & patefactionem usus est rerum conditor; quippe sine quibus eius essentia super substantialis viva voce explicari, aut hominibus indicari nequit: Vnde cum petebat a Deo Moyses, Quod est nomen tuum? ei respondebat Omnipotens ווהו, hoc est, J. H. V. H. hoc est, nomen meum in aeternum, & hoc memoriale meum de generatione in generationem.


Ex quibus patet, quod hoc unicum, solum, ineffabile & sempiternum Dei nomen absque harum trium literarum perfectarum seu sphaerarum prolatione explicari non potuisset. Hinc igitur non inepte haec tres literae increati mundi patres dici possunt, vel potius patris & conditoris unius sunt symbola tria, videlicet unius spiritus & essentiae increatae; quemadmodum matres tres creatae dicuntur ab Abraham in Jeczirah, וו וו וו; ita ut וו in creatione correspondeat cum Iod, quod erat eius effigies ante creationem, & denotat lucem simplicem in creatione, atque etiam eius oppositum, videlicet tenebras, in quibus Aleph erat ante earum creationem: Vnde Aleph aliud tenebrosum dicitur; quod arguit Deum ante creationem, qui in se ipsum reluxit, juxta illud Psalmistae; Et fecit tenebras locum suum secretum; Atqui Deus mundum & tenebris illuiscere volens, dicitur esse Aleph obscurum in lucidum conversum: Vnde scriptum est; Sicut tenebrae ejus; ita & lux ejus: Voluit ergo Abraham in Jeczirah, quod וו significet elementum terra, & alibi terram viventium, arguens permanentiam & fixitatem; atque ita tenebras comprehendit, quae sunt turgurium Iehovae; Denotat etiam patrem aeternum, qui est fons luminis increati; atque ita cum Iod, vel virtute Tetragrammati seu anima Messiae confertur. Item Mem, quod est symbolum aquarum creatarum, refertur ו He nominis ineffabilis seu Archetypi, quod spiritui increato attribuitur: Atque ut massa aquarum Mem in grossum & subtile per firmamenti interpositionem seu naturam Shin dividitur; sic etiam universum ו superius ab ו inferiori virtute Vau distinguitur. Dicuntur ergo matres mundi וו וו וו; quoniam ut femina, quae est viro imperfectior, recipit & patitur actionis viri, hoc est eius impressiones suscipit, ut cera sigilli; ita illa rerum creandarum impressionis acceperunt a patribus increatis, seu elementorum sphaerarum & superessentialium nominis ineffabilis Tetragrammati proprietatibus, videlicet Iod, He & Vau. Nam Iod in ו ad lucis creationem agit, & ו spiritus increatus ad aquarum ו Mem adaptationem, & ו Vau in Shin ו. Nam, ut Vau, quod est numeri sexti symbolum, occulte continet & completur ו, quinque, & ו unitatem, quae denotat lucem, & per consequens arguit lucem in spiritu medio, seu animam mundi, seu Messiam in tabernaculo Solis; sic etiam ו denotans Mem, ו illuminatum, vel spiritum ignitum, designat sphaeram aequalitatis, hoc est lucis proportionem ad pondus cum spiritu aqueo intermedio: Vnde Aleph est una puritas & simplicitas, videlicet emanatio lucis in creatione, tanquam agentis; & Mem est ejus receptaculum, seu altera natura simplex & tenebris scaturiens; quorum mixtione fit Shin; cuius character denotat tria in unitate, videlicet Trinitatem in natura humida: Atque hoc modo factus est mundus a matribus, creatione ex hyle gremio in mundum productis, ad exemplar mundi Archetypi, qui ex patribus, seu principibus elementaribus nominis ineffabilis Jod, He, Vau, per progressionem ab unitate ad Iod productus est. Hinc ergo venit, quod circa res creatas varia principiorum sive Elementorum genera constitutumus in numero ternario convenientia; quorum alia sunt primaria, increata, atque super substantialia, videlicet illa tria mundi Archetypi, quae in nomine ineffabili comprehenduntur, nempe Jod seu Pater, & Vau seu Filius, ac He duplex, seu Spiritus conjungens patrem Iod cum filio Vau, & iterum filium

lium *Vau* cum *Iod*: *Secundaria* seu *creata* & *substantialia* sunt illa, quæ imitantur illa *primaria* principia; videlicet *Aleph* lucidum, comparatum ad *Iod* Archetypi, quod lucem creatam arguit, & *Shin* ad imaginem *Vau* factum est, ac *Mem* superius & inferius ad *He* mundi *super*substantialis: Vnde *Aleph* denotat lucem creatam, *Mem* super firmamento, aquas tenues ac subtiles, & *Mem* sub firmamento, aquas spissas & tenebrosas, atque *Shin* cælum medium, dividens *Mem* superius à *Mem* inferiori; ita ut principia tria mundi *substantialis* & *creati* sint *Aleph* seu lux, *Mem* obscurum seu tenebra, & *Shin* seu spiritus intermedius, lucis vehiculum participans de omnibus tribus; Vnde cum tribus radijs more ignis à radice sursum ascendentibus atque exurgentibus depingitur, hoc modo Ψ . Atque ita habemus tria illa *Macrocosmi* elementa generalia, videlicet ignem, spiritum seu elementum humiditatis, & tenebras seu terram; ex quibus omnes creatura tam radicales, ut angeli, quam quadrata, ut stella, & Cubica, ut ex tribus dictis elementis composita, constituuntur, inter quas hominem præstantiorem & nobiliorem esse cognoscimus, cujus principia tria in ordinem tertianum reducimus: Quare tria tertij generis principia appellamus illa *Microcosmi*, videlicet animam lucidam, comparatam cum *Aleph* seu luce, & corpus, tenebris vel aquis spissis & caligine obductis relatū, atque spiritum ejus intermedium de utroq; extremo participantem, qui attribuitur Ψ in quo est vita rerum. Vnde liquet, quod subalterna principiorum genera ab illis generalissimis deriventur: Quare non infulse scripsit *Mercurius Trismegistus*, quod mundus sit imago Dei, & homo mundi. Agit ergo virtus *Iehova* in matres mundi; & ipsa matres ulterius actiones virtutis illius *Tetragrammati* in omnes creaturas transfundunt, sed speciosius & copiosius in hominem *Microcosmum* & nobilissimam creaturam; quamvis, ut mihi videtur, sit alius quidam *Microcosmus* homine adhuc magis divinus; & ipsi Deo propinquior; qui est, (uti opinor) ille *Paracelsi* homuncio, de quo ipse in suis operibus tot mirabilia cecinit: Sed, istis relictis, ad operis hujusce subjectum, gradu festino appropinquabimus.

C A P. II.

Quomodo secundum ideam nominis ineffabilis Archetypi mundus creatus, tam magnus, quam parvus disponatur?

Imprimis sciendum est, quod mundus factus sit ad exemplar Dei viventis, hoc est ad imitationem characterum nominis ejus ineffabilis, ac si ejus characteres ignei & vivi in speculo mundano inspicerentur: Vnde mundum Dei imaginem & exemplar nuncupavit *Mercurius Trismegistus*; Et *Moyſes*, hominem dixit ad *Jehovæ* exemplar formatum esse: quem prædictus *Hermes* mundi imaginem vocavit, quatenus mundi partes in se habet; Quod etiam sapiens *Ecclesiastes* affirmat c. 3. 11. Mundum seu seculum Deus posuit in corde hominis, ut non inveniret homo opus, quod facit Deus à principio usque ad finem: Hinc ergo certum est, quod mundus concretus in Archetypo ante eius creationem delineatione ideali & supersubstantiali descriptus fuerit, uti & homo in utrisq; videlicet ante & post creationem: Sic legimus *Exod.* 25. 40. Videto, ut facias juxta structuras eorum, quæ tibi exhibita sunt videnda in hoc monte; *Ibid.* 26. 30. Sic erigito tabernaculum illud, secundum convenientiam ejus, quæ tibi exhibita est videnda in hoc monte; Et *ibid.* 25. 9 Ut faciant mihi sacrum, & habitem inter eos omnino, prout ostendam tibi structuram ipsius tabernaculi, & structuram omnium suppellectilium ejus; sic autem facitote: Similiter arcam Noe à Deo prius descriptam legimus; Et *Propheta Regius*, se templi descriptionem à manibus Dei accepisse jactabat; Atque hac omnia *Cabalista* ad mundi tam Archetypi, quam concreti, cum majoris tum minoris effigiem formata esse referunt. Hic ergo mihi proposui convenientiam mundi Archetypi, vel characterum nominis ineffabilis cum mundo creato majori itidemque minori explicare, quo clarius apparere possit, quomodo mundus creatus tam visibilis, quam invisibilis sit quasi ipsa cera recipiens characteres sigilli ineffabilis יהוה ; indeque evidenter probabitur, quod, ut sigillum arte confectum relinquit in cera signum quoddam sibi simile, quod sigilli imago dicitur, ita quoque sigillum conditoris suam iconem in spiritu passivo mundi reliquerit; imo vero realem ipsissimi *Tetragrammati Verbi* essentiam, vestigia, & præsentiam ab origine possidet, qua vivit & existit res tam nobilis & pulchra. Et quoniam in magno & ineffabili illo sigillo quatuor reperiuntur characteres, sed tres solummodo specie ab invicem differentes, ideoque hoc loco cuiuslibet eorum naturam dispositionem, & significationem aperiemus, qua facilius ad sequentium doctrinam & intellectum pervenire possimus; Sed imprimis fulgidum ac igne candens nomen ineffabile mundi creati partibus adaptabimus, ut inde promptius & quasi in speculo percipiamus, quomodo membra mundi creati ex figurarum & iconum elementorum primariorum *Iod*, *He*, & *Vau* proprietatibus exurgant. Figura sequitur.



A. Ab Aquilone lux aurea venit propter Jehovam Deum terribilem Iude. Job. 37. 21. Evigila Aquilo & veni Auster; perfusa hortum meum: perfiant aquæ a: ornata cæcus; hoc est, vestro as' a'u opposito denso & a quo munitur paradysus aureus vestimento, ubi aurum & aqua salutis abundant: Nam vox ignea à Septentrione egrediens, aur' a sua puritate virginem reddit spiritum, in quo ambulat, auramque ineffabil. in paradysi voluptatis sua presentia producit, ubi est nihil præter voluptatem & gaudium, quamvis extra hunc hortum sit rumor, & timor, & tenebra propter Deum terribilem laude: Quod quidem etiam testatur Elias, ut in cap. 19. 1. Regum declaratur: Et Psalm. 89. v. 7. Deo Jehovæ quis in nube superiori par æstimatur? Quis assimilatur Jehovæ inter filios fortium? Deus fortis est & formidabilis in consilio Sanctorum plurimum, & reverendus super omnia, quæ circumstant eum: O Jehova Deus exercituum, quis est par tibi robustus Jah? &c.

B. Dei sternutationibus splendet lux, & quidem oculorum ejus, velut palpebræ auroræ Ich. 41. 18. Et Jehova Sol & scutum meum, dans gratiam & gloriam, Psalm. 84. 12. O Deus surge, & iudica terram; Tu enim possessionem habes iudiciorum in omnibus gentibus. Psalm. 82. 8. Dei Jehovæ nomen laudent, quia est nomen ejus solius, & decor ejus super terram & cælum. Psalm. 148. 13. Omnes gentes circumdederunt me; sed in nomine Jehovæ enervavi eas. Psalm. 118. 10. De Jehovæ nomine turris robusta, quo accurrens iustus in eduo collocatur, Proverb. 18. 10. Dixit Moyses; Quod est tibi nomen? Cui respondit creator I.H.V.H. Hoc est meum nomen in æternum, & hoc memoriale meum de generatione in generationem. Est igitur Tetragrammaton æternitati nomen; generationi autem memorial: tantum, quia nequit ulli voce humana componi nomen, quod divinitatis naturam adæquare possit.

Ex hac igitur nominis ineffabilis in mundanum spiritum impressione mundus un. versus cum omnibus suis partibus seu regionibus in hyl's ventre occultatus in lucem eductus atque productus est; quoniam virtus atque scientia Iehova per quamlibet sui nominis particulam æqualiter atque permanentiter infusa secundum materia diversa naturam atque dispositionem in crassitie seu densitate & subtilitate, debita mensura, certo ac determinato numero, & pondere iusto ac proportionali cuncta disposuit atque temperavit, juxta illud scientis: Sapient. 11. 21. Omnia mensura, numero, & pondere disposuisti. Ego vero methodice procedendo ostendam primo loco, qua ratione, virtute elementorum nominis ineffabilis mundus aptissimis proportionibus in partes sibi convenientes digeratur: Deinde quomodo orbium seu sphaerarum mundanarum numeratio Cabalistica ex aram ordine elicatur; ac denique quibus lanceis superiora ab inferioribus secundum ponderis iustitiam separantur: De his, inquam, ordine hoc loco discurremus.

Hic autem in demonstratione præmissa videmus, quod Iod seu Iod repetitur extra omnia: Et tamen, quatuor litteras Tetragrammati יְהוָה in se comprehendit, eat nuse ejus virtus seu emanatio ubique reperitur in mundo; ubi יְהוָה & הוָה dominium habent. Quod autem Iod contineat in se totum Tetragrammaton, declaratur hoc ipso, quia secundum Heracorum in numerandi formulam Iod denotat 10. & ordo litterarum Tetragrammati י. ה. ו. ה. simul aggregatus constituit

ruit 10. ita ut Iod apud Cabalistas videatur esse litera illa, à qua cetera procedunt, & in quam iterum revertuntur; quippe quæ ita se habet ad ceteras literas, ut punctum ad lineam, quæ à puncto orta est, & in punctum desinit: Et quoniam à puncto nihil est simplicius, ideo inter literas Tetragrammati, quæ omnes sunt perfectissima & circulares, Iod cum essentia divinæ simplicitate symbolizare dicitur. Atque hinc est, quod Iod occulte in se totum Tetragrammaton continere, illudque idem, quod \aleph significare dicitur. Et quoniam est centrum illud, à quo prima emanatio in mundum intellectualem vel regionem \aleph He effluxit, ideo omnium patrem arguit, à quo res omnes procreari videntur in duplici spiritu passivo manifesto \aleph superiori, & \beth inferiori, ac spiritu medio occultato in Vau & virtute verbi in spiritu Vau occultati, quod superat spiritum firmamenti occultatum per unitatem, hoc est simplicitatem emanationis, filium unicum à patre denotantem: Sic spiritum Solis, obstante ejus luce, hoc est, propter externam fulgoris divini claritatem videre non possumus, quia unitas seu divinitas prædominatur in \aleph quod sub radijs absconditur: Ab hoc ergo patre omnium rerum Iod, tanquam à fonte, procedit vita omnium atque multiplicatio per generationem, & sine eo semen multiplicari non potest. Non ergo erat illud sine mysterio ingenti, quod Deus jubebat Iod à nomine Sarai tolli, ac dividi in duplex: Nam \aleph apud Hebræos denotat quinque, & duplex quinaris, faciens 10. secundum numeri Cabalistici rationem est idem quod Iod, quorum unum addidit Deus nomini Abram, & alterum nomini Sarai: Vnde Abram convertitur in Abraham, & Sarai in Sarah, arguendo, quod si paterna benedictio Iod, nomini femina Sarai data, & Abram negata, æqualiter esset utrique distributa, inde sequeretur, ut ambo fertiles & fecunda redderentur; quod sine hac partitione fieri non potuit; Namque ut plurimum accidit, ut eadem femina per naturæ suæ caliditatem semen mariti deficiat, & vice versa. Denique videmus, quod Iod sit supra omnia, & super altissima mundi cacumina triumphanter sedens, & tamen ejus emanatio sit. Verbum universum implet spiritum mundanum: Ad hujus ergo hominis Tetragrammati ex mola firmamentus est mundus, & ad distinctionem literarum vocis ejus ordinati atque essentialitati sunt cæli, seu regiones eorumdem. Et quævis in sequentibus mentionem faciemus de \aleph & Vau & \beth , eas pro cælis vel regionibus mundi creatis accipiendò, atque intelligi velimus, quod imaginem pro re ipsa, sive idolum in speculo pro vero subjecto ibi loci proponamus: Nam spiritus universalis creatus non est nisi speculum, in quo Tetragrammati essentialitatis & ineffabilis idea ac reflexio conspicitur: Vnde fit, quod Iod increatum seculum, sive mundi supersubstantialis pulchritudinem denotat, ad cuius imaginem mundus substantialis factus est: Triplex a. regio ab illo promanans, videlicet \aleph & \beth denotant, increatas cælorum seu regionum mundæ condendi ideæ seu icones, ita ut ex præsentia spherica, & formali, atque centrali literæ Iod, mundus materialis similem figuram rotundam acquisiverit: Et quidem per emanationem Iod increati in spiritum filij factum est cælum Empyreum, quod ita ex spiritu & luce creatum est, ut \aleph Iah ex ignea & lucida essentia supersubstantiali ipsius Iod in \aleph superiori: Similiter Iah ponens tabernaculum suum in ventre Vau , in quo \beth medium occultatur. (Nam unitas si per quinque prædominans producit Vau) denotat in mundo creato spiritum invisibilem massæ solis cæli medij, in qua unitas solummodo seu lux specifica discernitur spiritusque obscuratur: Atque hoc cælum comparatur ad \aleph , quatenus ejus anima est \aleph Iah; ejus vero totum \beth , atque istud \aleph dicitur sigillum Dei, quo Eihel res omnes vita insignire solet. Denique totum \beth descendit in ultimum sive cælum infimum creatum, & sit \beth existens in toto, in qualibet parte, & extra ac ultra totum. Et quoniam hi characteres sunt omnes spherici, ideo etiam quodlibet cælum, utpote ad exemplar allicuius ex illis fabricatum, rotunda atque spherica forma est creatum. Hic ergo est modus, quo mundus inferior ad figuram & imaginem mundi Archetypi, & essentia creatoris Archetypi \aleph Iehova conditus est. Et quamvis \aleph \beth videntur esse tres spiritus, non tamen sunt hi tres nisi spiritus unicus universalis ad imaginem illius spiritus increati, ad cuius iconem & exemplar factus est. At vero, secundum Rabbi Azariel in commentario sanctitatis, ex spiritu producit Verbum atque vox, non per apertionem labiorum, & non per sermonem linguæ, nec anhelitu hominis, Et hi tres unus sunt spiritus, quia unus est Deus: Hinc dicit Abraham in Jeczira de creatione, Unus spiritus Deus vivens; benedictus ipse & benedictum nomen ejus, qui vivit in secula. Vox, & spiritus, & Verbum, & h. e. Spiritus S. duo spiritus ex spiritu. Et Rabbani in libro, de speculatione scripsit; Hi tres, qui sunt unum, inter se proportionem habent, ut Unus, Uniens, Unitum, h. e. principium, medium & finis. Hæc etiam est nostra intentio, quod Iod sit unum, & Vau uniens, ac duo extrema spiritus, unum: Vnde Vau ut plurimum usurpatur pro copula apud Hebræos: Sic etiam in mundo videmus, quod per spiritum æthereum intellectualis anima in mundum inferiorem introducatur: Sic legimus, quod natura sit vinculum intermedium, cuius nexu duo contraria iunguntur; videlicet lux divina in carcere tenebrosi allucitur, & in eò ad corporis usum, rationem videlicet vitam, & motum retinetur: Sic Christum Iesum dicimus mediatorē & nexum, per quem colligamur, & communionem habemus cum patre: Atque hoc modo habemus præsentiam Tetragrammati per universum mundi spiritum expansam: Vnde dictus est Iehova esse in cælis, & in terra; Et dicitur, quod cæli sint locus solij ipsius, & terra scabellum pedum ipsius; ac si diceretur Iod extra summum cælum tanquam caput, & \aleph locus humerorum, ac Vau locus solis visibilis, atque pedes in \beth infimo. Sed de his infra luculentius.

\aleph He litera Hebraica apud Cabalistas est symbolus spiritus respirationis, & denotat hunc mundum seu præsens seculum, quemadmodum Iod seculum futurum: Vnde liquet, quod sit hieroglyphicum spiritus mundani, sive aquarum, quarum massam superiorem ab inferiori dividebat firmamentum, cuius hieroglyphicum est Vau . Est hæc litera rotunda, & cum Iod coniuncta arguit lucem primæ die creatam; vel cum Vau arguit aquas tertiæ die creatas & tenebris ad centrum repercussis proximis: Vnde per aquas, ex quibus omnia facta sunt, intelligebat Moyses imaginem \aleph nominis Tetragrammati, quo omnia sunt facta.

\beth Vau est symbolum vinculi spiritualis; Vnde uncinum & retortum denotat, quasi hamus retinens & coniungens res contrario modo se habentes; videlicet lucem cum tenebris, calidum cum frigido, & elementa litigantia concordia pace uniens: Et unitas super He \aleph quinque, in Vau , arguit modum, quo res omnes discordantes uniuntur: Est ergo Messia hieroglyphicum, cuius unione harmonia universalis & concordia completur. Atque hoc modo habemus illud

universi mundi exemplar, ante mundi creationem in Archetypo prolatum; ad cuius imaginem mundus creatus triplici divinitatis in tenebris aspectu, hoc est, tribus prioribus creationis diebus efformatus est.

Hac igitur horum nominis ineffabilis characterum symbola (Lectores novitatis fortassis cupidi) vobis declarare ac aperire opera pretium existimari, quo ad sequentium intellectum facilius pervenire possitis. Quomodo autem Microcosmus, de quo hic agimus, in nomine hoc divino comprehendatur, ex demonstratione sequenti apparebit.



Homo ergo Microcosmus, & mundus ille magnus sensibilis communicant in mente; mundus item corporeus & intellectualis communicant in vita, vel Metatron, quam Cabalista animam mundi visibilem vocant & intellectum agentem primi mobilis una cum natura coelesti, tanquam inferiori; & cum natura angelica tanquam superiori & intellectuali; atque tandem ille mundus Γ communicat cum mundo incomparabili Iod; cujus emanatio seu inens est anima Messia, & quasi essentia quaedam utriusque mundo, & intellectuali & divino continua; Nec interstitio ullo anima Messia, & lucis Iod, seu Elhai distant: Sed est Iod seu Elhai fons lucidus aquarum viventium, & anima Messia est rivus coruscans vita. Sed de his infra copiosius.

C A P. III.


Quomodo nomine ineffabili Tetragrammati numeretur mundus?

MVndi proportio numeralis, qua ordinatur atque primum in diversas regiones distribuitur, ac deinde in orbem natura differentes subdividitur, ex numerali nominis ineffabilis Tetragrammati $\Gamma\aleph\aleph\aleph$ respectu consistit: Nam in loco priori ternarij numeri cubum extrahimus; secundum quem mundi radix, quadratum, atque cubus, & per consequens eius perfectio producitur. Consideremus ergo nomen ineffabile in suis partibus seu literis, & inveniemus, quod Iod denotet 10. Γ prius quinque, & Vau sex, ac \aleph posterius seu ultimum, quinque; quibus numeris simul additis producentur Viginti sex, cui producto si iterum Aleph, quod est unitas, addatur producentur Viginti septem, qui est cubus ille numeri ternarij, cujus laudes Plato in suo Timæo, de mundi productione tantopere cecinit: Vel, aliter operando, invenimus in nomine hoc ineffabili tres literas ab invicem differentes, videlicet $\aleph\aleph\aleph$: Vnde numerum hunc ternarium in se ducendo, productum iterum in radicem ductum proferet 27. Atqui si ad minutias ulterius progredi voluerimus, productum numeri ternarij $\aleph\aleph\aleph$ in se ducti erunt 9. Ergo si ter novem secundum ternarium predictarum

lire-

literarum ordinem disposuerimus, hoc modo 999. denotabunt novem mundi radices, seu Angelorum ordines, & novem ejus radices quadrata seu orbis firmamenti, ac novem ejus numeros cubicos seu elementorum sphaeras, quorum alibi copiose mentionem fecimus, Hisce igitur si Aleph addatur, videlicet unitas, conficiet numerum millenarium, hoc est, Aleph magnum, quod secundum numerationem Hebraeorum denotat mille. Atque ita numeratur gradibus exactis & numeratione vera mundus universus, videlicet omnes evidentes spiritus differentia à circumferentia seu peripheria descendendo ad inum usque centrum. Sed & totius spiritus mundani mysteria ex his nominis ineffabilis partibus depromuntur, quatenus numerum quinquaginta sapientiae seu intelligentiae partium ex his elicimus; Nam ה, denotans mundi spiritum, bis in hoc nomine reperitur; Ducatur ergo ה in ה, hoc est, quinque in quinque, & prodibunt 25. qui numerus secundum duplicitatem ה per 2. multiplicatus numerum quinquagesimum patefaciet. Possimus etiam numerum 70. Angelorum, quibus datum est provincijs 70. terra praesse, iidemque duos illos columnares ex hoc nomine ea via producere: Nam י denotat 10. & יה 15. & יהו 21. & יהוה 26. Quibus simul additis conficiuntur 72.

Sed quoniam illorum postea ampliore mentionem faciemus, brevem tantum hujus rei demonstrationem per effigiem hic expressimus.



C A P. I V.

Quomodo mundus in virtute nominis ineffabilis libris justitiæ ponderetur, & ponderibus consentaneis commensuretur.

SI spiritus mundani pondera consideraverimus, ea ex literis nominis Tetragrammatici percipiemus: Cum enim י Iod sit extra omnem rerum naturam, (nam ea ratione Deum extra omnia esse dicimus) ideo יו m Deum

Deum Echieh seu Iod, rerum mundanarum iudicem justum, & benevolum, dextraque librarum natura trutinam seu stylum perpendicularem tenentem, ac omnia ponderibus iustitie, hoc est, secundum meritum materia trutinantem dicimus: Levia ergo in unam posuit lancem, graviaque in lancem ei oppositam compressit; moderator autem seu perpendicularis iustitie trutina seu lingula est spiritus intermedius.

Videmus ergo, quod puritatis, simplicitatis, & tenuitatis lanx est illud γ He, quod Iod propinquius existit, altera vero ei opposita est γ ultimam atque infimum; in quod grossa & gravia tam opaca, quam diaphana, videlicet aqua & terra, ceteraque elementa includuntur: Harum lancium moderator vel lingula, seu stylus iudicij & iustitia est Vau; quod est moderator, mediator, atque verus ponderis utriusque gubernator: In quo Tetragrammati elemento quoniam unitas super valorem He reperitur, per illam (inquam) unitatem trutina Vau, tanquam per funem seu chordam à Deo Iod sustentatur, qui est iudex; Vau autem est mediator veritatem & sinceritatem, quasi testimonium veritatis coram iudice proferens.

Simili plane modo Messias testimonium producit eorum, quæ in cælis sunt, & quæ in terra, ipse est sola veritas, sapientia, & iustitia, per quam res qualibet in honore pro dignitate sua exaltatur, vel dedecore in inum secundum meritum suum deicitur: Sic igitur propter materia seu spiritus cæli Empyreæ puritatem & simplicitatem facit, ut ejus substantia in præstantissima honoris lance sursum versus fontem lucidum attollatur; sed è converso cælum elementare deorsum, versus inferos propter ejus impuritatem, grossitatem, gravitatem, atque tenebrosam densitatem deprimi sinit; In medietate vero est Vau, dextra ipsius Iod seu Iehova sustentatum; cuius etiam spiritus virtute & copia exaltatur γ prius, & è contrario eiusdem inopia supprimitur γ ultimum: Sic enim videmus, quod Iehova sapientia sua cuncta ea secundum iustitiam suam componendo disposuit; & tamen ipsa sapientia divina radicem suæ essentia in patre habet, cum filius à centro patris egredi dicatur: Sic enim Messias, sive Deus naturalis, seu potius Deus in natura, seu virtus Tetragrammati descendens in naturam humidam, eique dans existentiam, eo modo annectitur ad Iod fontem lucis, & radicem arboris divina in natura, ut ipsa à Iod non magis separari, atque dividi possit, quam radius solaris à Sole.

Videmus ergo in mundi compositione, quod, ut Vau est nexus seu vinculum, & quasi coniunctio copulativa, connectens superius γ cum inferiori, sic etiam firmamentum sit illud, quod tum distinguit, tum etiam coniungit Spiritum Emmentem cum spiritu elementari; hoc est, separat aquas superiores ab aquis inferioribus; & tamen nexus ac copula est, per quam, & qua mediante mens mundana in infimam mundi regionem adulando introducitur.

Sed ut testimonia huic nostræ opinioni astipulantia ex literis sacrosanctis producamus, legimus Proverbior. 3. 19. quod Iehova Deus cælos sua sapientia statuerit. Hic ergo lingula statera natura luculenter declaratur esse Vau, seu sapientia Iehova in suo tabernaculo solari fixe permanens: Deinde invenimus Job. 38. 37. Qui fecit ventis pondus, & aquas appoluit in mensura: Hic ergo dua trutina lances cum materia in ijs contenta exprimuntur: Nam per ventos intelligere videtur spiritus tenuiores, qui in superiori lance γ trutinantur, (siquidem, ut supra declaratum est; γ est symbolum spiritus, respirationis, & venti) & per aquas arquere voluit spiritus grossos in γ infimo, seu lance magis depressa contentos.

Istam autem ponderum naturalium inæqualitatem denotare videtur Sanctus ille Iob in eodem loco hiis verbis; Quis numeravit cælos in potentia? & quæ descendunt de cælis; quis quiescere fecit? cum duretceret pulvis in duritiem illam, & glebæ sibi invicem adhererent: Similiter ille idem sapiens capit. 26. 7. dicit, quod terram suspendent Deus super nihilum, & aquas ligaverit in dentis nubibus: Hic ergo ponit Vau Deum in natura pro lingula trutina veritatem indicante, terram pro lance infima, & nubes pro lance superiori iuxta illud, Job. 25. 5. Cælum intuere, & contemplare nubes superiores, ut sint altæ super te; quæ omnia suspendi atque ligari in proprijs suis locis asseverare videtur. Sed audiamus obsecro, quid dicat Divinus Mercurius Trismegist. Pimand. 3. hoc in casu; Floruit, (inquit ille) splendor sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit; Diique omnes feminalem naturam diligebant; Cumque indistincta fuissent, levia postmodum in excellentiam regionem provolarunt; gravia sub arena humida resederunt: Distinctis vibratisque rebus, quæ igneo spiritu vehabantur, emicuit cælum septem in circulos. Quid ergo aliud hic vult Sapiens ille, quam quod spiritus levis sursum vehatur, gravi autem deorsum, & quod res omnes igneo spiritu, hoc est, trutina Vau γ eleventur, vel ob ejus defectum deorsum, versus peripheria centrum precipitentur.


Est ergo axis statera huiusce mundana; seu naturalis, axis mundi; cuius pars suprema est polus arcticus, seu borealis, vel Aquilo; qui in altum versus cælorum cacumen sublimalatur, Eius vero terminus oppositus est quasipolus antarcticus seu Australis, qui versus profundum terra deprimitur: Huius vero axis meridies est ipse Phœbus in sua exaltatione, qui Vau sive Messia palatio attribuitur. Nec quidem differunt hac ab illo viri tam sapientis quam patientis sermone Iob. 26. 7. Aquilonem extendit Deus in altum super inane & vacuum, hoc est, fecit cælum gyrate super polum Aquilonarem & suspendit totam terram in inum super nihilum.

Ex quibus evidenter liquet, quod Tetragrammaton spiritum universum in duas partes per firmamentum dividens, quamlibet earum ponderibus varijs in mundo disposuerit. Hinc igitur inquit, Job. 28. vers. 25.

Aquas

INTRODUCTIO.

Aquas appendit Deus in mensura; ponebat pluvijs legem, & viam procellis sonantibus; Et Job. 37. 15. Nostine libramenta densæ nubis? Hac autem clarioris demonstrationis gratia sic depinximus.



SECTIO.



SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARTIS I.

Liber I.

De

PRINCIPIIS SUPERSUB-
STANTIALIBUS.

C A P. I.

*De trium principiorum increatorum productione; primum in mundo su-
peressentiali; & tum postea in mundo creato; Et quomodo
Aleph tenebrosum in Aleph lucidum
convertatur.*



RES numerationes primæ ex decem illis divinis à Cabalisticis enumeratis, (videlicet **כתר** *Cheter* seu corona; quæ essentia divinx **אהיה** *Ehieh* refertur, ac particulariter representat patrem; & **חכמה** *Hochma*, id est, sapientia, quæ refertur ad nomen sacrosanctum **יהוה**; & **בינה**, *Binah*, id est, prudentia seu intelligentia, cui attribuitur nomen Dei **אלהים**) dicuntur à Cabalisticis tres numerationes summæ & supremæ, quæ sunt quasi sedes una, in qua sedet *Sanctus, Sanctus Sanctorum, Dominus Deus Sabaoth*; quarum trium summarum Cabalisticæ artis numerationum (quas Christiani *tres in divinitate personas* vocant) infinitudo & absolutissima essentia cum sit in a bysso tenebrarum retracta, & otiosa sine ulla actione externa manens, hoc est, ad nihil respiciens, (secundum illud *Mercurij Trismegisti. Asclepiad. Monas ante mundi fabricam generavit Monadem, & in seipsam reflexit ardorem suum*; & juxta illud *Psal. 18. 11. Fecit tenebras locum suum secretum &c. quoniam, ut ait M. Trismeg. Pimand. 1. noluit mutare formam suam, sed Genes. 1. 2. Tenebrae fuerunt super faciem abyssi, vel juxta illud M. Trismeg. Omnia in lumen jucundum non fuerunt conversa, nec umbra horrenda à facie mentis in humidam naturam subter lavebantur, vel, ut verbis Prophetæ Regij utar, *Psal. 17. præ splendore in conspectu ejus tenebrosa nubes non transierunt*), idcirco dicitur illa essentia ab Hebræis **אין**, id est, nihil, sive non ens, ac non finis, hoc est **אין סוף**; quia nos tanta in rebus divinis ingenij paupertate laboramus, ut de ijs, quæ non apparent, haud scelus, atque de ijs, quæ non sunt, judicemus, ea non esse dicendo, quæ captui nostro non revelantur: Atque hinc est, quod **Alpha tenebrosum** (nimirum juxta illud Prophetæ *Psal. 18. 11. Deus faciens tenebras locum suum secretum. & aquis nigerrimis circumseptus, quæ velamenti loco ipsi inserviebant*) appellatur; quod nihilominus in **Aleph lucidum** pro placito suo convertitur: Unde scriptum invenitur, *Sicut tenebra ejus, ita & lux ejus*: Atque hæc quidem conversio Aleph tenebrosi in lucidum declaratur per illud *Mercur. Trismeg. Pimand. 1. Et subito mutavit formam suam; Et ecce omnia conversa sunt in lumen jucundum &c.* Similiter *Psal. 17. Præ splendore in conspectu præsentia ejus, nubes transierunt, & apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum &c.* Et quando Aleph exire voluit, ac è tenebris immensis se patefacere, tum ipsum Cabalisticæ vocaverunt Aleph magnum, quatenus apparet per lucidam suam præsentiam rerum omnium causa per **Beth** proxime sequentem*

rem literam: Nam juxta Mnahem Racanat, litera hæc, scilicet ב Beth facit res omnes; Quapropter א Aleph eandem tanquam propinquissimam & fecundissimam literam sibi jungit atque recipit; atque tunc nuncupatur Pater omnis generationis & productionis, statque ita אא, id est, Pater. Deinde assumptum ב Beth rursus ablegat in universitatem entium ex infinito אא, id est, finem suum consequi desiderans: Quare finalem literam נ Nun coniungendo cum ב Beth, generat אב, id est, filium; quæ prima est productio in Deitate ac principium alterationis: Unde cognominatur אבא, id est, principium, tamen si sit secunda emanatio infinitatis, hoc est secunda Cabalistica numeratio, per quam omnia facta sunt: Unde scriptum relinquitur; *Omnia in sapientia*: Atque hoc modo primus effluxus est secunda numeratio; quia terminus generationis est filius: Restat autem medium in verbo אבא inter Aleph & Nun, quod est י Jod; quippe quod est nota sancti nominis יה Jah: cujus ambo characteres si alternis vicibus nomini אבא interferantur, erit אבא, id est, intelligentia, prudentia, seu providentia; cui attribuitur Adonai Spiritus, &c.

Ex his igitur videmus Cabalistarum opiniones in emanationem ordinibus secundæ ac tertiæ proprietatum ab eodem Alpha, seu eadem Deitatis essentia, videlicet à corona, seu patre, seu radice; Beth, Sapientia, Filius est prima luminis supersubstantialis emanatio; ex quibus ambobus intelligentia, prudentia, seu Spiritus secundaria emanatione provenit; ac si quis dixerit; A patre filius seu Verbum & ab utroque Spiritus Sanctus; Vel secundum considerationem mundanam, Deus, mens, & Spiritus intellectualis, vel Deus lux, & Spiritus universalis, qui Spiritui Sancto inter res creatas refertur. Atque hoc modo verificatur illa Davidis assertio *Psalm. 33. 6. Verbo Domini firmati sunt cæli & spiritu ab ore ejus omnis virtus illorum*: quippe ubi Jehova, ejus Verbum, & Spiritus enumerantur, ac opificio mundano & proprietatibus distinctis in machinæ sphericæ structura differre dicuntur: Nam verbo suo Deus opus illud in figuram pulcherrimam disposuit, atque spiritu suo virtutem, motum, atque actionem spiritui, ex quo illa fabrica erat composita, adhibuit: Alpha ergo tenebrosus erat quoad captum humanum, priusquam mundo illucescebat, & vocabatur Alpha minus; quatenus erat sola unitas; imo vero totius unitatis unitatum fons & origo; quo nihil minus, subtilius, aut magis exiguum cogitari potest: à quo in idea Archetypi effluxit Beth, seu dualitas; hoc est Monas à Monade; quoniam unum & unum faciunt duo; & deinde per alteram unitatem fit reflexio in se, ita ut in unitate inveniatur Trinitas, & in Trinitate Unitas: atque ita Trigonus Sacrosanctus in idea superessentiali producit, priusquam tenebræ illuminantur, & dum Aleph dicitur tenebrosus ad imaginem illarum rerum, quæ secundum hujus divinitatis typum in mundo fabricando proferri debent; ad exemplum videlicet Architecti, qui constructurus domum solet primum ejus figuram & partes in mente intentionaliter delineare, priusquam opus suum realiter in actum deducere aggrediatur. Porro etiam Archetypus Aleph tertia sua emanatione, vel suæ unitatis seu entitatis repetitione radios suos in se reflexit non aliter, quam datis duabus lineis angulum facientibus necesse est, ut ad reductionem harum linearum in unam naturam superficialelem tertia addatur; unde fit triangulus; quod si fiat, progressio erit ab unitate in infinitatem, atque subito tenebræ in ictu quasi oculi illuminabuntur. Sed hæc primaria distinctio unitatis divinæ in proprietates, hoc est, egressio primum à puncto quasi ad lineam, & deinde à linea ad superficiem, denotat intentionem divinam esse, rem superficialelem primum producere; Et quia ille numerus ternarius in se ductus constituit novem, ideo hujusmodi essentiali progressionem à numeris simplicibus denotat, in mundi opificio talem etiam fieri debere proportionem: Unde ad imaginem primariorum emanationum prima apparitione Aleph lucidi in mundo tres mundi cæli, ordine distincti, Verbo firmati sunt, & virtute Spiritus animati: Unitas dixit; Dualitas fecit compositionem, & Trinitas virtute cōplevit; Locutor pater fieri jussit, & Verbum filius jussum fecit; at spiritus Locutoris & Verbi omnia virtute perfecit. Sic ad novenariam dispositionem in forma primæ emanationis Archetypi, quæ linearis erat, primum cælum in novem Angelorum ordines divisum est; itidemque secunda, quæ superficialelem est, cælum medium in novem orbem; & infimum quod Cubicum est in novem similiter regiones est distributum. Sic Aleph lucidum & manifestum dicitur magnum, quoniam se extendit à circumferentia ad centrum usque; quod consistit in proportionem millenaria; Nam primum cælum ex numeris denarijs conflatur, secundum ex centenarijs, & infimum ex millenarijs, uti in *Tractatu nostro De numeris divinis* declaravimus; ultra quæ numerum non est progressus: Atque hinc est, quod Aleph magnum in numeratione Hebraica denotat mille: Nam, ut latitudo Aleph minoris sunt 9. videlicet 3. in se ducta; quibus si addatur partium Aleph, producit Aleph lucidum; sic, si juxta Platonis intentionem, 9. disponantur secundum ordinem unitatum radices ipsorum, hoc modo 9 9 9. atque Aleph illis addatur, producet Aleph magnum, videlicet mille; quod est terminus rerum creatarum, seu finis aspectus Aleph lucidi & revelati à suo supersubstantiali folio ad centrum machinæ creatæ.

CAP. II.

Quomodo Aleph parvum seu tenebrosum in sua unitate mystice illud ineffabile nomen Tetragrammaton Jehovæ, in se comprehendat; & per consequens, quod Aleph magnum & lucidum sit nihil aliud, quam ipse Jehova symbolice descriptus.

SAnc mirum vobis non videatur, quod Hebraei non modo creatorem, verum etiam ipsas res creatas per literas symbolice significaverint; Nam quamvis literæ illæ, quibus hodie utuntur Hebraei, sint mortuæ quoad nos; & quasi figmentum hominum, quibus intentiones rerum in scriptis indicentur, nos tamen dicimus, quod originaliter hi characteres ab ipso Deo in principio Adam fuerint traditi formaliter, hoc est figuris igneis in tenebrosa hyla, tanquam in libro universalis, descripti; Unde elementa dicti sunt, quasi Hylementa, hoc est materiales rerum essentias importantia, quemadmodum in *Iezirah* Abrahæ luculenter explicatum est: Unde Zoar dixit, quod Adam veras & proprias rebus appellationes imposuerit, componens omne nomen cuiusque rei per literas, quæ denotant insubstantias astrorum pro ministerio & servitio rerum, quas denotant, destinatarum; Quæ quidem literæ sunt quasi partes corporis, & accentus sunt loco spiritus & vitæ: Atque hinc est quod Cabalists dicunt, Deum tempore legem in globum igneum per ignem fuscum super ignem candidam, ut Rambam Gerundensis refert; secundum illud *Deuteronom. 33. De dextris eius ignea lex us*. Hinc etiam est, quod Cabalists volunt, cuilibet literæ aliquam in creatione creaturam attribui. Sed inter has literas tres posuit Abraham in suo *Iezirah* patres seu fundamenta, ex quibus universus mundus fabricatus est, videlicet Aleph, Shin, & Mem; ex quibus Aleph patri refertur, Itatens omnia, Mem filio, stititens omnia, & Shin Spiritui Sancto seu igneo, omnia vivificans: Nam Mem symbolice arguit aquam universam, & Shin ignem, virtutem atque actum ei attribuentem: Atque ita tres divinitatis sanctæ & individue personæ è sacrosancto & superessentiali æternitatis tabernaculo in deformitatis abyssum ad mundi structuram egressæ sunt: Quæ quidem omnes in ineffabili nomine Tetragrammati non aliter comprehenduntur, quam illud ipsum nomen in Aleph nullo seu obscuro ante mundi creationem more symbolico & mystico comprehendebatur; ita ut Aleph magnum & lucidum seu apparens nihil aliud sit, quam Jehovæ in mundi creatione præsentia: Quod quidem nomen ante principium sine Aleph significari non potuit; quatenus Aleph erat unitas & simplex, atque Jehova Tetragrammaton, hoc est, ex quatuor consistens: Et proinde vis atque essentia illius nominis mystici in unicam & principalem literam Aleph redigitur: Nam, ut mihi videtur, יהוה Jehova erat Alpha primum, & ensentium, in quatuor literas seu characteres dispositum ad mundi, secundum similitudinem Aleph creationem. Unde Jod est caput & summa corona in creatione, denotans numerum denarium, in quo Aleph ingreditur in compositionem, & ejus tres partes consequentes mundi regionibus correspondent, ut infra declarabimus. Quod autem יהוה Jehova symbolice in S comprehendatur, evidenter declaratur eo, quod in Jehova est Jod, quod significat decem, & duplex He, significans idem Arithmeticè, quod Jod. Nam bis quinque sunt decem, & præterea ibi reperitur Vau. Examinemus ergo partes ipsius יהוה; & inveniemus partim Arithmetico valore, & partim Geometrica figurazione has quatuor in eo literas יהוה. Nam ejus ala dextra est Jod, videlicet propria sua dispositione ordinatum sic יה, ejus vero ala sinistra est aliud Jod; sed modo contrario dispositum, sic יה; declarans hoc ipso, quod ibi pro duplici יה constitutum; ita ut ejus contraria dispositio declaret Arithmeticam illius æqualitatem cum יה. Denique corpus Aleph est ipsum Vau sic designatum יהוה. Atque ita in unitate seu litera primaria Aleph S quatuor literæ יהוה ratione Cabalists comprehenduntur. Ex quibus videmus, quod ineffabile nomen Tetragrammaton sit Alpha & Omega; videlicet Aleph parvum, id est, unitas, & Aleph magnum, sive numerus millenarius; ultra cujus denominationem non est progressio; & per consequens evidens est, quod Jehova sit absolutissima Dei natura substantialis, absque ullo rerum creandarum respectu, quatenus est Aleph occultatum & tenebrosum, quoad captum humanum; & tamen quod sit etiam illud exemplar mirificum, secundum quod Macrocosmus creatus dicitur, similitudo creatoris, ut in sequenti capite plenius indicabimus.

C A P. III.

Quod verbum ineffabile Tetragrammaton sacrosanctæ Trinitatis proprietates in mundi creatione contineat: & quomodo partes, seu literæ illius mundi compositioni & constitutioni referantur.

PROfecto, si Aleph lucidi partes aut vocabuli Tetragrammati literas diligenti intuitu introspe-
rimus, percipiemus, illud esse speculum politissimum, in quo figura atque effigies Macrocosmi
quam exactissime characteribus vivis delineatur: Atque hinc est, quod יהוה nomen mirificum re-
fertur ad חכמה Hochma, id est, sapientia, qua omnia fecit Aleph, quod est unitas, corona, & pater, ac
Jehova sine respectu, hoc est, *Verbum* ab Aleph tenebroso egrediens, *quo firmati sunt cæli*; Quæ qui-
dem, quamvis secunda sit numeratio, seu emanatio, seu Sephiroth; tamen principium ideo dicitur,
quoniam ab eo fabricatus est mundus; Hæc est prima processio à patre in latibulo tenebrarum oc-
cultato in materiam seu aquam universalem tenebris deformatam, ut eas mundificaret, & omnem
immunditiam terram ad centrum sua præsentia depelleret juxta illud Sapientis, *Prov. 8. v. 22. Sapien-
tiam possidebat Iehova in principio via sue; ante opera sua, ante ullum tempus, ante seculum inuncta fuit; ante princi-
pium, ante primordia terra, cum nulle essent voragine seu abyssi, edita fuit, cum nulli essent fontes abundantes aquis,
antequam montes fundati essent, & ante colles formata erat; cum nondum erat terra, cum cælos aptaret, ibi erat, cum
statueret ambitum in superficie abyssi, cum fortificaret superiores nubes superne, quando roborabat fontes abyssi, quando
ponebat mari statutum suum, & aquis, ne transgrederebantur, præstitutum oris ipsius, cum statueret fundam. nra erro, e-
rat sapientia apud eum velut alumnus cuncta componens, ludens coram eo omni tempore &c.* Atque hinc D. Joann.
illam vocat *Verbum Iehovæ, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est, item princi-
pium rerum, imo vero & ipsum Iehovam, in quo erat vita rerum creaturarum; quæ ita erat lux hominum; Et
illa lux in tenebris tam universalibus, quam particularibus lucet, & tenebræ non comprehendunt illam, qua-
tenus scilicet est incomprehensibilis & infinita; In mundo erat, & mundus per ipsum factus est &c.* Ex qui-
bus eadem evidenter liquet, quod Sapientia Dei est ipsum Verbum ejus; quod est ejusdem cum
eo essentia supersubstantialis, & per consequens in Tetragrammato ineffabili comprehenditur, &
est quasi ipsum Tetragrammaton seu Jehova, qui fecit omne, quod factum est, efficacia sui spiritus:
Totius ergo Macrocosmi idea in hoc speculo incomprehensibili à capite ad calcem, hoc est, ab ejus
circumferentia ad fabricæ centrum conspici & cerni potest; imo vero in ejus exacta idea & secun-
dum ejus exemplar omnes mundi partes numerantur, mensurantur & ponderantur: Unde Dei Ar-
chetypi idea nuncupatur: Nam quod ad mundi numerationem attinet, invenimus, quod prima li-
tera יהוה, videlicet Jod, denotet decem, & secunda ה quinque, & tertia ו sex, & ultima ה quin-
que: Quibus simul aggregatis producentur 26. atque si his נ addatur, quod est unitas prima, con-
stituentur 27. Vel aliter progrediendo invenimus, quod in nomine יהוה הוה sint tres solummodo
literæ differentes: qui numerus in se ductus producit 9. seu quadratum, denotans totidem sim-
plices angelorum ordines, & totidem cælestium sphaerarum mobilium orbis, nec non & regiones
in mundo elementari: Nam 9. iterum in radice multiplicata producent 27. qui sunt gradus, quibus
mundus mensuratur; Et, si more Platonico rite disponantur tres illi numeri 9. hoc ordine 9 9 9. o-
stendent mundi numerationem unicam, quamvis Cabalisticæ hoc præstare velint numeris atque vijs
triginta duabus; videlicet 10. Sephirothis, & vrginti duabus literis formalibus & sanctissimis He-
bræorum.

Ex his igitur videtis, quod machinæ seu opificij mundani semidiametrum partibus seu gradi-
bus 27. commenturaverimus, ejusque integrum número 9 9 9. secundum ineffabile nomen Tetra-
grammaton distinxerimus. At verò jam videre liceat, quomodo figuram ejus sphaericam atque cir-
cularem elicere possimus. Debita igitur observatione adhibita percipiemus, quod omnes ejus no-
minis literæ non sint solummodo vocales verumetiam circulares atque sphaericæ in numeris, quos
producunt, linearem quadratum sive cubicum: Sic denotans 10. in se ductum, quadratum 100.
profert; quod iterum ductum in 10. producit 1000. atque ita de denario numero in denarium in in-
finitum: Sic ה, id est, quinque in se ductum affert 25. pro quadrato, & 125. pro cubo: Similiter, ו, de-
notans, 6. in se ductum facit 36. quæ iterum in 6. ducta producent 216. qui numerus est ejus cubus:
Quod quidem nulli alij numeri facere solent præter hos tres; quare numeri isti perfecte sphaerici di-
cuntur. Porro etiam si valor Arithmeticus literæ ה fiat centrum alicujus sphaeræ, & sphaera illa in
partes decem æquales dividatur, atque 9. per diametrum opponantur 1. & 8. 2. per alium, & 7. 3. & 6.
4. & 5. observabimus apertis oculis, quod quinque & decem sint literæ circulares & sphaericæ, ut
in *Tractatu nostro de numeris divinis cap. 16.* perspicue demonstratur: Cujus demonstrationem hic no-
tavimus.



Ita ut his rationibus declareretur, quod omnes literæ nominis ineffabilis Tetragrammati sunt orbiculares: Nec mirum est, quod Deus elegerit proportionem & figuram talem ad nomen suum ineffabile mundo indicandum, cum figura spherica sit omnium capacissima, copiosissima, & perfectissima: Atque hæc est ratio, quod quamlibet ex 27. Semidiametri partitionibus in totidem peripheriarum sectiones divisit, quas spheras sive orbis appellavimus; secundum quas ille, à quo petijt Moyses nomen ejus, respondit; *Ego sum qui sum, qui sum, & qui ero*: Hic, inquam æternitatis pater flexibus rutilis quotidie se omnique mundi tempore, ab ortu in occasum, & ab occasu in ortum modo mirabili rationeque incomprehensibili convertit: Similiter, si rerum mundanarum pondera, & distinctam cælorum librationem, quibus trutinis justitæ in spiritu vasto suspenduntur, in nomine יהוה investigare, & quali in speculo contemplari voluerimus, totam in eo mundi proportionem Geometricam, & in pondere dispositionem hoc modo oculis apertis secundum nostram speculationem invento reperiemus. Sit Jod initium, seu prima Tetragrammati litera, tanquam Aleph lucidum, incipiens in hylæ deformitatem vultu luminoso & splendido intueri; cujus aspectus deorsum ad terram vel centrum exprorectus dispositionem totius machinæ rotundæ semidiametri alterat, & sui aspectus naturæ ac perfectioni conformat: Atque hinc dicitur Genes. 1. statim post lucis creationem; *Et vidit Deus lucem, quod esset bona, &c.* Deinde *fecit firmamentum in medio aquarum, quo divisit aquas, quæ sunt sub firmamento, ab illis, quæ erant supra; Et factum est ita;* Et postea in creatione terræ & maris dicit Moyses; *Et vidit, quod esset bonum.* Ex quibus manifestum est, quod Deus bonitate lux essentia (quæ solummodo est bona, & nihil aliud) fecerit universam mundi materiam per participationem suæ bonitatis sibi similem. Examinemus igitur naturam litterarum formalium ipsius Tetragrammati; & inveniemus, quod in omnibus conveniat cum partibus ipsius mundi; quæ tales ab ijs factæ sunt, quales & ipsæ ab æternitate extiterunt: Atque hæc est causa, quod anima mundi in æternam virtute ineffabili & sempiterna creatoris sui Jod denotat Deum patrem, qui pater est luminis; quæ quidem litera formalis apud Cabalistas idem illud sonat, quod Jehova: Cujus luminis fluxus atque emanatio prima transiens per spiritum intelligitur per primum ה , quod denotat spiritum & reirationem, immediate inter spiritum superiorem & simplicissimum (quem spiritum Domini attribuimus, quatenus ille super istum ferebatur) & spiritum ultimum ה qui spiritui grosso seu aquis sub firmamento comparatur: Vau igitur symbolum est filij seu Verbi, cum patre Jod, virtute & vinculo prioris spiritus, seu primi ה junctum; ita ut prius purissimis aquis seu spiritui referatur, quæ supra firmamentum sunt, & posterius ה aquis, quæ sub firmamento colliguntur; atq; Vau est quali firmamentum, seu firmamæti animæ, separans aquas priores & spirituales ab aquis densis & corruptibilibus, vel gluten benevolum copulans & uniens aquas tam inferiores quam superiores: Quod quidem Vau est illud Verbum Domini, quo firmati sunt cæli, seu firmamentum, juxta Prophetæ Regij sententiam, quod *posuit tabernaculum suum in Sole*, vitam rebus inferioribus assidue impluens; quippe in quo est vita & lux in tenebris lucens, ut apud D. Johannem habetur: Imo vero hoc est vinculum illud, quod spiritum divinum & supercælestem conjungit cum illo elementari & corporeo; sine cujus

nexu inviolabili natura tam divina conditionem tam vilem subire non potuit, qualis est, spiritum densum & mutationibus obnoxium primum ingredi, & tum postea cum eo conjunctum corpus tam opacum inhabitare: Atque hinc est communiter, quod Vau pro conjunctione copulativa, & ita quidem frequenter, accipitur apud Hebræos, connectens præcedentem dictionem cum sequente: Est ergo Jod pater illuminans, cujus lucis emanatio per η seu aquas puras prima die penetrans fecit die secunda firmamentum sua præsentia, separans aquas puras seu spiritus superiores ab aquis impuris & inferioribus, quæ etiam spiritus densi sunt; & tandem sua præsentia, mundificatis aquis inferioribus die tertia, & fæculenta earum immunditie ad centrum repercussa, *tabernaculum suum posuit in Sole*: Quare notandum est, quod literæ in Tetragrammato ita disponantur secundum naturam & positionem partium mundi, quæ ab essentia ineffabili dictarum literarum formalium profluxerunt: Unde fit, ut inter cælum Empyreum, seu aquas spirituales, & elementare cælum seu aquas densiores & magis visibiles firmamentum, & in ejus medio solare, Divinitatis tabernaculum situm sit, quod relationem habet tam ad inferiores aquas, quam ad superiores; quatenus per mare spirituale, videlicet per η prius recipit dona & successionem luminis à patre Jod, quæ iterum dispensat in aquas inferiores, per η posterius significatas, & creaturas in ipsis degentes: Atque harum aquarum subtilior pars aer dicitur, media Aqua, & grossa atque fæculenta ipsa terra. Hociusque modo habemus mundum cum ejus partibus virtute nominis magni Tetragrammati ponderibus justitiæ in suis proprijs locis suspensum; videlicet virtute Verbi & Spiritus Sancti, à Jod primum, & postea à Vau procedentis: Unde fit, ut in mundo duplex aquarum inveniatur differentia; Sic etiam in nomine ineffabili Jehova duplicem, seu geminam literam η deprehendimus.

C A P. IV.

Quomodo ex literis Jehovæ rationem valetudinis & agritudinis eliciamus; Et quomodo Jehova sumatur vel ex parte misericordie, vel iustitiæ & punitionis.

EX præcedentibus colligere potestis, quod in Tetragrammato mirabili, Jod est quasi ipse Deus extra omnem materiam è regno suo æterno atque supersubstantiali in hylæ vastæ viscera prospiciens; & quod reliquæ subsequentes nominis ejus literæ ab invicem differentes sint duæ Trinitatis sacrosanctæ proprietates seu emanationes, in tenebras sese immergentes; Quarum quidem η He, quæ litera spiritus, respirationis, venti, & omnium rerum spiritualium (quæ, teste D. Petro, *ex aqua, per aquam*, imo vero & *ipsa aqua* tam subtiles quam spissæ sunt) est symbolum Spiritus Sancti, emanatione tertia, videlicet à Jod ex una parte, & à Vau ex parte altera procedentis: Unde η prius in $\eta\eta$ est spiritus, vel aqua spiritualis nobilissima, subtilissima, & salutifera; imo vero est ipse fons vitæ propter igneam illam emanationem, quæ immediate processit ab ore Jod, in folio æterno super altissima machinæ sphericæ seu cælorum cacumina extra omnem materiam sedens, cujus spiritu igneo & pretioso spiritus ille ipsi proximus sacer & salutifer dicitur, nestarijs vitæ radijs undique repletus, & spiraculo quasi vitæ præditus. Primum igitur locutum est Jod, & Vau ejus Verbum, verissima vitæ arbor, juxta flumen immensum Paradisi supercælestis, vel mare spirituum pretiosorum atque aquarum seu laticis vitæ ramis seu radijs infinitis ab ipso Jod seu Tetragrammato in cælo Empyreico plantata; Et spiritus ab utroque procedens, dictus est *ferri super aquas* illas arden-tes atque deformes; è quarum elementis quicunque conflati sunt, immortales redduntur, nunquam ægrotare solent, passionem & perturbationem à caligine procedentes haud patiuntur; quemadmodum in intelligentijs seu angelis cujusque ordinis, in illo mari benedicto viventibus percipere possumus: Imo vero hunc vitæ laticem per Verbum & Spiritum infundere solet Jod in inferiora; quo Paradisus ille inferior etiam pro salute creaturarum & præcipue hominum impletur: Quod quidem nobis cecinit Psalmista ille Regius. *Psalm. 36.* his verbis; *Misericordia & benignitas Jehovæ è cælis est &c. Homines & jumenta conservas Jehova: Oh quam pretiosa est benignitas & misericordia tua; cum filij hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiant; Vberime implentur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das ijs: Quandoquidem penes te est fons vitæ; in luce tua fruemur luce &c.* Imo quidem hæc est illa misericordia & gratia, seu pinguedo domus Dei, quæ est verissimum vitæ balsamum, quod longe superat naturam peccati, uti *Rom. 5. 20.* docetur: Atque hinc *Psalm. 85. Misericordiam ostende nobis, & salutem da nobis: ac si dixisset, quod salus proveniat & obveniat hominibus mediante misericordia Jehovæ. Et Sapient. 16. Misericordia tua adveniens sanabit filios, quos venenatorum Draconum superarunt dentes: Et ibid: Neque herba neque malagma sanabit eos, sed tuus Domine ser-*

mo, qui sanat omnia: Similiter Job. 10. 12. *Vita benignitatem exercuisti erga me, & visitatio tua conservavit Spiritum meum:* Et Proverb. 3. 18. *Vita ari or estprehendentibus sapientiam:* Et Proverb. 10. 11. *Vita scaturigo perfundit os iusti.* Proverbior. 11. Similiter, quod vita hominis sit Spiritus Jehovæ, docemur Genes. 2. 7. & Deuternom. 30. 20. *Ipsè Jehova vita tua est, & longitudo dierum tuorum;* & sic in cæteris; Quibus docemur, quod Spiritus immediate prima emanatione essentialis claritatis, & purissimæ visionis Dei imbutus sit salutifer, atque vitam aquis superioribus, omnibusque creaturis in ijs degentibus attribuens. Unde fit, ut primum He prima die creationis ipsi Jod conjungatur, & sit He Jah: atque ita illuminatur spiritus humidus, seu aqua subtilis superior videlicet primum He per primam emanationem ab ipso Jod: Sic enim factum est cælum Empyreum; Sic *primam omnium creaturæ est sapientia, & intellectus prudentia ab ævo; cuius fons est Verbum Dei in excelsis,* hoc est in throno Jehovæ super substantiali, ut ipsa Ecclesiastici verba habent cap. 1. 4. Et hæc est ratio, quod hoc cælum intellectuale dicitur; cujus intellectus patiens radijs Dei immediate à Jod Tetragrammati procedentibus inactuat; Quæ quidem virtus lucida intellectus dicitur agens; qui est quasi arbor aurea vitæ à radice æterna Jod, quod est Ehieh, emanans; cujus procellus in priori etiam Ehieh dicitur, quod fluat extra: Atque hoc modo Jod in prima processione in materiam conjunctum cum He, suprema spiritum seu aquarum portione faciens Jah vel He, denotat rationem, qua Deus, ab unitate se dilatans, puncto & simplicitate sua in lineam materialem migrare incipit ad rerum omnium creationem: Nam, ut duo numeri constituunt numerum primum, & duo puncta lineam minimam, ita etiam Jod, quod est punctum procedens à sua unitate in unitatem materiæ, producit lineam seu dualitatem; Atque ut ante mundi creationem nullum habuit nomen præter unum, ineffabile, & simplicissimum, videlicet Jod, secundum essentiam ejus unicam actum, sive Aleph lucidum & apparens, (quod quidem idem est, quod Tetragrammaton mundi idealis,) sic etiam post ejus vultus in hylen immisionem omnia nomina, quæ sumpta sunt ab operibus ejus, ipsi attribuantur: Unde illud nomen unicum & occultum Tetragrammaton ei appropriatum vocatur nomen reparatum, in quo est participatio: Alia vero ejus nomina gloriosa significationem habent cum participatione, quatenus *sumpta sunt ab operibus, quæ uni inventa, ut testatur Moyses Ægyptiacus:* Est igitur ejus nomen primum, ab opere primo adsumptum Jah, He, nomen essentia, meriti, & attributionis: Unde invenitur in Psalm. 130. 3. *Si iniquitates observaveris Iah, &c.*

Hæc Jod nominatur, quatenus in tenebras prospicit: Et iterum Exod. 15. *Fortitudo & laus mea Iah;* quatenus per sapientia creationem fortitudo fortitudinis in mundum producta est, juxta illud Hermecis Trimegisti in tabula Smaragdina; *Hæc est virtus fortitudinis fortitudo fortis, quia vincit omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrat; Sic mundus creatus est, &c.*

Similiter Jah denotat benignitatem erga totum mundum mundique creaturas: Nec mirum, quia Jod, quod est patris symbolum, denotat clementiam & miserationem, quatenus est patris officium misereri filiorum, juxta illud Psalm. 103.

Quare Jod, quod est genitor He spiritus, hoc est, illius in esse productor, virtute suorum radiorum illum sua misericordia undique implet atque inactuat: Atque ab hac ejus benignitate & gratia in tenebras infusa Spiritus supremus preparatur, Spiritus Jod super illum fertur, & ille sic illuminatus vocatur lux primo die creata; à cujus plena influentia, & Jod Tetragrammati occulti gratia & benignitate res in potentia deducuntur in actum. Angeli ex simplici igne seu luce Jod, & spiritu He procreantur, Metatron seu mundi anima naturæ præponitur, vitæque cuilibet rei creatæ communicatur.

Oh infinita rerum potentia, & ineffabilis Jod bonitas & misericordia, qua res omnes tenebris & oblivione obruta à captivitate lethali ac trahi in lucem & esse, ac de potentia in actum producuntur: Nonne est hoc admirabile benignitatis & misericordiae indicium? Imo vero ab hoc benignitatis fonte, ab hac sapientia creatæ origine, ab hoc Verbi superessentialis nectare, & vero auro potabili, ab hoc balsamo divino, & non ab alio profluxit creaturarum valetudinis tuerdæ ratio, ægitudinis arigendæ remedium, Diabolicarum injuriarum propulsandarum modus, & infernalis rabiei acritutis suppressendæ ratio & medicamen; imo vero & ipsius mortis (quæ in ipsum orbem malitia Diaboli primum incipit) veneni extinguendi seu extirpandi, ipsiusque lethalis ictus & violentia suppressendæ potentia; in quo nec morbus, nec violentia, nec mors, nec naturæ impedimentum ullam; quippe in quo est concordia, unitas, vita, actus, & lux, quæ omnibus omnino tenebrarum actionibus resistit: Hinc Psalm. 80. 4. *Luce faciei Dei salvabimur.*

Hoc igitur He est principium rerum creatum, vel potius Spiritus creatus per unionem atque influxum lucis increatæ ipsius Verbi in cum; cujus præsentia admirabili totus ille Spiritus He, à He ita illuminatus, dicitur lux creata; quamvis sit Spiritus solummodo per præsentiam lucis increatæ ex hylæ potentia in actum deductus: Unde Spiritus ita creatus propter illuminationem suam, & lucis in eo dominium dicitur lux; quæ tamen lux, si simpliciter accipiatur pro emanatione à Jod
increa-

in creato, est penitus increata: Et proinde medium seu spiritus per quem lux per universum orbem transfunditur, dicitur creari; lux vero in eo navigans est una & eadem emanatio à patre & fonte luminum Jod, sive Aleph lucido: Sed diversarum emanationum nominatio, à quibus decem Cabalæorum Sephiroth seu nomina divina provenerunt, procedit non à lucis alteratione, sed à varietate spissitudinis vel tenuitatis Spiritus sive medij, in quo vehitur: Nam lux est semper eadem, & ipsarum creaturarum, ac rerum omnium anima, esse, & vita; quippe quæ nihil aliud est, quam vel proxima vel remota præsentia Dei.

Hinc ergo aperitur illorum error, qui Philoſophos Ethnicos ideo condemnaverunt, quod *Naturam* appellaverunt Deum, & ipsum Deum, *naturam*: Nam cum de natura locuti sunt, intellexerunt illam, quam ignem invisibilem vocaverunt, à quo Zoroaster & Heraclitus cuncta esse genita docuerunt.

Ex quibus patet, quod per naturam innuere voluerint lucem essentialem in universali natura humida natantem; ac si dicerent Spiritum igneum & Sanctum Jod, qui ferebatur in & super aquis, vel Spiritu universali: Nam talis lux est de vera & simplici essentia ipsius Jod, seu Tetragrammati; ita ut ab æterna ejus natura non magis separari possit, quam radius solaris, qui est indivisibilis, à Sole.

Et quamvis lux hæc divina se extendat per universum Macrocosmum creatum, tanquam ab unitate procedens in multitudinem materiæ, radij tamen ejus non aliter adligantur suæ radici, quam rami alicujus arboris stirpi & origini suæ.

Atque hæc est ratio satis licita & haud contemnenda, propter quam Democritus, & Orpheus, ac multi Pythagoreorum cuilibet rei Deum aut animam quandam præesse, omniaque Dijs plena esse sunt opinati, quibus divinos statuerunt honores, precesque & sacrificia eidem dedicaverunt, ac diverso cultu & veneratione eos sunt profecuti: Sed tandem has omnes animas seu lucis species ad unam mundi animam reducendas, Deosque omnes ad unum Jovem referendos agnoverunt.

Hinc igitur inquit Plato; *Ne loquaris de Deo absque lumine*: Et quidam in sua arte chymica exerte clamant, quod *nihil, et in ipso firmamenti circulo, quod majorem Dei similitudinem præ se ferat, quam mundi anima & ipsum lumen*: Imo vero, inquit ille, *qualibet res tantum sibi Dei vendicat, in quantum capax est luminis*.

Atque hæc est ratio, quod Augustinus lib. De libero arbitrio ait; lucem primum in corporibus tenere locum. Nonne etiam, ut ad fontem totius veritatis revertamur, dicit Psalmista, *Psal. 103. 1. & 104. 19. Lux est Dei amictus & vestimentum*? Nonne etiam legimus apud D. Joannem, *Verbum fuisse in principio apud Deum, & quod omnia facta sint per illud, & sine illo nihil, quod factum est? siquidem in ipso erat vita, & illa vita erat lux hominum, & lux illa in tenebris lucet, & tenebræ non comprehenderunt illam: Et hæc erat illa, quæ erat in mundo, & mundus per ipsam factus est, & mundus eam non cognovit*.

Quibus quidem verbis Apostolus videtur exactissime totam illam doctrinam confirmare; quam Moyses *capite primo Genesios* produxit; quippe qui luculenter ibi loci nos docet, quod *Verbo Domini FIAT vel SIT, & spiritus illius, qui ferebatur super aquis, à patre & filio procedentis præsentia, lux, vel spiritus potius mirum in modum ornatus & creatus fuerit die prima*; Nam lux creationem non patitur, quatenus est verus Jehovahæ actus, ab ipso immediate è Sanctis cælis emissus ad res spirituales, seu aquas in ventre hylæ occultatas creandas, hoc est, de tenebris & quasi nihilo in lucem & actum producendas.

Hic igitur animo propenso detegimus, quomodo natura ipsa dicatur Deus, videlicet, quatenus lux Jehovahæ, quæ est essentialis ejus emanatio, inest in natura universali humida; quam etiam Ethnici dixerunt Deum, materiam creatam, pro essentia & forma divina seu luce sacrosancta creante male accipientes. Atque hoc modo Deus consideratur in concreto, varia sibi recipiens cognomina secundum opera, & non secundum esse: At vero quatenus Deus, Aleph tenebrosum, in abstracto consideratur, cætenus absque ullo ad res creatas respectu sese habet, hoc est, simplici & infinita sua essentia in regno suo supersubstantiali, & sublimi æternitatis folio, super altissimum suæ machinæ rotundæ culmen seu apicem, & extra omnes aquarum limites triumphanter sedet. Ex quibus luculenter patet, quomodo Deus revera dicatur intra & extra omnia, & quomodo ubique ac nullibi inclusive existat, quomodo quoque infinitus sit & nullo termino comprehensus. Habemus igitur hoc modo visionem intellectualem ipsius Jah, seu primam emanationem ipsius Jod; quod est symbolum ipsius Tetragrammati ineffabilis, implens totum spatium trium numerorum primariorum 999. In qua quidem intercapedine, primo die in lucem edita, consistit juxta Cabalistas & Platonicos simplicissima Spiritus portio. Atqui nos propter rationes in numeris divinis allegatas illud primum mundanum spatium, cæli Empyreï nomine donatum, numeris denarijs attribuimus; quoniã illa creationis pars consistit ex compositione duorum, videl. lucis & Spiritus, ex quibus angeli sunt creati: Unde, ut numeri denarij sunt ex duob. cõpositi, videl. vel ex digito & cyphra,

vel ex duobus digitis; sic etiam hoc cælum ex consimilibus partibus est productum. Similiter, ut cælum medium est superficiale seu triangulare (quæ quidem figura Geometrica est omnium simplicissima) ita etiam ejus compositio refertur ad numerum centenarium, qui consistit ex tribus, siue sint digitus cum cyphris, siue digiti cum cyphra, siue omnes tres digiti: Sic etiam cælum infimum, quatenus ex elementis quatuor constituitur, ex quibus corpora producuntur, numero millenario comparatur, qui ex quatuor constat denominationibus; Ita ut novem numeri simplices seu digiti quam exactissime mundo æternitatis conveniant, cujus harmonia numeris simplicissimis connectitur; ad cujus exemplar harmonia mundana producta est: Nam unitatis imago est numerus denarius; à qua, ut decem unitates ordine promanant, ita etiam à denario numero, decem numeri denariorum; & sic in cæteris; ad quorum etiam exemplar producuntur decem numeri centenarij; & ab illis ulterius numeri millenarij formam suam deduxerunt. Jam vero probabimus, quod in productione ipsius יה Jah in mundum omnia jam tum primo die creata, & postmodum creanda, mirabili ordine comprehendantur: Quibus etiam declaratur, quod primum in Jod, & deinde in ipso יה Jah totum illud mirificum nomen Tetragrammaton continetur. Si igitur acie oculorum mentis introspeciamus naturam ipsius יה Jah, percipiemus, ipsam mystice possidere universam mundi & creaturarum ejus creationem, quatenus illa in eo characteribus vivis, sed abditiis more occulto & abstruso reconduntur: Nam hoc vocabulum יה aperit quinquaginta essentiarum & intelligentiarum portas, seu, januas, per quas in creaturarum penetralia illa eminentibus indicijs in operibus sex creationis dierum designata, & a Cabalistic studiose deprehensa receptaque intramus; de quibus Comes Mirandolanus inter suas nonaginta Conclusiones ita scripsit; *Qui, sciverit, quid sit denarius in Arithmetica formali, & cognoverit naturam primi numeri sphericæ, sciet secretum quinquaginta portarum intelligentiæ, & magni Iubilei, & millesimæ generationis, & regnum omnium seculorum.*

Rem autem istam debita examinatione ex יה Jah elicere possumus: Nam Jod litera prima, significans 10. est ille numerus denarius in Arithmetica formali; atque ה, significans quinque, est primus numerus sphericus, uti supra, & in libro de numeris divinis luculentius declaratum est. Quare, si numerum denarium formalem, in numerum primum sphericum duxeritis; videlicet Jod, י, in He ה producet quinquaginta intelligentiæ portas; quarum superior & ultima, videlicet quinquagesima, erit illa, quæ viam ad ipsum Tetragrammaton seu ipsum Jod nudum & vestibus exutum in propria ejus essentia contemplandum patefaciet. Ad quadragesimam ergo nonam intelligentiæ januam dicitur Moyles virtute Metatron angeli, seu anime mundi; pettigisse; hoc est, tam alte speculatus est naturam divinam, quam alte homini mortali concessum & datum est, ad eam pertingere, id est, ad supremum naturæ gradum accessum habuit, videlicet ad realem ה primarij contemplationem & primam Jehovah emanationem, spiritum illum illuminantem ac informantem, pervenit; Juxta Rabbi Joseph Castaliensem, in horti lucis volumine dicitur, quod *Moyfes, Dei servus cognoverit lumen vestimenti ejus, & Sabbathum Sabbathorum, & Iobeleum superius & millesimam generationem. Quod totum nihil aliud est, quam mundus superior idearum, angelorum, felicium animarum, &c.* Quæ omnia per יה, hoc est, illuminatione ה seu spiritus supremi per faciem & vultum Aleph magni & lucidi significantur; qui se extendit ad millesimum mundi gradum, videlicet 999. & Aleph, hoc est, ad fundum aquarum secundarum ה, videlicet ad machinæ centum. Attigit, inquam, Moyles ad cognitionem & mysteria cælorum creatorum, & existentium in illis creaturarum per Metatron angelum; qui, ut accipitur pro mundi anima, ita etiam Moysen omnia naturæ & creationis mysteria occulta docuit, quatenus ad cognitionem Dei à rebus naturalibus, scala Jacobi ascendere debemus, ad essentiam æternam inquirendam, quæ est super omnem naturam: Ita dictum est, *Moysen vidisse Deum à posteriori*, hoc est, ultimo & propinquiori ejus vestimento ornatum, videlicet spiritu ה; hoc est quatenus erat Jah יה: Atqui ad simplicis Jod seu Aleph naturam & perfectionem pertingere non potuit: Nam indumentum ejus, quod erat ה per Jod illuminatum transcendere, & faciem ipsius Jod, hoc est, Dei in simplici ejus essentia videre nequivit: Quare recte à Cabalistic una ex quinquaginta portis caruisse fertur: Unde dixit Deus Moyli *Exod. 33. Faciem meam videre non potes; sed vocabo nomen Tetragrammaton coram te;* hoc est ostendam tibi universam naturam à facie mea in ה priori, & י medio, ac ה, ultimo seu infimo; sed mysterium Jod י non cognosces.

Suprema igitur porta unus creator omnium à nullo homine, nisi à Messia plane cognoscitur; Atque hinc scribitur, quod *nemo cognoscat patrem præter filium, & nisi per filium:* Est enim Messias lux Dei, & lux gentium; ideoque ipse cognoscit Deum, & Deus cognoscitur per eum. Sed de his *infra* efficacius. At vero jam tandem videamus, quomodo virtute ineffabilis Tetragrammati in Jah symbolice inclusi, septuaginta duo angeli illi cæli istius supremi ה lumine immenso undique stipati, producantur; ex quibus septuaginta datum est idealiter & more abstracto gubernare in ה supremo; realiter vero & in concreto in ה infimo septuaginta provin-

provincijs terræ præsidere; ac duobus columnaribus, ignis videlicet & nubis columnarum præsidibus incubuit, ut aëlis in ministerium salutis itinere ex Ægypto præfesset. Si igitur 9. sphaera regionis He ה spiritualis in se ducantur, producent 81. à quibus si novem unitates abstrahantur & harmoniæ divinæ ac supersubstantiali attribuantur, non restabunt nisi 72. qui est numerus dictorum Angelorum; atque hi etiam in nomine Tetragrammati more Arithmetico sic continentur ויהוה: Nam Jod denotat 10. Jod, & He, 15. Jod, He, & Vau 21. Jod, He, Vau & He 26. Quæ omnia simul juncta produ. ent numerum angelorum cæteris præfidentium, videlicet 72. Sed hoc etiam ea via declaratur. Cum Angelus sit alteritas, utpote ex duobus, videlicet spiritu ה; & luce ex Jod emanante constans (nam in Jah hac ratione respicendæ nobilissima Angelorum natura) & Deus, Jod, seu Aleph sit identitas, prima vero alteritas sit binarius, recte opinamur, quod ex binarij multiplicatione Angelorum numerus oriatur: Sic enim bis tibi bis faciunt octo, qui est cubus primus; Octonos vero quosque angelos si in novem choros distribueritis, erunt 72. Tot enim sunt novies octo. Redite ergo, si vultis per choros ad cubum, per cubos ad Tetractyn seu Tetragrammaton, & ab eo ad binarium, angelicam naturam significantem, itemque inde ad unitatem Jod, seu Deum Opt. Max. Et experiemini quod ea via, si huic rei studium applicuerimus, per angelos jungamur Dei, Tetragrammato ineffabili Jod, He, Vau, He, in quo primum nobilissima angelorum istorum natura respicendæ. Sed ad propositum nostrum directe redeamus: Conclusivè ergo dicimus, quod Juh, quæ est prima emanatio à Jod, per additionem scilicet ה He cum Jod, vel conjunctionem luminis sacrosancti cum spiritu detormi cæli supremi sit creatus spiritus ille in lucidam substantiam, mutatus qui dicitur lux primo die creata. Hinc ergo patet, *benignitatem & misericordiam Dei Jod*, (quæ per Jah secundum Cabalistas symbolice denotatur) esse *supra cælos exaltatam*: Unde etiam Propheta Regius Psalm 36. dicit; *Misericordia & benignitas Iehovæ e cælis est, fides ejus usque ad superiores nubes &c. id est, utque ad ה immediate à Jod effluens*; Nam per nubes superiores spiritum limpidum & aquas lucidas super firmamentum politas designare videtur; è quibus, hoc est, è cælis summis benignitas Jah descendit in terram ad vivificandas aquas, quæ sunt sub firmamento, & ad infundendam vitam in creaturas ibidem conditas, juxta illud Psalmistæ, Psalm. 33. *Misericordia & benigne plena est terra: Nam verbo Iehovæ facti sunt cæli, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Atqui è converso benignitas & salus mundo producit ab uno extremo, videlicet à fonte lucido, & ab alto influit in inferiora, videlicet ab ה, immediate procedens à Jod vel Aleph lucido, & ad ה ultimum seu aquas sub firmamento existentes transmissa & infusa; ubi morborum, alterationum, atque discordiæ ratio abundat propter aquarum infimarum propinquitatem circa alterum extremum; quod tenebræ inhabitant; cujus princeps est Diabolus; de quo dictum est Sap. 3. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum &c.* Et Sap. 1. 1. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione vivorum; Creavit enim omnia ut essent, & sanabiles sunt nationes orbis terrarum; & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra &c.* Ex his igitur patet, quod potentior sit misericordia Dei in propulsandis morbis, tam animi, quam corporis; quam malitia Diaboli in inficiendo eos toxico suo pestifero & mortali; quippe quæ est fortitudo omni fortitudine fortior: Atque hoc etiam innuere videtur Apostolus Rom. 5. 20. ubi inquit, quod *misericordia & gratia longe superet naturam peccati*: Imo quidem sanat Iehovæ suos à veneno Draconum & serpentum misericordia sua, & sermone suo, qui sanat omnia, non herba neque malagmate, ut Sapient. 16. habetur: Nam Messias est virtus Dei, & operatur in virtute Tetragrammati, atque est prima emanatio à Jehova, & salus ac pax creaturarum: Unde scriptum est; *Venit hominis filius salvare, quod perierat Matth. 18.* Quod quidem de Messia exaudiendum est, non quoad ejus corpus, sed respectu virtutis spiritus benignitate pleni; qui est emanatio essentialis & primaria à Jehova: Hinc Christus, non herbis nec medicamentis Pharmacopæorum, sed mirifica Tetragrammati virtute non modo per solum contactum, verum etiam & Spiritus sui divitiis afflatu, ac vocis solius prolatione omnia morborum genera sanavit, hoc est benigna Jehovæ virtute & divino misericordiæ afflatu, quo abundabat; imo vero & homines emortuos in vitam, ac pristinum integritatis & sanitatis statum ineffabili suavi & virtute revocavit ac restituit, uti in novo testamento passim ejus rei documenta & testimonia extant. Sed de his capite sequenti copiosius diccuremus:



*De positione Vau literæ inter utrumque He; deque firmamenti die tertio
facta productione; similiter de magno Metatron
Angeli mysterio.*

UT jam ad secundam Dei productionem, & ipsius firmamenti creationem perveniamus, intelligendum est, quod cæli firmati nihil aliud sint, quam ipsum firmamentum: At *verbo Domini firmati sunt cæli*, teste Psalmista; Ergo etiam Verbo Domini factum est firmamentum intersecans ac dividens aquas superiores ab inferioribus: Factum, inquam, est firmamentum; hoc est, in actum productus est spiritus ille medius, qui æthereus dicitur, per præsentiam atque actum lucis factos sanctæ; quippe quæ sese cum eo miscuit, eumque clarificavit atque informavit, Atque ita virtute Jehovæ in creata creatus est spiritus intermedius inter aquas seu spiritus subtiliores, & illos grossiores ac densiores, tam lucidos quam opacos. Hinc ergo patet, quod æterna hujus cæli virtus sit media inter supercæleste Dei patris sui solium & terram istam, atque inter aquas subtiles & grossas, inter Deum & hominem, inter mentem & corpus. Ab illo igitur descendunt vitæ & sanitatis dona ad universa inferiora, quibus aer putridus corrigitur, ignis malitia in pacis societatem adducitur, aquæ amaræ dulcedinem recuperant, corpora ægrota convalescunt, & generatione incrementum recipiunt, vegetabilia quasi mortua quotannis revirescere & multiplicari observantur. Atque hæc omnia dona à summa illa sapientia, seu angelo Metatron, seu universali mundi anima, seu prima emanatione à Jod, in mundum influere solent, ut *infra* declarabitur. Dicimus igitur, quod, postquam irradiatio prima à Deo informavisset primum \aleph seu mundi partem supremam, descenderit in locum medium tenebris obrutum, & induent ibi formam \aleph denotantis Arithmetice figuram 6. adeoque comprehendentis \aleph & \aleph hoc est quinque & unitatem, quæ faciunt 6. ita, ut sub forma literæ Vau inter duo \aleph \aleph nominis \aleph \aleph interponatur, indicans inde \aleph seu spiritum medium, & \aleph seu unitatem in eodem spiritu; non aliter quam \aleph in principio ingrediens in \aleph primum arguebat unitatem in compositione: Uade fit, ut \aleph superius additum Jod, atque ita faciens \aleph Jach, significet, Deum seu rerum Ens: Sic etiam Vau, Spiritui jam creato, videlicet \aleph He inferiori postpositum facit Hu, hoc est ipsum; quod quidem vocabulum scribitur cum Aleph. sic \aleph \aleph : Nihilominus \aleph non pronunciat, sed ibi exprimitur ad repræsentationem symbolicam Trinitatis in illa unitate, quæ excedit \aleph quinque, & constituit \aleph sex. Hoc etiam denotat aperitius Tetragrammaton \aleph \aleph \aleph \aleph Ehieh; ubi \aleph ponitur pro Jod; & Jod in medietate loco Vau, arguendo, quod Jod in medio firmamenti significet Vau, hoc est Unum & \aleph vel unum super He. h. e. i. cum duab. c. o. centenarium numerum arguens. Atque ita Ens primum in supremo spiritu, ac ipsam in medio, hoc est, idem Ens in medio, & quasi ipse Messias seu virtus Tetragrammati, seu mundi anima, quæ est angelus Metatron, ut in suo spiritu creato consistit, in quo est nomen Dei Sadai per numerum æqualem secundum Cabalæorum calculationem; qui dicunt, hunc esse, Angelum illum, de quo locutus est J. hova dicendo *Exod. 25. Quoniam est nomen meum in illo*, hoc est in corpore spirituali, seu humido spiritu universæ naturæ; In quo Jeshova, seu Ehieh, id est, corona Jod per sigillum suum \aleph \aleph mundum sigillasse à Cabalitis fertur, & dicitur \aleph \aleph , id est verum; quippe quod in se ipso multiplicando nascitur: ita ut \aleph \aleph , cum sit mundi sigillum, impresserit in hunc mundum medium atque etiam infimum: Qua quidem impressione reliquit effigiem ipsius \aleph & \aleph , hoc est Patris, & Verbi, simul per Spiritum \aleph in unitatem conjektorum: Quare, ut communis sigilli characteres ad amissam relinquuntur in cera, eamque ex massa deformi informant; sic etiam Ehieh, per hoc sigillum \aleph \aleph , Patris effigiem, cum unitate Spiritus \aleph ab eo procedentis, & admirabilem Verbi in eo natantis præsentia tanquam signacula in mundum visibilem introduxit; quibus mundi quidem intellectualis idea in infimum & sensibilem infusa est, illum ex tenebris sublimatum ad suam imaginem struens atque ædificans, vivisque Verbi, in mari mundi visibilis navigantis, characteribus omnia secundum æterni locutoris institutum vivificans, creans; & disponens. Ex Jod ergo, & \aleph hujus sigilli divini imprimuntur spirituales Mentis divinæ atque intellectuales characteres animæ rationali: Atque \aleph Vau illos in spiritum æthereum influentes cum spiraculo vitæ miscet, ut hæc omnia in corpus humanum opacum & elementatum infundat, quo loco animæ corpori inserviant: Vau igitur seu Verbum est cælorum & creaturarum immediatus auctor. Ex hisce igitur patet, quod Natura ipsa ideo Deus, sed male, à Philosophis antiquis nuncupetur, quoniam ipse Deus, seu Verbum, quod est Deus, sese naturæ humidæ immiscet: Et proinde rem creatam male pro creatore acceperunt; videlicet pro Verbo, quod est Deus in natura; cujus spiritu & virtute cuncta vivunt, cunctaque talia, qualia sum, existunt. Nam Deus non dictus est Verbum, nisi quatenus proprietatem a locutore habebat, ut in res creandas, & earum continuationem in mundum ex ore locutoris effunderetur, cum sit idem essentia cum prima persona loquente, videlicet unus Deus; At tamen proprietate differunt, quoniam Verbum prolatum est in mundum seu naturam humidam, & locutor est in suo regno abique ullo materiæ respectu; Et tamen hæc duæ personæ sunt essen-

tia unum & idem: Sic videmus in homine, quod verbum non dicitur, priusquam profertur in aërem seu humidam naturam; & tunc mediante Spiritu vox editur, ac à voce verbum procedit, cum tamen Spiritus hominis loquentis, & verbi in aërem editi seu emissi sit idem essentia, & ejusdem entitatis. Nonne hæc omnia verbis manifestissimis confirmat Mercurius Trismeg. *Primand. 1.* ubi in hæc verba loquitur, *Primander, mens divina potentia mutavit formam suam, & universa subito revelavit: Cerebam enim immensum quoddam spectaculum; omnia videlicet in lumen conversa suave nimum atque emicandam.* Hoc est ipsum Aleph obsecram, seu mens divinæ potentia, in actum mundi egrediens, sed ubi ipsi relucens, subito fit Aleph lucidum vel in denario numero se duplicans in forma Jod, emanatione sua lucida jam in hylen deformem ingressum est, atque omnia occulta & umbris obrepta apere fecit; hoc est, et convertitur in lucem, vel lumen jucundum, atque ita vocatur illud *illuminatum* lux primo die creata. Sed jam, ut obseveremus, quod prima ista emanatio sit Verbum in umbra & illuminans, velim ut ad sequentem Sapientis sermonem attendatis, qui est hujusmodi; *Paulo post umbra quadam horrenda obliqua revolutione subterlabatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabilem vultu exagitantem; inde formis quidam magnis in sonitum erumpebat; ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam: Ex hac luminis voce Verbum factum prodit: Verum hac natura humide aëreas tam forebat, &c.* Quibus indicare videtur Photiophus, quod est Jod unitate Tetragrammati primum promanavit in sonitum, tanquam à fonte luminis in primum, expellens tenebras ab eo, occultum n. manifestando; & quod Spiritus, in tenebris obliqua revolutione subterlabentibus inclusus, auid que pulcherrimam & Deogenitam atque superessentialem lucem, emanatione prima ab æterna mente Jod emillam amplectens, virtute divina hic in eo inclusa, fiat eruptio à tenebris, & in eruptione vox edatur ac cum voce Verbum, quod est virtus primæ emanationis, à Jod, seu J. h. o. v. sonans; atque edicitur non vana, sed fortitudine ita efficax, ut sonet & sonitu loquatur; verbumque ita enunciatum, & sermonis sententiam characteribus igneis & formalibus in Chaos fuscæ superficiem ita imprimit, ut impossibile sit, quin sequatur effectus, secundum illud sacrum, *Nullum & ne apex quidem aut iota ex verbis ejus caderit in terram;* hoc est, perbit, aut in vanum proferetur; Et alibi; *Verbum Jehovah manebit in æternum.* Est, inquit, hic, luminis vox, seu vox ipsius Jod, seu luminis pars primum in He. A. prodita; unde cælum Empyreum, ex cuius elementis puris intelligentiæ cujusque generis procreantur, factum est; Deinde in *medium*, quod in Vau comprehenditur; & factum est firmamentum; ac denique in *et* ac denique in *ultimum* Jehovah; & factum est cælum infinitum: Quæ quidem tres cæli, ex aqua magis grossa vel subtili constantur, & pro majori aut minori emanationis divinæ dominio, ab invicem discernunt: Nam quo magis prædominatur simplicissima illa Deiformis essentia in mundo, eo purior, mundior, magis perspicua, & subtilior est mundi seu spiritus humidi, seu aquæ pars. Hinc itaque D. Jo. *inn. c. 1. Verbum erat in principio, id est, umbra seu hyla infinita, Et Verbum erat apud Deum; & Deus erat Verbum: & hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est: In ipso erat vita, & lux hominum: Et lux in tenebris lucet (id est, in umbra horrenda) & tenebra non comprehenderunt illam; (hoc est, erumpebat ex tenebris, & sonitum edebat) &c. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est &c.* Ut ergo Deus, Aleph tenebrosum, fuit prima unitas extra mundum creatum, & ante ejus creationem, ita etiam prima lucis ejus emanatio, per quam Verbum, Messias, seu Virtus Tetragrammati in mundum ingressa est, jam vero quæ est ipsum Verbum, quod est ejusdem essentia cum Aleph Jod, J. h. h. & Tetragrammato; loquitur: Ut itaque Aleph erat prima unitas in mundo Archætypo & ideali, mundi fabricandi figuram idealem delineans; sic ejus Verbum, per Vau in *et* expressum, est unitas & principium mundi idealis, in realem dispositionem atque formam sensibilem illum reducens: Atque hinc in Zacharia scribitur, quod Deus Tetragrammatus erit *אֱלֹהִים* id est, unus, & nomen ejus *יהוה*, hoc est, unum: Et vocatur, *א. & ו. & י ה.* id est, unum, ut qui est principium unius: Quod tamen proprie dicitur de Verbo, ut in Apocalypsi intelligitur: Et tunc invenio, quod Deus *א* non dicatur unum, sicut nec Ens; quatenus est supra omne Ens, utpote à quo emanat omne, quod est. Unde à maxime contemplativis appellatur *אֱלֹהִים*, id est, non Ens; prout legitur *Exod. 17. Num est Ens Adonai, aut non Ens:* Et alibi vocatur *אֱלֹהִים יְהוָה*, id est, Ens, & non ens: Quatenus enim est in ente spirituali creato, dicitur ens, quod est Verbum; At vero, quatenus est extra omnem respectum ad rem creatam, eatenus dicitur non ens, quia omnem entitatem transcendit. Atqui vobis hoc loco innotescere volui, quomodo characteres Hebraici cum natura rei conveniant: Nam *אֱלֹהִים*, significans Deum, quatenus est non Ens, & extra omnia, habet in se *א* significans Deum unum in simplicitate essentia super substantialis in se consideratum absque progressionem in numerum; & *יהוה* est Deus in fine numeri simplicis novenarij inventus, ubi paratus est ad ingrediendum in materiam; atque ut Ens primum seu primum spiritum non dicatur, finitur ejus processus per finalem literam Nun: Quibus innuere videtur hæc vox Hebraica, quod Deus non egrediens ultra numerum simplicem, pro Ente accipi non debeat: Deinde, ubi accipitur pro Ente, ibi videmus *א* inter *א* & *ו* inclusum & permixtum, hoc est, inter materiam & formam, seu spiritum humidum & ignem; quos ambos Jod ipsum quasi nutrit: Atque ita videmus, quomodo Deus sit in natura, dum tamen non est ipsa natura; Videmus etiam, quomodo dicatur Ens; videlicet quatenus ens in esse producit;

ducit: Similiter cernimus, quod Verbum sit in medio, tanquam inter ignem & Spiritum. Sic sonum videmus (ut tamen, salva semper divinitatis celsitudine, super cœlestia cum terrenis comparemus) è tormento bellico egredi in medietate Spiritus nitrosi & ignis sulphurei. Atque ut hoc Verbum sacrosanctum à centro Jod Parris in 7 He, Spiritu & luce ignea munitum atque stipatum, egressum est; ita èt frequèter ambulare solet in sphaera æqualitatis, ubi Spiritus & lux æquali pondere & mensura permiscantur, seu in ipsius animæ mundi centro, quod in centro firmamenti delineatur, Nam scriptum est, quod *posuerit tabernaculum suum in sole, vel fecerit solum tabernaculum suum*: Unde superiora & inferiora trutinis lancibulque justis atque æqualibus moderari videtur: Imo vero & mediator est inter Patrem & homines; à quo quicquid boni per influentiam accepit, in homines, & omnes alias creaturas affluenter & gratiose sua virtute, passim per universum mundum creatum extensa, infundit. De hoc Verbo loquitur Paulus. *Timoth. 1. 2.* dicendo; quod *unus mediator Dei & hominum sit Christus*: Idem *Galat. 3.* *Ordinata per angelos in manu mediatoris*. Porro etiam legimus, quod ipse Christus in multis sacrarum literarum locis *Angelus nuncupetur*: Et Cabalita videntur eum intelligere per *Angelum Metatron* in quo nomen Dei *Sadai* est scriptum; qui secundum eorum traditionem erat prima res omnium rerum creata; quarum perfectionem ipsa tenet in se: Unde & ipsum dixerunt mundi animam, atque etiam ipsum per illam sapientiam intellexerunt, cujus mentionem facit Ecclesiasticus c. 1. his verbis; *Sapientia prior omni creatura, & intellectus prudentie ab avo: Fons Sapientia Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata eterna: Radix Sapientia cui revelata est, & astutias illius quis agnovit?* Sed videte, obsecro, intentiones Cabalæorum & ipsius Sapientis: Nam per *Metatron Angelum*, seu *Spiritum sapientia*, quem prius, ante omnia creatum dixerunt, intellexerunt spiritum creatum, lucis que in creatæ radijs informatum, & undique insertum atque illuminatum: Nam nullus angelus, ut antea dictum est, potest esse identitas, sed est alteritas, quatenus de duobus est compositus: At illa emanatio nobilissima, & simplicissima, mere formalis & superessentialis pro Verbo divino accipitur in se; imo vero pro ipso Deo, universam humidam mundi naturam percurrente, ac omnia sua præsentia implente; quippe quæ est ignis ille invisibilis Zoroastri, ille *Spiritus Domini* apud Moysen, illud *lumen immensum, suave & jucundum*, atque etiam *Mens illa*, & *Deus utriusque sexus fecunditate plenus*, illa *vita atque lux*, & *Deus ignis ac Spiritus* Hermetis Tullineg. qui in passivum mundi spiritum agens cuncta gignere solet; ita ut hic Deus in natura non debeat considerari, ut res creata, quæ non fuerit æterna, quippe quæ principium habuerit: Namque hoc idem confirmare videtur Ecclesiasticus eodem in capite; *Omnis Sapientia à Iehova est, & cum illo fuit semper & ante ævum*: Ex quibus patet, quod sapiens per verbum creationis significare voluerit progressionem à Jod; quatenus vocat fontem sapientia istius, Verbum Dei in excelsis: De ejus vero ortu sic loquitur *Iob. 28.* *Trahitur (inquit ille) de occultis; abscondita est ab oculis omnium viventium; Volucres quoque cœli latet; perditio & mors dixerunt auribus nostris; famam ejus audivimus; Deus intelligit viam ejus, & ipse novit locum illius; Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub celo sunt, videt; Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura sua, quando ponebat pluviam legem & vim procellis sonantibus, tum vidit illam, & narravit & preparavit & investigavit, ac dixit homini: Ecce ipse timor Domini ipsa est sapientia, &c.* Similiter *Proverbior. 8.* *Sapientiam possidebat Iehova principio via sua ante opera sua; ante ullum tempus, ante seculum inuncta fuit, à seculo principatum habuit ante principium, ante primordium terra, &c.*

Porro etiam, quod præcipua sapientia sedes sit in firmamento, secunda die ab ipsa formato, denotant hæc sapientis dicta *Proverb. 9. 1.* *Sapientia edificavit domum suam excelsis columnis septem*; videlicet in firmamentum, ubi septem Planetae sunt, qui sunt septem palatia luminis; inter quæ Sol est regale illud palatium seu luminare majus, quod sapientia eligebat pro præcipua sua manione; Quod quidem luminare licet ejus sit palatium & mansio, non tamen impedit, quo minus etiam eadem sapientia sacrosancta sit ubique, juxta illud *Sapient. 1.* *Spiritus sapientia, seu Spiritus Sanctus disciplina implet orbem terrarum, & continet omnia*: Quod etiam natura humida sit ei quali medium & vestis, qua circumducta est, arguit hic locus *Cantic. 4. 17.* *Caput sponsi repletum est rore, & capilli aspersioibus nocturnis* videlicet spiritu humido à nocte seu tenebris exsurgentibus. De hac Psyche vel Phycè creata, & Cupidinis illius increati actibus ad invicem, quam discretissime, licet obscure, tractant Cantica Salom. *per totum*. Quod autem hic Spiritus Sacrosanctus non sit alteritas vel multiplex, nos docet *Sapient. 7.* quippe in quo loco docemur, quod *Spiritus intelligentia sanctus sit unicus seu simplex per se & multiplex, respectu materiae creatæ, & quod in sua essentia sit simplex mobilis, incommutatus, perspicuus, suavis, amans bonum, innoxius, seu passionibus expertus, acutus, benignus, stabilis, certus, securus, omnes habens virtutes, omnia prospiciens, qui capiat omnes spiritus intelligibiles mundus, omnibus mobilibus mobilior, ubique propter suam munditiam attingens, Nam est vapor virtutis seu potentia Dei, & sincerus quidam claritatis Dei Omnipotentis fluxus seu emanatio; atque ideo nihil inquinatum in eam ingreditur. Candor seu splendor est lucis aeternæ, & speculum maiestatis Dei sine macula, ac bonitatis illius imago: Et, cum sit una, omnia potest, ac permanens in se omnia innovat, & per nationes ac ætates singulas in animas sanctas se transfert. Nonne peroptime conveniunt hæc cum illis, quæ, à nobis superius dicta sunt, confirmanda? Et præterea, quod vim atque potentiam habeat super claritatem Solis & stellarum, audite, obsecro, quid nobis dicat ille Sapiens eodem*

in loco; Sapiencia hæc est Sole speciosior, & supra omnem dispositionem stellarum: luci comparat. & invenitur prior: & ubi ipsa non est, necesse est, ut nox succedat. Ex quibus liquet, quod præcipua ejus habitatio sit in cælo; ubi lucem primo Soli, & deinde, à Solis palatio prospiciens, lunæ atque cæteris stellis attribuit. Quod autem hæc Sapiencia à folio æterno Tetragrammati in mundum fuerit missa, confirmat hic sacrorum Bibliorum locus; Sapiencia. 9. Sapienciam suis emittit Deus è sanctis cælis, à throno; inquam gloria sua mittit eam homini &c.

Quod autem hoc Verbum sit ignis purissimus, seu lux pulcherrima, narrat Proverbio. 30. *Sermo Dei omnis est velut ignis purgatus*: Quod denique illa Sapiencia sit Messias, quem Cabalisticæ vocant virtutem Dei, innuit Hieronymus in epistola, qua scribit ad Paulum, quod Sapiencia Christus sit, & quod Christus sit virtus Dei, & ipsius Dei sapientia, quæ in mysterio abscondita est. Operatur ergo hæc virtus præcipue in hoc mundo circa centrum diametri pyramidalis; ubi duæ pyramides, videlicet formalis & materialis se invicem æqualibus vinculis interfecant: Unde, ut Spiritus vitæ dicitur esse in corde; sic etiam est anima mundi in sphaera per illam æqualitatis intersectionem transeunte. Est ergo hæc lux divina, Spiritu & virtute Jehovæ plena, concordia, pacis, atque sanitatis autor. Atque ob hanc causam, quatenus rerum generationem respicit, definitur à Phycis, esse ligamentum elementorum, virtusque commiscendi; quæ in qualibet re hujus mundi sublunaris elementorum mixtionnes efficit, formamque suæ speciei congruam imprimit, per quam ea res à quavis alia re distinguitur atque segregatur: Nec est hæc virtus divina seu actus in naturâ alicujus coloris, & tamen omnium colorum particeps & effectrix; nullius etiam ponderis aut qualitatis, & tamen fecunda cujuslibet qualitatis genitrix. Atque hinc est, quod ipsi Phyci Ethnici asserere non dubitaverunt, Deum esse Naturam, & Naturam esse Deum: ut vel maxime etiam omnes unanimi consensu concluderint, hanc ipsam naturam esse lucem seu ignem invisibilem, à quo cuncta sint genita: Sed qualitate hæc lux à naturæ vitibus longe differt; quippe quæ nec est calida, nec frigida, nec humida, nec sicca, nec masculina, nec foemina; sed ratione suæ magnæ perfectionis ipsa participat cum qualibet quatuor qualitatunt naturalium, quia sine illa non esset ulla in ullo composito complexio: Nam naturales elementorum qualitates sibi invicem repugnant & contrariæ sunt: Quam quidem elementorum discordiam atque antipathiam in pacem Symphoniamque reducit; ita quidem, ut unio & in compositione conjunctio fieri non posset, nisi esset hoc honorabile, & ex profapia immortalis ac æternæ naturæ medium; cujus est confuse per omnia elementa penetrare, quoniam cum qualibet dictarum naturarum participat, easque suaviter & comiter tractat, atque ita pacem inter inimicos facit & conciliat.

Sed, ut ad literam V au redeamus, quemadmodum Jod, junctum cum primo ה facit יה Jah; hoc est, esse divinum, quod est ipse Deus Jod, descendens per primam suam emanationem de suo regno mere formalis, & ab omni materia liberò in massam mundi materiale, quo ה seu Spiritus universalis superior à tenebris repurgatur; sic etiam idem Spiritus ה, præpositus denotat ipsum: Atque hac via Spiritus Sanctus Jod, incubans super aquas ה, ita unit Vau ad ipsum Jod, ut Vau per ה sit יה, hoc est, illud ipsum, quod Jah: Nam, ut Jod, significans unitatem, in creatione cum ה, (cujus valor in Arithmetica est 3.) junctum, facit 6. quod productum est unitas in Spiritu ה quibus ille spiritus existit; sic etiam per eandem rationem Vau, cujus valor est 6. modo occulto indicat ה & א; hoc est quinque & unitatem, denotans hoc ipso, quod Verbum, in medio inter duas aquas sub simbolo Vau contentum, sit ejusdem essentia supersubstantialis cum ipso Jod in ה He. Ex quibus evidens est, quod Verbum, quamvis in firmamentum seu medium, cælum secunda die, completo prioris diei opere, dilapsum sit, nihilominus æquale habeat in cælo Empyreo dominium cum Jod; siquidem essentia non differunt, sed solummodo proprietate; videlicet ut filius à suo patre, vel ut radius & emanatio lucis immensæ à suo fonte. Atque hoc modo completum est sigillum omnium miraculorum, cujus characteribus creatus est mundus, atque mundi creaturæ; videlicet יהוה, quod est sigillum Ehieh seu primæ numerationis divina; in quo Vau est ejusdem essentia cum Jod, & symbolice idem significat. Unde, ut Jod fuit symbolum Tetragrammati & Entis divini extra materiam; sic יהוה est ipsum; hoc est, illud ipsum, quod Jod; ac si Jod præponeretur & deinde postponeretur ה, atque ה spiritus conjungeret unitatem cum unitate, hoc modo, יהוה: Sic unitas & unitas, constituens numerum binarium, per interpositionem Spiritus ה fit Trinitas & perfectio: Atque hinc est, quod in productione cujuslibet creaturæ in creatione per Verbum, tum locutor tum etiam itidem ejus sermo, seu Verbum FIAT vel SIT, cum Spiritu ה seu medio atque vocis receptaculo in hunc modum explicantur ambo per Jod, incipiendo & finiendo hoc modo אור יהוה, id est, Fiat vel Sit Lux: יהוה רקיע. FIAT, vel SIT, expansio vel firmamentum, & sic in cæteris; ita ut hac ratione luculenter videre possimus, quod universus Spiritus ה nihil sit, nisi duplex Jod; seu quod unitas unius essentia sit in Spiritu ה sine qua in actum produci non potest; similiter quod Verbum Jehovæ, atque ipsius Ehieh sigilli impressiones in creaturis manebunt in æternum, secundum illud ex sacris; Verbum Domini manet in æternum. Ex his luce clarius explicatur, quod, postquam imperatum est, FIAT, vel SIT talis creatura, per eosdem characteres responsum factum sit,

D. quasi

quasi ab eorum angelo seu Sacerdote Magno Michael, ac si diceretur Amen, 17 777; *Et factum est ista: Ubi conclusio fit per Nun finale, arguens rei perfectionem. Ex quibus patet, quod characteres Dei, & non modo ejus vestigia, sed etiam ipsius presentiae essentiae in creaturis ejus semper manebunt, quemadmodum Jod finit cum He, tam post factam creationem, quam in instanti, & ipso creationis actu. Sed, ut sermones meos ad hujus virtutis sacrosanctae benignitatem convertam, ejusque in valetudine tum conservanda, tum recuperanda aut restituenda potestatem explicem, docemur sacris scripturis Psalm. 36. quod *misericordia & benignitas Jehovae caelus sit &c.* & quod *penes ipsum sit fons vitae, ac quod in luce ejus visuri sumus lucem.* Et Sapien. 16. *Misericordia tua adveniens sanabit illo à veneno.* Sed, quia haeritare non debetis, an misericordia hic ac. ipsatur pro illa Jehovae virtute, quae est Messias, qui dicitur Sapiencia & virtus Dei, ac operatur in virtute Tetragrammati, velim ut verba sequentia diligenter inspiciatis ac observetis, quae sunt talia; *Etenim non herba neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia; Tuus, Domine, qui vitae & mortis habes potestatem, &c.* Imo quidem per hanc ipsam tuam virtutem admirabilem Iherosolyma à septuaginta annis in deserto liberati sunt, Elias, & Elisha, ejus discipulus tot curationes ita per nichil aliud sine medicamento perduxerunt; imo vero & ipsos mortuos in vitam pristinam uno verbo a filatu revocarunt; & longe altiora facta sunt virtute & prima emanatione ipsius Jehovae, ac Christo isto jam incarnato cum omnium admiratione; quibus, se verum Deum, atque Verbum ad hanc aeternitatis esse, mundo publice, atque ipsa luce clarius & evidentiis declaravit: Nec quidem actum est hoc ab ejus humanitate, quae morti obnoxia fuit, sed ab interna ejus divinitate; quatenus ab origine erat lux, vita, & salus mundi; cui potestas salvandi, vivificandi, tenebris superandi, malignos spiritus debellandi, & ipsam mortem ense ac fortitudine ipsius Tetragrammati superandi data erat: Qui quidem Christus erat ante suam incarnationem illud Verbum 777, id est, FIAT, vel illud sigillum 777; quod est veritatis symbolum, atque illa sacrosancta Dei vivi, fortis, atque exercituum, sapientia à qua omnia primum facta sunt, & deinde in sua essentia per ipsius suaves, melifluos, ac salubres, (licet invisibiles) influxus optime usque ad ultimum pereat, conservantur: Qui autem copiosam ejus fruitionem obtinuerit, ad felicitatis atque beatitudinis fastigium feliciter pertinget, quod summum dicitur: Atque hoc illis verbis confirmat Sapiens Proverb. 3. *Sapientiam, qui consequitur beatus est; nam melior est ejus acquisitio vel negotiatio negotiatio argenti, & auro effuso: proventus ejus pretiosior est Carbunculus: & omnia delectamenta tua non possunt aquari ei: Longitudo dierum in dextera eius est. in sinistra ejus divitiae & honor: Via ejus sunt via amoenitatis, & omnes semitae ejus, pax: Arbor vitae est prehendentibus: D. nique qui ea fruitur, beatus est: Nec quidem, si verba Sapiens sequentia consideramus, deprehendemus, hanc sapientiam aliud esse, quam illud Verbum Jehovae sacrosanctum, à quo omnia facta atque creata sunt: Nam haec verba precedentibus subnectit; *Jehova sapientia fundavit terram: statuit caelos intelligentia: Sic etiam dicit Psalmista; Verbo Domini firmati sunt caeli &c.***

Ex quibus sequitur, quod hic Spiritus divinus, haec Jehovae virtus, sit illius benignitas & misericordia, ab eo emanans, quae remanentes in miserissima caligine submersae ad lucem & libertatem, ac de potentia in actum, & de nihilo in Ens reale fuerunt reductae; quod quidem est maximum misericordiae indicium: Atque hic est, quoque benignitas semper attribuitur filio, per quem caelum primum, videlicet Empyreum, de nihilo factum est. Spiritus limpidissimus ac lucidissimus; & ipsi angeli de non entibus efficiuntur specula perfectissima, in quibus idea majestatis divinae conspicitur: Deinde firmamentum de nihilo in Spiritum tenuissimum & nobilissimum vitae pabulum redigitur, lapidesque fundamentales ac angulares cuilibet ejus stellae sunt positi, & inter hos ipse Carbunculus divinus est throni sacrosancti Creatoris centro per virtutem & operationem Verbi, tanquam primum Solis fundamentum: Atque hinc propter fundamentalis lapidis nobilitatem & splendorem revera Solelectus est pro Verbi tabernaculo. Nonne dixit Jacob Genes. 28. postquam lapidem posuisset, ut cervical suum, & in somno angelos per scalam descendentes & ascendentes vidisset? *Certe est Jehova in hoc loco, at tamen ego nesciebam: Quam terribilis est hic locus: non est hic locus, nisi locus Dei: etiam hic locus est porta caeli? Accepit ergo lapidem illum, quem posuerat sub caput suum, & posuit in titulum, ac effudit oleum super summum ejus, vocavitque nomen loci, domum Dei fortis: Tunc, hic lapis quem erexi, inquit, in titulum seu statuam, erit domus Dei.*

Hoc ergo eodem modo creatus est Sol; videlicet jacto prius, pro ejus fundamento, Carbunculo splendidissimo, additoque oleo seu pabulo divino fit domus Dei, & praecipua caeli janua; nam sine Verbo divino non fit transitus à terra in caelum; Etenim, ut in principio seu creatione fuit deductio lucis in tenebras per Verbum: Sic etiam erit in die novissimo, reductio lucis à tenebris, juxta illud Sapien. decimo sexto. *Deducis ad portas inferni & reducis, id est, à caelo in terram, & à terra in caelum.* At hoc fortasse stultis impossibile videbitur, quod lapides angulares debeant esse fundamenta stellarum; Quibus respondemus, quod, ut in creatione erat tam fixum, quam volatile, & tam terra, quam caelum, ita certum sit, duas illas materias, è quibus Deus creavit caelum & terram, fuisse molle & durum; à quorum similitudinem tam caelum, quam terra talia, qualia sunt, creata fuerunt; quippe quorum unum est durum & lapideum, alterum vero molle & spirituale: Similiter ut terra se habet respectu aquarum

quarum inferiorum; ita etiam corpora stellaria se habent respectu spiritus quintæ essentiæ: Quod autem basis terræ fuerit lapis angularis, nos edocent hæc verba ipsius Tetragrammati Job alloquē-
 tis Job. 38. *Vbi eras, quando fundabam terram? quis disposuit mensuras ejus, aut quis extendit super ipsam lineam? super quo bases ejus sunt defixa, aut quis jecit lapidem ejus angularem?* Quod autem Verbum huic lapidi angu-
 lari semper adlit, cujus quidem est domus, cum Verbum divinum ei sit quasi anima (unde Vau cū
 angulo sic describitur) ex multis sacrarum scripturarum locis confirmare possumus: Nam primum
 scribitur Psalm. 118. 22. *Lapis angularis, quem structores spreverunt, is est caput anguli, à Jehova est hic, estque mira-
 bilis oculis nostris:* Atque super hoc dixit Jesus, Matth. 21. 42. Marc. 11. 10. Luc. 20. 17. Act. 4. 11. *Nunquam le-
 gisti in scripturis, lapidem, quem reprobaverunt edificantes, hic factus est caput anguli &c.* Et scriptum est; *Pono in
 Sion lapidem offensionis & petram scandali, & omnis, qui credet in eum, non confundetur.* Rom. 9. 33. Vel, ut 1. Pet. 2.
 a. 6. habetur; *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, pretiosum, & qui crediderit in
 eum non confundetur:* Et Esai. 28. 16. ita scriptum invenimus; *Ecce ego mittam à fundamentis Sion lapidem pro-
 batum angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, qui crediderit non festinet:* Et multa alia loca allegare
 possumus, quibus probatur, lapidem Jehovæ angularem, & spiritum omnipotentis sapientiæ ejus
 esse basin, cujus virtute admirabili non modo terra in aere trutinis admirandæ justitiæ suspenditur,
 verum etiam quodlibet corpus cœleste densum, atque propter spissitudinem ponderosum mirabi-
 li divinitatis spiritu, tanquam columna & fulcimento in æthere sustentatur: Quæ quidem rerum
 basis, ab æternitate procedens, nihil aliud est, quam Verbum Jehovæ per Vau symbolice significa-
 tum, omniaque sua virtute & fortitudine firmans atque stabiliens: Cujus quidem palatium nobi-
 lius est Sol; quippe qui suo Carbunculo angulari omnia lumine ac vita non aliter vivificat, quam ip-
 sum Verbum spirituale in ipso habitans animas hominum desperatione, tristitia, & alijs animi per-
 turbationibus laborantes, atque veneno Diaboli, & tenebrarum sauciatas balsamo suæ gratiæ &
 misericordiæ curat; Atque hinc patet, quod, ut terra solis cœlestis curat corpora inferiora morbis in-
 fecta; sic cœlum Solis spiritualis ex palatio suo æterno in terram prospiciens curet animas. Hinc er-
 go oritur virorum Ethnicorum traditio, qua Apollinem Jovis filium finxerunt Deum medicorum,
 eundemque insuper medicinæ autorem, ex vivifica caloris virtute dixerunt: Atque ipsi Poetæ eum
 Draconis terribilis Pythonis peremptorem cecinerunt, tum ob naturam ejus putredini adversam;
 tum etiam, quod venena lethifera, morbosque contagiosos, & tenebrarum stigmata propulsare, at-
 que sua facultate Diaboli violentijs resistere animadvertitur. Porro etiam Apollo omnium mensu-
 rarum divinarum vim atque virtutem continere dicitur: Atque hinc etiam est, quod Apollinis vis
 à Pseusippo Platónico tradita est ex multis ignibus constare, cum tamen ipse unus & idem existat:
 Unde Chrysippus voluit, quod Apollo dicatur ab A, quod est, sine, & poly i. multitudine; quasi so-
 lus sit, cœlorum & syderum vim continens: Unde & Latini Solem dicunt, quasi solum lucentem; &
 Assyrii Adad, quod lingua eorum, solum significat; & Hebræi אֱלֹהִים semes, id est, proprium; eo
 quod lux & ejus beneficium ei sit proprium, cum alia sydera suorum luminum vim ab illo accipiant:
 Nonne etiam Christus plerisque in locis appellatur Sol; *de cujus luminis, vita, & omnium bonorum pleni-
 tudine* (inquit Joann.) *omnia participant*, atque esse suum accipiunt? Nonne est Verbum Jehovæ fi-
 lius? nonne medicinæ Deus, atque medicorum princeps, cum ipse per se solum, absque herbis aut
 alijs pharmanis, solo suo sermone, & Spiritus sui divinitate, omnes credentes tam corporaliter, quã
 spiritualiter curaverit, & imposterum curaturus sit? Nonne Draconem horrendum, videlicet Diabo-
 lum & mortem superavit ipse loco Pythonis, mundique contagionem sustulit? Nonne vim omnem
 mensurarum divinarum in se continet, cum ipse omnia numero, pondere, & mensura in primordio
 statuerit? Nonne constat ejus vis à Tetragrammato ei commissã ex multis ignibus, hoc est, ex multis
 lucis speciebus; quæ tamen non sunt nisi lux una & eadem, præterquam respectu diversitatis mate-
 riæ spiritualis, in qua operantur? Nonne est unus seu unicus in mundo, omnesq; lucis in mundo spe-
 cies ipsi soli sunt propriæ, quippe qui est luminum pater atque origo? Atque hinc est, quod Chri-
 stus, & Verbum, & Apollo, quamvis sit in hoc mundo, similiterque ejus tabernaculum, & omne me-
 dium, per quod in mundo existit instar Cupidinis in ventre Psyche, seu veluti lux in ventre materiæ,
 seu uti Spiritus divinus in ventre Mariæ &c. est tamen unus atque idem, per se existens, & in se im-
 mortalis, ac absque omni passione, non creatus, & à Jod immediate in mundi Chaos influens, ut sua
 præsentia illuminet, vivificet, & de potentia in actum deducat Spiritum in Chaos vel potius hyla ab-
 sconditum: Et quamvis hæc lux sit per se invisibilis, tamen gratia corporum cum densitate creato-
 rum, ejusque reflexiones suscipientium visibilis & colorata per accidens redditur. Nolim ergo, ut
 male me hoc loco exaudiat, aut credatis, me solem visibilem pro ipso corpore Christi mystico ac-
 cipere: Absit nimis, ut talia vobis prophana obtrudam; Proinde, me de sole supercœlesti atque
 invisibili solummodo locutum esse scitote. Concludimus igitur, quod à Jod sonus exertus & clarus
 editus ac emissus sit in materiam tenebrosam, seu aquas nigras; Unde evenit, quod ה He depuratum
 à suis tenebris ei symphonia divina copulatur; Atque ita factus est primus gradus descensus Divini-
 tatis superessentialis in mundum: Qui quidem gradus Patri seu primæ personæ & proprietati attri-
 buitur; unde fit, ut in numeris 2. propinquiora sint simplicitati & unitati, quam tria; hoc est in multi-
 tudinem

rudinem magis immergantur: Sic etiam est η supremum, seu regio Patri attributa cæteris simplicior, purior, tenuior, & per consequens divinitatis naturæ similior, conjunctior, & magis contigua. Atque ita Deus pater descendit in mundum; deinde à η in He Verbum emittitur, & locum medium obtinet inter η prius, & η ultimum: Unde firmamentum per γ Vau, cui Verbum symbolicè refertur, Verbo, seu Filio, seu secundæ personæ à prima procedente dedicatur: Sic dictum est; quod *Verbo firmati sint cæli*; Atque ita productum est sigillum totius veritatis, quo usus est Ehieh ad mundi creationem, & ad benignitatem ac misericordiam Jehovæ mundo, mundique creaturis manifestandam. Nunc vero tandem aliquando ad η ultimum pervenimus, & in ejus spiritu crudiori ac densiori, animo propenso navigando illius dispositionem diligenter perquiremus.

C A P. VI.

De natura literæ ultimæ ipsius Tetragrammati, & quomodo ad cælum mundi infimum referatur:

Ultimum nominis Tetragrammati η , quod etiam est finis & terminus illius nominis ineffabilis; denotat ultimam atque infimam mundi regionem; Atque ita nomen hoc mirificum se extendit à mundo æterno usque ad centrum mundi creati: Unde dicitur *Deus in omnibus, & extra omnia*: Nam in mensura figuræ sphericæ videmus, quod nihil in ea omittatur aut relinquatur incommensuratum, si circulariter ambiens quilibet semidiameter à circumferentia ad centrum usque occupetur: Sic etiam virtus Tetragrammati in Jod est in mundo æterna; in primo He est mens divina; in γ est Sol cælestis, & natura stellarum; in ultimo He est virtus elementaris; è cujus centro seu mediâ aeris regione in hoc cælo emicat, tanquam Sol è centro & medietate regionis æthereæ. Atque hæc quidem virtus Tetragrammati, teste D. Paulo, & D. Joanne, est *Spiritus ille vivificus*, qui dicitur *Messias*, & *lux mundi*; qui, uti supra dictum est, est virtus Tetragrammati ineffabilis, & operatur in virtute ejus: Et ad id me ducit hæc dictio η ω ψ χ ; cujus literæ, si Cabalisticè transponantur, erunt η ω ψ χ ; id est, *Messias*; qui & Verbum nuncupatur, quod est ipse Deus, & ejusdem essentia cum Deo; à quo omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil & c. Atque hæc virtus æterna in mundo æterno cum Patre & Spiritu increato est, & in illis ac cum illis operatur; cum ipsa egrediatur à centro Patris, & Spiritus à centro utriusque: Spiritus itaque & filius sunt in patre; quatenus ipse, post eorum à se processum, ardorem in se reflexit; ita ut jam pater sit in filio, & filius in patre, atque ambo in eodem spiritu; Et omnes tres sunt essentia unum ac idem, & significanter in hoc mundo sine emanatione quidem per Aleph, quod unitatem, & simplicitatem, ac quasi punctum denotat; cum emanatione autem sive irradiatione per Jod; quæ assimilatur lineæ, seu prima & simplicissima progressio virtutis divinæ à suo fonte æterno Jod. Atque tunc hæc virtus dicitur Mens increata, seu unius Dei Jod radius; & in centro cæli Empyrei disposita ab illo loco primum illuminat spiritum η ; & deinde creaturas ejus angelicas procreando, dat illis virtutem, radijsque suis perpetuo eas fovet essentia sua; non aliter quam in cælo medio seu palatio Solis radijs suis circumfusis innumerabiles stellas nutrire, vivificare, & illuminare solet: Nec tamen quicquam agit sine consilio sui patris & fontis Jod, cui semper fuit obediens, juxta illud Sapientis, *Proverb. 8. Quando formabat cælos desuper, quando roborabat fontes abyssi, quando ponebat mari statutum suum & c. cum statuebat fundamenta terræ, eram ego Sapientia apud eum velut alumnus, seu cuncta componens, cum sim apud eum educando, & eram in latitibus quotidie latificans, & ludens coram eo omni tempore.*

Ex quibus patet, quod Verbum seu Messias operetur in virtute Jod, in quocunque cælo ad ejus creationem & stabilitonem: hoc est observat voluntatem patris, illamque obediens ita ad amissim & curiose perficere solet, ut ne quidem latû unguem ab ea discedere aut errare possit; imo vero sui patris voluntatem tam in terra quam cælis mirifica sua actione, tum in mundi creatione, tum in ejusdem conservatione præstitit seu expedit, & in æternum præstabit. At vero jam tertia creationis die, hoc est tertia lucis ex tenebris eruptione, emanatio immediata à Vau, (quod in medio situm est inter duplex η η , hoc est inter aquas spirituales seu superiores, & grossas seu inferiores) quæ quidem dicitur tertia emanatio, seu lux tertiana à Jod, respectu diversitatis triplicis medij, per quod transibat, in tenebras cæli infimi se immergit, (quæ quidem tenebræ revera jam dicuntur Chaos, quoniam elementa confusa & male disposita, ac ad invicem litigantia in visceribus suis continent,) atque ibi illud η , seu spiritum densum & crassum, lumine ac forma destitutum, in lucem produxit; id quod in idea nominis mirifici Tetragrammati ante seculum, & ab æterno delineatum fuit: Nam Deus Archetypus Macrocosmi & Microcosmi omnisque creaturæ dispositionis, mensuram, numerum & pondus in mundo ideali prius ordinavit, quam per Verbum suum realiter ea produxit: Unde Sapient. II. *Omnia mensura, numeroque & pondere disposuisti atque temperasti*: Atque hoc erat eximium, in luce creata, seu Verbo, seu virtute & potentia, seu emanatione & fluxu Jehovæ omnipotentis, benignitatis, & misericordiæ, atque salutis, pacisque indicium sive argumentum;

mentum; quod videlicet è cœlo medio seu firmamento in rudem Chaos massam descendebat, ad propulsandas ac depellendas litigiosas hujus regionis seu η ultimi tenebras, & ad conciliandam inter inimicos; bellum sibi invicem horrendum & continuum inferentes, pacem ac concordiam æternam. Nonne etjam ob hanc rationem, videlicet propter Adam lapsum, & successionis ejus ruinam, ac propter peccati tenebrosi in corpore & animo humano insultus, elementorumque litem ac discordiam in compositione humana, mortem corpori & captivitatem animæ inducentem, descendit hæc virtus sacrosancta in Chaos humanum, tenebras ejus suo lumine discutens; corporum ægritudines in hoc mundo propulsans, Diaboli rabiem reprimens, mortem & destructionem superans, atq; infallibili exemplari & argumento demonstrans q̄ sit totius fidei anchora, liberatione animæ à tenebris & captivitate nobis annuncians? Hæc, inquam, divinitatis essentia, hæc æternæ concordie symphonia, hic pacis reconciliator, hic unionis nexus inviolabilis, discussis ad centrum & circa centrū tenebris, ac in imo loco; forti catena fixis & firmatis, sua harmonia ita quodlibet cœli istius inferioris elementū disposuit, ut pax atque amicitia ubique per η infimum in mundo reali (qui refertur ad η ultimum nominis ineffabilis, quod erat idea mundi æterni & creati simul, & per consequens infinitum ac ineffabile) conservetur. Hoc ergo est honorabile illud medium, cujus natura est tam suavis, tam uniformis, tam fortis atque prædominans; tam essentialiter efficax, tam concors atque symphonica, ut, cum quacunque re conjungitur, illam statim in suam compositionem convertat, & in suam quali naturam mutet, sibi que obediens reddat omne illud, quod suo spiritu attingit: Atque hic Spiritus Sanctus, seu virtus Deiformis est illa; quæ quasi magico quodam susurrantine omnes spiritus creatos sibi statim, & vel in ictu oculi, obediens reddere solet, secundum illud Herm. Trismeg. in Tabula Smaragdina; *Sic habebis gloriam totius mundi & fugiet à te omnis obscuritas; Hæc est totius fortitudinis fortitudo fortis; quia vincet omnem rem subtilem, omnemque rem solidam penetrabit; Sic mundus creatus est.* Hoc ergo est vinculum illud fortissimum, quo elementa suis locis à Deo Jod constitutis, hoc est, in regione cuilibet elemento propria, tali ratione suspenduntur in η infimo, ut inter omnia concordia & pax habeatur: Unde aerem posuit inter ignem & aquam, ut utrique sit mediator, videlicet, ut conveniendo sua humiditate cum aqua, ei super innatet, & contiguus existendo igni cum calida sua humiditate permulceat ac foveat; atque ut tandē hac via se interponat inter naturam frigidam aquæ ex una parte, & calidā ignis ex parte altera; ta ut una cum altera motu cōtrario & conatu ad verso contendere non possit: Similiter hoc simile officium præstat elementum aquæ, pacisq; mediator fit inter terram & aerem, ita ut humiditas aeris siccitati terræ violentiam inferre non possit; Quæ quidem moderatio ut tanto facilius & melius obtineatur, facta est aqua talis, ut conveniat cum aere sua humiditate; quippe qua tanta est ejus consanguinitas aut cognatio cum aere, ut mediante calore etjam illa in hunc per subtiliationem convertatur; & ex parte opposita similem familiaritatē & consanguinitatem habet cum terra propter ejus frigiditatem; Horum omnium in ista tali concordia nexus est virtus Tetragrammati, intercedens primum inter ignem & æthera; deinde inter aërem & ignem, tum postea inter aerem & aquam, ac denique inter aquam & terram; cum quibus etjam omnibus ad producendas eorum formas essentielles communiter se miscet: Unde Deus dicitur esse in omnibus, & omnia in ipso, ac per ipsum, secundum illud Job. 28. *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura, quando ponebat pluvij legem, & viam procellis sonantibus, tunc vidit sapientiam, & enarravit, & preparavit, ac investigavit homini, & dixit; Ecce timor Domini est ipsa sapientia &c.*

Hoc Vau est illud mediū formale, in cœlo medio seu firmamento dominans, atque in eo, tanquā in loco secundæ personæ destituti, regnans, & sceptrum tenens, cujus mediatione & benignitate supremum cœlum η spirituale, descendit in η corporale; seu cœlum descendit in terram, seu anima in corpus mediante spiritu in Vau occultato: Unde factum est η occultum unitate Verbi, hoc est splendore Solis tam visibilis quam invisibilis, non aliter quam Sol cæterarum stellarum lumen obfuscare solet, mediatore inter η & η in nomine ineffabili manifestato; hoc est, He Arithmetice denotans quinque, & unitas sextum numerum constituens, sub hieroglyphico η significata, quod symbolice firmamentum designat, dicitur sua virtute separare aquas inferiores ab aquis superioribus; & tamen, uti filius in sacris proprietatibus non potest esse sine patre, nec Spiritus Sanctus sine utroque; ita etjam firmamentum esse non potest absque auxilio essentia cœli Empyrei, à quo accepit animam creatam, nec cœlum elementare absque influentia ab utrisque procedente. Atque hinc fit, quod, licet unitas divina per Vau significata separavit aquas superiores ab infimis, ne fiat inter aquas spirituales & grossas confusio, est tamen mediator, per quem aquæ inferiores vel spiritus grossi gratiam, benignitatem, & vitam accipiunt, à cœlo, Patri attributo, in quod Jod affluenter radios superessentiales, à throno suo æterno effundit ad vivificationem & creaturæ animalis ac vegetabilis vitam per creationem primum, ac deinde ad vitæ continuationem & successionem per generationem. Ex quibus liquet, quod Deus de plenitudine sua tanquam fons luminis, per primam humiditatis sphaeram, vitam, formam, & lucis suæ essentialicæ portionem infundat in secundam; quæ tandem ejusdem beneficio nutrita in tertiam ulterius per Verbi potestatem, in quantum ex residuo æquum est, ad creaturarum η inferioris consistentiam infunditur. Et illius virtutis divinæ portio de Vau in η in-

finum, vel à firmamento in cœlum elementare infusa, sedem suam habet in centro elementorum occultorum; ubi sphaera etiam tertia atque infima æqualitatis ponitur; quippe ubi bellum igneis suis jaculis & sagittis inferre solet tenebrosis aquis eam undique obsidentibus; quæ tandem igneo ejus fulgore disperguntur, adeoque etiam immensi aggeres, & montes ad cœlum ascendentes virtute ejus dilacerantur, & tam tenebræ, quam aquæ densæ, tenebrarum amici, ad centrum cum ipso litigio, tenebrarum principe, propelluntur; Unde unitas ipsius, sed juncta cum ך superiori, facit 10. Nam o. assimilatur He: Etenim, ut o. vel cyphra per se nihil est, sed quasi in potentia ad numerum; sic etiam ך per se tenebris obruitur, & nihil est: Unde dictum est, quod *Deus creaverit omnia ex nihilo*, hoc est, ex non actu existente: Sed si vel unitas cyphræ præponatur, vel aliquis digitus ex unitate derivatus ei annectatur, erit numerus in actu: sic etiam, si ך tenebris obrute essentia, vel ipsum Jod addatur, producit Jah, quod est Ens metaphysicum & summum. Similiter in cœlo medio, ך, quod occulte subintelligitur in Vau, connexum cum ך superiori manifesto, propter unitatem, qua ך Vau excedit ך, denotat centenarium numerum, sic expressum ךך, id est, 100. Ubi ך unitas, vel denarius se immergens in primum ך & se repetens in secundo cœlo, in Vau duplicans multiplicat toties spiritus mensuram in firmamento, quoties ipsum multiplicatur in mundi spiritu, & per consequens diversi spiritus vel cœli numerantur: Unde 10. in se multiplicata produnt numerum centenarium; & quoniam ibi est secunda unitatis repetitio, videlicet in cœlo medio, denotat secundam personam, & consequenter duplicis spiritus character, videlicet o. vel ך manifeste præcedens, & ך in Vau occultum annotatur, atque unitas super ך, abstruso modo in Vau reperta, præponitur o. sic 100. vel symbolice ךך. Unde, ut cœlum Jod est lineare, ita cœlum ך est superficiale vel quadratum; quatenus 100. sunt quadratum numerus denarii. Denique Jod tertia vice designatur & repetitur in ך ultimo; videlicet in ך primo primum, & in ך ultimo tertia vice, nimirum in illis manifestis, atque secundo loco in ך occulte in Vau comprehensio, hoc modo 1000. vel ךךך: Atque ita declaratur quod Deus sit *Alpha & Omega*; per se videlicet in mundo Archetypo, quatenus est Aleph, seu unitas, quæ est principium digitorum, & Jod seu numerus denariorum, qui est finis eorum; Sic itaque videmus, quod finis mundi formalis, triplicis, & idealis sine fine, videlicet Jod, sit principium mundi realis; quod & Aleph nomen lucidum dicitur.

Similiter in mundo materiali videmus, quod ibi etiam Deus sit Alpha & Omega: Nam Jod, quod est fons atque principium mundi creati, dicitur Aleph lucidum à Cabalisticis; cujus finis etiam est Aleph magnum, denotans millenarium numerum, ultra cujus denominationem non est progressus: ita ut in mundo æterno & increato & tenebrosus (prima unitatum origo) sit Alpha: & Jod, quod est ך lucidum, est illius Omega. Sic ך lucidum est Alpha in mundo creato & composito; at ך magnum est ejusdem Omega: Unde evidenter liquet, quod ך seu unitas sit omne, quod est, cum includat omnia; numerat omnia per unitates; mensurat omnia per nomen Tetragrammati, quod includit, atque cujus Hieroglyphicum existit, & per Vau, quod est lancis vel trutinæ, tum medietas; in æquilibrio consistens, seu stylus perpendicularis; cujus pondera æque distantia, ך prius & ך posterius nominis ineffabilis Tetragrammati sonitu stupendo in mundo composito clangunt, luceque inexplicabili coruscant. Prima ergo persona Jod. lineam in ך mundano, characteribus numerorum seu literarum vivis primæ compositionis, vel figuris igneis & linearibus suum velle, divino mediante Verbo, in vasto tenebrarum libro primum depinxit; & factum est primum cœlum ac productæ sunt, secundum Cabalistarum doctrinam, tres mundi matres, videlicet ך Aleph, ך Mem, & ך Shin, hoc est, principium seu finitas, terræ assimilata seu unitas, Aqua & Ignis; Quibus tres Angelorum Hierarchiæ primi ך manifesti respondent; quemadmodum & tres ך ultimi regiones, quam aptissime illis referuntur; videlicet terra, in numero millenario detinens, cujus symbolum est ך magnum; sphaera humiditatis, comprehendens spiritum tum grossum, nempe aquam, tum subtilem, cujus symbolum est ך Mem, & elementum ignis, cujus character & stigma est ך, radios suos instar ignis sursum emittens: Similiter in firmamento ך agit sua luce, ך ignium rutilorum soliditate, & ך spiritu æthereo, sive lucis ipsius ך vehiculo.

Secunda etiam persona, Vau, vel Jod, seu unitas in ך occulto characteribus numerorum secundæ compositionis igneis & superficialibus; ex punctis & lineis stellarum conflatis, suum velle perfecit: Hinc *Verbo Domini firmati sunt cœli, &c.* Et ejus virtute ignea rutilæ stellarum massa in cœlo visibili mirabilem in modum per pondus, numerum, & mensuram in altum suspenduntur; Mystica literarum simplicium, quæ sunt 12. in Zodiaco figuntur; veluti ך Arieti tribuitur, cujus initium ך primario est proximum, arguens, quod, ut Arietis est primum lignum, sic ך sit primus spiritus creatus; & ut Arietis dicitur igneam habere naturam, sic etiam ך prius ab ignea sua natura dicitur Empyreum.

Sic etiam Vau (secundæ personæ symbolum) signo Zodiaci secundo refertur, Zain ך ך datur, ך Hheth ך, ך Teth ך, Jod ך. Lameth ך, Nun ך, Sameh ך (Mayn ך, Tz de, ך & Caph ך. Similiter septem literæ formales duplices & vivæ, spiritum vivum aspirationis intus habent-

bentes, septem Planetis referuntur; videlicet Beth Soli, quæ quidem litera est symbolum filij, & secundæ personæ, ab S immediate procedens; unde SS legitur pro patre seu radice, & necesse est per relationem, ut pater includat filium; Unde etiam SSS apud Chaldæos significat primum fructum producere: Ingens ergo est spiritus & fortitudo maxima, quatenus non modo ab S, id est, Deo per processum & emanationem immediatam profluit, sed etiam in se habet duplicem Spiritum, quem admodum Gimel, Daleph, Caph, Phij, Resh, & Thau; quæ referuntur Veneri, Mercurio, Lunæ, Saturno, Jovi, & Marti.

Ex quibus patet, quod duplex sit hoc in cælo Spiritus 7 portio: Unde hæc literæ; quæ sunt Planetarum symbola, duplices appellantur, & semper cum aspiratione pronunciantur; ex quibus arguitur, quod in se habeant virtutes superiores 7 seu cæli Empyrei: Atque hæc est ratio, ut mihi videtur, quod cuilibet Planetæ Intelligenti Angelica præsidere traditur; secundum cuius dispositionem Planeta ille movetur & agit, tum in ipsum firmamentum, tum in regnum elementale; atque ita virtute Vau in nomine ineffabili virtutes 7 He superioris infunduntur in 7 He inferioris: Unde certe colligere possumus, quam gloriosus sit Vau nexus inter 7 & 7, quibus interponitur; quippe quo superiora cum inferioribus communicant, & rursus inferiora amplectendo superiora ijs gaudent & vivificantur: Hoc, inquam, est copula inter animam sublimem & corpus infimum; atque hoc iterum est vinculum illud potens & nobile, quo elementa in compositionem rediguntur, & in ea pacifice conservantur: Quod quidem vinculum si in ulla compositionis parte deficiat, morbus inde certissimus atque intemperies sequitur; quoniam elementa in compositione contraria hujus potentissimæ virtutis defectu statim inter se litigare & contendere, atque in Oeconomia humana rebellare incipiunt: At si hæc virtus primordialis in toto defecerit, mors inde inevitabilis succedet; adeoque si hæc natura ætherea negligeret & non respiceret inferiora, eaque non fovaret quotidie, omnia è vestigio ægrotarent, seu languescerent & protinus morte veloci seu repentina de subito ad nihilum redigerentur. Atqui dicit fortassis aliquis scrupulosus; si hæc virtus est emanatio ipsius Tetragrammati, cur non potest illa idem præstare inferioribus ex cælo suo medio, sine influentijs Empyreis desuper illapsis, aut sine intelligentiarum ope à superiori 7 in regionem Vau emissa; cum virtus tam cæli Empyrei, quam firmamenti sit eadem lucis emanatio essentialis: Cui quidem objectioni respondemus, sicut antea, quod emanatio unius & alterius sit ejusdem essentia, non minus quam proprietates sacrosanctæ Trinitatis sunt ejusdem fontis, naturæ, atque originis; sed quando de ijs emanationibus seu virtutis divinæ effluxu in creatione Physica, hoc est, in mixtione lucis divinitus infusæ, loquimur, non agimus de natura lucis increatæ & simpliciter formali, sed de spiritu creato, in quo illa prædominatur, & quem in qualibet actione, sive sit metaphysica sive physica, movet & gubernat: Atque hinc fit, quod pro hujus lucis majori vel minori presentia seu mensura spiritus tenuior aut crassior esse solet; quoniam actus illius virtutis simplicis est semper depurare spiritus, & rebellem eorum crassitiam ac densitatem tollere: Atque hinc est, quod spiritus diveriti sunt in mundo, qui secundum suam diveritatem varios producunt effectus: Hæc itaque est ratio, propter quam, tametsi unitas sit in divino effluxu seu Tetragrammati virtute, multitudo tamen in mundo ex materia variatione esse dicitur: Hinc spiritus Empyreus dicitur æthereo dignior, atque hic ipse iterum elementari nobilior; cum tamen lux & virtus increata, qua illi spiritus sunt tales, quales in dictis mundi regionibus inveniuntur, semper sit eadem, & mutationibus atque alterationibus minime & nunquam obnoxia; quoniam sapientia est Spiritus intelligentia Sanctus, unicus, simplex, subtilis, incoinquinatus, innocuus seu passionis expers, stabilis, certus, omnem habens virtutem; Et hæc est emanatio seu fluxus quidam claritatis Omnipotentis, in quem nil inquinatum incurrit, uti Sapient. 7. copiose traditur.

At vero quod hæc unica & invariabilis Dei virtus seu effluxus Jod, in spiritu diverso varie & diversimode cum suo vehiculo nominatur, hoc fit propter dispositionem ipsorum spirituum, in quibus natat, non autem respectu ejus proprio; quippe quæ est semper eadem & invariabilis, ac ipse Deus in natura humida fluctuante: Atque hinc est, quod, cum Vau vinculum & copulam inter 7 & 7 diximus, non intelleximus simplicem & sanctam emanationem à Jod per se, & in absoluta, ac sola ejus essentia, sed ipsum spiritum æthereum, qui talis est, qualis dicitur, propter formalem virtutis sanctæ in eo actionem: Agit enim virtus Tetragrammati; ac si esset quasi viscus & gluten, quibus tenera cæli Empyrei natura, seu ipse spiritus intellectualis, cum natura elementari & corpore composito, aspeto, rudi & denso copuletur.

Sic etiam, exempli gratia, videmus, quod cera vel gluten chartam vel rem similem conglutinare non solet, nisi calore prius præparetur: Atque illud gluten intermedium vocatur Quinta Essentia, hoc est, quintum elementum, seu spiritus intermedium, vehiculum lucis seu virtutis increatæ, animæ vitalis mysterium includens; qui spiritus est tale gluten, & tale medium, cujus materia est creata; ejus vero forma & actus, simpliciter in se & per se consideratus, est virtus & radius ipsius Jod increatus; At ipse spiritus, simul cum sua anima divina dicitur res creata & physica; quoniam, si diceretur increata, mentiremur, quatenus spiritus est creatus:

Sed & si absolute diceretur creata, itidem à veritate aberraremus; quoniam virtus eam informans, & de nihilo in actum redigens est increata: At vero quatenus ipse Spiritus denominationem habet, qua vel Spiritus Empyreus, vel spiritus æthereus, vel æther, vel intellectus, vel ratio, vel aer, vel aqua &c. dicitur, eatenus, quoniam denominatio fit ex parte materiæ, est creatura: Atque hoc ipsum per naturam Vau percipitur; quod, cum Arithmetico respectu ex quinque & uno componatur, sequitur quod & 7 illum numerum adæquent; ex quibus hujus cæli compositio manifestatur, constans videlicet ex luce, vel Dei, seu Aleph lucidi emanatione, & spiritu 7: Hinc igitur Vau pro firmamento symbolice accipitur; & firmamentum pro spiritu æthereo, id est, aere igneo, hoc est, consistente ex Aleph lucido & 7; quæ idem sunt, quod 7, hieroglyphicum ipsius ignei spiritus, atque æther idem est, quod quinta essentia, & quinta essentia idem, quod anima vitalis, ac anima vitalis, idem quod receptaculum mentis in spiritu Empyreo seu intellectuali, & tandem vinculum ac nexus & copula inter spiritum Empyreum, & spiritum grossum, tum simplicium, in ipsis nempe elementis, tum compositorum, ut in corporibus seu elementatis: Atque hæc est ratio, quod Vau ab Hebræis pro conjunctione copulativa, (E T) sæpenumero accipitur; utpote quo indicatur, quod in rebus naturalibus duo extrema copulare debeat; & quidem eo magis, quoniam in magno Tetragrammati nomine inter 7 & 7, interponitur Vau; à quo illa veluti per conjunctionem (E T) simul conjungi videntur: Atque hinc dicitur quod *nemo patrem cognoscere potest nisi per filium*; Unde etiam Verbum dicitur *Mediator inter hominem & Deum*, & inter spiritum superiorem seu cælum spirituale sive lineare, & spiritum inferiorem, seu cælum elementare & corporeum; Nam, ut à linea ad corpus non fit progressio nisi per superficiem, nec à radice ad cubum, nisi per quadratum, & è converso; sic etiam non fit transitus à cælo Empyreo ad elementare, nisi per firmamentum; quemadmodum nec ab unitate ad numerum ternarium, nisi per interpositionem binarij, qui nexu justitiæ conjungit duo extrema.

Hinc ergo ad repræsentationem proprietatum Trinitatis fit mundi fabrica; Nam nisi esset ejus compositio in numero, qui distinguit superum ab infimo; subtile à spisso, lucidum à tenebroso, bonum à malo, mensuram & pondus habere non posset; & nisi numerus partium ejusdem differentium esset ternarius, totum opificium foret imperfectum, quatenus in numero binatio est principium quidem & finis, sed nullum medium, quoniam deest illi finis; vel nullus finis, quatenus deest illi medium; Unde in dispositione mundi per illum numerum mundus foret imperfectus: Similiter si mundus esset unum, tunc esset solummodo principium mundi & creaturarum; & per consequens nullum existeret principium sed omnia forent principium unum; atque hac ratione non crearentur elementa quatuor, sed tantum unicum: Quare necesse fuit, ut mundus constitueretur ex numero non imperfecto; quod quidem si evenisset, esset mundus, præstantissima illa & pulcherrima Jehovæ creatura, imperfectus; quod sane dicere aut credere esset summe profanum: Unde sequitur, mundum esse creaturam nobilissimam, perfectissimam, & completissimam, ad exemplar Trinitatis fabricatam; cujus numerus est ternarius, in quo est principium, medium, & finis: Nam, & in nomine ineffabili 777 sanctissimæ essentiæ Trinitatis individua numerus invenitur, videlicet Jod, patri relatum, filio, & 7 spiritui sancto. Nam quamvis ibi sit duplex He, attamen prius est conjunctio secundæ personæ cum prima Jod, atque ultimum iterum est nexus & conglutinatio He post Vau cum Jod; ita ut ex literis circularibus Tetragrammati mirifici in mundo Archetypo fiat proprietatum divinarum circulatio; Namque, ut in circuli delineatione tres observantur termini; nempe terminus à quo, & medium atque finis; qui finis semper in circulo idem est cum principio, utpote ubi omnes termini fiunt unitas; sic etiam res sese habet in personarum Trinitatis sacrosanctæ productione. Atque huic rei verbis quidem paucissimis astipulari videtur Mercur. Trismeg. *Monas generat monadem, & in se ipsam reflectit ardorem suum*, ac si diceret; Deus unitas per spiritum locutus est; per quem spiritum Verbum ab ore ejus emanans ipsi copulatur, & iterum illud Verbum per spiritum suum eundem in unitatis suæ punctum reduxit, ut tres distinctæ personæ non sint nisi unitas in essentia. At hoc fecit Deus, quando de mundo fabricando prius cogitavit; hoc est ejus effigiem in se, videlicet in nomine ineffabili prius delineavit; ad cujus imaginem mundus integer exacte creatus fuit; Unde & ad Dei imaginem factus esse dicitur. Sic etiam Propheta David gloriatus est, se templi descriptionem à manu Jehovæ accepisse; quod ipsum quidem etiam mundi creati mysterium continere traditur.

Ex his igitur videmus, quod universi mundi fabrica in mirifico Tetragrammati nomine contineatur; in quo mundi idealis seu Archetypi effigies symbolice explicatur, ad cujus exemplar mundus creatus perhibetur; Nam, ut in nomine ineffabili Jod præcedit: sic in mundi creatione, emanatio ab Echieh, quæ est Verbum cum spiritu, detecta & tenebris exuta est prior spiritus portio; Et dicitur; *Spiritus Domini* (qui semper Verbum comitatur) *forebatur super aquas*, hoc est super spiritus superiores jam tunc revelatos & luce spiritus per Verbum informatos, & informatione creatos: Non a volumus, quod spiritus hic fuerit ipsum Ie primū nominis Tetragrammati, quod erat increatū, & symbolū Spiritus S. per quod prima & secunda persona, h. e. Jod & Vau cōjunguntur ad invicē tanquam glu-

glutine potentissimo seu validissimo, sed hi spiritus sunt illi, qui creantur ad exemplar & similitudinem illius creati per Verbum increatum; à quo ille firmatus est & in actum productus, mediante spiritu isto, à quo virtutem suam igneam atque vivam adeptus est, ita ut ab infinito ejus splendore etiam lux creata sit appellatus, tametsi substantia materialis, super quam lux divinâ fertur, & cui ex omni parte inferitur, creaturâ nuncupetur; & sic in cæteris.

Præterea observate, obsecro, Lectores veræ intelligentiæ stimulis excitati, me hoc loco non de characteribus Hebraicis atramento delineatis locurum esse, sed solummodo de vivis illis, & igneis, ac formalibus, pelli seu cuti seu cortici undosâ aquarum tenebrosarum & caligine fusca obscuratarum inscriptis; videlicet de illis, quibus Deus Elohim in multiplici prolatione Verbi, FIAT, in creatione usus est, itidemque alloquendo Adâ in paradiso, & Moylen in monte Sinai ac Eliam in monte Horeb & Ezechielem juxta flumen Chobar, & astantes post bap̄tismum Christi, in hæc verba; *Hic est filius meus dilectus etc.* & Paulum in itinere Damasceno his verbis; *Saule, Saule, quid me persequeris;* & in multis alijs. Concludimus igitur quod hæc nostra, more Cabalæorum instituta fabricæ mundi ex admirando Tetragrammati nomine pervestigandæ ratio & inventio (nostro quidem judicio) non modo probabilis, sed etiam infallibilis esse videatur: Nec tamen vulgari modo me in multis hujus Tractatus locis exaudiri aut intelligi velim, ne bona pro malis ea ratione habeatis, atque ita in errorem extremum incurratis, adeoque etiam ego in malam apud vos famam incidam; Quare vos obsecro, qui nunquam in veram hujus Theographiæ seu Philosophiæ divinæ aream descendistis, ut vel hisce nostris exantlatis laboribus pervolutandis aut legendis supersedeatis, vel etiam, si legere tandem placuerit, aut bona, aut parca, aut saltem nulla omnino, more sapientis, verba effundatis, quibus vosmet ipsos (ignorantia & tenebris adhuc obrutos) inepte & stultorum more in rebus non intellectis, aut supra captum vestrum elevatis, judices constituere videamini. Momum etiam & invidum à sacrosancto hoc nostro convivio arcemus, quippe quorum est, ore inquinato, & lingua viperina omnia derisionibus, & cachinnis, ac verbis mendacibus depravare; imo vero & ipsum Christum, si etiamnum in mundo esset, verborum & linguarum suarum flagellis cedere, ipsamque virtutem dentibus caninis rodere, atque omnem virtutem mendacijs defœdare; corrumpere, & dilacerare. Sed jam ad rem nostram paulatim descendemus, ubi tam valetudinis, quam in valetudinis, seu morborum causas principales, & earum rationem à primo morborum exemplar, videlicet ab ipso Archetypo, procedere declarabimus. Et primo quidem de ratione sanitatis agemus.





SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARTIS I.

Liber II.

De

PRINCIPIIS SUPERSUB-
STANTIALIBUS.

C A P. I.

*De sanitatis causa primordiali; quotuplex sit valetudo; Et quod omne bonum,
tam corporale quam spirituale nobis à Jah, mediante Verbo, ob-ve-
niat; De tribus valetudinis principijs unius essentia;
quæ est ipsum Tetragrammaton operans
per sapientiam suam:*



PRODUCTO per præcedentem modum mundo materiali & creato ad mundi Archetypi & formalis increati exemplar, jam ulterius diligenti intuitu imprimis perquirendum esse censemus, quomodo bonum, & tum postea, qua ratione malum ei contrarium in mundum sint ingressa; quoniam ex bono omne illud, quod bonum est, provenire solet; in quo præcipue & inter omnia Salvatio, valetudo, & felicitas vitæ supremum possidet locum. Cum ergo Deus Jah, hoc est, prima Dei emanatio in He, vel Spiritum Empyreum, sit benignitas, vita, & esse cujuslibet tum vitæ, tum creaturæ, concludimus, quod procul dubio hæc emanatio, cum vitæ latice se permiscens, sit vitæ tam spiritualis quam corporalis autor, & illius in valetudine conservator, atque à valetudine in malam harmoniam lapsæ & præcipitatæ ad pristinam sanitatem restaurator; Quod quidem locis quamplurimis è sacris scripturis per allegationes collectas facillime comprobare possumus. Atqui si oculis acutissimis generalem sanitatis seu valetudinis naturam introspiciamus, summa equidem cum admiratione confestim percipiemus, quod tres ei subjiciantur species, trium mundi spirituum dispositionibus correspondentes; quarum prior est salvatio seu redemptio, quæ pertinet ad animam simul & corpus, vel potius ad integrum hominem, tanquam ad vitam, & vitæ tabernaculum simul; quæ quidem redet prio in vita secunda per fidem expectanda est; Secunda species salus proprie, aut valetudo nuncupatur, quæ pertinet vel ad internam solius animæ dispositionem, vel ad sanam & bonam corporis solius temperiem, cum bono utriusque simul juncti statu & conditione, quæ evenire debet in hac vita; Species autem tertia est liberatio hominis integri à tribulationibus externis. Harum omnium specierum causa est benignitas & misericordia ipsius Jah; Quæ quidem Dei cognominatio importat benignitatem, quatenus est ignis totius puritatis in spiritu obedienti, suavi, & molli; cujus flexibilitate & humilitate Deus secundum propriam suam atq; æternam bonitatem agit; dum è converso in spiritu duro, denso, atque rebeli, qui de tenebris participat, duriter, atque per iram suam agere dicitur: Atque hæc est ratio, quod oculi mortaliū Deum in ejus natura intueri non posse perhibentur; quippe coram cujus facie montes atque lapides

des colliquefcunt & funduntur; & turpe, lutofum, tenebrofum ac durum corpus ad afpectum ejus in icctu quali oculi mutatur: Nonne videmus, quod in ipfa vagina ferrum gladij propter rebellem fuam naturam vigore fulguris comminuitur aut confumitur, illafa interim manente vagina, utpote cujus materia fulguris impreflionibus obediens eft & non ita rebellis? Quanto magis igitur operabitur inexplicabilis ac omnipotens Jehovah facies in denfis, ac de tenebris participantibus? Porro etjam fapenumero fpiritu feú cor hominum obdurat, ut fuo fpiritu vehementius contra eum agit. Eft igitur Jod in ך idem, quod Jah; quod eft clementiæ & benignitatis fymbolum, quatenus exiftit in fpiritu obediendi, fuavi, & humili; Namque videmus, quod idem ignis variet fuos effectus; fecundum medij effectus, in quo exiftit: Attamen ignis non mutat actionem unquam; fed varietas fpiritus vel materiæ, in quam agit, eft caufa varietatis effectuum ejus; Etenim experientia docemur, quod idem calor feú eadem lux folaris aquas fubtiliet, aerem calefaciat, humiditates fufum pellat, alteri complexioni officiat, alteri vero fit folatium, alijs item capitis dolorem afferat, & morbis eos affligat, ab alijs vero ea depellat & abigat: Sic etjam ignis nubi inclufus tonitru inducit, & vifibilis valde eft per aerem fubtilem; expansus autem quiefcit, & invifibilis redditur; idemque, corpus aliquod, imo vero & ipfas turres, arborefque robustiffimas tangens, mirabilia violentia, eas diruit, & tamen eft unus atque idem ignis; At vero ejus objectum eft diverfum; & proinde pro diverfitate objecti fui diverfos producit effectus; duros videlicet in rebellibus, & fuaves in humilibus. Atque hinc eft, quod Deus eorum mifereri folet, quorum Spiritus funt contriti, fecundum illud *Pfal. 33. 18. Oculi Jehovah attendunt ad timentes eum, & eripiet a morte animam eorum, &c. Similiter Proverb. 22. 4. Mansuetudinis, & humilitatis, ac reverentia feú timoris Jehovah premia funt divitiæ, gloria, & vita*: Sed & Spiritus obedientiam ac fubmillionem denotant hæc verba, *Proverb. 28. 13. Misericordia afficietur, qui fateatur, & derelinquit defediones fuas*. Unde patet, quod taliter agit Deus in fpiritu hominis, qualis ipfe eft; in duris, inquam, & rebellibus, duriter; in humilibus autem & contritione emollitis fuaviter, & cum mifericordia: Nam quo magis appropinquat fpiritus ad naturam ך, in ך Jah, vel fpiritu angelico, eo benignius in eo invenitur Jod: Et in nomine ךךך, quo magis in tribus ftationibus diftat ך à Jod; eo magis elongari dicitur natura Spiritus ab obedientia Jod, tonitru totius luminis & fanitatis. Quo ergo magis Spiritus humanus per gradus afcentionis ab ultimo ך, accedit ad fpiritu Jod, eo magis benevolum femper inveniet Jah: Atque hoc idem eft illud, quod docuit & prædicavit Salvator nofter *Matth. 5. 3. Beati funt pauperes fpiritu, cum ipforum fit regnum cælorum; Beati mtes, quia ipfi poffidebunt terram*: Tales etjam funt illi qui fpiritu funt benigni: Unde dictum eft *Beati mifericordes, quia ipfi mifericordiam confequentur; Beati mundi corde, quia ipfi Deum videbunt &c.* Infimica hujus rei ex facris literis exempla adferre poffemus; fed hoc loco ea introducere nimis longum foret. Ex his igitur patet quomodo benignitatis Dei fedes dicatur effe in cælis, quæ tamen in terram abundanter è fuo fonte effluere folet: Unde *Pfal. 33. 5. Misericordia & benignitas plena eft terra*; Uno vero ubique per orbem terrarum reperitur aliquod hujus benignitatis fupercæleftis veftigium; quia dicitur *Sapient. 1. quod fæctus fapientia fpiritus impleat orbem*. Hinc igitur percipere licet, quod Jah fit fons totius benignitatis divinæ; quæ quidem benignitas ineft in fpiritu fæcto fapientiæ, quæ efi Verbum Jah, quod totius hominis redemptor & Salvator exiftit, utpote fine quo ille è peccati & tenebrarum abyffo exurgere & emergere non poteft. Et quamvis tria enumerentur vitæ & falutis pñcipia, attamen hæc tria funt unius atque individux effentiæ; quæ quidem in tribus diftinguitur, refpectu triplicis officij, quod in mundi fabrica habent: Hinc quoad ordinatorem & primam in mundum emanationem hæc effentia vocatur *Pater*, quali primus ordinator, locutor, & illuminator; Quoad relationem autem executionis, & actus emanationis, dicitur illa eadem effentia *Filius*, quali ordinatorum executor, locutoris Verbum, & illuminationis lux; cujus virtute firmati funt cæli, & facta funt omnia; Sed fi effectum actuum ordinatoris & executoris refpicimus, eadem ifta effentia vocatur *Spiritus Sæctus*; à quo rerum creaturarum virtutes procefferunt. Dicimus ergo, quod tria in facris fcripturis recenfentur falvationis atque fanitatis pñcipia; videlicet Jod, vel Deus pater, Lux mundi feú Filius vel Verbum, & fpiritus lucidus ab utroque procedens; Quæ quidem tria non funt nifi unum effentia; proprietate autem differunt; uti dictum eft: Unde in mundo etjam ftationes diverfæ operationibus ipforum, maxime convenientes attribuuntur: Nam Jod Pater vitam & effe ך fuperiori, feú cælo Emypyreo, & ipfis angelis per Verbum, quod eft ipfius virtus, tanquam per Filium, mediante fpiritu, diftribuit; Et Lux mundi, feú virtus ipfius Jod, in virtute Tetragrammati, tanquam in potentia Patris, interveniente fpiritu, vitam firmamento, per Vau ך in nomine ifto magno, designato, & ftellis in eo difpofitis benevole largitur, manumque fuam perpetuo ad vitam ipforum in eodem fanitatis ftatu confervandam porrigit & protendit; Spiritus auté Sæctus ab utroque procedens per Verbum, ordinante Jod vitam cælo infimo, formam nempe elementis, & tribus elementarum fpeciebus, videlicet animali, Vegetabili, & Minerali, confert; & per illum mediante Verbo, cujus efi, manere in æternum, vita & fanitas cujuslibet fpeciei femper confervatur: Atque hæc tres vitarum fpecies, triplici lucis è tenebris emiffione tres priores creationis dies confluentes, diverfis Trinitatis fæctæ proprietatibus referuntur.

Sed, quoniam hæc omnes proprietates non sunt nisi unica unius Dei essentia, ideoque generalem totius sanitatis fontem Jehovah appellamus, qui in se, & in sua essentia ineffabili, tres dictas Deitatis proprietates continet: Nam Deus, & virtus ejus, atque Spiritus utriusque sunt unus Deus, haud secus, quam Sol; & lux Solis, ac calor ejusdem dicuntur unicus Sol; quoniam Deus sine virtute & Spiritu suo sacrosancto non magis dici potest Deus, quam Sol suo lumine & calore orbatus, deinceps Sol appellari mereretur: Unde dixit, Moyses; *Iehova Deus tuus vita tua est, & longitudo dierum tuorum.* Deuteron. 30. Et Salomon; *Vita dierumque numerum dedit Deus Eccles. 5. 17.* Sed tamen hæc proprietates etiam mundo, propter diversas emanationis radiorum seu lucis à Jod profluentis operationes, ex diversa diversæ materie resistantia ortas, attribuantur. Dicimus ergo quod Deus generale sit vitæ & sanitatis principium; Dicimus etiam cum D. Joanne, quod *Verbum erat apud Deum, & Deus erat illud Verbum, & illud Verbum erat in principio apud Deum, & quod omnia per ipsum facta sunt, ac sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Unde patet, quod hæc erat illa Sapientia, de qua Sapiens Proverb. 3. dicit, quod *ea Iehova fundaverit terram, & caelos stabiliverit, & abyssum diffidit &c.* Sed procedamus ulterius cum verbis D. Joannis; *In ipso erat vita, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet; tenebrae autem non comprehenderunt eam &c.* Hoc ergo Verbum est lux mundi, seu illa Sapientia, quam possidebat Iehova principio vite sue, ante opera sua, ante ullum tempus, quæ erat apud eum velut alumnus cuncta componens Proverb. 8. Vel, ut Joannes vult, *Verbum, quod erat in principio apud Deum, hoc erat ille Sapientie Spiritus unicus & simplex;* quem Sapiens Sapient. 7. vocavit vaporem virtutis & potentie Dei & emanationem quandam sinceram, seu fluxum claritatis Dei omnipotentis, seu candorem & splendorem lucis æternæ, seu speculum sine macula majestatis Dei, & imaginem bonitatis illius, quæ speciosior est Sole, & super omnem dispositionem stellarum; lucis comparata inventa est prior; Hæc, inquam, est lux illa, vitæ fons; omnesque rerum vitæ ab ea promanare dicuntur, Hinc ergo dicitur, quod *sermo Dei sit velut ignis purgatus, qui sicutum est recipientibus se ad illum Proverb. 30.* hoc est, qui vitam, & sanitatem conservat illis, qui sub umbra alarum ejus se reponunt, juxta illud Psalm. 35: *Homines & jumenta conservas Iehova; quam preciosa est benignitas & misericordia tua; cum filij hominum ad umbram alarum tuarum se recipient &c.* Hæc ergo sapientia est lux hominum; & illa lux est vita rerum; Ergo vita, esse, & lux est à Verbo seu Messia, qui est Tetragrammati virtus, quatenus *in eo, & per eum omnia, quæ existunt, facta sunt, & sine ipso nihil, ut testatur Joannes:* Hæc, inquam, lux est illa *vita arbor in medio paradisi sita, Genes. 3. 24.* de qua dicit Sapiens Proverb. 3. quod sit *arbor vite apprehendentibus eam.* In ista igitur sapientia nos animo & corpore per completam resurrectionem salvandos, & secunda illa ac æterna vita, nullis perturbationibus obnoxia, per mortem fruturos esse, nos Christiani fide certa atque infallibili credimus, & quod necesse fuerit, ut hæc Deitatis sapientia, seu Verbum se in spiritu Jah humiliaret, & carnem humanam indueret, quo ipsa tandem facta homo seu Adam secundus, post reportatam à morte & Diabolo victoriam; sua justitia prioris Adami peccata aboleret, maculam humani generis lethalem abstergeret, & spiritu suo vivificante efficeret, ut illud, quod *seminatur in corruptione & dedecore, resurgat in gloria, atque ut illud, quod naturale & mortale est, evadat supernaturale & immortale,* adeoque etiam, ut, quod prius tenebrosum & corporale fuit, virtute istius hominis divini lucidum & mere spirituale efficiatur. Quod autem talis homo spiritu Deiformi ultra & supra rationem humanam exaltandus foret, & quod adeo de progenie Deorum futurus esset, qui verus existeret generis humani creator, ipsi etiam Ethnici pro certo statuebant & credebant; dum tamen de ejus persona varij varia sentientes non sine hæsitatione ac incertitudine scripserunt, ut in sequentibus apparebit.

C A P. II.

De diversa Ethnicorum opinione de Salvatore & Redemptore.

Perceperunt etiam Ethnici Philosophi, hominem quendam Redemptorem venturum in mundum, qui omnes homines, mortis caligine & ignorantia tenebris submersos, radijs suis divinis & salutaribus mundificaret atque vitæ æternæ latice ablueret, eumque de divina atque incluta stirpe & profapia orturum agnoverunt; sed quinquam, aut qualis ille, vel cujus, aut cujus matris filius futurus esset, non bene inter eos constitit; siquidem alius hunc nominavit, alius illum, ac tertius denique tertium. Quidam voluerunt, ipsum fore *Esculapium* Jovis filium, quem in hunc mundum per transformationem venturum dixerunt; inter quos Julianus Imperator in lib. 2. contra Galileos ita scribit: *Jupiter in suis intelligibilibus Esculapium ex se ipso genuit, in terram per solis genitalem vitam destinavit: Hic in terram è caelo faciens progressum uniformiter quidem in hominis specie circa Epidaurum apparuit: Nactus itaque illic succibus super universam porrexit terram, salutarem dextram, ut restauraret animas male dispositas, & corpora invalide habentia:* Similiter in Platonis *Phædone* habetur, quod Socrates sapientissimus, morti adjudicatus, galilum Esculapio offerendum voverit; quatenus gallus Apollini Phæbo, qui Sol nominatur, sacer est, quoniam horarum & diei lætus est nuncius. Ratio autem hujus rei est, quod Esculapius dictus est à

veteribus Jubilatio, Apollinis, victoria, & triumphus, qui Paean appellatur: Quare gallum illum ei sacrificio obtulit, ut Apollini, hoc est, primo & incorporeo Soli, æternæ vitæ dispensatori animam tranquille morientis cum lætitiæ júbilo & Pæane redderet; Nam Pæan denotat parvam cessationem, & quietem post liberationem. Horum etiam opinioni Orpheus ille divinus astipulari videtur, qui in hymnis cecinit; *ἰητήρ πάντων Ἀσκληπιέ δέσποτα παῖαν ἔλθε μάκαρ σωτῆρ βιοτῆς τέλει ἑοδὸν ἑπαζών*, id est, *Sanator omnium Esculapius; Domine Paean veni, beate salvator, vitæ finem bonum præbens*. Atque hæc illorum sententiæ ad salutem animæ solummodo pertinent: Quod autem ad corporis curationes attinet, prædictus Julianus, Jovem testem invocans, multos se novisse asserit in maximis periculis adjutos; imo vero se ipsum ægre laborantem sæpe medelis ejus salvum evasisse fatetur. Alii ipsum *Herculem* Alcmenæ filium à Jove prognatum pro redemptore elegerunt, inter quos ipsi Thassij præcipue nominantur; Quod quidem hujusmodi monetæ inscriptione significaverunt; *Ἡρακλῆς σωτῆρ Ἰασσίων*, id est, *Herculis Salvatoris Thassarum*: Hujusmodi etiam opinio inter alias nationes communis erat. In Ægypto quoque regi Ptolomæo nomen *σωτῆρ*, id est, *Salvator*, attributum est. Sed inter omnes cæteros *Apollo*, Jovis filius pro Salvatore apud Ethnicos communiter habetur; quatenus est lux mundi vitibilis, vitæque æternæ dispensator, medicinæ inventor, morborumque corporaliū curator; hoc est amissæ sanitatis corporeæ restaurator, propter vivificum suum calorem, virtutemque suam vivificam existimatur, adeoque creditur, quod communis vitæ vis, & particularium virtutum semina, atque ipsarum stellarum, seminibus gravidarum, dispositiones ac præcipue Lunæ in potestate ejus existant; imo quidem etiam ei attribuunt ipsarum animarum gubernationem in salute vel ægitudine, easque ab ipso recipi, & à tenebris præservari asserunt post iuum è corpore egressum.

Porro etiam ille benigna suæ naturæ operatione tendit ad opaci & grossi subtiliationem, & ad reducendum opaca quidem per dissolutionem in corpus perspicuum, terrestre autem in naturam spiritualem. Atque hinc est, quod palatium hujus personæ divinæ *Solem* fecerunt, eumque ibi *Phæbum* nuncupaverunt. Quid aliud igitur, obsecro, volunt sibi hujusmodi Philosophorum veterum figmenta, quam ut nobilissimæ illius rei veritatem Poetico quodam furore & commento de summo bono, inferant ac divinatorie tradant, cui nos Christiani fide certa atque indubitata credimus, utpote quam ex sacrarum literarum doctrina verissimam esse cognoscimus. Namque, ut Salvatoris veri proprietates cum ficto illo Juliani comparemus, atque ut attributa vera illi falso, ficto, & commentitio Redemptori, fulminis ictu (ut autores habent) è vita sublato detrahamus, & ad genuinum & vere Deogenitum transferamus, eaque ratione tributum Cæsari æterno debitum veritate ducti reddamus, dicimus imprimis, verum Jovem esse ipsum *Iehovam*; qui in suo regno ideali & formali non fictum aliquem Esculapium, sed verum *filium M. sriam* ex seipso genuit: Hic in terram ex cælo faciens progressum uniformiter quidem humanam induebat in virginis utero speciem; adeoque etiam sua specie externa auctus salutarem suam dextram porrexit, ut restauraret animas male dispositas, & corpora invalide habentia: Sed & gallus à Socrate, Esculapio oblatu referri potest ad gallum illum, qui cecinit, ut admoneret Petrum de appropinquante Solis æterni ortu; qui paulo post è sepulchro ac à morte resurrecturus, atque ita quasi ab horizonte in terram tenebrosam, seu à nocte in diem proditurus erat; Ad hunc ergo Salvatorem verum tum animi tum corporis, & universi mundi renovatorem merito convertit Orpheus sermonem suum, dicendo: *Salvator omnium Iesus; Domine Paean; Veni Beate Salvator, bonum vitæ finem præbens*. Porro etiam dicimus, quod proprietates illæ, male Apollini attributæ, optime convenient, & tribui debeat Messiæ Tetragrammati, vero Salvatore; quatenus nimirum ipse est Jovis vel Jehovæ filius, ex Latona virgine natus; hoc est, ante suam incarnationem in Spiritu non inquinati ventre portatus: Nam Latonam dicunt cæli circumferentiam seu peripheriam; quæ post coitum ipsius Jod cum ea (nam *Spiritus ejus ferebatur super aquas*, qui agebat in eas, ut mas in foeminam) gravis facta & quasi imprægnata est Virtute, seu prima ejus emanatione: Atque hæc natura humida *Cupidinem Psychæ* amorem produxit mundo: Uti autem divinum hoc, & luciferum ac vivificum semen, cujus præsentia spirituali omnia, quæ creatione existunt, facta sunt, & vitæ acceperunt, portatum fuit à mundi primordio ante suam incarnationem in ventre materiæ humidæ purissimæ; sic etiam hæc eadem virtus in Materiæ puræ uterum videlicet (per contractionem Materiæ tum ratione ipsius dictionis, tum etiam essentia in massam humanam) in Mariæ virginis uterum (nam Materia per contractionem scribitur ita, *Μαρια*, & elementum subtile materiale per contractionem facit corpus densum, licet purum, quale erat illud Mariæ) ingressa est; ubi se cum natura carnea conjunxit, atque tandem humanitatem induit, ut conditam in principio præstantissimam creaturam sed immediate post creationem per inobedientiam adversus creatorem lapsam, in pristinum felicitatis statum per suæ humanitatis mortem & à morte resurrectionem restitueret, atque ita à tenebrarum captivitate liberaret. Hic Spiritus corpori opaco inditus, tantam habuit vim atque potestatem divinam, ut etiam solo contactu, imo vero solo afflatu, ac verbi prolatione, & quidem per longam locorum distantiam absente præternaturaliter affecto, morbos curare, ac, quod dictu & auditu mirum est, ipsos quoque Cacodæmones, spiri-

tusque immundos è corporibus solo imperato seu mandato eicere potuerit. O Medice medicorum memorabilis, quis mortalium crederet talia, nisi fides rei, fidem adhibere Christianos moneat.

C A P. III.

De Verbi, seu virtutis Tetragrammati actione in prima & principe sanitatis specie, qua dicitur Salvatio.

Verbum, Sapientia Jehovæ, ejusque prima emanatio in productione & creatione lucis Jah primum Dei cognomen ab operatione in mundum introduxit; in quo benignitatem exercet erga creaturas primi 7 seu cœli, quod cum Jod conjungitur: Atque hinc dicit David Propheta; *Si iniquitates observaveris Iah Domine, quis potest consistere? Apud te est condonatio, ut reverenter colaris: Ipse redemit Israel ab omnibus iniquitatibus ejus: Apud Iehoram est benignitas & plurimum apud eum redemptionis Psalm. 130.* Hinc etiam sapientia dicitur Spiritus suavis, humanus, & benignus, quatenus agit in spiritu tenui, flexibili, suavi, tenero, & actionibus ejus obedientissimo: Unde ab eo & in eo cœlo ejusque elementis simplicissimis & purissimis fecit creaturas vivent. s. nulli ægritudini aut contrarietatis passioni subiectas; videlicet angelicas intelligentias semper Deo gaudentes, eique in æternum obedientes: In hoc ergo cœlo letatur sapientiæ & gaudio inexplicabili afficitur: Unde *Proverbior. 9. Ego sapientia ei velut alumnus asilo, cuncta componens, cum sim apud eum educando & eram in latitijs quotidie, latificans & ludens coram eo, omni tempore:* Hinc etiam incepit habere voluntatem, ut ita em cum filijs hominum, qui ad angelicam naturam proxime accedunt, delicias & delectationes haberet, & latificaret ac luderet similiter in orbe terrarum habitabili, ut in eodem capite habetur: Atque hæc est ratio, quod Propheta dicit *Psalm. 33. 5. Benignitate Iehovæ plena est terra.*

Deinde hæc Tetragrammati emanatio sacrosancta profundius, nempe ad regionem Vau se extendens, & in tenebras illius regionis, videlicet Firmamenti se immergens, producit 17 Jeho; quod est sigillum in centro mandatum; quo Verbum formas vitæ in spiritu magis duro & rebelli permanentes signavit. Atque in hoc cœlo agit virtus Tetragrammati seu emanatio claritatis omnipotentis, non ita suaviter, ac in spiritu Emphyreo; quippe quod magis ejus actionibus, sigillique Jehovæ impressionibus resistit: Et tamen, quoniam hic Spiritus est mediæ naturæ inter aquas subtiles & spissas, ideo minima resistantia recedat obediens ad vitales lucis æternæ radios suscipiendos: Unde etiam propter ejus obedientiam clementer cum illo agit lux divina, cumque immortalitate & incorruptibilitate imbuendo, æthereum & vitalem, animæque mundi tabernaculum, in sphaera æqualitatis movens, constituit; ita ut Spiritus istius appetitui satisfecerit virtus divina; Sic itaque mediocritate insigni, tanquam medium inter terminum à quo, & ad quem, unam separavit extremitatem ab alia videlicet He superius ab He inferiori, hoc est aquas ab aquis, videlicet subtiles à spissis.

Denique hæc Jehovæ virtus atque potestas ad centrum usque terræ penetrans à regione Vau, infimam mundi regionem, per ultimum Tetragrammati He symbolicè descriptam, delineat: Sed, quoniam hæc regio omnes spiritus tenebrosos, à cœlis superioribus repercussos includit, ideo spiritus istius regionis sunt rebelles, duri, frigidi, & magnæ resistantiæ; Unde fit, ut divina fortitudo omni fortitudine fortior, cujus est dura atque perversa, utcunque potentia, suo dominio subijcere, tenebrarum agmina disumpat, & voce magna atque tonanti ipsas in abyssi centrum ita repellat, ut iterum ad hunc usque diem resurgere non possint. Sic ergo distincta sunt elementa litigantia, & pacis atque harmoniæ vinculis ab invicem separantur: Ita fundata est terra, atque ita facti sunt cœli, Et quidem hæc omnia à Sapientia sunt adimpleta, juxta illud Salomonis *Proverb. 3. Iehova Sapientia fundavit terram, statuit cœlos intelligentia, qua abyssi difflisse sunt, &c.*

Sed hic observandum est, quod hi spiritus infimi propter suam densitatem & rebellem naturam contra lucis agentis dispositionem, & propter participationem suam cum tenebris, è quibus egressi sunt, qua luci Deiformi magis opponuntur, semper seditioni sunt obnoxij; Unde & propter suam resistantiam ac rebellionem contra Verbi actiones elementa simplicia mutationibus & alterationibus, eorumque composita ægritudini ac morti subijciuntur: Et tamen spiritus sapientiæ conamen est etiam in hac mundi regione corruptibili per mundificationem, subtiliationem, tenebrarum separationem, & opacorum illuminationem res morti subditas salvare, easque morbidas curare, tabescentes restaurare, atque homines etiam morbo extinctos atque exanimatos duplici resurrectione exuscitare: Nam Jod per 7 summum produxit Vau Verbum; & He infimū per Vau, seu virtutem Tetragrammati, seu Messiam reducetur in temporis circuitu in Jod, seu terminum à quo; cum videl. secundum *Dan. 6. Antiquus dierū, veniens in majestate, filio hominis pot. stat. e dabit, & honorem & regnum;*

Nam

Nam necesse erit, cum literæ Tetragrammati sint omnes circulares, ut ultima litera He, nominis Jehovæ redeat de natura spiritus deni & rebellis in dispositionem He superioris, videlicet mitem, humilem, benignam, tenuem, & immortalem, juxta illud *Apocal. 21. Novam civitatem Jerusalem de celo descendentem vidi &c.*

Nam Virtus æterna semper eadem est; actionum autem differentia contingit ratione materiae & subjecti, in quod agit. Atque hoc modo cælum & terra mundum constituentia secundum exemplar illud hieroglyphicum & symbolicum nominis ineffabilis Jehovæ, creatione mirabili, virtute Verbi atque Sapientiæ Conditoris producantur; in cujus dimensione tam valetudinis & salvationis, quam ægritudinis & mortis origo invenitur: Sed tanta est Tetragrammati benignitas, ut ipsa longe indignationem ejus excedat: Unde primum ipsius He vel cælum Empyreum gratia divina plenum est, adeoque salvationis, redemptionis, resurrectionis, & vitæ æternæ est sanctuarium. Porro etiam ipsius Vau, seu cæli ætherei, in quo vitæ fons atque arbor in suo solari sacrario habitat; medicamentum benevolum & universale descendit, quod ipsa quinta essentia nuncupatur; Cujus præsentia elementa rebellis, & à nativo suo ligamento æthereo libera, atque jam litigare incipientia, redduntur obedientia, & virtute communis illius vinculi, glutinisque mirabilis recta symphonia in vicem consentire percipiuntur; ita ut majorem mundani spiritus portionem gratia, vita, atque benigno omnipotentis spiritu repleram esse cernamus; minorem vero & præcipue infirmam ac elementarem mutationi, intemperiei morbidæ, & ipsi morti subjectam animadvertimus, uti infra ostendemus. Restat jam, ut declarem, quidnam sit illa Tetragrammati virtus, qua hæc tot ac tantæ erga creaturas benignitatis species tam inferiores, quam superiores exercentur.

C A P. IV.

De Cabalistica autoris inventionè, qua numeris probare videtur divinitatis cum spiritu naturali mixtionem; Similiter de maxima quinarj numeri divinitate, tam in numeris, quam literis Hebraicis.


Difficillima est tam inter Theologos vulgarès, quam scholasticos disputatio & disceptatio de Deitatis essentia in mundum materialem se immergente ac dilatante: Nam Theologi omnino negant, *Deum esse ipsam Naturam*: Unde hæretici nomen solent eis imponere, qui Deum & naturam confundunt, dicentes, quod *Naturaliste* ita venerentur naturam, ut, ipsum Deum ignorantes, Naturam pro Deo accipiant: Sed (quod pace eorum dixerim) difficiliori ignorantia labyrintho implicantur illi, qui, ignorata natura ad veram Dei cognitionem se perventuros esse putant; cum impossibile sit ab extremo ad extremum absque medio pertingere, vel scalam Jacobæam sine gradibus ascendere, aut summum quinquaginta portarum intelligentiæ sapientum fastigium contemplari & meditari, nisi incipiamus à posteriori, & secundum creationis ordinem gradatim speculatione ad superiora tendamus: Quomodo, quæso, possibile est, ut à terra ad tertium cælum ubi Ehiel vel Jah reperitur, pertingamus, nisi per elementorum gradus subinde magis magisque sensum nostrum secundum graduum superiorum dispositionem subtiliemus, & deinde per cæli ætherei orbis, quinta essentia plenos, in quorum regione totius naturæ medulla, & ipse Deus veste naturæ humidæ firmamenti induitur, ascendamus, ut ita tandem ad locum Empyreum perveniamus, ubi simplici Spiritus intellectualis indumento ornatur Deus Jehovæ vel Jah, ad cujus cognitionem pervenit Moyses, quamvis eum videre, ut erat simplex Jod, omni veste materiali denudatus, non potuerit? Hinc ergo Cabalistarum opinio erat, Deum in natura multis vestimentis esse vestitum: Et ego quidem etiam speculatione non spernenda, aut rejicienda hoc modo vestium illarum multipliciter inveniri.

In mundo Archetypo, per progressum unius proprietatis sacrosanctæ Trinitatis ad aliam, ex simplicis numeri digitis triplicem observavimus ordinem, videlicet ter tria in novem; quorum prior erat 1. 2. 3. qui est ordo radicalis, & omnium simplicissimus; Unde denotat, quomodo unitas in radicalemente lineam effluerit, quæ conflatur ex punctis primi ordinis; Atque ita designat hic ordo naturam linearem & simplicem profluxus primi cæli mundani; cujus unitas est Jod: Et prima hierarchia attribuitur 1. secunda 2. ac tertia 3. Hic igitur denotat, quod Jod in hoc cælo vestem simplicem ac linearum induat, videlicet 7: ac si 1. indueret 2. & 3. quæ faciunt quinque; qui est numerus He, secundum ordinis primi in mundo Archetypo dispositionem. Ordo secundus emanationis, à primo in ternario numero procedens est 4. 5. 6. denotans superficiem imperfectam, videlicet ter duo, vel bis tria: Unde ultimus numerus 6. arguit Vau; & quinque in medio declarant He occultatum in ventre vel centro Vau: Ex quibus patet, quod hæc secunda in mundo formali à primo ordine

promanatio sit typus cœli medij sive firmamenti: Et quoniam numerus impar, (quinque) in medio invenitur inter 4. & 6. ideo denotat, perfectionem illius cœli vestitam esse duplici materiæ portione: Nam numerus par denotat materiam, & numerus impar formam: Et 4. similiter denotant dualitatis quadiatum, seu superficiem lineæ; atque ita statuit numerus 5. tabernaculum suum in medio, inter 4. hoc est, superiorem ætheris seu firmamenti partem, & 6. quæ sunt inferior & crassior cœli medij pars; videlicet in Sole, qui dicitur cor cœli: Atque hinc dici potest, quod hoc cœlum, propter numeri formalis quinarij in ejus centro positionem, sit Quinta essentia: In secundo ergo hoc ordine Archetypi 4. 5. 6. cœlum stellarum & sphaera Saturni, & sphaera Jovis dantur 4. Sphaera autem Martis, sphaera animæ seu æqualitatis per centrum Solis transiens, & sphaera Solaris ipsi 5. & sphaera Veneris, Mercurij, & Lunæ numero 6. assignatur: Et certe ratio in promptu est, cur duo extrema sint paria & imperfecta, prius scilicet minoris ordinis, & ultimum majoris; quoniam videlicet superius, nempe 4. est spiritus illius nexus cum γ vel spiritu Emphyreo, qui est subtilior materiæ pars; Unde minor paritas cum illo continuatur eo, quod magis ad numerum imparem simplicem accedit; Inferius autem nempe 6. est conjunctum cum spiritu grosso & infimo He: Unde excedit superiorem partem per duo, denotans hoc ipso, quod, quo magis deorsum tendit emanatio Jod, eo etiam magis se immergat in materiam imperfectam, aliusque in multitudinem progredietur. Et quamvis diviniæ majestati in mundi mari versanti non nisi ves vestes pro materiæ trium cœlorum diversitate attribuamus, quæ manifestæ sunt, attamen tam varia & tot indumenta induit Deus in mundo, quot sunt in multitudine materiæ unitates; Atque hinc oritur in rebus omnibus generū, & in generibus specierum, ac in speciebus individuorum ab invicem distinctio. Sed, ut ad ultimum typicum mundi formalis ordinem procedamus, qui est 7. 8. 9. sicuti in supremo He vel prima emanatione 1. 2. 3. invenimus numerum parem inter duos characteres imperfectos & impares; videlicet 2. sic etiam in infimo, ubi materia multiplicatur, vel in ultimo progressu divinorum numerorum 7. 8. 9. deprehendimus 8. numerum parem inter duos impares perfectos: Numerus ergo 2. supremi ordinis centrum, tanquam radix in se ductus producit 4. in secundo cœlo quadratum; & illud iterum producit 8. in infimo, quæ sunt totius cubus. Sic itaque videmus, quomodo Deus in mundo vestitur materia: Nam omnis figura impar horum digitorum vel numerorum divinorum est symbolum divinitatis: Atque hinc scriptum est, quod *Deus numero impari gaudeat*; videlicet propter ejus perfectionem; Nihil autem est perfectio vel perfectum præter solum Deum; quatenus nihil absolute bonum præter solum Deum. In supremo igitur cœlo, seu γ imagine nominis Tetragrammati, Jod seu unitas vestitur per He, seu spiritum ex una parte; & perfectio, in 3. significata, est quasi nexus seu fibula perficiens admirabilem ex simplici hoc spiritu, seu vestimento Jod, compositionem, ex qua angeli producti sunt: Nam primum Jod ingressum eit in γ . Et 3. in ambobus, seu spiritum, qui ferebatur super aquas, hujusmodi Dei amictui virtutem in compositione præbens, angelorum choros produxit; Etenim ut tertia persona est multitudo respectu unitatis, sic etiam non identitatem sed alteritatem seu diversitatem produxit: Namque ut Deus est identitas, sic angelus est alteritas, ex spiritu & luce, hoc est, ex ipso Deo, vel Dei radio, & spiritu creato γ producta: Atque hinc est, quod angeli secundum ordinem tertiæ personæ in tres hierarchias dividuntur, & illarum quælibet iterum in tres ordines. Simili etiam ratione 3. numerus vestitur ex parte superiori, numero 2. vel spiritu γ seu Emphyreo, & ex inferiori parte, numero 4. seu superiori firmamenti parte: Atque ita Deus reperitur in medio horum duorum spirituum; qui invicem sibi naturali, imo vero supernaturali nexu alligantur; primo quidem, ut loco discordiæ symphonia constituantur, & deinde, ut vacuum non admittatur in rerum natura: Atque hæc est ratio, quod in vegetabilibus aer igni ita alligatur, ut ignis sine aere ascendere non possit, nec aer sine aqua, nec aqua sine terra, nec quinta essentia sine igne, nec spiritus Emphyreus seu sexta essentia sine quinta essentia vel spiritu æthereo. Hic ergo sapientiæ spiritus est nexus & ligamentum partium mundi ad invicem; imo vero & partes elementorum in creaturarum compositione symphonico consensu copulat; quibus pax sit in earum Oeconomia, & tamdiu continuatur, quamdiu vinculum illud suum sacrum præstat in re omni officium: Nam primo est vinculum, quo Deus Jod seipsum jungit cum materia humida prioris He: Deinde elementa seu gradus illius cœli ita disponit, & ad invicem ligat, videlicet humidum & calidum, ut ex his duobus in subtili materia humida intelligentias puras producat in illo cœlo: Tum porro nexu suo ligans spiritum intellectualem supremi cœli cum spiritu vitali cœli medij, jungit formalem superioris spiritum cum medio, atque ita animam mundi inducit; ac deinceps elementa tenebrarum ejusdem cœli ad invicem conglutinans, & à pollutione purgans, cuilibet ita composito portionem ejusdem mundi animæ assignat secundo die, & sunt stellæ fixæ in numero quaternario; atque tum demum post diem tertium tota animæ mundi res contracta est in solem in sphaera numeri quinarij. Hujus etiam spiritus glutine quilibet cœli ætherei orbis suo loco firmatur, & natura naturis symphonico respectu correspondet.

Postea transit ternarius ille numerus divinus ad quinque, sic 3. 4. 5. Et ibi vestimento, materiæ quinarie proportioni correspondente induitur unitas in ternario, & ternarius in quinario; ita

ita ut quinarium hic numerus faciat complementum triplicitatis numeri ternarii, sic; 1.3.5. Unde trinitas in complemento imparitatis & perfectionis definit in numero quinario, ubi principium est impar, medium impar, & finis impar: Unde hic numerus in mundo ideali est centrum numerorum simplicium, quemadmodum hic apparet in diametro sequenti, & per consequens ibi in mundo latet magnum Trinitatis in perfectione mysterium: Hinc itaque ego in illo *Psalmi* loco, *Et posuit ibi Soli tabernaculum suum*, contra falsam quorundam interpretationem, Hieronymi sententiam defendens, audeo et mundo hisce scriptis promulgavi, quod Jehova ipsum solem sibi tabernaculum in hoc mundo fecerit, quatenus ibi positus est numerus ille mirabilis, qui symbolicum est Trinitatis indicium, & centrum formale omnium naturalium: Unde dicitur, quod *Sol sit cæli meditullium*, & quod *ipse Deus sit rerum omnium centrum*: Similiter est numerus 5. centrum primum numerorum simplicium;



Per impares ergo numeros Deitas significatur, quasi Deus recedens à suæ unitatis loco, & se multiplicans ad Jod usque, seu denarium numerum; per quod in suo mundo typica ratione descriptus gradus formales in descensu materiali; Et numeri pares indicant gradus impressionis divinitatis in mundum, seu vestimenta cujuslibet processus divinitatis ab unitate. Quare 2. est vestis unitatis, & 1. est lux vestita, seu vinculum ligans dualitatem, seu superiorem spiritum cum Deo, seu lucis fonte in mundo æterno permanente: Sic 4. est vestimentum cooperiens ternarium divinum; & 3. est lucis vinculum, ipsum quaternarium numerum seu quadratum ad 2. radicem suam connectens: Unde quadratum formam & esse suum à sua radice informatam habere dicitur, cum ea sit radix atque origo sui quadrati, non minus, quam linea superficiem. Est ergo emanatio divina interposita actus & vita, qua processio fit ab unitate ad radicem & à radice ad quadratum &c. Et per consequens numerus impar, divinitati & formæ essentiali attributus, est actus & vita cujuslibet paris, materiæ & spiritui comparati: qui illis interponitur, ac si esset statumen & fulcimentum, quo res in tuo esse sustentatur: Atque unus ad alium habet in hoc mundo relationem: Sic quinarium est vestimentum sibi; unde est symbolum ipsius Jod; Nam quinque & quinque constituunt 10. quorum character Hebraicus est Jod. Hinc videmus, quomodo Deus sit admirabile rerum spiritualium centrum, hoc est, in medio aquarum in throno igneo sedens: Atque hoc verificatur ejus apparitione in omni cælo; videlicet in Sole sedet tanquam in centro aquarum ætherearum, & in nube cæli inferioris videlicet in aeris meditullio, sicut Moyse in monte Sinai apparuit. Deinde 6. est vestimentum numeri 7. & 8. numeri 9. ita ut inveniamus quinque apparitionis modos, quibus Deus sese exhibuit & aperuit in hoc mundo; videlicet 1.3.5.7. & 9. in quibus ille essentialiter erat, sicut est; attamen propter quinque vestimenta, quibus tectus erat, ejus facies, quæ & ejus anteriora est dicta, videri non potuit: Sic primum ejus indumentum erat spiritus tenuissimus in prima ejus emanatione veluti 2. ad 1. vel K: Secundum erat mixtio basis spiritus superioris cum apice ætheris, tanquam 4. ad 3. vel Z Gimel: Tertium erat spiritus æthereus, tanquam 6. ad 5. vel N: Quartum erat spiritus elementaris ut 8. ad 7. Et quintum numerus compositus, ut 10. ad 9. quæ est ultima unitatum extensio, ultra quam non est progressus: Unde, ubi mundi materia mensuratur, ibi numeris compositis utimur, videlicet denario, centenario, & millenario; Sed ubi formales fiunt numerorum progressus, ibi quidem numeris simplicibus & divinis, secundum eorum dignitatem & sanctitatem, motum in mundi materiam attribuimus: Atque ita videmus, quod Deus unitas se ipsum in mundo per numeros simplices multiplicet; atque saltem ad Jod suum principem progressu circulari regreditur: Quibus quidem docemur, quod, ut omnia ab unitate ad quinarium per compositionem plurium elementorum, tanquam à non entibus ad entia, procedunt, ita in puncto, atque à puncto seu centro quinarium omnia, quæ sunt, tanquam à Verbo, luce divina completa, & virtute atque sigillo Tetragrammati vitam accipiunt, & iterum ab hoc vitæ puncto per compositi dissolutionem, quam nos mortem male appellamus, ad Jod i.e. decem festinant, à quo progressa sunt. Unde perspicue, uti spero, videtis, quomodo res omnes à Deo procedant, & deinde quomodo ad Deum iterum per resolutionem revertantur, similiter, quomodo creatura nonnunquam Jehova dicatur, seu numerus formalis, impar, & centralis, ac nonnunquam angelus, quando indumentum creatum, vel numerus informatus par consideratur, cujus alibi mentionem fecimus. Mysterium autem numeri quinarium supra allegatum peroptime ex demonstratione sequenti percipere possumus; ubi rationem convenientiæ inter centrum numeri formalis & materialis videbimus.



Vel è regione sic.



In Abrahami *Iezira* legimus hæc; *Decem Sephiroth præter ineffabile numerus 10. digitorum, videlicet quinque contra quinque; & pactum superlative unius intentum in medio; in interpretatione lingua & c. cum quibus decem Sephiroth absque ineffabili.* Proinde studuimus ita 10. digitos per literas Hebraicas ordinari, ut disponere, ut quinque essent contra quinque; ita ut pactum superlative unius statueretur in medio. In prima ergo demonstratione præcedenti quinque videlicet א ב ג ד ה posui contra ו ז ח ט י; ita tamen, ut pactum unitatis inveniretur in medio. Disposui itaque, ut in priori descriptum est, videlicet א & ה tanquam in mundo occulto & aternitate prædito; denotans hoc ipso, quo modo Deus ante creationem fuerit Alpha & Omega. Hinc א Unitas ad Nihil respiciens dicitur Nihil sive non Ens, ac non finis; quoad nos; quamvis Omnia in se: Atque ita respectu captus nostri se habuit, priusquam in mundum potentialem relucere secum decrevit, alioque nomine; ut volunt Cabalisticæ, appellatur א tenebrosorum: Atqui cum formam suam mutare voluit, & mundum tenebris obmersam facie sua splendida ac luminosa intueri, appellatum est א Aleph lucidum: Unde de eo scriptum est; *Sicut tenebræ, ita & lux ejus.* Hoc etiam verbis apertis traditum nobis reliquit Mercur. Trismeg. dicens; *Cum hæc dixisset, mutavit formam, & universa subito revelavit; Cernebam enim immensum quoddam spectaculum; omnia videlicet in lumen conversa &c.* Et paulo post, *Umbra horrenda obliqua revolutione subterlabatur &c.* Deinde ordine Alphabetico, ב Bethi, post א posui, quatenus est nota Sapientia; & denotat etiam Grammatica significatione domum seu habitationem; symbolice quoque designat ב filium, quatenus est prima emanatio ab א atque sic in cæteris. Similiter Jod eodem modo in centro numerorum, vel loco quinario posuimus; quam tamen grammaticam ordinationem & vulgarem quoniam ad mysterium nominis Tetragrammati inveniendum non ita aptam invenimus, idcirco literas illas in hunc modum disposuimus, ut א in centro, ex parte dextra ה suo lumine respiciat; cæterum י Jod ex sinistra prospiciat de centro unico, quod supra numerum quinarium esse diximus; quippe qui numerus est duplex centrum, uti antea demonstratum est; videlicet vel formalium digitorum 1. 3. (5.) 7. 9. vel materialium 2. 4. (6.) 8. Jam vero supra dictum est, quod א tenebrosum sumatur pro Deo & principio ac unitate formali absque respectu materiæ; Et Jod est unitas, seu א Aleph lucidum, ac respicit materiam; Unde Jod, semper existens unitas, jungitur cum ciphra ad suam existentiam; quemadmodum in Jehova jungitur cum He, quod primum in materiam ingressum denotat; Vel א lucidum illuminat spiritum ה sibi proximum: Et, ut Aleph est prima littera, quæ est principium divinæ essentia אהיה Ehieh, qui est pater, & prima omnium origo, vel quasi punctum in corpore sic ei primum cælum dedicatur, videlicet ה; in quod fulgido suo vultu prospiciens dicitur א lucidum; quod est idem, quod Jod in Tetragrammato: Unde Aleph dicitur principale, videlicet unitas, & unum, vel finale, scilicet pro fine & terminum. Sibi ergo vindicat Aleph lucidum, primum cælum per ה He, in dextra ordinis parte significatum, quod proprie denotat spiritum & respirationem; Et quoniam est omnibus spiritibus literarum simplicius, & in sua simplicitate fortius; denotat ventum Borealem; & à luciditate, quam primum accepit ab Aleph, vel Jod, refertur ad Orientem, in quo Sol oritur: Unde etiam dextræ manus attribuitur; Est enim Dei manus ה lucidum; qua curiæta formavit; Tum autem ponitur in processione quinario ad dextram Aleph: Huic etiam datur mentis Martius; in quo spiritus & flatus cælo existente sereno, concitantur: Porro etiam denotat inter Angelos Cherubin; quatenus hic angelorum ordo est semper coram א vel Jod, eique situ propinquior. Hinc igitur patet, quod Deus א in ה He primum spiritum & vocem suam posuerit; Atque istud He increatum est symbolum naturæ Empyreæ creatæ: Nam Deus eam ignea sua natura implevit; unde Orienti comparatur, & propter fortitudinem illius spiritus in Deo refertur ad Aquilonem vel ventum Borealem, à quo lux aurea venit; itidemque propter puritatem suam ad ventum mentis Martij, qui ab aspectu Solis, in Ariete exaltrato inducitur: Hinc dicitur. *Psal. 89. 7. Jehova quis in nube superiori par existimatur? Et Psalm. 8. O Jehova Deus exercituum quis est par tibi robustus Iah? Nam fides tua circumvestit te.* Est ergo ה quasi habitatio casta, vestimentum proximum, & solium ipsius Jehovæ, quatenus in loco ב hic exprimitur: De quo loquitur Psalmista: *Psal. 89. 15. Dei solius habitaculo, iustitia & iudicium, benignitas & iudicium præerunt.* Hic spiritus, qui symbolice dextram denotat, est typus spiritus illius materialis, quo Deus א vel Jod utitur ad salutem, juxta illud *Psal. 98. 1. Dei dextra, & brachium sanctitatis ejus affert salutem.* Hoc est illud vestimentum primum Dei lucidum, de quo Psalmista *Psal. 104. 2. Deus est amictus lumine sicut vestimento, extendens cælum sicut pellem.* Hoc ergo indumento vestitus Deus facit nubes vehiculum seu currum suum, atque ita super alas venti, ut *Psal. 104. 3. habetur: Hic denique est Spiritus Jehovæ, nasi statu mirabilia operans, ut habetur 2. Samuel. 22. Concludimus igitur, quod hoc ה sit hieroglyphicum ad verbi demonstrationem ECCE, denotans seculum præsens, ac si per hujus spiritus illuminationem ex tenebroso aquarum chaos, vel nubium congerie subito omnia visibilia sint facta; Quare etiam est sensus visus indicium, qui Hebraice אהיה dicitur, hoc est demonstratio & visio; arguens hoc ipso, quod præstantissimo lumine, quod ab א vel Jehova accepit, omnia reddiderit in principio visibilia & demonstrabilia, quæ antea ob tenebras videri aut conspici non potuerunt. Atque hinc etiam observare possumus, quod hoc ה sit primum visionis medium; quod tamen lucis colorem ab ipso א lucido requirit: Quare nota, quæso, compositionem*

vocis יהוה , in qua multum divinitatis est comprehensum, videlicet ה prima lucis potentia, & י Jod, actus lucis in ה , & ו Resh, denotans objecta, quæ oculo quasi Dei conspiciuntur: Nam ו significat terræ nascentia, & quatuor elementa, ac omnia inferiora, quæ aspectu divino vivificantur, atque creatione multiplicantur; unde prolis fecunditatem & gratiam denotat. Infinitum de hoc mysterio discursum instituere possemus; sed brevitas causa eum hoc loco omittendum censemus, ut ad cætera citius accedamus. Ut igitur in dextra parte ingressio radorum יהוה in ו protulit primum cælum; sic etiam in sinistra ingressus י in ו produxit secundum seu medium cælum: Nam, ut se habet ה ad י , quorum unum est ab altero in positione diversum, & tamen essentia idem sunt; sic etiam se habet ה ad ו ; quippe ex quibus ה est prius, & ו posterius; ac tamen ambobus de natura spiritus humidi. Atque hoc est majestatis divinæ nomen, per ineffabile Tetragrammaton in visione ignea ex tenebroso Chaos centro, vel densa aquarum & nubium caligine revelatum, videlicet, יהוה : Ubi duo interiora denotant formam supersubstantialem, duo vero extrema materiam: Quæ literæ si ita disponantur יהוה , repræsentabunt nomen Dei ineffabile; Nam ה habet proprietatem ipsius י in fine, tum quatenus non pronunciat unum vel alterum, tum quia ה denotat auram, ut י spiritum: Imo vero, teste Abrahamo in *letzira*, ה denotat in grammatica sua significatione ipsum spiritum & respirationem: Porro etiam est litera gutturalis, ut ה . Nubes vel Chaos circum ambiens hanc divinitatem apparentem erit in dextra parte ו Daleth, quod significat ostium, januam; Quare est nubis apparitionis divinæ quasi ostium, per quod egreditur sapientia in mundum: Atque hinc est, quod secundum Cabalistas ו est indicium sapientiæ, ut testatur Reuchlinus. Postea proclivorem nubis vel umbræ partem faciunt Gimel & Beth: Ubi etiam ו in ultimo loco arguit vitam, per sapientiam in mundum productam. Sic etiam in parte sinistra י Zain denotat arma; Unde *Psalms*. 18. 31. *Sermo Dei purgatissimus est, & clypeus omnibus, qui se recipiunt ad eum*: Et ו ac י repræsentant reliquam Chaos seu tenebrarum portionem, ex quibus denuo, tanquam ex elementis repurgatis creaturæ componuntur. Quare ex una parte ו literas habemus, & ex altera י , sed in centro quinariorum manet ineffabilis Tetragrammati mysterium. Hic ergo numerus quinariorum est centrum numeri denarii; qui etiam est numerus sphericus: Unde י vel 10. in ו quinque ducendo (quæ duæ literæ faciunt Jah) productum erit 50. qui est numerus portarum intelligentiæ; Vel ducendo ו in 5. (nam in eodem centro duplex quinariorum reperitur) productum erit 25. quod secundum numerum quinariorum, qui est binarius, ductum faciet 50. Campus quidem hujus mysterij tam largus atque amplius est, ut volumen immensum illo implere possemus; sed, quoniam præcipuum hujus libri subjectum nos alio avocatur, relicta illa Cabalistica doctrina, viam planiorem aggrediemur.

C A P. V.

Clarior adhuc divinitatis, ubique in spiritu mundano existentis demonstratio; Ubi etiam probatur, quod Messias sit Tetragrammati virtus seu actus, ad universalem rerum salvationem, ipsarumque à tenebris & mortis stigmatibus liberationem, atque redemptionem, & ad corporum ac animarum extra sanitatis limites se habentium sanationem, & in pristinam sanitatem restitutionem.

Quidnam sit illa Tetragrammati virtus, quam nos *Messiam* cum Cabalisticis, à scripturis sacris haud dissidentibus, appellamus, quamvis *capite precedenti*, more Cabalæ apertè declaraverimus, hic tamen demonstratione vulgo magis familiari explicabimus. Cabalæ videntur mundum distribuere in tot quasi Dei virtutes, quot sunt mundi seu cæli: Quare volunt, quod mundus, qui est animatus, mente illa illustretur, quam Metatron vocant; Mundum vero supremum seu angelicum Messia animam, (quam ipsi omnium vitarum ideam ideatam vocant) regere autamant, & quod mundum æternum lux animæ Messia, quæ est Elhai, id est, Deus vivus, gubernet: Et hæc lux Adonai est Ensoph, id est, infinitudo, quasi res summa, incomprehensibilis, & ineffabilis. Faciunt ergo Metatron, quem intellectum primi mobilis agentem appellant, cum Messia communicare, hoc est animam mundi cum anima Messie, vel naturam Spiritus Empyrei eum illa ætherei. Tradunt etiam, animam Messia & lucem Elhai haud ab invicem distare: Sed Elhai vocant fontem aquarum viventium, & animam Messia scaturiginem seu rivum vitæ; atque hunc mundum supremum Ensoph, illum Deitatis esse asserunt, quem Seraphim celebrant dicendo, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Tetragrammatum*, hoc est, ipse Deus nudus in purissima sua essentia absque omni materiæ respectu. Volunt ergo hi, ut anima Metatron distingatur ab anima Messia, atque illa tandem à luce Elhai, quem

quem nos Aleph lucidum appellavimus. Sed, ut mihi videtur, (salva eorum gratia) locuti sunt de varietate operationis unius Dei in multitudine, seu formæ indivisibilis & increatæ in spiritu mundano creato: Nam, ut antea diximus, actus semper est idem, sed differentia materiæ spiritualis in obedientia & obstinatia, hoc est in tenuitate & grossitie seu densitate, totam facit ac inducit actuum mundanorum differentiam: Nam actus semper est secundum rationem resistantiæ; quia actus, qui est virtus & potentia divina, omnia superat; Unde cum mollibus, benignis, humilibus & obedientibus benigne, molliter, & suaviter agit; cum duris vero, superbis, obstinatis, atque perversis graviter atque violenter procedit: Atque inde evenit, quod, licet Deus semper sit bonus, & ejus virtus ad bonitatem tendat, attamen resistantia huic bonitati actionis renitens est causa denominationis mali; ita quidem, ut actio divina sit semper bona, ut vel maxime etiam respectu effectus rebellionis & resistantiæ in subiecto illo patiente, in quod agitur, apud homines dicatur mala; quippe quod coram Deo non invenitur malum, sed coram hominibus: Atque hinc oritur illud, quod actus Dei erga homines, sonat idem hominibus, quod justitia, & benignitas, seu punitio & præmium ac lætitia; & tamen justitia ac benignitas unum & idem sunt coram Deo: Sic etiam videmus in igne beneficium & maleficium; videlicet calore suo artus frigidus fovere animadvertitur; & tamen eadem ignis natura non mutata comburit & destruit. Quare subiecti rebellio efficit seu in causa est, ut actio Dei, dicatur ira; iridemque ex adverso obedientia ejusdem facit; ut gratia, & salus, ac vita nuncupetur. Sed de his latius *infra*. Ex hisce igitur concludimus, quod virtus Tetragrammati sit eadem per universum spiritum mundanum, quamvis effectus differat secundum illius tenuitatem & densitatem: Sic enim videmus, quod calor hujus virtutis à Solari corpore deorsum prospicientis sit calidior & efficacior in aere tempore æstivo propter ejus densitatem, utpote qui vaporibus ex fontibus, fluminibus, & stagnis sursum elevatis inspissatur. Quare etiam videmus, quod Cabalæi in ratione distinguendæ actionis cujusque cœli, inferiores & vitibiles mundi partes Metatron, superiores autem, invisibiles atque angelicas animæ Messæ, & mundi æterni Ensoph seu Deitatis aut Trinitatis luci Elhai seu Tetragrammati dedicaverint: Namque videntur confiteri, quod fons aquarum vivarum, hoc est, spirituum igneorum increatorum sit regnum Tetragrammati Ensoph, ex quo Jod deorsum prospicit, & quod anima Messæ sit rivus ab illo fonte scaturiens; cujus mare, in quod ille rivus seu emanatio sese exonerat, seu influit, faciunt ipsi cœlum angelicum seu Empyreum, seu γ ; secundam Tetragrammati literam: Et tamen alibi agnoscunt, quod hæc anima sit ideata omnium vitarum idea, ad quam refertur omnis vitalitas tam individua, quam specifica & generalis. Nos etiam fatemur, quod hæc virtus Tetragrammati, in hoc mundo cœlum Empyreum incolens, sit fons & genus in creatis summum omnium vitarum, à genere generalissimo, hoc est, ab Ente transcendente promanans. At vero, quod genus sit absque suis speciebus, aut species sine suis individuis, id prorsus negamus. Est ergo Messæ virtus Tetragrammati in cœlo Empyreo, quasi genus vivificationis, & comparatur ab ipsis Cabalisticis trunco radices, cujus radices sunt in Ensoph: Deinde hoc genus in cœlo æthereo se dividit in species, vel truncus ibi dispergit suos ramos, qui sunt stellæ: Denique species illæ species alias subalternas deorsum in elementa transmittunt, seu arboris rami suas summitates & folia, atque tandem fructus specierum subalternarum in elementis, fructus vitæ individuis, videlicet animalibus, vegeabilibus, & mineralibus communicant.

Ex his igitur videmus, quod, ut effectus radices in arbore est truncus; qui omnem vitæ virtutem, quam à radice accepit, in se retinet, & deinde eandem vitæ vim in ramorum multitudinem diffundit, & rami iterum in alios ramulos subdivisos, atque illi tandem in fructus multitudinem; vel ut genus dividitur in suas species, & species illæ subdividuntur in species subalternas, atque ipsæ tandem in individua, sic etiam sese res habeat in emanatione fluminis coruscantis vitæ ex fonte aquarum vivarum, in paradiso supercœlesti existentium; quod flumen in mare Empyreum dimanans, tanquam genus, se dividit in ramos, per quos universos cœli ætherei fontes lucidos implet; è quorum plenitudine scaturientes alij rivuli, deorsum singuli in individua sibi à Deo ab origine destinata & subiecta, vitæ actum & spiritus vitalis undas deferunt ac infundunt: Videmus igitur, quod virtus trunci sit eadem cum virtute radices, & virtus ramorum eadem cum virtute trunci, atque iridem quoque ulterius eadem virtus, quæ est in ramis, in fructum descendit; Cujus quidem rei similitudine facillimum erit colligere & discernere quod eadem Tetragrammati virtus sit ubique per universum spiritum mundanum juxta illud Evangelistæ Matth. 5. 33. *Cœlum est ejus thronus & terra scabellum pedum ipsius*: Et Sapient. 1. *Spiritus sapientiæ sanctus replevit orbem terrarum*. Equidem igitur agnosco, quod à cœlo angelico, tanquam vivario depromatur vita omnis, ut rami à trunco, vel truncus à radicibus; non autem sequitur exinde, quod truncus non sit ejusdem essentiæ cum radice, aut rami cum trunco, aut fructus cum omnibus istis.

Proinde manifestum est, quod anima Metatron, seu anima mundi sit eadem essentia cum anima Messæ, & quod anima Messæ quoque sit eadem cum luce Elhai seu Patris sui; hæc secus, quam aqua fluminis & aqua rivulorum ab eo egredientium est ejusdem naturæ, & nullo modo differat aqua fontis, à quo flumen illud originem suam habuit. Quid ergo dicenda est hæc virtus genera-

neralis? An scilicet Messias Deus, an angelus Metatron, an ipsa natura? Certe ipsa est Messias, Angelus, & natura universalis, sed diverso modo accepta. Dicitur Messias Christus tam à sacris literis, quam doctrina Cabalistica principium, medium, & finis omnium creaturarum, & consequenter principium, medium, & finis divinorum fluxuum creatis communicatorum: Imo D. Joannes docet, quod sit *ipsum principium, & quod illud sit ipse Deus, ac quod illud principium fuerit apud Deum*, denotans quod à palatio seu regno Ensof in hunc mundum sit egressum: Quare, quatenus est principium in mundo, eatenus locus mundi dignior, & primum ab ipso creatus ei attribuitur. Quod sit medium testatur Solis pulchritudo in quo posuit tabernaculum suum; Unde & Sol vitæ ac lucis dispensator nuncupatur, quoniam à Verbo, in quo erat lux, quæ vita omnium erat, vivificam suam virtutem accepit: Hinc etiam dicitur *arbor vite in medio horti Paradisi posita Genes. 2. 9.* Nam sedes ei erat in medio Paradisi universalis creati, videlicet in mundi seu cæli corde, vel in centro universalis nubis caliginosæ: Unde scriptum est *Ecclesiast. 24. Ego Sapientia tanquam fossaeducta à flumine, & tanquam aqueductus processi in Paradisum, & dixi, Irrigabo optime hortum meum.* Flumen autem illud seu fons, à quo egressa est hæc virtus, seu sapientia sacrosancta & fulgida, erat ipsum Tetragrammaton, juxta illud *Psal. 87. Vita mea fontes à Deo. Et Eccles. 9. 17. Vita & dierum numerum dedit Deus:* Et certe primum ex Macrocosmi compositione, à cuius medio Phœbus, vitæ origo dicitur, fluere cœpit in inferiora, ac tum postea per Microcosmi fabricam, in cuius centro seu media regione cor, vitæ fons invenitur, denotans, quod spiritualis vitæ processus, & vitarum fons sit medium illud, per quod res omnes vivificantur: Sed & similiter mediator existit inter miseriam regionis tenebrarum conditionem, & egregium atque splendidum illud fontis lucidi palatium, in quo Jah clementer & benignitate plenus regnat in secula seculorum; ita ut ipsius mediatione salus ægrotis & languidis è sancto cælo conficiatur, & rebus morti æternæ addictis salvatio & redemptio è cælis excelis mittatur. Denique finis appellatur, quoniam, ut parvum erat ejus lucidum principium, ita Aleph magnum erat ejus finis; quippe à quo in punctum, à quo, revertitur, atque ita in infinitum. Hinc à D. Joanne in *Apocal. 1.* dicitur, *Alpha & Omega.* Est ergo Messias principium, à quo omnia procedunt, & in quod revertuntur.

Et hæc quidem virtus, quatenus in se & per se simpliciter, absque ulla materiæ, in cuius latice inatatur, consideratione, spectatur, est vera & absoluta Dei essentia, & per consequens ipse Deus: Unde dicit D. Joannes; *Et hoc Verbum erat apud Deum, & illud erat ipse Deus.* At vero quatenus in mundana mixtione respicitur, hoc est, quatenus hæc virtus cum natura mundi humida permiscetur; eatenus angelus nuncupatur: Nam ita denominatio fit non à simplicitate & identitate, hoc est, à Deitate, sed à simplici compositione & alteritate; cum angelus creetur è spiritu purissimo creato, & luce increata, illum spiritum creante: Unde denominatio fit à parte creata & informata, non autem à luce increata. Hinc de Messia intelligendo dixit Jacob filiis suis in ultimo suo testamento. *Genes. 48. 16. Deus ille, ante cuius conspectum continenter ambulaverunt Patres mei, Deus ille, qui pascit me in hunc diem, Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.* Cum ergo hoc loco Jacob petat eadem ab angelo, quæ à Deo ipso petijt, cum que pari honore eum dignetur, utique non potest hic angelus pro alio accipi, quam pro Messia, & pro Deo veste spiritali creata induto. Hinc etiam, qui Jehova appellatur *Exod. 13. 21.* in illis verbis: *Jehova antecedens eos interdum in columna nubis &c.* de eo dicitur *cap. 14. 19. Tum profectus angelus ipse Dei, qui antecedebat castra &c.* Illis erat nubes & tenebræ, his autem illustrabat noctem ipsam. Ex quibus patet, quod Jehova hic dicatur angelus, quatenus virtus ejus cum natura humida juncta, vel nubis amictu vestita fuit: Unde, quia hic erat compositio primi generis seu alteritas, ex igne scilicet, qui est simplex Dei essentia, & ex aqua, quæ erat illius essentia tegumentum (nam apparebat nubes & ignis) ideo hic in uno loco angelus denominationem habet à forma seu essentia ignea, quæ est virtus Jehovæ, atque ita appellatur Jehova; in loco autem alio denominatur Jehova à materia creata, videlicet ab aqua seu nube, & angelus nuncupatur: Atque iterum angelus ille dicitur Jehova, *ibid. cap. 24.* in illis verbis; *Cum prospiceret Jehova ad castra Aegypti in columna ignis & nubis &c.* Ex quibus etiam cognoscere licet, quod, cum Jehova dicitur angelus, nubis nominatio præponatur nominationi ignis, arguendo, quod secundum materiæ creata dispositionem de creatura sermo fiat, videlicet de angelo, ita quidem, ut exinde nubis vocabulum atque ordo denominationem ignis antecedit: Atqui, ubi in ultimo sermone Jehova pro angelo accipitur seu ponitur, ibi nomen essentia formalis, nempe ignis, præponitur materiali seu nubis vocabulo: Unde per Angelum hoc loco, (ut interpretes non inconcinne innuerunt) Messias & Christus intelligitur: Qua quidem dicendi formula etiam ejus fit mentio *Exod. 23. 25.* in hæc verba, *Eccæ ego mitto angelum ante te; Cap. à facie ejus &c. quia nomen meum est in eo.* Ex his igitur concludimus, quod in Messia nomen Tetragrammaton integrum inveniatur J. H. U. H. utpote in cuius virtute ipse operatur: Namque Messias est ipsa Tetragrammati virtus. Ratio mea est, quoniam יהוה, transpositione Cabalistica fit יהוה, id est, Messias. Sunt autem Cabalistsæ, qui dicunt, hunc angelum fuisse Michaellem, quoniam in ejus nomine משה invenitur: Sed hoc idem etiam dici potest de Raphael, Gabriel, Zabiel,

kiel, Uriel, & cæteris; In quibus observare possumus, quod in alteritate Angelorum quodammodo ipse Deus appareat, vel essentialis ejus virtus; Unde specula dicuntur, in quibus Deus videtur: Attractamen quatenus componuntur, creaturæ dicuntur; & quia creaturæ, ideo creatore inferiores, eique subiecti ac ministri. Alij volunt, quod hic angelus sit Metatron, qui erat angelus Moyli ministrans: Nam Cabalistsæ fecerunt illum mundi animam, eamque primam rem creatam esse, atque rerum omnium perfectionem in se continere tradiderunt: Imo vero hanc mundi animam habuerunt p̄dilla sapientia sacrosancta, quam Eccl. i. primo omnium creatam, & intellectum prudentiæ ab ævo esse narravit; eius fontem Dei in excelsis verbum esse scripsit: Hanc illi dixerunt esse angelum istam, in quo nomen Dei invenitur; quippe in quo nomen Sadaï, per numerum æqualem utriusque dictionibus inclusum, ceperitur. Veruntamen hæillorum opiniones mihi non arrident, quoniam, secundum inventionem nostram, contemplatione secunda & fundamentis certis stabilitam, deprehendimus, quod angelus ille fuerit ipse Messias, vel virtus Tetragrammati, ipsum Tetragrammati nomen integrum in se continens: Unde non sine singulari causa hic angelus quandoq; Jehova dictus est, videlicet respectu virtutis, & ipsius nominis in ipso positi, & aliquando angelus, respectu scilicet angelicæ naturæ, in qua vivi illi & æterni characteres ipsius Tetragrammati exprimuntur. Nomen ineffabile Tetragrammati est ipse summus Deus, universaliter hujus sui nominis esse per spiritum mundanum dispergens: Ubi autem ista natura spiritalis angelica est, ibi etiam igneam hoc Tetragrammati nomen integrum reperitur: Ac qui nomen Tetragrammati passim & ubique se extendit; Ego itidem quoque angelus iste, qui est spiritus sapientiæ, implens omnia, atque nihil vacuum relinquens per universum spiritum mundanum se miscet, omniaque per nomen ac virtutem Tetragrammati informat, & in se servata conservat. Quomodo autem hic spiritus creatus omnes literarum Tetragrammati characteres, quibus ipse, & cum illo mundus universus informatus est, in se receperit, in præcedentibus demonstravimus; videlicet Jod radix in machinæ cacumine per spiritum suum. He illuminavit aquas superiores, seu spiritum Empyæcum: & Vau illuminavit ac informavit æthereum stellarum regnum, atque ex virtute He ultimi cælum elementare suum esse acquisivit; ita ut in capite istius angelus J in pectore & medio, ubi ejus cor est, Vau residet in Sole; & ultimum He, secum portans divinitatis spiritum, præparavit mundum inferiorem, illumque pulchrum & à tenebris mundanum informavit, elementaque distinxit. Hinc spiritus universalis dicitur *Mundus* ab eisdem à tenebris immundis mundatione & ablutione; quæ quidem virtute & præsentia nominis Jehovæ facta est. Nec dicet aliquis, quod si spiritus universalis sit materialis pars unius angeli, nulli queant esse alij angeli, quoniam angelus unus universum orbem repleverit. Respondemus enim, quod, sicut Deus Tetragrammaton est extra omnia, & tamen omnia in se continet, ita quoq; ejus virtus; quæ ejusdem est cum ipso essentialis, omnes alios angeios, imo vero & quamlibet aliam creaturam in se contineat; tanquam rex infinitus & omnia suæ voluntati subiciens. Inest ergo virtus hæc omnibus compositis, cujus benefica proprietate vivunt; inest etiam extra omnia composita elementis; ac universus spiritus in eo, & per eum animam & actum recipit: Unde spiritus, in quo habitat, est ei indumentum; & ipsa hæc virtus Dei est indumentum suum diverso modo pro majori aut minori tenuitate aut densitate informat, ac nomen ei secundum corporis seu materiæ sic creatæ conditionem imponit. Hæc ergo est illa *Sapientia* (Eccl. i.) ante omnia creata respectu indumenti; at vero increata, si consideremus, quod ejus virtus est de natura atque essentia ipsius Jehovæ; De qua loquitur Sapiens Proverb. 3. *Jehova sapientia fundavit terram, & statuit cælos intelligentia: Et Prov. 8. 22. Sapientiam possidebat Jehova principio via sua, ante opera sua, ante illum tempus, ante seculam mundus fuit &c.* Hic ergo videmus, quod sapientia, angelus maximus, & princeps angelorum, anima universi mundi, virtus Tetragrammati, quatenus ei nomen & virtus Jehovæ inscribitur, respectu materiæ dicatur creata: Atqui, remota omni materiæ consideratione, relinquitur solummodo formalissimum & ineffabile nomen Tetragrammati, à quo, in quo, & per quod omnia facta sunt. Atque hoc, ni fallor, intelligit D. Joannes c. i. dicendo; *Lux vera erat in mundo, & mundus per ipsam factus est &c.* nimirum per lucem veram significat veram Dei essentiam, & virtutem Tetragrammati, & per mundum denotat illius lucis vestimentum seu spiritum universalem, qui à dicta luce secundum voluntatem creatoris factus & creatus est: De hoc denique angelo loquitur Malachias c. 3. i. dicendo; *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem &c.* Denique hæc virtus (quatenus pro essentiali elementorum forma habetur, qua alia alijs in suis sphaeris ac locis, per creationem destinatis, glutine quasi divino affiguntur, & qua omnia simul in pace & obedientia copulantur atque connectuntur) pro ipsa rerum natura à Philosophis accipitur & habetur. Atque hoc modo videtis, Lectores novitatis fortassis cupidi, quomodo eadem virtus divina in composito diverso varia soleat habere cognomina; videlicet respectu lucis purissimæ & divinæ in abstracto sumitur pro solo Deo, & Messia, ac Christo, hoc est, pro identitate & charitate, quæ est spiritus omnipotentis vivificus; in concreto autem primæ compositionis, videlicet ex duobus, pro angelo, qui est alteritas seu creatura primi ordinis, & in concreto tertiæ compositionis, ut in ipsis elementis & elementatis pro ipsa rerum natura.

Deratione actionis benevole virtutis Tetragrammati ad vitam & sanitatem: Et quomodo hac eadem virtus, ad vitam & sanitatem conducens, varias in mundo denominationes secundum vestium suarum diversitatem adipiscatur.

PER præcedentia cuiusvis, & vel insigni etiam stultitia ac ignorantia tenebris obruto, luce meridiana clarius (uti quidem opinor) explicatur, quare Dei Jehovæ nomen in rebus naturalibus usurpetur, cum ipse per se sit extra & ultra omnia, & in cælo suo secreto ac occulto sine omni materia respectu regnare dicatur: Nimirum ibi nomen ejus usurpatur, ubi nominis illius, Spiritu vestiti, potestas & virtus intelligitur, quatenus ea in omnibus dominatur; atque iterum Angelus dicitur, quatenus materia spiritualis angeli, quam præsentia sua nomen Jehovæ produxit, denotatur; atque ita etiam dicitur Nuncius, secundum illud *Malach. 3. Ecce mitto angelum meum, &c.* hoc est, virtutem nominis mei, quæ est in angelico spiritu, & movet eum ad præstandum sui creatoris voluntatem; ubi per angelum verbum ejus intelligitur, secundum illud *Psal. 40. 9. Ecce venio; In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam.* Omnis enim actio est à Deo; passio autem à spiritu creato. Atque hinc fit, ut angeli denominatio fiat à parte passiva & creata, quando nubis vocabulum præponitur vocabulo ignis. Et propter hanc causam David *Psal. 104. 4. angelos vocavit ventos, seu spiritus,* respiciendo naturam ipsorum creatam; Atqui conjungens partem creatam cum increata denotat actionem in passivo; Unde eodem loco vocat ipsos ministros, & ignem flammantem; hoc est, creaturas lucidas ex Spiritu, primo die illuminato, creatas.

Est autem Messias virtus lucida ipsius literæ nominis ineffabilis, quatenus in natura consideratur induta Spiritu vivifico primæ in nomine Jehovæ literæ, ad cujus exemplar Spiritus Empyreus creatus est. Verbi ergo esse est in Tetragrammato & ejus spiritu; Angeli esse est in Verbo, seu virtute promanante à Jod, quod Tetragrammaton importat; Et esse naturæ est in anima angeli Metatron, ac duplici spiritu inferiori; Hæc autem omnium rerum compositarum est in anima naturæ. Atque hæc omnes differentia respectu diversitatis materiæ, in qua virtus Tetragrammati operatur, accipiuntur; quatenus omnis multitudo est in materia; dum è converso potentia & virtus Tetragrammati, quæ est ipse Messias, unica est & eadem per omnia: Diversitas vero materiæ diversimode resistentis facit actus virtutis activæ diversos quoad nos, licet non item respectu divinitatis; utpote ubi omnes actus sunt iidem, & summa justitia iisdem lancibus ponderati. Hæc ergo virtus præsentiam Dei Jehovæ præ se ferens, ubi in spiritum primum creatum se immisit, denominationem à Spiritus natura accepit: Unde dicitur angelus, in mundum inferiorem descendens, ubi multiplicem vestem induit, dicitur Natura; in quamlibet rem tam simplicem quam compositam ingrediens dicitur vita. Atque hinc orta sunt Ethnorum Philosophorum opiniones, affirmantes, *omnia Deis plena esse:* Hinc etiam Saturnus, Jupiter, Mars, Apollo, Venus, Mercurius, & Diana propter copiosam hujus virtutis receptionem cultu divino, tanquam Deis, afficiebantur. Est Deus omni substantia exutus, rerum omnium creatarum radix Jod; cujus virtus è Sanctis, Sanctis, Sanctis cælis, emanans in He, est Messias; Unde Jah benignitati refertur, & benignitas filio attribuitur. Et hæc virtus in Spiritu primo creato est mens seu intelligentia; intelligentia autem est angelus, qui induens spiritum medium dicitur Metatron, & virtus Messia in ejus centro dicitur anima mundi; ac deinde angelus induens vestimentum elementare dicitur Natura, quæ omnia superiora in se retinet.

Hujus ergo virtutis divinæ præsentia benevola adest vita & salus; ejus vero absentiam particularem morbus, totalem mors sequitur; In spiritu itaque superiori dat Messias vitam invisibiliter lucidam absque ulla obscuritate; Unde *angeli dicuntur semper ad stare coram facie Jehovæ:* In medio vitam dat partim visibiliter & partim invisibiliter lucidam, mediocriter de tenebris participantem; Unde & spiritus dicitur de utroque extremo participans: In hoc ergo cælo incipit propter materiæ augmentationem liberum arbitrium; cum ejus natura sit modo superiori modo inferiori adhærere: Hic igitur materia æqualiter se cum natura divina miscet: Atque hæc est ratio, quod in hoc loco fatum dicitur habitare: Cæterum in ultimo & infimo spiritu vitam lucidam de utroque superiori emanantem in corpus cubicum & opacum includit; ubi propter lucis exclusam angustias, nisi virtus Jehovæ ei assidue assistat, premitur, non quidem respectu sui, utpote quæ non patitur; sed respectu spiritus passibilis & creati, quo tanquam vestimentis varijs induta esse & quoad humanum caput cooperiti dicitur. Atque hinc est, quod vita supercælestis est immortalis illa, cujus virtute homo liberent à morte spiritus inferioris secundum promissionem divinam, & sese resurrecturum esse fide certa ac indubitata credit: Hinc itaque oriatur illa salvatio atque redemptio, quam genus humanum

manum per adventum & descensum istius virtutis è tertio D. Pauli cœlo expectat. Vita autem cœlestis est illa, quæ diebus hominis super terra existentis inservire solet; Quæ quidem multis modis ob defectum virtutis animæ Metatron inquietudine affligitur: Etenim hic Spiritus tam malis tenebrarum dispositionibus, quam duris vel suavibus lucis mundi actionibus est subiectus. Porro etiam exteriùs animæ indumentum quod est aer tot impressiones patitur, quot aeris animæ mundi amictus, ut *inferius* declarabitur. Vita ergo elementaris conducit ad bonam corporis dispositionem, & præcipue versatur in facultate seu virtute naturali secundum naturæ leges inibi existens: Cujus officium primarium est nutrire per appositionem, unionem, & assimilationem, augmentare in longum, latum, & profundum, generare per virtutem immutatricem, quæ semen deducit, & formatricem, quæ semen deductum format, secundarium vero attrahere per fibras rectas, retinere & concoquere per fibras obliquas, & expellere per fibras transversas: Quorum quidem officiorum defectu morbi corporis seu hominis externi generantur & inducuntur; ejus vero perfectio est sanitatis causa, & elementorum obedientia: Quæ quidem duo extrema accidere solent, aut quia Deiformis virtus avertendo faciem suam elementis rebellibus libertatem relinquit se invicem oppugnandi, aut quia convertendo faciem suam in durum, crudum, rebellem, atque præternaturalem aliquid humorem in corpore habitantem, excitat per præternaturalem ejus resistantiam naturalis actionis intemperiem, & per consequens eum in putredinem mutat; hinc febres atque morbi putridi: At si paulatim suam vitæ faciem avertat, tenebræ sensim subrepere solent, morbi que gelidi, ac stupidi, atque crudi, & frigidi inducuntur, ut *infra* demonstrabimus.

CAP. VII.

De vitæ secundæ, & æternitatis eius ratione; similiter de salvatione & redemptione.

UT in nomine Tetragrammati duplex invenimus, videlicet unum propinquum & conjunctum divinitati Jod, alterum autem remotius, & magis in materiæ multitudinem immersum, quatenus infimæ aquæ sunt à throno Alpha vel Jah quam remotissimæ, & centro tenebrarum quam proximæ; He vero primum in aquis supra firmamentum invenitur, ubi characteres J. h. modo mystico delineantur: sic etiam videmus primas aquas majori Jod gratia atque lumine essentiali ornatas: Unde in illis reperitur æternæ vitæ fons atque origo; in his autem non nisi vitæ temporalis pabulum & successio, ab illo fonte supremo descendens. Quare ob aquarum vitæ defectum, materiæque multitudinem materia illa novam semper appetit formam, ablataque priori, corruptionem & mortem patitur, ut induat formam subinde novam succedentem. Hinc legimus, quod *Deus duo proposuerit hominibus pocula; unum videlicet ruinæ ac destructionis, improbis assignatum; alterum vero salutis & sanitatis, justis præparatum*: Nam *Psal. 11. 5. 6.* ita scriptum invenimus; *Iehova iustum explorat improbum autem & amantem violentia odit animus ejus: Depluit super improbos prunas ignem, & sulphur; ventusque vario præstere conjunctus portio poculi eorum erit: Et Psal. 23. 5. Iusto poculum saluiferum proponit; Instruis eorum me mensam è regione hostium meorum; dilutum reddis unguento caput meum; poculum meum exuberans; Vtique bonum & benignitas prosequuntur me omnibus diebus vitæ meæ & quietus ero in domo Iehova, quamdiu longa erunt tempora*: Similiter *Psal. 116. 13. Calicem salutis accipiam; & nomen Iehova predicabo*. Porro etiam, quod fons vitæ sit à Deo, multis scripturarum sacrarum locis docemur; Sic enim *Psal. 36. 9.* habentur hæc verba; *Vberime replentur pinguedine domus tua, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis. Quandoquidem penes te est fons vitæ, & in luce tua fruemur luce*. Omnis ergo vita profluit à Deo in summis cœlis sedente; Atque hæc vita erat apud patrem, & hæc vita erat in luce patris, quæ est Verbum patris, prima ejus emanatio, & Jah, seu Deus in Spiritu benigno Empyreo, seu filius Alpha tenebrosi, & ipsum Alpha lucidum; Quæ emanatio est vita æterna, seu Christus & Messias, à quo omnium rerum vita est, juxta illud *i. Epist. D. Ioan. 1. Vita erat apud patrem, & apparuit nobis*: Vita æternâ nobis promissa est: *Ibid. cap. 2.* Vita est à Christo: *Ibid. cap. 4.* Vitam æternam nobis dedit Deus, & hæc vita in filio ejus est. Ab hac vita seu luce æterna, quatenus ejus natura & potentia in supremo He consideratur, ubi unico vestimento subtilissimo, tenuissimo, atque benignissimo tegitur; procedit potentissimus ille atque ineffabilis à mortuis resurgendi actus; Cujus quidem effectus vita secunda nuncupatur: De qua *Apocal. 21. In vita secunda mors amplius non erit, nec tristitia, nec amplius dolor; In hac vita secunda non sient amplius, nec esurient, nec cadet super illos Sol, neque ullus æstus, quoniam agnus in medio throni est, & regit illos, & deducet illos ad vivos fontes aquarum; & absterget Deus omnem lachrymam eorum. ut Apocal. 7. 16. habetur: Atque hæc conveniunt cum illo loco *Isai. 30. 26. Et erit lux ipsa Luna sicut lux Solis, & lux solis erit septupla, ut lux 7. dierum*; Quo significatur, quod lux mundi increata descendet in medium throni, id est, in locum solis, & suscipiet in se officium Solis, ac faciet novam Jerusalem descendere in terram &c. Nam ista lux est illa *Sapientia, quæ est splendor lucis æternæ & emanatio claritatis omnipotentis**

Sole pretiosior, & supra omnem dispositionem, comparata Luna invenitur prior, ut in lib. Sap. c. 7. scriptum invenitur. Hæc ergo sapientia increata emanat à Jod in spiritum obedientem, tenuem, benignum, & humilem; in quo primum benignitatem suam vitæ exercuit Messias. Unde hæc Deitas dicitur Jah, quasi benignitas, gratia, vita, & lux benevola: Quam quidem benignitatem Deus exercet tam erga vivos, quam erga mortuos, juxta illud Ruth. 2. 20. Non enim solummodo benignitate & salute sua proficitur Deus populum suum in hac vita Psal. 106. 4. sed etiam agit vitæ secundæ complementum: Quare Dei benignitas melior est ipsa vita, ut testatur Psalmista. Psalm. 63. quoniam non modo vitam hujus seculi efficit, sed etiam ad vitæ secundæ & incorruptibilis perfectionem mortuos exaltat. Unde de eo scribitur. Psalm. 57. 11. Benignitas Dei magna est usque ad cælos, & veritas ejus usque ad nubes superiores. Hæc autem benignitas, hæc lux faciei Jehovæ, hæc sapientia Deiformis, hæc gratia infinita, hæc virtus Tetragrammati, hic Messias est Salvator eximus in hac vita, & in vita secunda, quatenus ornatur simplici spiritus Empyreï virtute, in quo maximam gratiam atque benignitatem exercet. In hac ergo vita virtus Aleph, simplici amictu lucido vestita, regenerationem facit: Atque hinc inquit David, Psalm. 51. 12. Animam mundam crea mihi Deus, & spiritum firmum renova in me: Ne abicias me a facie tua, & spiritum tuum Sanctum ne auferas à me: Redde mihi gaudium salutis meæ, & spiritu ingenuitatis sustenta me. Ubi videtur Propheta innuere, quod gaudium salutis sit mentis illuminatio, secundum illud, quod supra allegavimus; In lumine tuo videbimus lumen.

Atque hæc prima virtutis divinæ apparitio operatur circa mentem divinam; cum solummodo lumen sitæ naturæ proximum respiciat, & illam regenerare gaudeat: Hinc inquit Sapientia, *Deliciae sive delectationes meae sunt cum filiis hominum Proverb. 8. 31.*

Hujus ergo benignitatis divinæ præsentia homines vulgares in Prophetas convertuntur; qui sine Spiritus divini afflatu tales esse non possunt, ut ex Numer. 11. à 25. ad 30. colligere possumus: Nec potest quis in ulla arte peritus esse sine spiritu sapientiæ: Nam Psalm. 143. Docet Deus suo spiritu bono: Similiter, quod spiritus disciplinæ sanctus sit veræ scientiæ Doctor, nos docet Exod. 28. 3. & 31. a. 2. & 35. a. 30.

Ex quibus manifestum est, quod vita & benignitas Jehovæ solo He vestita mentem solummodo vivificet & illuminet; Cujus illuminatione totus homo regeneratur juxta illud Sapient. 9. sapiens repetitum: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrona inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficilia estimamus, quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt invenimus cum labore: Quæ in cælis sunt quis investigabit, sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum tuum de altissimis?* De hac Tetragrammati virtute videtur Mercur. Trismegistus egisse Pimand. 4. dicendo; *Quicunque hac Dei natura facti sunt, secundum operum comparationem pro mortalibus immortalis habentur, intelligentia sua cuncta complectuntur, quæ in terra sunt, & quæ in mari, & si quid est præter ea supra cælum, atque ad. o se ipsos erigunt, ut ipsum quoque bonum insueantur; Quod sane cum conspiciunt, eam, quæ hic vescimur, vitam miseriam quandam arbitrantur &c.*

Quibus arguere videtur sapiens vitam duplicem; supercælestem scilicet & intellectualem, quæ in mentem effunditur, ac inducit regenerationem in hoc seculo, & resurrectionem in seculo futuro, & cælestem seu ætheream, quæ corpus in hoc seculo vivit, & cujus assistentia vescimur; de qua capite sequenti agemus. Hinc ergo sapientiæ spiritum mentem appellavit Mercur. Trismegist. Pimand. 12. quæ ex ipsa Dei essentia (si qua est ejus essentia) nascitur; Quam quidem essentiam nequaquam ab ipso Deo divisam esse asserit, sed potius eo modo ipsi conjunctam, quo solis corpori lumen: Et eodem iterum sermone inquit; *Mens princeps omnium, atque anima Dei potest, quæcunque vult, efficere; hoc est, Anima Jah, quæ est emanatio seu virtus Jod, seu Tetragrammati.* Atque iterum dicit, quod *Mens anima Dei dominetur omnibus, tum etiam legi & cæteris universis, neque aliquid eorum, quæ ad salutem pertinent, impossibile esse menti, & ideo humanam mentem fato esse superiorem:* Atque hoc omne intelligebat de virtute divina primo amictu mundano ornata; quæ solummodo respicit in homine suum simile, illudque illuminat: De hac luce loquitur David verbis talibus Psalm. 18. 29. *Si tu illustras lucernam meam Iehova Deus meus, splendentes efficit tenebras meas:* Ubi lucerna accipitur pro vita & luce, cujus rex est mens humana: Unde Proverb. 13. 8. *Lux justorum clara erit, at lucerna improborum extinguetur:* Et Psal. 84. 12. *Iehova Deus est Sol gratiam atque gloriam dans.* Mercur. Trismeg. de hac regeneratione loquendo Pimand. 13. dicit, quod *sensibile natura corpus ab essentiali regeneratione procul admodum discrepet; unum quidem dissolubile, indissolubile alterum; illud mortale, hoc immortale: Anne ignoras, quod & Deus & unus filius natus est?* Quibus confirmare videtur, quod, ut anima vitalis cælo genita atque ætherea vivificat hominis visibile, videlicet corpus; sic etiam Mens vivificet ejus partem æream, eamque immortalitate imbuat, priusquam per mortis separationem à corpore segregetur: Atque hæc est illa hominis interni pars exterior, quæ mentis divinæ radijs illuminatur, & illuminatione præeunte mentis inclusa felicitate regeneratur. Regenerationis autem acquirendæ modus, teste Mercur. Trismegist. Pimand. 13. hac ratione obtinetur, *Recurre (inquit ille) in te ipsum, purga sensus corporis, solve te ab irrationalibus ipsius materia ultoribus: Nam ultores non pauci intra te sunt, sed horribiles ac multi. Nam hæc una est ultrix ignorantia, secundaria tristitia, tertia inconstancia, quarta cupiditas, quinta injustitia, sexta luxuria, septima deceptio, octava invi-*

invidia, nona fraus, decima ira, undecima temeritas, duodecima vero malitia: Hæ quidem sunt numero duodecim, sub his plures alia continentur, quæ per corporis carcerem inclusum, tristem hominem sensibus pati cogunt: Absunt autem istæ ab eo, qui est Dei clementia fretus. Sed hæ omnes ultrices sola spiritus sapientiæ infusione, divinitus in mentis humanæ regionem facta, expelluntur; & per consequens tam regeneratio integra facta est: Nam sapientiæ infusione à Sanctis cælis descendit in nos (ut Mercur. Trismeg. verbis utat) cognitio Dei; Unde hæ accedente repellitur ignorantia; Deinde cum cognitione Dei descendit in nos cognitio gaudij; atque hæ præsentem penitus aufugit tristitia, in eosque se vertit, qui ad eam parati sunt capiendam: Postea potestatem voco ad gaudium perducenstem constantiam, cujus vi inconstantia pellitur: Quarto loco ingreditur cum spiritu sapientiæ continentia, quæ expellit vidtrices cupiditates; atque hic gradus justitiæ est fundamentum; cujus præsentia propulsatur injustitia; Contra excessum etiam & luxuriam valet hæc eadem virtus: Veritas etiam deceptionem tollit; cum Sapientia & Christus sit sola atque ipsissima veritas: Livorem expellit veritatis bonum, & sic in cæteris: Nam Spiritus hic à Jod procedens est fortitudo omni fortitudine fortior; Unde necesse est, ut ultorum & Dæmonum rabies ei locum cedat. Sed quoniam hæc eadem Spiritus regenerationis virtus passim in sacris scripturis proponitur, idcirco ad resurrectionis rationem progrediemur. Ut igitur hæc virtus Jehovæ nobilissima, seu lux atque splendor immediate à Jod emanans erant in hac vita regenerationis occasio; qui quidem regenerationis splendor Adamo ante ejus lapsum plene & perfecte aderat, quatenus ipse in Paradiso voluptatis semper hunc radii divinum sibi conjunctum habuit; sed post ejus ob inobedientiam à Paradiso voluptatis ejectionem ab ipso recessit, & jam quandoque nonnullis ipsius successorum mentibus, gratia divina operante, infunditur; utpote qui tunc erat donum creationis Adamo concessum, jam vero est donum gratiæ per Messiam seu Terragrammati virtutem in hominem prima vitæ præditum influens: Ut, inquam, hæc virtus erat regenerationis ratio post lapsum Adamo in hac vita, seu naturæ Adamo lapsi restauratio; sic etiam in vita secunda erit vera post mortem resurrectionis occasio, quoniam vitæ supremæ est, infimam illam & fato subjectam, ac corruptione corporali pessundatam revivificat; adeoque per resurrectionem fiet corporis à morte in vitam revocatio. Vivifico ergo hoc spiritu præeunte Christus resurrectione duplicem nostram mortem destruxit, scilicet corporis & animæ, quæ sunt tenebrosa propter peccatum. Atque hinc secundum D. Paulum 2. Corinth. 15. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, hoc est, prior tempore & dignitate surrexit: Unde sua resurrectione primum omnium dicitur mortem debellasse: Nam, ut primus Adam suo lapsu mortem in mundum introduxit, sic etiam Christus, ultimus Adam, Adamo prioris successores à morte tam corporali quam spirituali, lucida spiritus sapientiæ sacrosanctæ virtute liberavit: Namque tam purus & subtilis est hic spiritus, ac tam politum & mundum est illud Verbum Jehovæ (quod ut argentum defecatum in catino septies purgatum extitit. Psalm. 12. 7.) ut ejus præsentia corpus illud, quod in corruptione seminatur, in incorruptione elevetur, & quod in dedecore sepelitur, in gloria resurgat, quod in debilitate in terram projicitur, in potestate extollatur, quod naturaliter oblivioni & terræ visceribus committitur, supernaturaliter exaltetur, & ex corpore grosso ac morti & mutationibus obnoxio deinceps spirituale, purissimum, atque immortale exurgat: Sed hæc omnia indicare videtur D. Paulus 1. Corinth. 15. 4. 40. quippe qui etiam nos docet, quod, ut primus homo Adam erat factus anima vivens, ita quoque ultimus Adam factus fuerit Spiritus vivificans: Naturalis ergo prior erat, secundus vero spiritualis; ille homo de terra factus terrestris erat, hic è Deo existens supercælestis efficiebatur.

Mirificam autem hanc resurgendi vim nobis optime hisce verbis delineare videtur Job. 19. Scio quod redemptor meus vivat, & quod in novissimo die resurrecturus sim: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciunt eum, & non alius &c. Et alibi 33. 28. Redemit Deus animam meam, ut vita mea lucem respiciat: Atque hoc ipsum innuere videtur Rex Psalm. 36. antea allegato: In luce Jehovæ videbimus lucem; Et Psalm. 80. 4. Luce faciei Jehovæ salvabimur: Et Psalm. 84. Jehovæ Deus est Sol, gratiam & gloriam dans. Quæ quidem sacrarum literarum loca tam ad resurrectionem, quam ad regenerationem spectare videntur. Atque hoc modo cælestis illa Hierosolyma descendet in terram, vel Hierosolyma terrestris ascendet in cælum; hoc est cælum erit in terra, & terra in cælo, atque res inferiores puritate spiritui superiori adæquabuntur: Nam ipse Jod, seu antiquus dierum, cum filio homine in medio throni sedebit, & suo aspectu omnibus æqualiter lucebit, ac quod malum est & immundum igneo suo vultu expurgabit atque examinabit, quod autem bonum est, à tenebris separatum manebit in eodem elementorum purorum statu, in quo illa fuerunt in primordio creationis, priusquam aliquod peccatum in mundum est ingressum: Nam creavit Deus omnia, ut essent, nec posuit modum exterminij super terram &c. Sapient. 1. Tunc amplius non erit mors, nec tristitia, nec dolor, ut Apocal. 21. 4. habetur: Nec in vita hæc secunda esurient amplius &c. Apocal. 7. 17. In regno ergo Jah seu cælo Empyreo est iltius vitæ æternæ fons, cujus radix est in Jod; In hoc ergo regno Jah situs est Paradisus ille æternus & supercælestis, de quo Psalmista sic loquitur: Aperite mihi portas justitiæ, ut ingressus per eas, celebrem Iah; Hanc ipsam portam ad Iehovam, per quam justus intrant Psalm. 118. 9.

De quo loco etiam dixit Jacob Genes. 28. *Non est hic locus, nisi locus Dei, etiam hic locus est porta celi: Surgens mane Jacob accepit illum lapidem &c.* Nonne optime describit hunc voluptatis locum Ecclesiast. 24. a. 33. huiusmodi sermone; *Dominus omnipotens Deus solus est, neque est amplius prater ipsum Salvator, qui replet omnia tanquam Pischon sapientia sua, & tanquam Tigris diebus novorum fructuum: Qui replet tanquam Euphrates intelligentia, & tanquam Iarden diebus mosis; Qui demonstrat tanquam lucem eruditionem scitam, & tanquam Gichon diebus flavescentis segetu: Ego Sapientia tanquam fossa ductæ flumine; & tanquam aqueductus procepi in paradysum: Dixi, irrigabo optimum hortum meum, & inebriabo areolam meam iustam &c.* Ex quibus liquet, quis sit, Salvator, videlicet Jehova, & quomodo operetur, nempe per sapientiam suam; in cuius dextera est vita & longitudo dierum. Hinc igitur videre licet, quam ingens sit virtus Jah, seu virtus Jod in Hebraeo in salvatione & redemptione hominum, quomodo, secundum illud Psalm. 41. 3. Jehova sit *vita restitutor*, qua ratione fit mentis humanæ illuminatio, & hominis interni per Christum regeneratio, atque tandem quibus medijs resurrectio à mortuis ad vitam secundam futura expectanda sit; videlicet splendore & claritate immediate procedente à Jod in γ vel à Deo in tenuem & intellectualem spiritum mundanum; ubi eadem virtus increata in primum spiritum se immergens conjungit cum caractere formali & supersubstantiali Jod, caracterem spiritualem massæ tenebrarum, in quem Jod imprimitur: Vel virtus Jod priam vestem induit; sine quo medio profundius in tenebras inferiores se immergere non potuisset: Atque hinc nomen accipit partim ex materiali caractere, & partim ex formali, indicans hoc ipso, quod Deus seipsum cum materia creanda conjunxerit; atque ita creatæ sunt aquæ superiores; creaturam scilicet à materia cognominando; quippe qua formæ nomine insignita, dicitur, quod primo die creata sit lux, hoc est aquæ purissimæ, illuminatæ, & informatæ, quæ propter lucis in ipsis dominium denominationem illam suam accipiunt. Sic itaque producta est prior nominis Tetragrammati particula Jah, quæ est symbolum benignitatis & gratiæ, utpote eas virtute homines ignorantia & peccato obtuti ac laborantes, primum regeneratione ac deinde in vita secunda resurrectione mediante redimuntur atque salvantur. Infinitum quidem volumen de hoc opere abstruso propter campis amplitudinem componere possemus; sed, quoniam nos arte constringit & marginibus methodicis includit Tractatus hujus subiectum, ideoque ad illius ipsius virtutis, duplicem amictum induentis naturam festino gradu accellerabimus.

CAP. VIII.

Quod vita temporalis, qua hic vescimur, procedat à Melia, seu Jehova actu & virtute, vestimento dulci contexta atque obumbrata: Et quod Sol sit vitæ sedes.

Mercur. Trismegist. Pimand. 12. mentionem faciens hujus Tetragrammati virtutis, vocat eam *Mentem*, & multitanam ipsam secundum vestimentorum ejus diversitatem distribuere videtur: Nam mentem primo veste spirituali ornatam de essentia Dei (si qua Dei sit essentia) existere statuit; ita tamen ut ab essentia Dei nequaquam sit divisa: Atque hujus mentis portionem ob ejus excellenti in solis hominibus attribuit: Quare nonnullos ex hominum numero Deos esse affirmat, ac dicit, quod *per hanc eorum humanitas sit divinitati quam proxima*: Unde videtur illam virtutem seu Dei emanationem intelligere, quæ proxime & immediate à Deo in Spiritum Emphyreum primo creationis die effluxit: Iterum de mente secunda huiusmodi sermone utitur; *In animalibus irrationalibus mens illa Natura est*: Verba ejus hæc sunt: *Mens (inquit ille) duplex; inferior & prima: Inferior est mentis imago aut vestigium quoddam, post exactam primam mentis determinationem proficiens; eam singulis animalibus associat; sed in irrationalibus mens Natura est in hominibus ratio*. Et David Psalm. 63. videtur differentiam facere inter superiorem, quam benignitatem vocat, & spiritum benignum Sap. 1. & inferiorem quam vitam nuncupat: Verba ejus hæc sunt; *Benignitas Dei melior est vita*: Et tamen ipsam benignitatem alibi pro vita accipere videtur: Unde Psalm. 30. 6. *Vita adest benevolentia Jehovæ*; Et D. Joannes dicit *vitam esse lucem mundi*; ac alibi cap. 1. *vitam in vero esse* de clarat; atque iterum alibi, *vitam esse apud patrem*: Et Deut. 30. 15. *Ipsæ Jehovæ Deus vita tua est, & longitudo dierum tuorum*: Et in 1. Epist. D. Joann. *Vita est à Christo*. Ut Jehovæ & Verbum dicitur vita, ita quidem illa vita dicitur æterna, cuius antea mentionem fecimus: Atque ita benignitas dicitur melior vita, qua vescimur. Sed quatenus dicitur vita à Christo, & in Verbo, eatenus intelligitur seu accipitur pro vita communi cuilibet creaturæ: Sic scripsit Johannes, quod *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso nihil, quod factum est*. Ex quibus arguitur, quod sit vita superior, quæ sua simplici veste orната immortalitatem dat; estque sapientia sacrosancta in tenui spiritu γ primo lucis emanatio, quæ est actus vitam dans omnibus; hoc qua sic loquitur Merc. Trismeg. *Mens anima Dei dominatur omnibus, tam etiam legi, quam ceteris universis*: Imo et Jah fons omnium vitæ

vita actionum, qui se profundius tenebris immergens induit super vestem η tegumentum Vau; ita ut propter spilitudinem vestimenti ejus exterioris coarctentur ejus radij, & propter spiritus resistentiam durius agere percipiantur, quam cum simplici spiritu Empyreo vestitur; Unde ejus lux atque actus sensibiliores esse videntur: Ibi igitur sigillo Tetragrammati $\eta\eta$, creaturas ex spiritibus densis triplicis tenebrarum congeriei, vita insignivit Messias, atque ita qualibet creatura duarum regionum inferiorum informata & vita donata est: Hæc ergo est anima mundi, radius naturam constituens, emanatio sapientiæ secundaria à Jah deorsum emissa; quæ essentia natura continua est cum Jah, sed actione propter materiæ spiritualis eam includentis multitudinem à Jah differens: Atque hinc est, quod vitam, non æternam, sed secularem & determinatam producit: Nam materia ætherea (quæ propter multitudinem centenariam rebellioni apta est) simul cum corpore elementari seu cubico conjuncta, participando cum ipso, mutationibus & alterationibus obnoxia redditur; Unde morbi, intemperies, & hujusmodi alia præter naturæ leges sequuntur. Ut igitur virtus increata, seu Messias, seu spiritus igneus, immediate à Jod è regno superessentiali procedens, est anima simplicissima η He simplicis; sic etiam ipse Jah, seu virtus & anima divina cum η , hoc est, spiritus intellectualis cum sua mente simul est anima spiritus ætheri: Atque ita angelus Metatron procreatur; ejus esse materiale est natura humida universalis, sub cælo intellectuali visibilem mundum constituens; ejus vero anima est Jah: Atque hic Metatron dicitur mundi visibilis anima, seu natura simplex atque ignea, ex cuius radijs seu scintillis essentiæ omnium elementorum vel elementorum derivantur, quippe quibus existere & in pace vivere dicuntur. Atque ita videmus quod in productione creaturarum primæ compositionis ipsa Tetragrammati virtus, seu Dei actus, vel radius Aleph, vel Verbum immediate ab ore Domini promanans, vel benignitas Jehovæ, vel sapientia Omnipotentis, vel vitæ origo sit anima; atque ita animam increatam in simplicitate sua habemus, & talem spiritum virgineum, qui nunquam alium præter istum Cupidinem novit. Deinde istius benedicti atque ignei vitæ fontis rivuli deorsum magis tendentes expellunt tenebras ab æthere, illumque informant, & vita animant: Atque hæc anima firmamenti non dicitur simplex virtus Tetragrammati, sed componitur ex splendore increato Jod, & spiritu η , seu Empyreo; adeoque hæc est anima mundi, utpote cujus corpus est spiritus mundi visibilis, & cor ejus est ipse Sol seu tabernaculum Messias: Unde propter animæ incompositæ æqualitatem in natura Jod & η dicitur sphaera æqualitatis.

Porro etiam Vau in nomine Jehovæ denotat firmamenti animam: Nam, ut Vau, denotans 6. constat ex 5. & 1. vel η & κ ; sic denotat, quod anima hujus loci sit ex parte η & Jod; quod idem est in compositione, quod κ sine materiæ respectu: Unde ex natura mediæ literæ η inter η & η colligimus, quod anima mundi sit Jah; quod Dei nomen arguit primum Dei in mundum ingressum: Atque ita videmus, quod licet Messias non sit in tali simplicitate respectu vestimenti exterioris in hoc cælo, ac fuit in superiori, constet tamen evidenter, quod ejus virtus tam in cælis quam in terra faciat totum, atque agat per se, & quod sine ipso non sit actus in hoc mundo: Sed gradibus agit; Nam primo ipse movet pro voluntate sua obedientem naturam humidam spiritus η seu intellectualis sive Empyrei; Et ipse iterum à principio suo interno motus, tanquam anima secundaria, seu lux primo die creata spiritum æthereum ad facultatem vitalem exequendam impellit; & ad commune beneficium assidue excitat: Quod quidem ut melius perficeret Messias, seu virtus Jehovæ, in hac regione ad tenebras propulsandas dispersa, tandem se quarta creationis die, vel quarta sapientiæ emanatione ex tenebris in massam solarem congregavit; atque ita Sol factus est in mundo visibili tabernaculum istius Deiformis virtutis, in η superiori latantis. Hinc itaque dixerunt Philosophi profundiores, & penitus rem introspicientes, quod omnia corpora cælestia accipiant lumen & vitam à Sole, tanquam Planetarum rege in omnibus cælis sceptrum & imperium tenente; & quod ipsi detur gubernare mundum per angelum Michaellem, vel, ut Cabalisticæ volunt, Metatron: Nos autem cum alijs hujus ministerio Raphaellem angelum, hoc est, Medicinam Dei attribuimus, quatenus omnia sanat, & ægritudine lapsos restaurat, valetudinemque præservat. Hæc ergo est præcipua Verbi sedes in mundo visibili; cujus palatii fundamentum Carbunculum angulare ab ore suo projectum fecit Jehova, ut visibiliter mundo visibili ad omnia illuminanda appareret: Quare haud inepte Plato & alij sapientes Solem vocaverunt *visibilem Dei invisibilis filium*: Atque hoc etiam idem, licet non expressis verbis, confirmare videtur Matth. Apostolus, dum ore Christi dicit; *Solem suum facit Pater vester oriri &c.* Nimirum per solem intelligere videtur solatium & benignitatem: Per solem suum intelligit, lucidam naturam ab ipso egredientem; Per nomen Patris denotat Patrem tam Solis sui, quam hominis, cujus substantiam carneam induebat Spiritus ille Solaris Deiformis juxta illud Genes. 1. 15. *Luminare majus proposuit diei, & ad illuminandum mundum visibilem, creavit illud ac ad separandum tenebras noctis à luce diei*; Hoc etiam idem facit Messias in rebus & mundo invisibilibus: Et iterum Psalm. 136. *Qui fecit solem ad dominium obtinendum interdum; quia in seculum est misericordia ejus*: Nihil autem præter solum Messiam, qui est vera mundi lux, dominium habet super tenebras. Est ergo virtus Deiformis in cælo Empyreo radius Jod; in cælo æthereo lux Solis, in infimo

elementum ignis; Quæ virtus, uti dixi, in se non differt; sed omnis differentia est in materia, qua diversimode vestitur. Et certe observatione dignum est, quod in hac ipsa terra sub ejus climate hic spiritus divinus in ventrem Virginis, ut vestem carneam indueret, ingressus sit. Mercur. etjam Trismeg. de hujus creaturæ dignitate loquendo dixit, *Asclep. 5. Soli cælestes reliqui veluti Principi, Regique parent.* Habemus etjam & alium solem sole isto lucidiorem, (juxta illud *Sap. 7.*) tenæ propinquorem; Ubi etjam reperitur arbor vitæ, & ingens hujus Spiritus Jehovæ præsentia; sed custoditur à Cherubin; & gladio ancipiti ac igneo defenditur ab Adami successoribus; quamvis Enoch & Elias divina permissione ingressi sint, & de arboris fructu acceperint. Atqui jam cognito hac ratione, quid sit hæc mundi anima, diligenti inquisitione videamus ulterius, quidnam sit illa creaturarum vita seu anima vitalis, quæ dicitur ab æthereo Messia palatio quotidie in creaturas immitti atque infundi; quæ plantæ vegetare virefcere, & in semine suo multiplicari, ipsumque animal vivere, sentire, movere, & functiones naturales perficere dicuntur, ut ipsa bene cognita sanitatis tandem & ægritudinis rationem melius investigemus.

C A P. IX.

De compositione vitæ creaturarum, & de natura eius tam passiva, quam activa.

Rationibus antea allegatis declaratur, quod virtus seu radius Tetragrammati sit unitas, & radix rerum creaturarum, ac ipse Deus: Sic alteritas, facta ex Jod, & He, est angelica compositio seu dualitas, quæ cum tertia natura juncta, videlicet cum spiritu crassiori firmamenti se miscens, naturam producit superiori & simplicem, ex qua anima vitalis scaturire solet. Videmus ergo, quod vita cæli intellectualis sit actus supersubstantialis Jod, quod est divinitatis, & in compositione radix, ac sit Jah: Et vita spiritus ætherei est Jod & He, id est, lux increata in primo spiritu creato, & sit Jod, He, & Vau, id est, lux increata, spiritus primus creatus, & spiritus secundus creatus, hoc est duplex, seu unitas; Atque hoc est sigillum, cujus impressionibus omnes creaturæ elementatæ vitæ impressionibus inunguntur; quod quidem sigillum dicitur ipsa natura. Deinde quarta natura, videlicet He ultimum, cum illis tribus juncta, spiritus nempe æreus seu elementaris profert spiritum densum elementarem, quem Naturam infimam, & minus simplicem vocamus; cujus actu corpus compositum seu palatium tam minerale & vegetabile quam animale ædificatur; atque ad hunc modum completur mundus ad imaginem Tetragrammati. Est ergo Mens seu Messias anima & vita angelorum; Sol seu Jah in spiritu æthereo est anima & vita syderum in tria compositionis genera distributorum: ac elementum igneum (in cujus ventre Messias nube densa & velamento caliginoso extrinsecus opertus quandoque tam in ipsa creatione, quam post eam apparere solet) est corporis & elementati restaurator, modo si superiorum Messia apparitionum in simplici vel implicitis vestibus capax sit. Quare videmus, quod virtus seu spiritus igneus Jehovæ increatus sit generalis rerum omnium vita seu anima, sed diversimode operans in mundo secundum diversitatem tegumenti seu vestimenti: Unde illa per se existens Verbum dicitur, in spiritu Empyreo Mens seu intellectus agens, & spiritus dicitur intellectus patiens seu ratio, in spiritu æthereo anima, & ejus spiritus dicitur spiritus vitalis, in spiritu elementari forma elementaris, in ipsa creatura, vita. Hinc igitur non male dixit Mercur. Trismeg. *Verbum in mente, mens in ratione, ratio in anima, & anima in spiritu, atque tandem spiritus cum his omnibus in corpore.* Ex quibus manifestum est, quod ad vitam creaturarum superiorum tam natura humida, quam ignea requiratur, videlicet lux divina in spiritu obediente ac subtili: Sed quoniam spiritualis vitæ pars in hoc cælo valde obediens est luci increate, quæ superexcellenter in ea abundat, ideo immortalis est hæc vita, & nunquam interitura. Iterum ad median regionem prospiciendo invenimus, quod ejus etjam vita constet ex spiritu medio, & spiritu Empyreo luce condecorato atque animato: Unde liquet, quod, ut forma cali Empyrei est purissima divinitas, & merus radius Jod, sic forma informans medium spiritum sit composita, nempe natura Empyrea informata: Unde non est ejus forma tam efficax, quam superior, quia in se habet spiritum cum anima spiritui inclusum; Et per consequens declaratur, quod alterationibus subijciatur vitæ mediæ species propter multitudinem materiæ spiritualis, quæ ad ejus compositionem concurrat: Atque hinc sequitur, quod hæc vitæ species, qua vivificatur corpus, non sit durabilis; juxta illud *Psal. 9. 4. Mille annos si præterit, sunt in oculis tuis, ut dies hesternus.* Et *Psal. 39. 6. Ecce palmares disposuisti dies meos, & tempus meum ut nihil est coram te.* Et *Iob. 7. Nonne prænitium est tempus mortali in terra? ut dies mercenarius, sic dies ejus.* Similiter hoc idem multis locis significatur; ubi causa etjam hujusmodi brevitate vitæ videtur explicari, videlicet multitudo spiritum cum radio Empyreo conjuncta: Unde dicitur *Psal. 109. Ut umbra, cum declinat abire cogor,* Et iterum *Iob. 7. 7. Ventus est vita mea &c.* Et *Iob. 14. 2. Homo natus de muliere brevis ac atæ & satur cōmōtione, ut flos simul ac egressus est, succiditur, & fugit velut umbra, ne-*

que consistit. Porro etiam Sapient. 2. 4. *Vita nostra transitoria ut vestigia nubis, & quasi nebula dispergitur, infestata radijs Solis, & calore ejus gravius impulsam; nam ut umbra transitus est tempus nostrum.* Quibus declaratur primum, quod vita hæc media in homine, & alijs creaturis animalibus non sit æterna, ut illa supercælestis; Deinde causa ejus rei annecti videtur per comparationem vitæ cum vento, umbra, nube & nebula; quippe quæ omnia sunt ex multitudine spirituum compacta; ac, si innueretur hoc ipso, quod materia vitæ umbrosa, densa, flatuosa, seu aerea, & nebulosa ob spissitudinem, idem præstet in corpore animali, quod umbra, ventus, nubes seu nebula; hoc est, quod modo appareat, & modo iterum evanescat; quoniam ligamentum supercæleste non sufficit ad retinendas & jungendas perpetuo tot partes, humidi densi radicalis: Nam per multitudinem materiæ alienamur à Deo, & quo remotiores sumus à facie ejus, eo longius distamus à vitæ longitudine, quia ipse Jehova est vita: Unde scriptum est 1. Chron. 19. 15. *Peregrini sumus coram te, velut umbra sunt dies nostri super terram, quæ non consistit:* Quare ad vitam longam requiritur benevolentia divina, seu multiplicatio portionis substantiæ Empyreæ, in quo benignitatis, sapientiæ, & vitæ fons, ejusque lignum reperitur: Quod etiam probare videtur Psalmista, Psalm. 90. 14. *Vitæ prolongatio est benignitas Dei;* & ibid. 17. *Aménitas Jehovæ adsit nobis;* Similiter in eodem Psalm. & 10. *Vitæ hominis spatium miserum absque Dei benignitate:* Unde videmus, quod augmentum animæ vitalis sit benignitas Dei atque Sapientia: Nam Proverb. 9. 12. invenitur, quod *per Sapientiam multiplicentur dies, & adiciantur homini anni vitæ:* Et Proverb. 3. *Longitudo dierum in Sapientia dextra est:* Porro etiam Psalm. 18. 29. *Si tu illustras lucernam meam Jehovæ Deus meus, splendentes efficit tenebras meas;* hoc est, tam vitæ scintillam, quam rationis illuminationem adfert; Nam lucida Jehovæ sapientia tam facit ad vitæ scintillæ augmentationem, quam ad mentis per regenerationem exaltationem. Ex dictis ergo rationibus videmus, quod quælibet vita consistat ex spiritu & radij supercælestis scintilla ei inclusa; hoc est, ex humido radicali & calida virtute Verbi ac Messiæ ei infusa: Hinc ille respectu lucidæ & increatæ suæ naturæ dicitur lux, Ioan. 1. *Et vita erat lux hominum.* Et Mercur. Trifinegift. Pimand. 1. *Pater omnium, intellectus vitæ, & fulgor existens, hominem sibi similem procreavit:* Et iterum, *Lux & vita animam largita est:* Et alibi, *Vita & lux est Deus:* Et alibi Pimand. 12. Similiter reperimus Proverb. 13. 9. *Lux iustorum clara erit, at lucerna improborum extinguitur:* Et Job. 30. 20. *Lucem speranti mihi evenit caligo,* id est, Vitam speranti mihi evenit mors: Et Job 18. 5. *Imo lux improborum extinguitur, neque splendet scintilla ignis ejus:* Et Psalm. 80. 4. *Luce faciei Jehovæ salvabimur:* Sic etiam eodem respectu dicitur Lucerna: Unde Job. 21. 17. *Quoties lucerna improborum extinguitur, & supervenit ijs interitus ipsorum:* Atque ut antea diximus, totum mundi esse conflatum est ex Deo & spiritu ejus præsentia creato seu illuminato: Unde, quando in eadem compositione primaria habetur respectus ad formam supersubstantialem dicitur compositio Jehovæ; sicuti de argelo Israelitas præcedente in deserto dictum est: Sic Exod. 3. *Et apparuit ei Jehovæ in flamma ignis & c.* id est, in spiritu ejus præsentia coruscante: Et quando ad spiritum creatum refertur dicitur Angelus qui est creatura: Sic etiam hic vita respectu Messicæ, spiritum ejus informantis, dicitur lux, scintilla, lucerna, radius faciei Jehovæ & c. & communiter, mens, actus, vel anima, uti antea demonstratum est; at vero, habito respectu ad ejus cum spiritu radicali relationem, appellatur vita, ventus, Job. 7. 7. *Spiritus in naso,* Job. 26. 3. *Spiraculum vitæ Gen. 2.* & comparatur umbra, Job. 14. nubi, Job. 30. 15. nebula, Sap. 2. 4. & c.

Proinde jam satis declaratum esse existimamus, quomodo vita dicatur spiritus, videlicet respectu partis passivæ vitæ, quæ est humidum radicale & æthereum, & quomodo itidem lux dicatur anima; nempe respectu partis activæ, quæ est spiritus Empyreus seu igneus. His itaque præmissis ulterius intræsentiarum ad sanitatis & valetudinis rationem procedamus.

C A P. X.

De sanitatis & valetudinis amissæ restaurandæ atque recuperandæ ratione.

UTi per præcedentia certum est, quod vita sit benignæ lucis increatæ in materia spirituali seu tenebrarum filia, ita etiam ejusdem prolongatio & fœlix processus à successione continua ejusdem Messicæ seu Sapientiæ radij procedit; Nam diminutio actus lucidi animæ mundi, quæ est ipsa Jehovæ essentia splendida, duplici veste creata, videlicet sextæ seu Empyreæ, & quintæ seu æthereæ essentiæ induta, morbum adfert; ejusdem vero incrementum vitam fœlicem inducit, juxta illud; Deo dante, creaturæ colligunt, aperiente eo manum suam, satiantur bono, abscondente autem faciem suam conturbantur, recipiente spiritum eorum expirant. Psalm. 104. Quibus Prophetæ verbis explicatur, quod tam morbus, quem per conturbationem intelligit, quam mors, utpote quam per spiritus expirationem denotat, itidemque, etiam sanitas, qua 20. arguit per bonum, ab ipsa Jehovæ virtute procedat: Nam sanitas est vitæ à Deo, ad completam hominis valetudinem datæ in eadem perfectione continuatio; hoc est, successiva naturæ quintæ essentiæ, vita solari seu Messicæ, duplici veste induti, gravidæ fluxio,

vel benevolus faciei virtutis Jehovæ ad vitam creaturæ viventis respectus; Nam sine lumine vultus vel virtutis Jehovæ cælitus descendente aerea vitæ pars in sua sphaera motu ad vitam congruo non movebitur; sed potius ad modum & naturam tenebrarum ob deficientem motoris activitatem quiescere videbitur: At vero vita, quæ est symphonicus lucis in spiritu motus, quieti contraria est; quatenus mors & privatio, quæ est quietis & tenebrarum comes, vitæ, quæ est motus & lucis filia, adversatur. Ad vitæ ergo existentiam requiritur actio & passio; & prout agit lux divina tanquam actor in duplicem spiritum, qui est passivus: Nam lux increata primum agit in spiritum lucidum seu lucem creatam, & vitam æternam procreat; quæ iterum illius principij interni impulsu movetur, & fit Jah, agens in spiritum æthereum, qui est vitæ temporalis & secularis passivum; atque hic iterum spiritus à suo interno Jah, seu anima lucida motu locali pellitur; ad cuius motum aer, qui est ultima animalis interni pars, movetur ad functionem vitalem perficiendam: Sed & hoc idem inde intelligere possumus, quod, uti vita in Macrocosmo fit, tali etiam ratione illam in Microcosmo perficere necesse est: Invenimus autem talia de operatione animæ mundi in suum passivum æreum. *Ecles. 1. 5. Ortus Sol postquam occiderit Sol, iterum ad locum suum aspirat, ubi oriatur: Properet ad Meridiam, & circumcat ad Aquilonem; conversatione sua circumiens properet aer, & secundum circuitus suos revertatur aer.* Quibus e quidem verbis innuere videtur Sapiens, quod ad motionem animæ mundi, quam Sapientes in Sole potuerunt, moveatur Spiritus mundi visibilis, quem per aerem significare videntur. Simili plane modo Spiritus æreus à vita solari, seu quinta essentia, seu luce ætherea, seu animæ mundi radio seu lucerna movetur; Et ita spiritus æreus functionem naturalem, per sanguinem sine cessatione movens, præstare solet; atque itidem ipse Jah spiritum æthereum per arterias ad facultatem vitalem perficiendam motu involuntario & continuo excitat; dum ipse Jah in summa hominis regione ventris, secundum voluntatem in virtute sua animali operari solet, omnia inferiora ad nutum suum movens: Sic quoque ipse Jod in He, seu Mens & intellectus in spiritum rationalem seu intellectua-lem agens motum suum voluntarium cum ratione & intelligentia facit. Ex quibus colligimus, quod, si vis ætherea non satis impellat Spiritum æreum, uti Sol, juxta prædicta sapientis, aerem, tunc sequiores fiant spiritus naturales in suo motu, & torporem, atque lassitudinem inducant in universo corpore; Et per consequens nutritiva facultas, atque simul etiam augmentativa infirmantur, & sua officia in appositione, assimilatione, & unionem præstare nequeunt. Unde aut Atrophia, aut Anasarca, aut alius hujusmodi morbus sequitur. Pono etiam illos omnes morbos inducere solet motus sanguinis & spirituum naturalium segnities, quæ ex defectu caliditatis & hepatis refrigeratione accideri solet; quoniam inclinatio ad quietem denotat caloris & lucis diminutionem, cujus est, res naturaliter movere; Quies enim est de natura tenebrarum, quarum filius est frigiditas; quæ congelativa sua virtute figit & mortificat, atque hac ratione res mobiles quiescere facit: E contra vero, si lux præter naturæ leges ad naturalem facultatem se extendat, facit aerem venis inclusum nimis velociter moveri, atque ita citissime absorbet humidum radicale. Atque hoc fit quando Jehova iratus hominem vel aliud animal respicit, ut infra dicemus. Similiter si lux Jah, vel anima cæli medij diminuat, Melancholia, tristitia, desperatio & hujusmodi alij tenebrarum affectus succedunt: Si in iracundia respiciat Jehova, febres spirituum, pestem & hujusmodi alios morbos inducit, propter conversionem naturæ humidæ ætheris in venenum: Si denique Jah non ostendat radios suos benevolos in regione suprema, Apoplexiam, Paralytin, Epilepsiam Caros & hujusmodi alios tenebrarum affectus prædominari sinit: At si in iracundia sua à sphaera sua prospiciat, ratio perturbatur phrenitide, Leucathropia, furore, delirio, mania, & doloribus ferventissimis. E contra vero sanitas est illa vitæ dispositio, quæ in mediocritate consistit; in qua, Deo benevole spiritum in homine reperiunt, sive æreus sit, sive æthereus, sive Empyreus, aspiciente, aspectus ejus benevoli splendor vel ad pondus se habet in spiritu, vel saltem ad justitiam; ita ut spiritus neque nimis velociter moveatur à luce sua (cum nullum violentum diuturnum aut perpetuum) neque nimis tarde etiam aut segniter in suis alveis progrediatur, eaque ratione morbis & tenebris nimis appropinquet. In medio & quasi in centro consistit natura vitæ (uti in Solis positione videmus.) In mediocri ergo conditione consistere debet spirituum motus, ut ad vitæ sanitatem conducatur: Nam hæc est vera illa Dei virtus benefica, quæ tam in medio à Phycis consistere dicitur, quam illa moralium. Id sane, quod ex multis sacrarum literarum testimonijs elicere possumus: Nam *Psal. 30. 6.* ita legitur; *Vita adest benevolentia Jehovæ.*

Hæc vita sana est, quando Jehova non invenitur in extremis, videlicet quando non respicit spiritum hominis in iracundia; secundum illud *Psal. 6. 2. & 38. 2. Ira Jehovæ est austerus.* Et *Psal. 2. 12. Ira Dei exarsit in impios, nec averit faciem suam ab eis;* juxta illud *Psal. 104. 28. Creatura, abscondente eos faciem suam, conturbantur; recipiente spiritum eorum, expirant &c.* sed quando respicit eum in mediocritate benigna secundum pacificum spiritus appetitum &c. Hinc *Psal. 27. 1. Lux salus justorum, & robur vita mea:* Et *Psal. 106. Quem visitavit Deus salute sua, fruetur bono & felicitate electorum ejus;* Et *Psal. 63. Benignitas Dei est melior vita;* hoc est, vita, quæ tam morbida, quam sana est; nam *benignitas & sapientia in dextra salutem & longitudinem dierum tenet: Luce ergo benevola Jehovæ,* (ut *Psal. 80. 4.* habemus) *salvabimur;* quo-

quoniam (Psalm. 84. 12.) Iehova Deus est Sol, gratiam & gloriam dans; hoc est vitam sanam & felicem: Hinc Sapia dicitur portare longos dies in dextra, & gloriam atque divitias in sinistra, & quod via eius sint semita amoenitatis, ac quod sit arbor vitæ prehendentibus eam. Proverb. 3. Nec certe pertinent hæc sacrarum literarum testimonia ad animæ solummodo salvationem, quemadmodum eodem sensu supra mentionem nonnullorum ex illis fecimus, sed etiam ad vitæ sanitatisque corporalis præsertionem: Et enim ut Jod agebat benignitate sua in spiritu He seu Empyreo ad vitam æternam; sic etiam Jah benigne agit in spiritu Vau seu æthereo ad vitæ corporeæ in sanitatis statu conservationem. Dicimus ergo, quod, ubi est defectus præsentia lucidæ Verbi Messia, ibi illo medicamento opus sit, quod dicitur Verbum Dei; juxta illud Sapient. 1. *Sermo Dei sanat omnia*: Quod quidem medicamentum universale si acquirere non possumus, particularem illam Jehovæ vim, herbis & fructibus in creatione inditâ quæramus, ut ea deficienti illi veræ prædictæ addita sanitas amissa ad pristinum statum reduci queat: Nam quælibet herba aut fructus, habet aut majorem, aut minorem lucis in creatâ essentia in se; ea quidē quæ alere ac sanare solet, & non ipsa herba aut fructus, quæ videtur; ut ex hac Sapientis sententia percipere licet; Naturæ fructuum non alunt hominem, sed Verbum Dei; Non enim est panis qui videtur, quod nutrit, nec medicamentum è terra collectum, quod curat, sed est esse quoddam divinum ijs inclusum, quod nutrit, & cujus præsentia pravi tenebrarum actus corriguntur, & in melius convertuntur: Similiter precibus, tanquam magnete, attrahimus lumen divinum ad nos, cujus præsentia vivificatur spiritus tenebris tabescens, dum suaviter & clementer ac non in iracundia sua agit cum eo Jehova. Sed quoniam de his alibi copiosius, ad morborum & ægritudinis rationem saluti levi descendemus:



SECTIO-



SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARTIS I.

Liber III.

De

PRINCIPIIS SUPERSUB-
STANTIALIBUS.

C A P. I.

Brevis precedentium recapitulatio: Similiter de ultima יהוה litera ה, seu regionis elementaris idea, & quomodo sit causa transmutationum, morborum, & corruptionis.



In superioribus luculenter egimus de ineffabili mundi & omnium ejus creaturarum radice Jod, primo Tetragrammati membro; & deinde quoque similiter de Jah יהוה secundo, seu primo Tetragrammati in hunc mundum gradu, sive emanatione, seu aspectu, quo simplicissima & purissima fit ex duobus compositio, videlicet ex luce increata, & spiritu purissimo ac obedientissimo; Unde Jah benignitatem arguit, cum ab eo vitam æternam accipiamus; Postea Jeho יהוה, tertium, se secundo gradu in tenebras regionis firmamenti immergens mediam in mundo compositionem produxit, nempe ex spiritu יהוה cum emanatione Jod cum He in Vau descendente. Atque creatoris emanatio essentialis induens duplex vestimentum creatum יהוה, dicitur à Cabalisticis ideo sigillum Dei, quoniam illius impressione æterna, tanquam Verbi increati caractere, omnia corpora, tam cœlestia, quam elementaria vita, qua vivant atque existunt, insigniuntur. At quoniam materialis hujus sigilli amictus in multitudinem à fonte lucido fluit, ideo vita illa præcipue in elementaribus non est æterna, sed transitoria: Nam ut vita per Jod in He & Vau ad He ultimum producta est, ita etiam circulariter progrediendo (nam omnes literæ יהוה sunt circulares, uti narratum est) ultimum He per mortem putativam seu imaginariam virtute ipsius Jod (quæ est virtus Tetragrammati, seu Messias, seu Jesus, sive Christus) remigrabit ab ultimo multitudinis gradu seu cubo densò & obscuro in Vau, & postea iterum à Vau, vestem ætheream exuendo, in Jod, videlicet in nativam angelicam, & tandem quibus mens divina data fuit ab alteritate in ipsam identitatem Jod in Christo, per Christum, & cum Christo erit transitus; uti certum est, quod vita æterna sit à Christo in primum He descendente; temporalis vero, qua hic vescimur, à Christo cum primo ejus vehiculo in Vau: Quæ ambæ vitæ per Christum homini conferuntur; & cum priori quidem mentem possidet, secunda vero more cæterorum animalium vivit. Uude liquet quod homo solus inter cætera animalia duplici vita vivere deprehendatur; videl. immortalis & mortali: Cætera vero animalia ex solo Vau vite nutritionem suscipiunt, & animalis rationem à spiritu primi cœli tenebris incluso acceperunt. Atque hæc est causa, ni fallor, quod nomen Tetragrammati dicitur ineffabile; videlicet quo-

quoniam est intra omnia totius universi, respectu הוה, sed extra omnia respectu Jod, quod cum natura Aleph coincidit, tali modo, ut ejus essentia neque lingua describi, nec ratione fere humana comprehendi possit. Hic etiam est modus, per quem in Christo dicimur vivere, quatenus ipse est vita omnium; & iterum in eo dicimur mori, quatenus ipse solus per resolutionem præparat nos ad fugam, atque tandem virtute spiritus sui vivifici, ruptis & dejectis mortis ac tenebrarum carceribus, per resurrectionem veram nos ad vitam in altum elevar. In ultimo igitur He ה est vita temporalis, quæ suo tempore propter assiduas tenebrarum invasiones multis tempestatibus fluctuosis, infinitis Spiritus vitalis perturbationibus, morbis & ærumnis tam animæ quam corporis horrendis ac frequentibus, mutationibus diuturnis atque afflictionibus innumerabilibus jactatur; Neque enim unquam cessat Diaboli malitia, quin novas subinde inventiones proferat, quibus homini, nobilissimæ Dei creaturæ, omnia malorum genera infligat; quibus tamen omnibus tandem in seductoris opprobrium virtute Messia superatis haud dedignatur Christus nos à malo & ægritudine tam spiritus vitalis quam corporis salufero sui sanguinis balsamo abluere, & vulnera à Diabolo data morte sua abstergere ac sanare. De morbida ergo hujus ה He ultimi seu regionis elementaris conditione, & de mutationis ejusdem ratione hoc in libello breviter discurrere mihi proposui.

C A P. II.

Quod actus Jehovæ sint permanentes & iidem: & quod materia ultimi He ה seu cæli infimi sua resistantia, seu iniustitia in mala receptione radiorum Dei, sit mutationum, morborum, & interitus occasio; & quod omnia in hac regione, licet rebellia sint, benignitate tamen Jehovæ perdurent:

EX rationibus supra allegatis apparet, quod nomen ineffabile Tetragrammati se extendat à summitate suæ radicis Jod in cælo incomparabili æternitatis fixe atque permanenter sedentis, usque ad machinæ sphericæ creatæ centrum, quemlibet ejusdem locum intermedium per igneam cujusque sui nominis literæ virtutem implens. Sed, ut videmus, quod quælibet scaturigo, quo magis à suo fonte elongatur, eo tardius & debilius moveat, & quod radius etiam, quo magis aut longius à flamma candelæ abest, eo minorem habeat illuminandi virtutem, ac quod Sol itidem, quo remotius à nobis distat, eo minus calefaciat; sic etiam, quo longius distant literæ Tetragrammati ineffabilis à sua radice Jod, eo minus efficax est vivifica Jod conditio; non sane, quod Messias, qui est virtus Jod, non sit æqualiter tam in uno loco, quam in alio; sed quoniam diversa & varia solet induere vestimenta, quæ unam eandemque actionem propter diversum ad materiam indumentorum respectum differre faciunt: Ideo eadem actio diversos producit effectus; videlicet suaves & vivificos in spiritu tenui ac obedienti, & duros ac asperos propter rebellionem & resistantiam fortem in spiritu densiori & magis opaco: Nam utcumque fortis sit spiritus in sua resistantia, necesse tamen est, ut virtute increata superetur, quatenus illa est fortitudo omni fortitudine fortior; quippe quæ in tenebris & spiritu densio actiones valde tremendas atque stupendas producere solet; prout etiam hæc virtus ineffabilis in monte scopuloso Sinai è nube densa & obscura terribiliter reluxit, & vocem suam edidit: Ipse autem populus totus percipiebat illos sonos, & fulgura, ac sonum tubæ, montemque illum fumantem, percipientes commoti sunt loco, & steterunt procul, dixeruntque Moysi; Loquere tu nobiscum, & audiemus, sed ne loquatur nobiscum Deus, ut non moriamur. Exod. 20. 2. Similiter dictum est Deuter. 4. 15. quod mons ille arserit igne usque ad summum cælum cum tenebris, nube & caligine.

Ex quibus patet, quod resistantia primum subjecti seu spiritus spissi, qui vim facit contra spiritus invicti vires, & deinde ipsæ spiritus densi caligines atque tenebræ, incomparabili faciei Jehovæ luci se opposcentes, fuerint in causa, ut actor & victor tanto hominum terrore apparuerit ex nube; dum è converso Adam in Paradiso degens, ubi omnia pura & benigna extiterunt, vocem Domini, illic ad auram benignam ambulantis, audivit Gen. 3. Sic etiam coram Elia Dominus in monte Horèb terribiliter, hoc est, post spiritum grandem seu fontem, montes submoventem, & petras ante Dominum subvertentem, & post maximam commotionem atque ignem terribilem apparuit, qui quavis terribiliter in principio eum allocutus sit, tandem tamen cū Elias in sua natura benigna loquentem audivit, quem tunc precedebat sibilus aura tenuis; quem cum audivisset Elias ulteriori formidine non est percussus: Nam cū audivisset sibilum aura tenuis operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, ubi non metriculose, sed audacter audivit vocem Jehovæ 3. Reg. 19. Videmus ergo quod

quod diversitas subjecti varietatem effectuum in identitate actionis producat: Atque hæc est ratio, quod ultimum hoc He 7; siue ultima Tetragrammati litera, regionem elementarem indicans, tot & tantis mutationibus subijtur; quoniam virtus divina seu Sapiencia (quæ est Omnipotentis claritas) multitudine vestium obducta, fortiter agendo resistantiam seu renixum invenit; atque inde propter nimiam materiæ rebellionem infinitis mutationibus obnoxia est hæc regio, ita ut, si virtus hæc sacrosancta non esset divinum naturarum litigantium vinculum atque amoris singularis nexus, omnia in Chaos in ictu quasi oculi converterentur. Similiter si hæc virtus Tetragrammati se ipsam, prout est, demonstraret, vultumque suum ineffabilem limitibus non restringeret, omnia hujus regionis impura subito & è vestigio exanimarentur, transfigurerentur; & è sua scoria efficerentur pura. Hæc equidem erit illa mundi renovatio, qua ad ineffabilis faciei Redemptoris conspectum omnia die novissima in exactissimam quatuor elementorum naturam, quam in initio habuerunt, reducentur, omnisque scoria & impuritas separabitur, & in abyssum lethalem rejicietur; juxta illud *Esai. 1. 25. Convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam, & auferam omne stannum tuum: Respectu igitur inobedientiæ atque renixus duri in hoc cælo dicitur vox Dei esse in ira & astu adversus impios, quoniam spiritus est rebellis. Psalm. 2. 5. & 12. Et alibi, Ira Jehovæ ut ignis consumens. Psalm. 21. 10. Et, Jehova ira sua exarsit in impios. Psal. 2. 12. Et, Depluet super improbos prunas. Psalm. 11. 6. Item, Igne absument Deus improbos. Psalm. 78. 63. Item, De furore omnipotentis bibit impius. Job. 21. 20. Item, Sagitta omnipotentis in me graviores, Virtus carum ebibit spiritum meum; & conturbationes Dei, qua acies instructæ sunt, oppugnant me. Job. 6. 4. & in infinitis alijs sacrarum literarum locis; cum tamen revera & in sua natura justus, clemens, misericors, semper idem permanens, & immutabilis sit Jehova ac ipse virtutis actus: Sic videmus, quod idem ignis vel Sol fovet calefaciendo, & nutrit, vivificat, ac multiplicare facit; & tamen ille idem alios detrahit, iisque capitis dolores affert, comburit, & multa nocumenta inducit: Sic etiam Saturnum & Martem Planetas pravos dicimus, tamenti illi sint æque boni atque salutares, quam cæteri: Sed ratio nocenti in subjecto consistit, eorum influentias male accipiente, uti in Musica nostra mundana dilucide explicavimus: Sic etiam non est ira, neque æstus, neque ignis consumens, neque sagittæ afflictionis, neque furor, neque aliquid aliud hujusmodi revera in natura Jehovæ, sed in objecto male & injuste; ac inobedienter, & obdure actus ejus recipiente. Sic *Exod. 7. 22. Et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus: Ino Dominus non potest propter suam in se bonitatem destitueret hominem, nisi prius obduraverit cor ejus; hoc est, rebellem & tenebris propinquum reddiderit spiritum ejus, ut hoc modo propter spiritus duri resistantiam illum destruat: Atque hinc *Exod. 14. 8. ita legitur; Induravitque Dominus cor Pharaonis, & persecutus est filios Israel in mare rubrum: Similiter *Exod. 33. 3. Non descendam tecum, quia populus dura cervicis est, ne forte te deperdam in via: Et *ibid. 5. Populus dura cervicis es, semel ascendam in medio tui, & delibo te: Quibus luculenter docemur, quod sit subjecti malignitas tum denitate & duritia, tum etiam tenebrositate, in qua peccatorum habitat, quæ male bonas & efficacissimas Jehovæ impressiones recipiens pravos tandem producit effectus. Et certe, nisi Deus faciem suam, cujus essentia res cunctas purificare, atque instar auri examinare solet, à nobis peccatoribus & ipsis elementis, velo suo aquarum absconderet, quid, quæso, coram ea consistere posset; cum respectu virtutis suæ incomprehensibilis dicatur *ignis consumens, cujus præsentia mons ille Smai arsit igne usque ad summum cælum; Deut. 4. Nonne attoniti hæserunt Israelitæ timentes intueni splendorem faciei Mosis; qui tamen fulgor non erat nisi imago quædam fulgoris Jehovæ, velamine obducti? Quis est ergo ille, qui faciem Dei, prout est, conspiciere possit, nisi statim & repente moriatur, cum *nec scopuli etiam durissimi ante eam, quin ut ipsa cera fundantur, perdurare queant.*******

Sed hoc quidem est insigne misericordiæ indicium, quod Deus illud, quod facere valet, non facit, sed vim suam in se ita reflectit, atque contrahit, ut solummodo aspectu suo modico & medio-criter ad justitiam obrecto nos, & creaturas omnes ita benevole respiciat, ut ejus virtus vivifica non excedat possibilitatem materiæ: Atque ita, qui in ira sua omnia consumere potest, justitia tamen & benignitate sua omnia numero, mensura, & pondere fovere atque sustentare solet; juxta illud *Sapient. 11. a. 21. Quin etiam uno afflatu cadere potuerunt à justitia persi quente, & ventilati à spiritu potentia tua; verum omnia numero, mensura, & pondere disposuisti: Nam quod multum potes, hoc tibi semper adest, Quandoquidem tanquam momentum è lancibus est rotas mundus coram te, & tanquam gutta roris, descendens mane in terram: Misereris autem omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, ut resipiscant: Nam diligis omnia quæ sunt, & nihil abominaris eorum; quæ fecisti, nec enim compenisti quicquam, quod haberes odio: Ecquid autem mansurum fuisse aliquid, nisi tu voluisses: aut conservatum fuisse, quod non accersivisses? Sed parcis omnibus eo, quod tua sunt, ó Domine animarum amans: Porro etiam *Sap. 1. Deus mortem non fecit, nec letatur in perditione vivorum, creavit enim, ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum; & non est in illis medium exterminij, nec inferorum regnum in terra; justitia enim perpetua est & immortalis, injustitia autem mortis est acquisitio. Ubi per justitiam videtur Jehovæ actum in elementis puris & obedientibus intelligere; per injustitiam autem spiritum materiale, se male & injusto modo conformantem cum actu Dei, & ei more rebelli resistantem: Et tamen hujusmodi etiam materiæ sic oppugnandi parcere solet Deus ob benignitatem suam. Unde sciendum**

dum est, quod, ut Jehova è cœlis se extendens in centro elementorum habitare solet; juxta illud *Psalm. 144. Jehova inclina cœlos tuos & descende, tange istos montes & fumigabunt*, sic etiam ducit è summis suis cœlis se cum magnam spiritus ejusdem benigni portionem, quo terræ & elementorum durities ac inobedientia secundum justitiam temperentur, & Dei voluntati obedientiora fiant, ac à tenebris ad lucis regiones attollantur, atque ut ita immediati Jehovæ actus clementiores & mitiores producant effectus. Sic itaque mediatione Messia: infima mundi regio, seu ultimum He temperatur humili & obedienti natura cœli Empyrei, seu supremi He, ubi Jah seu Deus benignus regnat in secula seculorum: Hinc dicit Psalmista *Psalm. 33. 5. Misericordia seu beniginitate plena est terra*: Et *Psalm. 35. 6. Beniginitas Jehovæ è cœlis; fides tua usque ad superiores nubes; iustitia tua instar montium maximorum; iudicia tua instar abyssi magna*: Et *Psalm. 85. 14. Misericordia & fides occurrunt inter se; iustitia & pax osculantur se; Fides è terra germinebit, & iustitia è cœlus prospectabit, Etiam Jehova dabit, quod bonum est &c.*

His igitur explicatur, cur res istæ omnes in regione infima He, cum sint impuræ, tenebris submersæ, densitati & duritiei subjectæ, atque ad rebellionem promptæ, coram facie tamen Jehovæ, omnem impuritatem castigante, rebellionem sibi subjiciente, omnem scoriam à puro argento per examinationem irrefrabilem segregante queant persistere; videlicet id fieri misericordia & beniginitate Jehovæ; qui licet omnia in ictu oculi exanimare & deformare possit, motus tamen clementiæ partim faciei suæ ardorem restringit, & in suum Paradisum reflectit; partim autem spiritu sapientiæ flectit spiritus duros, eosque mediocriter suis actionibus, obediens reddit. Benigni igitur vitæ spiritus abundantia est sanitatis tuendæ ratio; ejus vero defectus seu diminutio est morbi occasio, & totalis ejus amissio est mortis inductio. Hæc, inquam, est in hac inferiori mundi regione mutationum atque alterationum in generatione & corruptione causa; hæc vitæ, ægritudinis, & lethi origo infallibilis. Quomodo autem Jehovæ etiam dicatur boni & mali, valetudinis, vitæque, & mortis autor ac procurator capitè hoc sequenti declarabimus.

C A P. III.

Quomodo secundum Cabalistarum sententiam nomen Tetragrammati ineffabile, & cognomina Dei, quæ usurpantur respectu operum ab ipso editorum, denotent tam se veritatem & punitionem in Jehova, quam beniginitatem & clementiam.

Cabalistæ decem Sephirotas seu numerationes & mensuras divinas, divinitatis vocaverunt vestimenta. Hinc inquit Psalmista, *Psalm. 104. Amictus lumine sicut vestimento*; hoc est; primo יהוה illuminato, quod Lux dicitur. Cuilibet autem istorum Sephirotarum nomen unum ex nominibus divinis attribuunt, quorum aliud beniginitatem, aliud vero severitatem Dei denotare videtur: Quæ misericordiam arguunt, sunt יהיה Ehieh, quod primæ numerationi ascribitur, videlicet כהר Cheter aut corona: Et Jehova יהוה seu Jod י & Jah יה secundæ, quæ dicitur חכמה Hochma vel sapientia: Terriæ numerationi, videlicet בנח Binach seu Prudentia, & intellectus refertur אל הים Elohim: Quartæ חסד Chesed, id est clementiæ nomen אל appropriatur: Quintæ תפארת Tipherets, id est, gratiæ & pulchritudinis datur nomen אלהי Eleah: Sextæ יסוד Jesod basis fundamentum attribuitur; אלהי Elchai, vel שוי Sadai. Quorum nominum prædictis Sephiroth attributorum primum denotat paternam misericordiam, videlicet misericordiam ejus, quatenus pater est unitas, basis & fundamentum totius; imo vero dicitur beniginitatis corona: Videmus ergo hic י Jod & ה ex literis Tetragrammati, denotans Jah, qui est misericordiæ pater: Secundum est ipse Jehova יהוה, ubi Jod idem sonat, quod totum Tetragrammaton; quia Jod denotans 10. continet 1. 2. 3. 4. in se; quæ imago sunt quatuor literarum Tetragrammati. In hoc autem nomine Messias continetur, cujus beniginitate omnia sunt salvanda; Est etiam & vitæ atque esse cujuslibet rei distributor: Tertium Elohim, quatenus eius numeratio influit per ordines thronorum in sphæram Saturni, denotat, secundum Cabalistarum sententiam, pœnitentiam & remissionem peccatorum: Quartum El, per suæ numerationis significationem arguit clementiam, bonitatem, gratiam, & misericordiam: Quintum Eloah, quatenus ejus vestis est gratia, pulchritudo, decor & delicia, non abest à beniginitate: Similiter Sextum Sadai vel Elchai ratione suæ Sephiroth declarat redemptionem & quietem. Ex his igitur videmus, quod major Dei proprietas versetur circa clementiam & beniginitatem: Sic etiam videmus, quod dno cœli superiores clementiæ ubertate abundant; Nam superius dat vitam æternam & resurrectionem à mortuis, medium autem, vitam & sanitatem temporalem. Item, nomina Dei, quæ severitatem arguunt, sunt Elohim; cujus Sephiroth גבורה Gheburah denotat potestatem,

vim, severitatem, iudicium, punitionem; Et אֲדֹנָי Adonai, Dominus, cujus numeratio est Malchut regnum imperium &c. Et secundum Cabalistas sub hac numeratione denotatur detruncatio regni, & arboris vitæ ablatio propter Adæ peccatum: Ex quibus patet, quod pauca sint Jehovæ proprietates ad punitionem; plurimæ autem ad misericordiam; Denotat etiam legis mysterium ab ore datum; unde quoque severitatem importat. Et quoniam hæc omnia nomina divina, ab operibus Tetragrammati in hoc mundo desumpta, in unico illo nomine ineffabili comprehenduntur; (quod est nomen Dei unicum, & dicitur separatim, quatenus, juxta Rabb. Moysen Aegyptiacum, significat substantiam creatoris significatione pura, in qua non est participatio) videlicet יהוה Jehova; adeo perciplemus inquisitione diligentiae debita, quod partes misericordiae pertineant ad præcedentes seu primas Jehovæ literas, quæ cælos superiores ה & Vau designant; quatenus prima Sefirot, Cheter, Corona influit per ordines Seraphinorum in primum mobile, & ab illo ad res omnes, quibus dat esse: Secunda Hochma, Sapientia confirmatio est omnium: Unde dictum est quod Deus verbo & sapientia omnia perfecit: Tertia Binach, Prudentia per ordines thronorum in spheram Saturni descendit: Quinta Chesed per ordinem dominationum penetrat ad spheram Jovis; Sexta per ordinem Virtutum in spheram solis &c. Unde observare debemus, quod duo cæli superiores primarij & secundarij misericordiae in fluxibus infunduntur: At vero illa emanatio, quæ transit per ordinem Potestatum in spheram Martis, detotat, quod, ut Deus est Dominus Deus fortis & iudicio plenus, ita etiam severitatem exercent contra rebelles, duos; & dominationem ejus oppugnantes; Nam, ut Mars est Planeta igneus, ita bellum suum gerit Jehova, exercituum Dominus igne consumente, prunis igitis, sagittis ardentibus, æstu, furore, ira &c.

Sic etiam Malchut denotat vitæ arborem in Paradiso terrestri: Unde propter detruncationem illius arboris, qua scilicet ea filijs Adæ denegatur, arguit punitionem & miseriam propter inobedientiam. Sed his relictis ad ipsius nominis ineffabilis Tetragrammati observationem pervenimus, quippe de cujus mysterio hoc loco agimus. Contemplatione ergo debita facta, videmus primum ad exemplar literarum nominis Tetragrammati, quod immortale & mortale ei includatur; immortale videlicet in primo ה quod pulchritudinem Jod recipit; & per Ehich significatur; Est enim corona & radix totius mundi.

Per hoc ergo ה mens atque intellectus, sapientiam & prudentiam includentes, intelliguntur; adeoque illud nobilissimam hominis animam & mundi caput designat; Mens ergo & intellectus ab hoc loco descendentes sunt immortales: At vero infimum ה corpus ex 4. elementis indicat, quod morti & subjectioni mancipatur: Imò vero ipsius mundi Salvator, in hoc ה se immergens, carnemque seu elementare corpus induens, à morte non erat liber aut immunis: Et quidem per vinculum naturæ, quod ab ipso non erat alienum; ejus Jah, vel ה superius cum illo inferiori conjunctum erat; atque ita Christus factus est Deus & homo: Et ut in Jehova reperitur duplex ה ה; & unum ה seu quaternarius in aliud ה ductum producit 25. ita, si iterum per numerum duplicis ה ille numerus dupletur, constituet 50. qui numerus est symbolum Jubilæi magni, seu hebdomadæ supernæ, seu Sabbathi quietis; & Sabbathi Sabbatorum, quo animæ humanæ omnes puræ, rejecta labe, tandem ad hæreditatem Patrum redibunt libere, & in possessionem vere nostram & propriam ingredientur, quam acquisivimus & retinemus per animam Messia: Nam ה superius, cujus anima est ipse Messias, seu virtus Jod, in ה infimum & corpus Cubicum ingrediens, post mortem fecit illud ה infimum incorruptibile, & elevavit ipsum ad summam intelligentiam; ad quam Moyses nunquam potuit in hac vita pertingere, neque in secunda, nisi mediante Messia seu filio, qui solus, & per quem nos patris essentiam videte ac cognoscere possumus. Videmus ergo, quod, sicuti ה supremum est vita, atque essentia, & benignitate plenissimum, sic etiam illud infimum è converso languidum sit, & infinitis mutationibus obnoxium: Atque hæc est ratio, ut opinor, quod Cabalists dividerunt יהוה in יה Ens, & הו ipsum, sed literis inversis; hoc est Ens ideale, spirituale, ac immortale, & ipsum quasi exemplum ad imaginem ejus formatum; sed mutationibus apertum; Quæ duo extrema virtute unius Messia & idem punctum Coronæ seu Jod reducuntur: Atque hæc est ratio, quod Jehova portat tacito modo Jesum Christum.

Porro etiam animadvertimus res in Jehova progressus; videlicet יהוה Jeho; & יהוה Jod in ה denotat Ehieh; quæ est summa Tetragrammati operatio: Unde Jah est misericordiae paternæ iudicium; at הו est symbolum ipsius Ehieh; Est enim sigillum Dei, quo Ehieh sigillavit mundum, & dicitur אֱשֶׁר, hoc est Verum.

Quæ autem sit hujus sigilli natura, nos docet occulta literarum significatio: Nam imprimis Aleph arguit idem, quod Jod, id est, primam & simplicissimam Ehieh essentiam: ו est symbolum ignis & spiritus ignei, denotans hoc ipso lucem creatam, quæ nihil aliud est, quam spiritus purissimus illuminatus; Et ה est spiritus simplex in sua natura: Quare Deus lux increata, & lux creata in medio participans de spiritu & mera luce increata, ac ipse spiritus consciunt sigillum Tetragrammati, quo omnes res impressionem vitæ atque existentiae suæ nanciscuntur; Et Jehova est perfectio omnium, omnia tam mortalia, quam immortalia, tam perfecta quam imperfecta, tam bona quam mala,

malum, vitam & mortem, sanitatem & morbum, cælum & terram, lucem & tenebras, diem & noctem, Deitatem & ipsum Diabolum in se comprehendens immentis que suis brachijs amplectens: Nam anne quicquam sine ejus præsentia existere potest, qui est omne, quod est, & sine quo nihil? Nonne hoc multis sacròrum Bibliòrum testimonijs confirmatum habemus? *Ecclesiast. enim ii. 14. scriptum est; Bona & mala, vita & mors; paupertas & honestas à Deo sunt; Et Ecclesiastes 7. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit: In die bona fruere bonis; & malam diem precave: Sicut enim hanc sic illam fecit Deus, ut non inveniatur homo contra eum justas querimonias: Et alibi dicitur; Estne aliquod malum in civitate quod non creavit Deus? Atque iterum Matth. 3. 45. Deus Solem suum fecit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: Quo significatur quod ipse sit autor & tactor tam boni, quam mali, tam justu, quam improbi: Et iterum Deuteronom. 30. 15. Vitam & bonum, item mortem & malum proposui tibi. Similiter Sapient. 16. 13. Vita & mortis habet Dominus potestatem qui deducit ad portas mortis, & reducit.*

Ut autem bonitatis & sanitatis Jehova est autor, sic de eo scripserunt Moyses Deuter. 30. 20. *Ipse Jehova Deus tuus vita tua est, & longitudo dierum tuorum;* Joann. in 1. Epist. 5. *Vitam aeternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio ejus est:* Salomon Sapient. 1. *Vitam creavit Deus: videlicet ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est medium exterminij;* Psalmista regius Psalm. 30. 6. *Vita adest benevolentia Jehovæ. Et Psalm. 36. 9. Vita fons penes te est, & in torrente deliciarum tuarum bibendum das filiis hominum. Et Psalm. 90. 14. Vita prolongatio, benignitas Dei, & amicitia Jehovæ adsit nobis. Iob. 10. 12. Visitatio tua conservavit Spiritum meum. Salomon Sapient. 16. Sermo Dei sanat omnia. Et Proverb. 3. Dierum longitudo in dextra sapientia. Et Ecclesiastes 5. 17. Dierum vite numerum dedit Deus. David Rex Psalm. 4. 7. Lucem faciei tuæ attolle super nos, & efficiet, ut videamus bonum. Et Psalm. 18. 29. Si tu illustras lucernam meam, Jehova Deus meus, splendentes efficit tenebras meas. Et Psalm. 27. 1. Lux salus justorum & robur vita mea; & Psalm. 31. 17. Luceat facies tua super servum tuum, serva me benignitate tua Psalm. 31. 17. Et Psalm. 36. 10. In luce Jehovæ videbimus lucem. Et Psalm. 80. 4. Luce faciei Jehovæ salvabimur. Et Psalm. 84. 12. Jehova Deus est Sol gratiam & gloriam dans. Et Psalm. 57. 11. Benignitas Dei magna est usque ad cælos; & veritas eua usque ad superiora nubis. Et Psalm. 63. Benignitas Dei melior est vita. Et Psalm. 106. 4. Benevolentia prosequitur Deus populum suum, & salute sua. Et Psalm. 106. Quem visitavit Deus salute sua, fructur bono, & felicitate electorum ejus &c. Psalm. 106. Ruth. 2. 20. Benignitatem exercet erga vivos, & erga mortuos Benedictus. Propheta regius. Psalm. 35. *O quam pretiosa est benignitas tuæ, cum filij hominum ad umbram alarum tuarum se recipiant. At vero ut mali atque aegritudinis factor & autor existit, sic etiam ejus mentionem fecerunt Psalmista Regius, Psalm. 2. 5. & 12. Vox Dei in ira & astu adversus improbos, Et Psalm. 11. 5. Depluet super improbos prunas, ignem, & sulphur. Spiritusque procellarum portio poculi ejus. Moyses Numer. 12. Iratusque contra est Jehova, &c. Ecce Maria apparuit candens lepra, Et Deuter. 28. Faciet Jehova, ut adhereat tibi pestis, donec consumaris; Jehova te percuet tabe calida & astuante, ac adurente febre, & siccitate, ac uredine &c. Et percuet te Jehova amentia & cecitate &c. Et Deuteronom. 28. 61. Plagas omnes inscriptas libro legis inducet Jehova in te, Samuel. 1. cap. 9. 5. Percussit Jehova Hemorrhoidibus Ashdodos, Et 2. Samuel. 12. 15. Jehova plagam affecit infantem illum. Et iterum Rex David Psalm. 21. 10. Ira Jehovæ, ut ignis consumens, Et Psalm. 77. 21. Ignis Jehovæ accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel, Et Psalm. 78. 63. Igne absument Deus improbos. Et Psalm. 79. 5. Effunde astum in alias gentes &c. Iob. 6. 4. Sagitta Omnipotentis in me graviore; Virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructa sunt, oppugnant me, Et Iob. 21. 17. Dolores impertitur Deus ira sua. Et Iob. 33. Jehova increpat per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit; abominabilis ei in vita fit panis & anima illius cibus ante desiderabilis; Tabescit caro ejus, & ossa, quæ tecta fuerunt, nudabuntur; appropinquabit corruptioni anima ejus, & vita illius morti. Moyses Exod. 4. 24. Cumque esset Moyses in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Et Exod. 5. 3. Ne Jehova nos cadat peste aut gladio. Et Exod. 9. Ecce manus mea erit super agros, & super equos, & super asinos, & super Camelos, & oves, & boves pestis valde gravis: Et Exod. 9. 14. Ego missurus sum in cor tuum omnes plagas meas, & in servos tuos, & in populum tuum. Et Levit. 26. 16. Efficiam, ut dominetur in vos terror cum tæbe, & cum astuante morbo, conficientes oculos & cruciantes animum. Et Psalmista. Psalm. 28. a. 3. Vox Jehovæ confringet cedros Libani, & comminuet eos tanquam vitulum Libani: Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades &c.**

Totum etiam illud malum induxit Jehova in Sodomiam & Gomorrhæam, quo ad nihilum virtute iræ Jehovæ redactæ sunt. Sed videamus, obsecro, quomodo hæc cum opinionibus Philosophorum Ethnicorum conveniant. Proclus sequendo doctrinam Theosophicam Orphei, Hesiodi, Euripidis Eschili, (qui quicquid de mysterio divinitatis docuerunt sub fabularum umbra & velamine texerunt) dicit, quod Sol divinus sit Archetypus, de quo omne decus numerale, omnis pulchritudo, omnis harmonia conveniens, omnisque vita fons derivetur; in cuius dextra sit pietas & benevolentia, in sinistra vero severitas & punitio: Hunc ergo Solem admirabilem, Phœbum, & Apollinem dixerunt antiqui gratiam in dextra portantem, & arcum atque sagittas in sinistra.

Porro etiam cum secundum varietatem actionum ipsius in bono vel malo, in duplicem naturam diviserunt; videlicet nocturno tempore illum dixerunt Dionysium dilacerantem, per partes dividentem, & seipsum in partes septem discindentem; tempore vero diurno Apollinem nuncupave-

runt, illud iterum, quod dilaceratum & abscissum erat, componentem. Quibus innuere videntur, quod de pari numero, videlicet 4. cui refertur spiritus materialis, & impari, nempe 3. cui lux & forma attribuitur, tanquam patiente & agente, vel fœmina & masculo, hoc est, in numero septenario omnia generentur & componantur, atque iterum per eandem rationem corrumpantur & dissolvantur; Sed generatio est de cœlo, & est vita, hoc est, lux supercœlestis, & vis vivifica tanquam ab Apolline; at corruptio est de tenebris & inferis, hoc est, de nocte dilacerante: Atque hæc est ratio, quod nocti Dionysium dilaniantem, quasi malorum inductorem; diei vero Apollinem univocum, quasi malorum propulsores, præstituerunt: Quare Athenienses Apollinem dixerunt *Alexicon*, hoc est, mali profugatorum & Homerus, *Ulion*, hoc est, sanitatis authorem: Nam omnia facit univoca, perfecta, & consonantia.

Sed quomodo hæc fieri soleant per numerum septenarium antea allegatum ostendemus: Nimirum conflatur hic numerus ex 3. & 4. quorum prior est numerus impar, atque omnium numerorum perfectorum origo, quatenus in se habet principium, medium, & finem; Quare formam simplicissimam, & divinæ essentia specimen præ se fert, quæ est actus agens, & actor omnium, seu virtus ipsius Terragrammati: Atque ut ternarius numerus est omnium numerorum perfectorum seu imparium origo; sic etiam quaternarius est principium numerorum imperfectorum atque parium; quatenus secundum Pythagoreorum doctrinam binarius non dicitur numerus, sed unitatum consilio.

Quaternarius ergo numerus importat materiam informandam; quæ demum informata, hoc est, cum forma & numero ternario unita, constituit universi mundi creationem; atque ita hæc est quasi numerus septenarius, qui conflatur ex 3. & 4. Ubi 3. est proprietas univoca in sacrosancta Trinitate symbolum, & 4. est materia seu spiritus, ex tenebris vastis apparentis indicium. Hic igitur videmus, quod Jehova Deus, qui est omne in omni, respectu numeri ternarii & lucidi nuncupatus sit ille Apollo supercœlestis, qui est vita omnium, generationis pater, valetudinis restaurator, & partium in corruptione separatarum recollector; Respectu vero numeri quaternarii, tenebrarum proles, dicitur Dionysius, omnino pro suo beneplacito corrupens, & composita destruens, inque suas partes similes dividens atque dilanians: Unde videmus, quod Deus respectu suæ essentia super substantialis sit semper creatoris benignus, benevolus, atque misericors; respectu vero vestis creatæ, ex Chaos nigredine extractæ, dicitur compositionem in partes dilacerare & corrumpere: Nam materia, cujus esse est ipse Deus, nunquam contenta, novas formas assidue appetendo est causa destructionis, corruptionis, mortis & morborum, atque omnium perturbationum; sed è contrario lux seu forma vivificat, fovet, restaurat, atque omne bonum producit: Unde revera dicitur, quod *nihil præter solum Deum sit bonum*: quippe cum ceteræ creaturæ per participationem tantum dicantur bonæ, videlicet quatenus de divina bonitate participant, secundum illud, quod *Gen. 1. invenitur; Et vidit, quod esset bonum &c.*

Ex quibus manifestum est, quod malitia & corruptio non sit in Deo agente, qui in proprietate est ternarius perfectus, sed in patiente, quod de tenebrarum malitia, ex quibus ortum est, participare aptum semper reperitur: Est ergo Dionysius seu Deus tenebris vestitus, qui dilacerare solet tenebras, in quibus est, & quibus permiscetur, quatenus res sibi omnimodo natura contrarias. Sic etiam videmus, quod Jod in 77 superiori dicitur lumine vestiri, juxta illud *Psal. 104. 2. Lux est Dei amictus seu vestimentum, in inferiori vero tenebris*: In superiori itaque est Apollo Spirituans & Mens, in medio Apollo visibilis, in infimo (tamen in se semper sit idem in clementia & bonitate) Dionysius, quatenus nube densa & spissa nocte apparens, montes dilacerare, scopulos igne vultus sui accendere, & infinita illa infinitis modis creaturis inducere solet, quæ nos mala dicimus; Quæ quidem licet Dei actione producantur, sunt tamen materia rebellis, impura, atque tenebrose effectus; utpote quæ male ad actiones divinas suscipiendas disposita malos atque pessimos, quo ad sensus nostros, producit eventus; quantumvis illi, in se & intellectu aliter considerati, propter finem optimum à Deo constituentur; ita quidem, ut, licuti illud, quod bonum videtur hominibus, frequenter Deo displicere solet, sic etiam quod ipsi malum apparet, semper apud actorem, videlicet Deum, pro bono habeatur,

Atque hoc modo videmus, quomodo Deus dictus sit Dominus clementia ac benignitatis, & quomodo severitatis ac punitionis; item cur ipse sit autor boni & mali, valetudinis & aegritudinis, vitæ & mortis. Quod autem Jehova sit Deus misericordia & severitatis, concludit testimonium hoc sequens ex sacris scriptis depromptum, *Exod. 34. v. 6. Et transiit Jehova ante eum clamans: Jehova, Jehova, fortis, misericors, miserator, tardus ad iram, & multus misericordia & veritate, servans misericordiam millibus, & auferens iniquitatem ac pravocationem & peccatum, & qui absolvendo non absolvit, visitans iniquitatem Patrum super filios, & super filios filiorum, & super tertiam ac quartam generationem*. Hic igitur luculenter docetur, quod Jehova in priori & principali progressu sit graciosus, & misericors, in posteriori vero severus & puniens usque ad tertiam vel quartam generationem: Præterea videmus modum, per quem misericordiam suam extendit, videlicet per faciem suam fulgorem, aufe-

aufferendo iniquitatem & prævaricationem, ac peccatum, hoc est homines illuminando, & per illuminationem omnes tenebras tollendo, juxta illud Psalmistæ antea allègatum *Psalm. 18. 29. Si illustras lucernam meam Jehova Deus meus, splendentes facit tenebras meas*: Et *Psalm. 80. 4. Luce faciet Jehovæ salvabitur*. Atque hoc sensu Apollo gratosus, vivificans, omniaque sanans ab Ethnicis fingitur, idemq; etiam de nocte Dionysius ab ijs dicitur, utpote qui in illo habitu omnia dilacerare traditur: Nam in tenebris avertit faciem suam, ita ut ejus absentia omnia corrumpantur; & in elementa dissolvantur; quoniam Dei præsentia est, quæ facit omnia, ut existant, sine qua omnia pèreunt & quali dilaniantur; atque iterum præsentia Apolline, seu splendore faciei Jehovæ partium compositi dissipatarum fit collectio, unio, & vivificatio: Atque ita totalis faciei Jehovæ, vel splendoris Messiaæ aversio à creatura inducit mortem & corruptionem; ejusdem vero diminutio & decrementum morbos ac perturbationes parit; itidemque ejus ad justitiam præsentia & benigno aspectu vita vitæque sanitate fruimur. Nonne hoc idem *Psalm. 104. 28.* sermone hujusmodi confirmavit Rex David; *Deo dante creaturis colligunt, aperiente eo manum suam satiantur bono, absentia faciei ejus conturbantur; recipiente spiritum expirant.* Quibus nos instruit Propheta in primis, quod omnia, quæ sunt, in Deo, à Deo, & per Deum sint; & quod vita seu Spiritus cujusque creaturæ sit in potestate Dei, ac quod omnis creaturæ conturbatio, morbus, & intemperies à Deo dependeat; siquidem dicit, quod absentia faciei divinæ conturbentur creaturæ, intelligens per hoc ipsum, quod sine Dei misericordia vita morbis affligatur; ita ut sit infœlicissima; juxta illud *Psalm. 90. 11. Vita spatium miserum absque benignitate Dei*: Hinc inquit etiam, *Psalm. 91. 16. Longitudine dierum satiabo justum, denique efficiam, ut fruatur salute mea*: Urigitur Jehova verus fingitur esse Apollo benevolus, ita ejus benevolentia hoc modo describitur à Psalmista *Psalm. 84. 1. Benedixisti Domine terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tue, operuisti omnia peccata eorum; Mitigasti omnem iram tuam; avertisti ab ira indignationis tue, Convertite nos Deus salutaris noster, averte iram tuam à nobis. Deus tu conversus vivificabis nos, & plebs tua letabitur in te: Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis; Ubi in illis, Averte iram tuam &c. & Deus tu conversus &c.* denotat & innuere videtur per iram mutationem formæ à natura Dionysij severi ad naturam Apollinis mitis atque benigni: Quatenus autem fingitur esse Dionysius, eatenus dicitur, quod *ira ejus absumamur, & astu ejus conturbemur*: Et *Deuter. 28. 21. Faciet Jehova, ut adhereat tibi pestis, donec consumaris; Jehova percutiet te tabe calida, & astuante ulcere Aegypti, & hemorrhoidibus, & scabie, & prurigine, quibus non poteris sanari. Et Levit. 26. 16. Efficiam ut dominetur in vos terror cum tabe, & cum astuante morbo, & conficientes oculos & cruciantes animum. Et Job. 33. Incurpat Jehova per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit &c. Appropinquabit corruptioni anima ejus, & vita illius morti &c.* Ex his ergo luculenter apparet, quomodo Jehova tam commiserando, quam puniendo agens, dicatur esse causa vitæ & mortis; Vitæ videlicet in benevolentia actionis vivificæ suæ essentia, cujus est simpliciter ad salutem æternam agere; Mortis autem & ægritudinis, respectu materiæ, actiones ejus benevolas propter malam suam dispositionem male recipientis; ita ut non ad vitam, sed è converso ad destructionem tendant. Sic etiam videmus, quod Solis aspectus quibusdam corruptionem ac mortem acceleret; dum tamen è converso alijs vitam, salutem, recreationem, & multiplicationem adfert, & ad generationem conducit: Videmus etiam, quod vivificus & bonus calor solaris, spisso ac male disposito aeri se immiscens, eum putridum, corruptum, & pestiferum æstivo tempore efficere quam sapientissime solet: Unde & pestis non modo animantibus, verum etiam ipsis plantis & vegetabilibus subortiri animadvertitur: Et tamen culpa non est in actione seu agente, sed in re male patiente, perverseque & injuste actiones cœlestes recipiente: Semper enim tendit actio lucis ad purificationem & subtiliationem: sed, cum propter Spiritus maligni resistantiam hoc absque corruptione fieri non possit, necesse est, ut Spiritus ille, sive in compositione compactus, sive in aere, aqua, vel terra liber, corrumpatur, quo post corruptionem fiat ad actus virtutis Tetragrammati obedientior. Estne, oblecto, morborum pestiferorum causa à prava aeris in loco orientali dispositione, qui Sanderon vocatur, vel à Sole, qui salutifera sua actione attractiva nebulas, purificandi gratia, sursum quotidie solet attollere? Utrique qui sapit, malignam loci conditionem non à radijs solis, sed à venenoso loci vapore procedere, asseverabit; quippe cujus impuritatem Sol suo calore tollere & expurgare assidue tentat: Simili etiam ratione (siquidem res creatas cum creatore conferre licet) actus Jehovæ benevole seipsum per agunt per se; atque ubi ejus actus humiliter atque obedienter recipiuntur, ibi dicitur gratia & gloria atque benevolentia Dei abundare; Sed ubi è converso ejus actibus duriter, obstinate, atque inobedienter resistitur, aut ubi materia ad actiones tam nobiles recipiendas non quadrat, quatenus corda atque vascula impura non sunt ad divinos influxus recipientes idonea, ibi equidem, propter subjecti, in quod agitur, malitiam, dicitur Jehova in ira, æstu, & furore agere, atque ita ibi corruptionem & mortem, ruinam, morbos, & omnes alias infœlicitatis species inducere traditur, quamvis ipse semper sit in se permanens, semper stabilis; atque in actionibus suis constans: Atqui materia, prout multitudine & proportione differt, infinitos & ab invicem differentes producit effectus, qui vel boni vel mali, quoad hujus vitæ status considerationem dicuntur: licet (ut mihi videtur) omnia respectu uniformis Dei actionis bona nuncupentur, respectu

autem materiæ, quæ per se tota mala est, aliter se habeant, ita ut hoc aliquid nihil & malum licite appellari possit ac soleat. Sed considerare hoc loco debemus, quod, licet actio Dei in natura semper sit eadem, & in se semper constans, ut in igne vel Sole apparet, nihilominus tamen, quatenus magis est ejus portio in uno, quam in alio, eatenus sanioerem illum, hunc vero infirmioerem reddit; Et proinde, ubi Jehova adest copioso benevolentia suæ aspectu, ibi tenebræ, mali filia, expelluntur, morbi propulsantur, sanitas semper adest, Dionysius, seu virtus Dei tenebris atque tristitia vestita, non apparet, adeoque boni ac lucidi angeli præsentia fruimur, & mali societate ac familiaritate non molestantur: Namque in ipso Diabolo, lucem increatam, in se bonam esse scimus; sed quoniam tenebris, nocte, & tristitia ac materiæ caliginosa malitia operatur & vestitur, ideo Jehovæ vastator, interfectoer seu homicida & percussor in multis Biblioram factorum locis vocatur; Imo vero quandoque Jehova pro angelo vastante ponitur, eadem ratione, qua supra meminimus, videlicet accipiendo Jehovam pro actu, & vastatoerem pro tenebroso angeli maligni ipiritu, in quo est malitia vel punitio; quemadmodum in superioribus angelis denominationem habuit respectu materiæ nubis, & Jehova ratione columnæ ignis: Hinc Exod. 12. 12. *Transibo per terram Aegypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Aegypti usque ad pecus &c.* Ubi mentionem facit Jehova sui ipsius, arguens, quod ipse sit sibi vindex: Unde ibidem 13. *Et videbo sanguinem. & transibo vos, nec erit in vos plaga disperdens, quando percussero terram Aegypti:* Et iterum ibid. 23. *Transibit autem Dominus percutiens Aegyptios, cumque viderit sanguinem in limine, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & ledere.*

Hic ergo, ubi dicit, quod *non sinet percussorem ingredi domos &c.* intelligit naturam Dionysij, hoc est, dilaniantem vestis suæ tenebrose dispositionem, in qua Jehova more suo agens facit statim ejus malitiam exequi voluntatem suam; Nec n. divisus est percussor à percutiente magis, quam gladius & est instrumentum à manu hominis, percutientis; Nā instrumentum Jehovæ est materia tristis, qua morte, aut morbo, aut ruina, aut destructione agere videtur: Unde dictum est in quodā loco; *Manus Jehovæ percussit morte;* Et alibi; *Manus piniens, ac brachium extensum;* Et alibi; *Gladius Jehovæ vel angeli, &c.* Sed, quod percussor seu gladius conjunctus fuerit cum ipso, qui actum percussori dedit, probant verba sequentia, *Ibid.* 29. *Factum est autem in noctis medio, ut percussisset Dominus omne primogenitum in terra Aegypti:* Hinc ergo patet; quod Jehova fuerit percussor & percutiens, qui hic sumitur pro Deo simul, atque veste vel gladio ejus: Sic etiam Exod. 14. 19. dicitur; *Angelus Jehovæ præcessit Israelitas &c.* quatenus scilicet materia creata significatur: Ut etiam ibi; *Non sinet percussorem ingredi &c.* Et postea dicitur; *Ipse Jehova præcessit Israelitas &c.* Sic etiam hic; *Percussit Dominus omne primogenitum &c.* Similiter 3. Reg. 24. 15. *Immisitque Dominus pestilentiam in Israel & mortui sunt ex populo 700000. virorum. At postea cum extendisset manum suam angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam &c.*

Hic ergo creatura nonnunquam capit denominationem, in qua Jehova operatur, & quandoque ipsi actori, nempe Jehovæ, actio attribuitur. Sed jam parumper ad exactioerem nominis Jehovæ declarationem descendamus, in quo totius universi mysteria, & omnium rerum principium internum movens delitescere videtur. In primis igitur mysticam ejus dispositionem secundum nomina, in eo juxta literarum ordinem deprehensa, contemplabimur, videlicet in יהוה; & deinde ejus quasi cognomina, ipsi ad operum ejus hic in mundo explicationem adjuncta, considerabimus. Quod itaque ad nomina seu syllabas significantes in eo contentas attinet, a nunad vertendum est, quod Jehovæ principium est Ehieh, quod denotatur per Jod: Hoc autem secundum Cabalistas idem sonat, quod quatuor literæ; quatenus Jod denotat 10. & decem comprehendunt quatuor numerorum characteres simul junctos 1. 2. 3. 4. qui faciunt 10. Atque ut ex Jod omnes cæteri characteres formantur, sicuti ex puncto lineæ, aut ex lineis superficies, & ex superficiebus corpus; sic etiam ex Jod prima litera Tetragrammati ineffabilis fit י, & ex י illuminatio fit יא atque ex Vau illuminato informatur, & illuminatur יו. He ultimum. Unde patet, quod Ehieh seu Jod sit ipsius Tetragrammati in rerum naturam ingressus seu ingrediendi conatus. Iterum Jah יהו denotat Dei essentiam in meritis; Porro etiam in mundi incomparabilis idealis & Archetypi respectu יהוה El, incipiens cum Aleph, denotat principium, at יהו Jah arguit finem, quatenus incipit progressus ab א versus Jod, quod est finis mundi increati sine fine; cum in eo novus creatus incipiat ubi increatus finire videtur. Habemus ergo Jod, quod significat primam Tetragrammati in Spiritum abyssus emanationem, & descensum; Habemus & Jah, nomen essentia in opere meriti & retributionis, designans benignitatem Jehovæ: Deinde יהוה est symbolum sigilli ipsius Ehieh, quo Ehieh sigillavit mundum vitibilem, ejusque creaturas impressione vitæ, & dicitur יהוה, id est Verum, de quo supra; Et vice versa יהוה quasi ESTO, seu vox Dei, cujus sono omnes spiritus densi informati sunt; Vel יהוה ipse, ac si diceretur, ipse in terra tanquam in cælo: Ac denique totum nomen Tetragrammati יהוהוה denotat Deum ubique, & omne, quod est. Quod vero ad nomina Dei Tetragrammato adjuncta attinet, sciendum est, quod illa nomina quandoque præponantur nomini Jehovæ, & quandoque eidem, ac quidem sæpenumero postponantur: Nam eadem cognomina, præposita & postposita, faciunt, ut nomen ineffabile proprietate differat. In primis ergo invenitur Elohim, tum ante tum post Tetragrammati nomen positum.

litum. *Genes. 2.* Ecce cum Elohim Tetragrammatum, rex regum, & Dominus dominantium incessit; & dictum est tum primum; *Iste sunt generationes caeli & terrae, quando creati sunt in die, quo fecit Tetragrammatum Elohim caelum & terram;* quibus adjunctis hoc in loco Clementia Dei cum iustitia intelligitur. Nam ubicunque per sacra Biblia Tetragrammaton sibi jungit Elohim, ibi proprietatem in venimus Clementiae atque iustitiae. Coniungitur etiam nonnunquam cum אֲדֹנָי Adonai, ut in oratione Habakuk; *Tetragrammatum Adonai, fortitudo mea:* Et Cabalisticæ intelligunt huiusmodi nexu, quod virtus Tetragrammati descendat ad ipsum Adonai prolatum: Porro etiam ordine in verso reperitur; Adonai Tetragrammatum: Nam *Genes. 15.* ita habetur; *Adonai Tetragrammatum, quid dabis mihi?* Atque in hac positione divinas proprietates intelligimus ab inferiori ad superius ascendentes, & supercinam lucem apprehendentes. Quandoque etiam coniungitur Tetragrammaton cum El אֱלֹהִים, ut *Psalms. 118.* *El Tetragrammatum illuxit nobis:* Atque hoc duorum nexu clementia significatur: Et quandoque accidit, ut cum El etiam Elohim Jehovæ annectatur: ut *Psalms. 50.* *El Elohim Jehova locutus est, & vocavit terram.* Et his quidem adjunctis nomen ineffabile arguit gratiam cum severitate conjunctam seu ventitam. Simili plane modo apud Prophetas invenimus cognomen Sabaoth Jehovæ seu Tetragrammato postpositum, ut *Psalms. 46.* *Tetragrammaton seu Jehova Sabaoth nobiscum, susceptor noster Deus Iacob:* Insinuat autem hoc modo proprietatem iudicij & punitionis: Quare Prophetæ isto modo seu formula increpando ad severitatem usi sunt. His igitur adjunctis docemur, quod idem quatuor litterarum nomen tam ad bonitatem, misericordiam, vitam, benignitatem, & clementiam uti potest, (quo quidem modo illud sub nomine Apollinis benevoli intellexerunt Ethnici Sap. 6. es) quam ad severitatem, punitionem, afflictionem, & perturbationem. Concludimus itaque, quod tam ægritudinis seu infirmitatum, & morborum, imo vero ipsius mortis ratio, quam sanitatis valetudinisque restaurandæ potentia, & ipsa vita atque benignitas, scilicet & pulchritudo tum animi tum corporis אֱלֹהִים procedat, in אֱלֹהִים existat; Cujus quidem prius est ipsa benignitas & vita aeterna; אֱלֹהִים vero ultimum, tenebrarum soboles, ad per consequens morborum perturbationumque capax; אֱלֹהִים est Apollo diurnus, misericors gratiofus, & vivificus ac sempiternus; אֱלֹהִים autem in אֱלֹהִים, & אֱלֹהִים in ultimum אֱלֹהִים He, hoc est, in tenebras se immergens est Dionysius ille veterum iracundus & nocturnus, qui punit, dilacerat, severitate abundat; quippe qui vestibus suæ naturæ contrariis indutus contendit cum tenebris, & densitatem subtiliando purificare, immunda mundificare, tenebras illuminare, & huiusmodi alia perfectionis officia, præstare tentat; sed quoniam propter naturæ in hoc cælo impuritatem atque dispositionem læulentam, hæc absque rei, vitio tenebrarum immunditæ & peccato contaminatæ, corruptione atque dissolutione ad exitum perducere non potest; ideo res tenebris coinquinatæ, & spurca duritiæ ac frigiditate rebelles, facta dissolutione & partium separatione, renovare studet, ut ea ratione rem pollutam, & suis actibus rebellem domet ac obedientem reddat: Evenit autem, ut alij homines ejus increpatione, & per morbos instituta afflictione humilientur; quibus quidem Dionysius convertitur in Apollinem, ita ut sanentur; quemadmodum in Heliskia manifestum est, quem primum Jehova, mortem minando, iussit ad mortem sese præparare; atque tandem tamen, severitatis suæ proprietatem in misericordiam convertendo, vitam & dierum longitudinem ei concessit; Alij vero perversi, ac rebelles, & in cordis sui duritiæ persistentes, nec castigationi mediocri ad sui humiliationem cedentes, morte intempestiva è numero viventium tolluntur, atque ita à Dionysio nocturno, hoc est, à morte dilacerantur atque exterminantur; id sane, quod non evenit propter Tetragrammati virtutis actionem, quippe quæ semper est eadem, permanens, atque completa, sed propter perversam materiæ recipientis dispositionem: Imo vero, nisi Deus averteret faciem suam ab iniquitatibus nostris, quis coram eo posset consistere? juxta illud *Sap. 11.* *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, ut resipiscant: Nam diligis omnia, quæ sunt, & nihil abominaris eorum, quæ fecisti: Nec enim comparasti quicquam, quod haberes odio: Equid autem mansurum fuisset aliquid, nisi tu voluisset? aut conservatum fuisset, quod non accersivisset? Sed parcis omnibus eo, quod tua sunt, & Domine animarum amans: Sic etiam *Sap. 1. 14.* *Mortem non facit Deus, neque d. lætatur perditione viventium; Nam omnia creavit, ut essent, & nationes orbis terrarum salutes fecit &c. Mortis autem acquisitio est iniustitia. Impij autem manibus & verbis accersiverunt illam, & estimantes illam amicum d. fluxerunt & contabuerunt, ubi conventionem statuerunt cum ea; quoniam digni sunt morte, qui sunt ex parte ejus: Et *Sapient. 2.* *Deus creavit hominem ad conditionem incorruptam, & ad sui ipsius imaginem fecit eum; sed invidia Diaboli mors introivit in mundum. Sic itaque videmus ex illis, quod mors & morbi, qui sunt illius nuntij seu præcursores, sint ex parte tenebrarum & materiæ, ac nequaquam de actu simplici ipsius essentia divinae.***

Epilogus, seu totius huius portionis recapitulatio: Ubi Paradisi tam cœlestis quam terrestris sedes demonstratur, simulque ratio sanitatis, morbi, & resurrectionis succinctè secundum captus auctoris inopiam & exilitatem explicatur.

IN hieroglyphica mundi & regionum ejus per nominis mirifici characteres demonstratione luculenter argumentis ratione non carentibus explicavimus, quomodo virtus Tetragrammati, seu Messias, seu emanatio à Jod per ה ו & ה ad machinæ mundanæ centrum usque pertingat: Proinde virtus illa Tetragrammati sacrosancta, licet ubique, haud secus quam lux solis in mundo, agat & ubique adesse videatur, extra tamen regiones ה ו & ה non magis personaliter, hoc est, in integra sua essentia, egredi solet; quam splendor solis è corpore solari, aut ipse Deus è Paradiso: Unde fit, ut, sicuti hæc virtus sancta, seu Messias est Deus, seu Verbum & Sapientia Tetragrammati, qui extra Paradisum seu hortum suum voluptatis non egreditur, sic etiam nec Messias limites immensos duplicis He & Vau excedat; licet radios spiritus sui vivifici passim per mundum, mundique creaturas dispergat; utpote quorum præsentia cuncta vitæ beneficio seu existentia characterè fruuntur, & sine quibus ne per ictum quidem aut momentum oculi vivere vel subsistere possunt. Neque enim aliter moventur hi characteres increati, seu hieroglyphica vivificantia per mundi regiones, quam ipse Sol; præterquam quod Sol motu regulari, & à Deo constituto, hoc est involuntario 24. horis circumducitur; motus autem mirabilis characterum ipsius Tetragrammati voluntarius est & minime coactus, ac ubique pro libitu & beneplacito suo, in suo paradiso ה tam supercœlesti, quam ה infimo & elementari apparere solet; ex quo homines omnes nonnunquam alloquitur, secundum illud, Psalm. 18. 19. *Non est sermo seu verbum, cujus vox non auditur; In omnem terram exivit sonus, & in fines orbis terra verbum eius:* Et tamen à stultis contemnitur vox Dei, ac non intelligitur, secundum hoc Proverb. 1. *Sapientia summa foris recantat, in plateis edit vocem suam; in summo turbarum proclamatur, in civitate quaque sermones suos eloquitur: Quosque o fatuus, amabitur fatuitatem, & stolidi odio habebunt scientiam:* At vero à sapientibus cum reverentia & timore ei auscultatur, & cum gaudio ac lætitia sonus ejus recipitur; quo ipso quidem etiam illi tandem exaltantur, juxta illud Psalm. 18. 31. *Verbum seu sermo Dei purgatis simus est, clypeus existens omnibus, qui se recipiunt ad eum.* Hoc ergo Verbum seu virtus à Jod efflata est in ipso Tetragrammato: Quod etiam testatur Psalmista, Psalm. 56. 11. *In Jehova laudabo Verbum:* Et per consequens virtus Messias, in characteribus ה ו & ה continetur. Erat ergo Messias in centro Jod, quando erat extra omnia; hoc est, antequam aliquid creatum erat: Id quod etiam Salomon Prov. 8. 22. hisce verbis confirmare videtur, *Sapientiam possidebat Jehova principio via sua, ante opera sua, ante ullum tempus:* Et Sapient. 19. 9. *Sapientia cum Deo est, que novit opera ejus, &c.* Deinde ipse in hylam ingrediens fecit habitationem suam in ה He superiori, seu spiritui Empyreo: Atque ita dicitur, Sapient. 7. *Emanatio seu fluxus claritatis omnipotentis D. sincera, & candor seu splendor lucis aterna, & speculum sine macula majestatis Dei, ac imago bonitatis illius:* Et ibid. 9. *Sapientia adsuit, cum fieret Deus mundum:* Et ibid. 10. *Sapientiam emittit Deus e sanctis cœlis, a throno, inquam, gloria sua, &c.* Et Psalm. 69. 22. *En vocem suam edit Deus, cujus robur in superioribus nubibus &c.* Hic ergo est locus, seu Paradisi hortus, in quo Deus tenuissima veste spiritus luminosi vestitur, & angelis suis, prout est, pacifice ac benevole apparet; è cujus Paradisi aquis vivis & arboris vitæ fructu vita secunda, quæ permanens est, mundo, hominique mundi imagini, promittitur: Per hujus igitur Paradisi supercœlestis fructum resurrectionem ad vitam æternam expectamus:

Deinde in Vau ו seu solis spiritu posuit tabernaculum suum; ubi vitæ, qua vivimus, Carbunculus pro fundamento positus est: Atque in hoc globo vitæ fulgorem, & paradisi cœlestis sedem videmus; ad cujus custodiam non est opus Cherubim, seu Juliano de Campis cum gladio igneo & ancipiti, ne ab Adami posteritate lignum vitæ comparetur; quoniam nimis altus est hic paradisi; ita ut in illum ascendere nequeat hominis propago ad damnum primi parentis tollendum aut faciendum. Est ergo adhuc alius Paradisus, qui dicitur terrestris: in quo Jehova, vel Sapientia ejus, vel Messias, seu Verbum habitare dicitur: Atque hic est ille, qui in monte Sion, seu Campo Elyseo, seu infimo ה habitare dicitur:

Aparet ergo Jehova in ה superiori seu Paradiso suo supercœlesti angelis atque intelligentijs suis; atque etiam sese patefacit Jehova in paradiso ו Vau st: his cœlestibus, atque Dæmonibus, eorum orbis incolentibus; è quo etiam orbem universum suo lumine constanter illuminat: Denique se prodit nonnunquam hominibus, atque alijs creaturis in Paradiso ה inferiori seu elementalibus; ex quo tanquam è fastigio loci editi nonnunquam clamat, atque edit vocem suam per viam in loco multarum semitarum contidentem &c. ut Proverb. 8. legimus; *Hic manet Sapientia in delicijs, quotidie, lætificans & ludens coram Jehova omni tempore in orbe habitabili, atque delectationes suas habens cum filijs hominum.*

Proverb. 8. Hic advenit sponsus saliens super montes volubiles & colles ad instar caprarum & hinnulorum cervorum, Cant. 3. Hæc est illa voluptatis sedes, in qua habitat ea sapientia sancta, quam misit Deus è sanctis cælis homini, ut præsens cum eo versetur in labore, ut Sapient. 9. 10. Hæc est verbi illius divini manio sacrosancta, quam, teste David, Psalm. 67. 12. Iehova evangelizantibus solet dare; Hic est hortus jucundissimus illius Sapientia Benedicta, quæ, (teste Sapiente Proverb. 3. 14.) pretiosior est Carbunculus; cui omnium hominum delectamenta non possunt equiparari; in cuius dextra est longitudo dierum; in sinistra vero divitiæ & honor; cuius via sunt semitæ amenitatis, & omnes semitæ eius, pacis; quæ est arbor vite præhendentibus eam; quam qui comparaverit, beatus est. Et, si ipsam luculentiori adhuc descriptione cognoscere volueris, est equidem illa, testimonio Salomonis, Sap. 7. Sole pretiosior, & supra omnem dispositionem stellarum; luci comparata invenitur prior; illi autem succedit nox seu tenebræ. Ex his igitur videmus, quod Iehova sua præsentia impleat quælibet mundi paradisum: Et quamvis ipse in sua natura lucida & supersubstantiali semper sit idem; & sui amoris balneum; in cuius fluctibus virginis gaudio ineffabili natate, & quasi purissimo æternitatis & puritatis latice se oblectare, seu cum castissima Psyche vel spiritu intacto se ingenti lætitia, ut sponsus Canticorum Salomonis cum sponsa, recreare solet, (ea quidem quæ est suavissima illa aura Zephyria, cuius flatu vivifico impletur quilibet paradisus, ita ut eius spiritu, ab inspiratione creatois per mundum diffuso, mundus illuminetur vita, atque omnia essentia spiraculum recipiant, manente interim nihilominus hæc aura Benedicta in regione sua, nec magis extra eam egrediente, quam Solis massa spiritalis egreditur extra suam,) attamen, quoniam vestibus puritate & impuritate, atque tenuitate & densitate diversis pro natu. a regionis mundi, in qua Paradisus, seu locus & hortus Dei est, induitur, ideo diversimode idem Iehova ex spiritu eodem creaturis apparet: Sic etiam videmus, quod unus idemque ignis vulgus, (qui nihil aliud est, quam actus Jehovæ in grosso & impuro spiritu) clementer & suaviter agat in aperto acie, cum stridore & crepitu in aqua, & cum maxima violentia ac destructione in re combustibili, quam sua natura superare potest; Sic etiam ipsa Jehovæ virtus in Jah, seu in superiori benignissima est, in sole mediocriter, sed quandoque præter modum calefaciens, atque in paradisum iuum inferiorem inde transiens: Quanto terrore Israelitas in monte Sinai, & Eliam in monte Horeb allocutus sit, testatur Moyès in Exodo & 3. Reg. 19. Et tamen Adam, dum intra limites in inferioris Paradisi videret, dicitur audiviss. vocem Iehovæ ambulantis, non quidem in nube cum horrore & stupore, sed ad auram post meridiem: Cum timore etiam magno audivit Elias primam Iehovæ vocem; quam secuti sunt spiritus grandis & fortis, subvertens montes, & conterens petras ante Dominum, & terra motus seu commotio montium, ac ignis mirabilis; At qui post sibilum aura, quem audivit, ipse constanter, omni timore deposito, voces & sermonem Iehovæ accepit. Atque hinc est, quod binis vicibus & duobus modis eum Iehova iisdem verbis affatus est; in quorum prior ea videbantur ex tenebrarum malitia, quæ non erant, sicuti virga Moyès in terram projecta serpens terribilis videbatur; in posteriori vero ea, prout erant vicebantur propter præsentiam Domini, qui est mitis & suavis; atque sic etiam virga in Moyès manu, virga, prout erat, & non serpens præstigiolus videbatur: Ita inquit Moyès; Contestor cælum & terram, ne vitam & mortem vobis proposuisse; Eligite vitam, ut vivatis cum posteritate: Talis est lex Mosaica; talis lex Christi. Est ergo Paradisus verus, ubi vera, suavis, constans, & natis aura inveniatur: Extra limites in inferioris ejectus Adam, protinus & sine ulla moræ interpolatione Spiritus mundani seu elementaris afflictionem, mutationes & inconstantiam affatum gustavit, qui in paradiso in vivens ab omnibus tam corporis, quam animæ passionibus liber atque immunis erat: Alia enim erat vox Dei in nube densa, & alia in aura tenui, constanti, & suavi, in qua Deus electis nonnullis prout est, apparere solet. Ut enim præstantius nobis videretur in regio solis palatio habitare, quam in terra mortuorum; sic etiam ultra imaginationem exoptabilius foret in tenui, salubri, divino, scientifico, & lætitia ac gaudio repleto regno, seu aura paradisi commemorari, quam in aere grosso, tetro, crudo, morbido, & assiduis mutationibus obnoxio; ubi mel amaritudinem permiscetur, prosperitas ad veritatem, bonum malo, vita infirmitate, & fortunium infortunio infici & coinquinari videretur. Nec quidè quicquam boni aut salubritatis est in terra, aqua, aut aere, quin illa à Paradisi huius afflatu istud acciperint. Deo igitur è suo paradiso bonum creaturis dante, vitam illæ & felicitàtem accipiunt; atque eo afflatus sui beneficium negante, pestis & cæteri morbi graves, fameque & bellum, ac omne malum mundo accidit & ingruit, juxta illud Psalm. 103. 34. Dante Deo creaturis colligent; aperiente ipso manum suam, omnia implebuntur bonitate; avertente autem faciem turbabuntur; auferet spiritum eorum, ut desiciant. Ex his ergo apparet, quod omne bonum sit è Paradiso, quatenus ille à Deo, qui sola est bonitas, procedit, quippe qui Paradisum incolit tam in cælis, quam in terris: Ut igitur ejus præsentia in superiori in vel aura, vel spiritu intellectuali consideratur, dixit David; Psalm. 68. 34. Deus insidet cælis cælorum antiquorum &c. (Nam cælum Empyreum primo fuit creatum.) Et Psalm. 113. 5. Deus Iehova altissime habitat, qui in infima perspicit in cælis & in terra: Et Psalm. 115. 3. Deus est in ipsis cælis; quicquid placet, facit: Et Job. 22. 12. Deus excelsior caelo est, & super stellarum verticem sublimatur. Ut etiam in infimo paradiso est, loquitur de eo Psalmista Regius, Psalm. 104. 34. in hæc verba; Deus facit nubes vehiculum suum, seu currum suum, qui itat super alas venti, qui facit angelos suos ventos, & ministros suos ignem flammantem. Quod autem Deus Iehova descendat à superiori in ad infimum, arguit Propheta Psalm. 144. a. 5. Ieho;

Iehova inclina cœlos tuos, & descende, tange istos montes, & fument: Quanquam hic, & vel verbulo saltem, sedulo quemque de eo commonelactum velim, quod cœlorum differentia non semper consideretur in distantia, aut altitudine vel depressione locorum, ratione spatij, sed in dignitatis sublimitatione, & bonitatis atque puritatis exaltatione: Sic dicitur, quod *Deus seu Spiritus Sanctus in corde impuro vel immunde habitare non solet*; & tamen revera, ubi Deus habitat, ibi paradus est; & ubi paradus, ibi cœlum esse dicimus; Nam cœlum est in terra, & viceversa, terra est in cœlis, juxta illud Hermetis dictum in *tabula eius Smaragdina*; *Quod est superius, est sicut illud, quod est inferius, & e converso*; hoc est subtile est spissum, & spissum est subtile: Nam aqua est terra tenuis, & aer aqua tenuis, & ignis aer tenuis; proinde ignis condensatione fit aer, & aer eadem ratione fit aqua, & aqua fit terra; E contra vero terra subtiliatione fit aqua, & aqua fit aer, atque hic aer vocatur cœlum: Unde dicitur *Deuter. 11. 17. Cœlos claudet Iehova, ut non sit pluvia &c.* Et *Genes. 1. 30. Volatilia cœli &c.* Hinc etiam scribitur, quod *cœli sint thronus Iehova, & terra scabellum pedum ipsius.*

Neque etiam credendum est, quod ה' ultimum nominis יהוה, sit minus purum in sua natura increata, quam ה' prius, seu propinquius Jod; Sed tamen propter materię malitiam, in qua existit, seu quæ ipsum circumdedit, solet illud, movente in eo Messia, deteriores extra se producere effectus, quemadmodum ex multis sacrarum scripturarum locis colligere & videre licet: *Ambulabat* (inquit *Moyse Genes. 3*) *Iehova in meridie, seu post meridiem*, imo ipse Iehova est sibi lux sufficiens, supra omnem solarem claritatem exaltata; quippe quæ est Sol, gratiam & gloriam cui vult tribuens; cujus characteribus mundo impressis, & spiritui mundano immeritis, Jod est Zenith seu punctum verticale, in quo, tanquam in meridie, exaltatur splendor & claritas gloriæ ac majestatis Iehovæ; ad cuius motum voluntarium cætera itidem nominis incomparabilis membra in mundo, ad ejus regiones per Verbum producendas, moventur, ita ut, ubi adest paradus inferior, ibi superemineat quoque paradus supercœlestis, adeo ut Deus Iehova semper sibi constare, & in proprijs suis domicilijs habitare cernatur:

At vero hanc inter utrumque He differentiam invenimus, quod superius He Seraphin & Cherubin benevole stipatur atque munitur, ita ut cuilibet intelligentiæ de aquis vivis & arbore vitæ gustare concedatur; dum tamen interim nihilominus è convertò ingressus in inferiorem voluptatis hortum hominibus interdicitur ac denegatur, ostiumque in eum introducens per Cherubin, igneo seu flammeo atque ancipiti gladio custoditur & defenditur, ne aliquis ex progenie Adami in ipsam ingrediatur, & mittendo manum suam in arborem vitæ sumat de fructu ejus, ac vivat in æternum: Hic ergo manet, ut opinor, ille F. R. C. Julianus de Campo cum gladio suo igneo, & mortem accedentibus comminatur: *Quare lente festinandum erit, & in timore Iehova, qui est principium sapientiæ, sagaciter & patienter expectandum; cum temeritas & festinatio omnis sit à Diabolo.* Sed de hujus paradisi situ, natura, & conditione testimonia nonnulla ex scripturis sacris producemus, quo certiores vos contra vanam hominum opinionem faciamus, & edoceamus, ad hunc usque diem esse talem locum in hac infima mundi regione, è quo sanitas, divitiæ, & gloria in hac vita, præeunte divina benevolentia, tanquam à manu Iehovæ peti & acquiri possint. Duo igitur de Paradisi subjecto ex sacris Biblijs demonstrare conabimur; quorum *primum* est, talem esse locum super terris, montium cacuminibus affinem & familiarem, *demde*, hunc locum esse sanitatis & balsami vitæ myrotheciam ac sanctuarium, ostendemus. Notare autem ante omnia debemus, quod, ut Iehova est in hujusmodi suo latibulo, seu tabernaculo, seu terra viventium, seu insula voluptatis, seu sede mari vitæ & glaciali circum septa, (juxta illud *Apocal. 4. Et in conspectu sedis, tanquam mare vitreum, simile cristallo*) quæ est ille Iehovæ thronus, per ultimum nominis ejus characterem significatus; ita à sacris scripturis dicatur, *Iob. 9. a. 5. montes transferre, commoveat terram*, Et *Psal. 47. 3. Iehova Rex magnus super totam terram*, Et *Psal. 76. 3. Dei tabernaculum seu tugurium est in Shalem, & eius habitaculum in Sion*. Et *Psal. 94. 2. Deus est iudex terræ*: Et *Psal. 57. Dei præsentia montes, ut ceræ, liquefiunt*: Et *Psal. 104. 3. Deus fecit nubes vehiculum suum seu currum suum, qui stat super alas venti &c.* Et *ibid. 32. Deo tangente montes fumant*: Et *Psal. 107. 17. Frangit Iehova valvas chalybeas, & rectes ferreos succidit, inustos è tenebris, lethali umbravitos, ab afflictione & ferro liberat &c.* Et *Psal. 114. 3. Dei præsentia mare profugit, Iorden revertitur retrorsum, montes subsilierunt veluti arietes, colles, ut subrumes pecudes*, Et *Psal. 139. 7. Deus est in inferno, in extremis maris, in nocte, & in tenebris*: Et *Psal. 144. a. 5. Iehova inclina cœlos tuos, & descende: tange istos montes, & fument*: *Emitte fulgur, & disperge eos: Emitte sagittas tuas, & funde eos*: Et *Psal. 148. 13. nos Propheta docet, Potentiam nominis Iehovæ tam in cœlis esse quam in terris*: videlicet, potentiam Dei esse tam in claritate He superiori, quam in inferiori; Verba ejus hæc sunt; *Dei Iehova nomen laudent, quia editum est nomen eius solius, & decoreus supra terram & cœlum*. Et *Iob. 41. a. 18. Dei sternutatioombus splendet lux, & quidem oculorum eius, v. l. ut palpebra aurora*: *Ex ore eius velut tadus prodeuntib. &c.* Et *Sap. 7. 15. Deus est sapientiæ dux, & sapientium moderator*: Et *Exod. 13. 2. Deus Iehova præcedebat Israelitas in columna ignis de nocte, & nubis de die*. Similiter et Dei præsentia habetur in monte Sinai, alias Horeb, *Exod. 24. 18*. Sic quoq; ipse alloquitur in paradiso terrestri Adâ *Gen. 3. 9*. Et Abrahamum *Gen. 11. 33. & 12. 1. & 13. 14.* & sic in cæteris; similiter apparet Moyse in monte Choreb; ubi *terra dicta est sancta*; h. e. locus ubi Iehova manebat: Ubi et notare possumus, quod

respectu vestimenti spiritualis dicatur angelus, respectu autem principij interni, lucidi, increati, Jehova: Sic Christus dictus est Deus & homo, sic Jehova Deus & angelus, ut alibi indicatum est. Ex his igitur liquet, quod Deus Jehova sit tam in infimo η , cœli videlicet elementaris, quod est typus seu symbolum Paradisi terrestris, in quo Deus habitare dicitur, quam in supremo, quod est horri voluptatis cœlestis exemplar, seu ipsius Jehovæ vel animæ Messîæ sacrarium atque sanctuarium: At vero è contrario, ut Deus Jehova dicitur esse in Paradiso supercœlesti, videlicet in He η proximo sacrosancto Jod; (quod est ipsius Tetragrammati totius typus) ita dicitur à sacris scripturis, videlicet Psalm. 11. 4. *Jehova solium est in cœlis*; hoc est, in Empyreo η , & æthereo Vau; Et Psalm. 68. 34. *Deus insidet cœlis caelorum*, Et Deuter. 33. 26. *Qui cœlis insidet in auxilium tuum, & magnificentia sua superioribus nubibus*, Et Psalm. 75. 4. *Deus illustrans mirabiliter è montibus æternis &c.* Et Psalm. 93. 2. *Dei thronus & solium stabile, ante tempus, ante seculum tu regnas*, Et Psalm. 113. 5. *Deus Jehova altissime habitat, qui in infima perspiciet in cœlis & in terris &c.* Et Psalm. 115. 3. & 122. 1. *Deus & ejus sedes est in ipsis cœlis &c.* hoc est, Jehova regnat in quolibet cœlo; videlicet Jod in cœlo increato, & supersubstantiali; η He prius in cœlo Empyreo prius creato, Vau in cœlo æthereo, & η ultimum in cœlo elementari; Et 1. Reg. 22. 19. *Vidi Jehovam insidentem solio suo, & totum exercitum cœli astantem ei &c.* Modus autem, quo ab uno Paradiso in alium descendit, sic à Regio Propheta explicatur Psalm. 144. à 5. *Jehova inclina cœlos tuos, & descende; tange istos montes & fument*: Similiter apud Matth. 5. 35. dicitur, quod cœlum sit thronus Dei, terra vero scabellum pedum ejus, Et Deut. 10. 14. *Cœli caelorum sunt Dei Deorum*; ita ut arguatur hoc ipso, quod præsentia Jehovæ quodlibet cœlum in suo esse ac statu existat.

Ex quibus patet, quod virtus ipsius Jod, (quod est integri Jehovæ symbolum) videlicet Messîæ seu Dei sapientia (quæ ita in nomine Jehovæ existit, ut lux Solis in Sole) sit in quolibet cœlo in eadem natura & esse, licet respectu varietatis vestimenti (nam in quolibet cœlo induit novum atque diversum vestimentum) ejus actus uniformis varios atque differentes producat effectus: Sic in cœlo supersubstantiali nuda est Deitas, Messîas, virtus Jehovæ, seu essentia divina, atque in simplicissima sua forma, omni veste exuta, conspicienda; Quam quidem visionem penitus denegavit Deus ipsi Moyli, ut dicitur, quod nemo mortalium eam in statu isto supremo oculis sine morte repentina intueri possit: Deinde in hylæ caliginosæ aquas se primo gradu immergens, videlicet in η descendens, Psalm. 104. *Umbrine seu luce situt vestimento amictus esse traditur*; Cujus indumenti respectu dicitur Jehova Psalm. 93. *regnare indutus majestate & Celsitudine*: Postea eo in Vau, (quod est Paradisus æthereus) descendens, dicitur Psalm. 104. 2. *quod cœlum sit, tanquam aulaum Dei domus*; hoc est, spiritus æthereus est quasi vestimentum domus Vau, seu He, in qua unitas habitat; aut indumentum & velum est tenue, per quod Messîas priori lucis veste indutus tegitur; cujus spissitudine & condensatione lux, seu vestimentum Jehovæ seu Messîæ, visibilis facta est; atque ita dicitur, quod posuerit tabernaculum suum in Sole. Sed & hic obiter notandum est, quod vestimentum Dei lucidum sit nihil aliud, quam lucis invisibilis apparitio in spiritu mundano; qui spiritus ita illuminatus dicitur lux; & quoniam recipit virtutem Jod in suo spiritu seu throno increato η priori, ideo dicitur domus seu indumentum Dei in suo throno, quamvis ipsa lux in se considerata absque spiritu nihil aliud sit, quam ipsa essentia seu emanatio Dei in η sedentis; cujus vestis, seu vehiculum est spiritus prior creatus.

Denique eadem essentia divina cum indumento primo & secundo in suum regnum η infimum descendens, induensque ibi elementar. operculum, seu ingrediens latibulum aereum, seu tabernaculum aqueum & perspicuum, dicitur secundum Job. 26. 9. *faciem solij sui constringere, & super eam expandere nubem suam*; Et Job. 22. 12. *Densa nubes sunt latibulum ei*; hoc est, super ejus thronum η ; ad cujus respectum cœlum aereum tertio die creationis factum est. Sed, ut revera, quid de ejus paradiso seu throni terra cum spiritu seu sede statuam, indicem,redo equidem, quod plerunque super montes & excelsores terræ locos Jehova positionem suam statuatur, ac præcipue in montibus à partibus borealibus nos respicientibus; à quibus sæpicule aurea Jehovæ lux vijs mirabilibus nobis & omnibus advenire solet. Tandem etiam profundius se immergens, hæc virtus Deifica, in tenebras scilicet & corpus tenebrosum perfecte mixtum, induit quoque super omnia sua vestimenta mundana corpus Microcosmi opacum, vel corpus humanum facit suum habitaculum: Hinc Deuter. 32. dicitur; *Dei pars est populus ejus, Jacob funiculus possessionis ejus*, Et D. Paulus 1. Corinth. 3. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, &c.* Templum Dei sanctum est, quod estis vos, Et 1. Corinth. 6. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui est in vobis*: Porro etiam ubique legimus, & fide statuimus, quod Deitas seu Messîas induerit corpus humanum, cum Christus sit tum Deus, tum homo.

Hinc igitur luculenter explicatur, quomodo à Propheta Regio Psalm. 144. 5. dictum sit, quod Deus sit in nocte, atque in tenebris: Et D. Joann. 1. *illa lux erat in tenebris, & tenebra non comprehenderunt illam*. Atqui, ut jam tandem ad loci, seu sedis Paradisi terrestris, situm & nomen veniamus, ex sacrarum scripturarum testimonio hæc elicimus, quæ sequuntur: Et primum quidem hanc Regis Davidis sententiam Psalm. tertio, quinto, & decimo quinto, primo. *Jehova respondet mihi è monte sanctitatis sua.*

sua. Ergo ejus sedes seu thronus, videlicet in infimum, est mons: Sic dicitur, eum apparuisse Moyfi in monte Sinai; Et Eliam allocutus est in monte Choreb, id est, monte Dei; Et Psalm. 15. & 24. à 3. *Quis commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuae?* Et Psalm. 18. 7. *Iehova exaudivit è templo suo vocem clamantis,* Et Psalm. 26. 8. *Diligo habitaculum domus tuae, & locum tabernaculi gloriae tuae;* Et Psalm. 27. 4. *Peto à Iehova, ut consideream in domo Iehovae omnibus diebus vitae meae, ad videndum amantitatem Iehovae, & inquirendam in templo ejus,* Et Psalm. 48. 14. *Circuite Sionem, cingite eam, numerate turres eius, at tollite oculos ad palatia eius, & enarretis generationi posteræ,* Et Psalm. 87. 1. *Fundationem suam inter montes sanctitatis posuit,* Et Psalm. 83. 5. *Beatus, qui habitat in domo Domine,* Et Psalm. 91. 3. *Quicumque habitat in latibulo altissimi sub umbra, alio, & protectione Dei caeli commorabitur,* Et Psalm. 118. 19. *Aperite mihi portas iustitiae, ut ingressus per eas non timeam Iah:* Hanc ipsam portam, per quam Iusti ad Iehovam intrant, humiliter Salomon, Davidis tam in eius sapientia mystica, quam regno haeres, dixit Cant. 4. à 12. *O fons hortorum, puteus aquarum viventium, & quae fluunt ex Libano, Evigila Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum:* Porro etiam Sapiens, Eccles. 2. 4. à 28. inquit, *Dominus Omnipotens Deus solus est, neque est amplius praeter ipsum Salvator, qui implet omnia tanquam Phison sapientia sua, & tanquam Tigris diebus novorum fructuum, qui replet tanquam Euphrates intelligentia, & tanquam Iorden diebus messis &c. Qui demonstrat, tanquam lucem eruditionem scitam, & tanquam Geon diebus flavescens segetis &c. Ego sapientia, tanquam fossa ducta è flumine & tanquam aqueductus processit in Paradisum: Dixi, irrigabo optimum hortum meum, & inebriabo areolam justam meam: Ecce autem factus est mihi ex fossa fluvius, & ex fluvio meo factum est mare: quia eruditionem, tanquam matutinum tempus, illustro, & demonstro eam in longinquum usque; quia doctrinam & prophetiam effundo, quam relicturus sum in generationes aeternas: Atque etiam Genes. 3. 23. *Emittens itaque eum Iehova Deus ex horto Eden ad colendam terram, ex qua desumptus fuit &c. Et Genes. 24. Collocavit ante paradisum voluptatis, Cherubini & flammeum gladium atque ancipitem ad custodiendam viam ligni vitae &c. ac si adceret, quod ingressum in Paradisum, hoc est; in caelum; propter elementi ignei oppositorem, impossibilem quasi & valde periculosum reddat Dominus, praeterquam ijs, quibus ab illo auctius horti interiora penetrare concessum est; cuiusmodi erant Enoch, Abraham, Jacob, Moyses, Elias, Christus, & caeteri; quorum quibusdam de fructu arboris vitae gustare permissum fuit: quibusdam autem à Iehova, aut pro peccatis, aut pro saluatione humana denegatum. Paradisum etiam apparerebat esse in Bethel, id est, domo Dei; in qua exhibuit sese per visionem scala angelorum ascendentium & descendentium; Nam hic locus (inquit Jacob) non est, nisi domus & locus Dei, & porta caeli; & non putabam. Genes. 28. Porro etiam Exod. 3. *Cum venisset ad montem ipsum Dei Chorebum apparuit ei angelus in flamma ignis è medio cuiusdam rubi, &c.***

Videns autem Iehova, ipsum divertere ad aspiciendum in clamavit à Deo è medio rubi illius, dicens; *Moyse, Moyse, ne appropinques huic; extrahere calciamentum tuum à pedibus. hic locus, in quo stas, terra sancta est;* Et Exod. 19. 13. *Terminum ponito huic populo circumquaque, dicendo; Cavete vobis, ne ascendatis in hunc montem, attingatisve sinem eius; Quicumque tetigerit hunc montem, omnino morte afficitur: Similiter; O fugite de terra Aquilonis, quoniam in quatuor ventos caeli disposui vos: O Sion fuge &c. Zach. 2. 6. Et ibid. 4. 7. *Quis tu, mons magnae coram Zorobabel in plantum. Et educet lapidem primum, & exaquet gratiam eius &c. Similiter Psalm. 47. *Magnus Iehova, & laudabilis nimis in civitate Dei, in monte Sancto eius. Fundatur exultatione universa terra mons Sion, terra Aquilonis, civitas magni Regis, Iehova Deus in domibus eius cognoscetur, &c. Sic etiam Matth. 4. 11. *Ecce angeli accesserunt in monte, & ministrabant ei, Et 7. 13. *Intrate per angustam portam, & arduam viam &c. Et duxit illos in montem excelsum, & transiuratus est ante eos, & respexit facies eius, ut Sol: & apparuit ijs Moyses & Elias.*****

Denique Paradisus dicitur terra viventium, propter stabilitatem suam; Unde dicitur; *Cum dederim gloriam in terra viventium Ezechiel. 26. in qua plantatur arbor vitae, & thronus Dei positus est, teste Joan. Apoc. 4. Infinitos alios in huius rei testimonium locos ex scriptis sacrosanctis producere possemus; sed illos omnes hoc in Tractatu recensere nimis longum atque tedious fore existimamus; Quare ad secundum nostrae intentionis membrum transcendemus, in quo, Paradisum sanitatis sedem esse, argumentis infallibilibus, ex fonte divino haustis comprobare conabimur. Imprimis igitur legimus in Psalm. 14. 7. *O si quis det saltem è Zione Israelis, id est, habitaculo Dei, Et Psalm. 18. *Mittat tibi auxilium de Sancto Deus, & de Zione transurret te, Et Psalm. 39. 9. *Vberime implentur pinguedine domus tua, & è torrente deliciarum & voluptatis tuae bibendum das filiis hominum, quoniam penes te est fons vitae, Et Psalm. 46. 5. *Somniant & conturbata sunt aqua eorum, conturbati sunt montes in fortitudine eius: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei &c. Et Psalm. 63. 3. *O Deus fortis, tempestive requiro te, sitiens est anima mea, arescit ad te spectans caro mea, ad videndum robur tuum & gloriam tuam, sicut in loco sancto videbam te: Nam benignitas tua melior est vita, Et Ezechiel. 26. & Apocal. vocatur hic locus terra viventium, Et Matth. 16. 28. Marc. 9. 1. *Sunt quidam, qui hic stant, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo: Porro etiam de Sapientia, cuius domus est ipsum in horto Paradisi, sic loquitur Salomon Proverbior. 3. *Pretiosior est Carbunculus &c. Longitudo dierum in dextra eius est, in sinistra eius divitiae & honor: Via eius sunt viae amantitatis, & omnes semitae eius pacis: Arbor vitae est prehendentibus eam, demique tenentium eam beatus quisque. Per hanc sacrosanctam Iehovae sapientiam extracta est excelsa illa Dei civitas, seu terrestis ille Paradisus, à quo sanitas accipitur, juxta illud Proverb. 9. 1. *Sapientia aedificavit domum suam excisis columnis suis septem, per quam*********

quam (inquit Sapiens *ibid.* 12.) multiplicatur dies tui, & adjucentur tibi anni vitæ, Et *Ecclesiastic.* 24. 3. Ego sapientia ex ore altissimi proveni, & tanquam nebula cooperui terram; Ego in excelsis locus tentorium habui, & fuit thronus meus in columna nubis; Rotunditatem cæli circumivi sola, & in profunditate abyssorum ambulavi, &c. Infinita alia hoc in loco testimonia de salubri Paradisi dispositione adducere possem; sed, quoniam me acrior astringit necessitas; aliaque huic negotio necessaria me avocant, jam conclusionis loco dico, quod salus, & dierum longitudo à benedicto vitæ & sanificati fonte, à throno Omnipotentis per Sapientiam virtutem, roris benedicti instar, hoc est, ex Paradisi voluptatis latice vivifico destillando procedat, & quod hæc Sapientia, *cujus delicia sunt cum filiis hominum, Proverb.* 8. sit hominis justitiae director, gubernator, medicinae doctor, atque mediator inter Jehovah patrem & hominem mutationibus obnoxiam, labem & maculas corporis morbidas clementer tollens; animæ spiritum peccato inquinatum suæ benignitatis balsamo abluens atque abstergens, ac tum postea tandem aliquando ejus totum, vera resurrectione, & preparatione seu mundificatione completa præeunte, in altum sublimari atque in cœlestem spiritualemque naturam transfigurari faciens: Ad mundi ergo & creaturarum ejus creationem in principio per sapientiam, hoc est Messiam seu virtutem suam agebat opifex Jehova Deus; atque ita ex nihilo, hoc est, ex massa tenebrosa & non formata aliquid produxit; quod quidem erat primum benignitatis ejus testimonium: Unde dictus est primum Jod, seu punctum, seu centrum sine ulla dimensione; hoc est sine operis respectu, deinde post operis principium Jah יָהּ, quod nomen est benignitatis & potentiae; postea יָהּיָהּ quod denotat existentiam rerum omnium sigillam, quo literæ quasi patentis vitæ creaturarum omnium à termino F I A T, usque ad ultimum PEREAT obliquantur seu muniuntur, & denique יָהּיָהּ, quod totum opus mirabile complebat, & est principium ac finis omnium, intra & extra omnia, natura Deus; Deusque ultra naturam, circumferentia & tamen centrum rerum, archetypus atque etiam mundus creatus, omne in omnibus, & extra omne, quod existit, actus solus, rex atque imperator, effector, dominator, vinculum, harmonia, cœlum & terra, substantia, quantitas & qualitas; nec tamen aliquid horum, quia Ens transcendens, & nihilominus horum quodlibet: Hic, inquam, omnia dicitur, ut sunt ei indumenta, ejus præsentia aliquid existentia; & tamen horum nihil, quatenus est simplicissima & supersubstantialis essentia: Est lux creata, seu spiritus Empyreus, æthereus, & elementaris, quos induit; & tamen ex his nullus, quippe qui sunt creati; Est angelus, est natura, est sol; est homo; quorum corpora sunt ei loco templi & sanctuarij; datque illis esse istud, quo talia, qualia sunt, existunt: Sic angelus in tubo dictus est, & Sol dans gratiam & gloriam, Christus homo Deus; dum tamen ipse, ut est unitas, nec angelus est, qui est, alteritas, nec Sol, qui ex tribus conflatur, nec homo, qui ex pluribus: Est ergo rerum omnium vita & centrum, quibus existunt, atque forma, primusque actus; dans nomen & esse: Sic creatura solo lucis increatae respectu, quam recipit, & qua vivit, dicitur nonnunquam Jehova; respectu vero materiæ passibilis creatæ, nomen secundum suæ substantiæ conditionem, videlicet creaturæ, assumit. O quam ineffabilia & inexplicabilia sunt hæc! quam admirandum, & ultra humani ingenij captum deprehenditur esse positum, hujus rei stupendæ rationem inquisitione ulla investigare: Quod si unum est omnia, sequitur necessario, è converso, ut omnia sint unum; Sicutaque nomen mirificum יְהוָה à centro Jod י in circumferentiam in principio se dilatavit, atque ita mundum materiale fecit ad suam imaginem: Nam sese extendebat à puncto ad lineam, & à linea ad superficiem, ac à superficie ad corpus solidum; sive, Arithmetice loquendo, ab unitate ad radicem, à radice ad quadratum, & ab eo denique ad cubum: Sic etiam in fine omne hoc periphericum sive rotundum opus ad suum centrum iterum constringendo reducet; Et quod in mundo impurum, atque peccato conspurcatum est, ab hylæ oblivione æterna, deformitate, tenebrisque perpetuis, omni gratia & luce destitutus, devorabitur atque absorbebitur: Quod autem de spiritu puro, simplici, & incoquinato remanet, illud in secula seculorum unicum erit unitatis increatae palatium atque tabernaculum; ubi nulla erit mors, nullus dolor, nulla fames, nulla contentio, aut passio, quoniam unum nec mori nec pati potest, quippe quod contraria in se non habet. Hæc ergo unitas sacrosancta suis characteribus mirificis, tanquam ventorum increatorum alis innitens, ac in mundum descendens, eumque secundum characterum suorum numerum in regiones seu stationes tripartiens, & propter essentia suæ simplicitatem ac sinceritatem, vestem mundi crudam tolerare atque induere nolens, ex quolibet suo caractere, (suis dictis characteribus undique stipata, & tanquam ex suo solio increato prospiciens) cuilibet mundi regioni affulsit, ac res tenebris obmersas, penitusque exanimes, ac informes, & plane nihil existentes in actum produxit; in quo quidem actu diversa mundi diversoria incolere cepit. Quomodo autem hæc unitas Jod, in suo throno nuda sit, & tum postea in quolibet cœlo diversam vestem induat, viva demonstratione hic depinximus.




Deus insedit cælum
68. 34. Deus illustrās
atēnis. Pf. 75. 4. Dei
bile, ante tempus, ante
93. 2. Dei magnitudo
da. Pf. 145. Deus ex-
stellarum verticē sub-

Deus est amictus lu-
Pf. 104. Deo Iehova
par astimatur. Pf. 89
majestate & celsitu-

In Sole posuit
lum suum. Psalm.
Sol lustrans u-
pergit spiritus. Ec-

Deus fecit Nu-
um. Psalm. 104. 3.
latibulum Dei, ut
bulum cælorū ob-

Spiritus Jeho-
terraram. Sapient.
Membra vestra
ritus sancti qui in
habetis à Deo. 1.
Dei pars est po-
32. Templum Dei
estis vos. 1. Corinth.



cælorū antiquorū. Pf.
mirabiliter à montib.
thronus & solum sta-
seculum tu regnas. Pf.
non est comprehendē-
celsior est cælo, super
limatur. Job. 22. 12.

mine sicut Vestimēto.
quis in nube superiori
Deus regnat indimus
dine. Pf. 93. 1.

Deus tabernacu-
18. 2.
niuerfa, in circuitu
tles. 1. a. 4.

bes vehiculum su-
Densē Nubes sunt
nos aspiciat & am-
ambulat. Job. 22. 12.

væ implet orbem
1. 7.
templum sunt spi-
vobis est, quem
Corinth. 6. 19.
pulusejus. Deuter.
lanctum est quod
3. 17.

Inest & Iehova magnitudo, & potentia, & gloria, & aeternitas, ac maiestas, ino omnia in cælo & in terra, cum est Iehova regnum, ut quare extollis super omnia in caput. 1. Chron. 19. 12.

Deus ubique est in cælo, in inferno, in extremis maris, in nocte, in tenebris. Psalm. 139. 7. Scito ergo & renovato in animi meo Iehovam. Deum esse ipsum in cælo superne & in terra inferne, nullum amplius esse. Deut. 4. 39.

Atque ita breviter finem huic Tractatui de Theosophicis, seu Metaphysicis & Supernaturalibus sanitatis & morborum principijs raptim imponemus, ut de Sophicis, Phylisicis, atque naturalibus, tanquam nobis magis cognitis & familiaribus, sermonem pro captus nostri tenuitate plenius instituamus.



SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARS II.

De

CHARACTERIBUS NATU-
RÆ, SIVE ELEMENTIS SE-
CUNDIS ET PHYSICIS.

IN

Libros tres distributa.

Ad

SECTION. I.
PORTION. I.
PARTEM II.

INTRODUCTIO.

C A P. I.

*De tribus characteribus naturalibus, qui sunt trium principiorum
Physicorum symbola.*



T characteres Metaphysici, in nomine mirifico comprehensi, videlicet \aleph sunt Patres, omnia in esse producentes; ita eorum duo ultimi respectu proprietatum divinarum, filio à Patre genito, & Spiritui Sancto ab ambobus procedendi referuntur; At vero, quatenus omnes hæ proprietates, videlicet Unitas, Pater, Sapientia, seu Verbum, filius & Spiritus Sanctus seu igneus in opere macrocosmico sunt coadjutores; (nam *Verbo lehovæ firmati sunt cali, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*) eatenus respectu rerum creaturarum patres seu ministros primarios eos appellamus, juxta illud Proverb. 8. *Ego Sapientia eram apud eum veluti alumnus, seu cuncta componens*: Sed, quoniam proprietates seu Patres supernaturales \aleph ad mundi creationem requirunt portiones creandas, in quas, secundum cujuslibet suæ proprietatis respectum, tanquam patres in matres, vel masculi in fœminas ad procreationem agant, ideo Hebrææ nationis sapientiores, inter quos Abrahamum in *letzarah* præcipue nomino, tres matres in creationis instanti, nominaverunt; quæ actione

trium Patrum increatorum in lucem & esse primo omnium in mundo sunt productæ, videlicet Tenebræ, Aquæ, & Lux: Nam mentionem fecit Moyses Tenebrarum & Aquarum, priusquam ad Lucem pervenit: *Et tenebræ fuerunt super faciem abyssi; & spiritus Domini ferebatur super aquas: Et dixit, Fiat Lux.* Ex his ergo liquet, quod prius fuerint Tenebræ, & deinde Aquæ; quæ virtute spiritus ignei emanantis ab Aleph lucido, vel Jod, in centro abyssi tenebrosæ jam exurgente & sese patefaciente, (utpote quod antea latebat & tenebrosum dictum erat,) creatæ sunt in effigiem aquarum; atque tandem prima creatura composita, videlicet ex commixtione radiorum lucis increatæ cum spiritu seu aquis creatis; quæ respectu corporis spiritualis creati, quod informavit, dicitur *Lux creata*; quamvis sit nihil aliud, quam lucis increatæ mixtio cum spiritu creato, quæ spiritus ille informatur, atque vita annatur æterna. Harum autem matrum characteres Cabalisticæ & Abraham Judæus libro antea citato fecerunt hos; videlicet \aleph Tenebrarum, \beth Aquarum, & ψ lucis creatæ: Itarum autem matrum significationes secundum doctrinam Cabalisticam sunt hujusmodi.

\aleph Aleph, cum sit in abyssu tenebrarum retractum & immanens, otiosumque, vel, ut ajunt, ad nihil respiciens, ideo \aleph dicitur, sive; non Ens, ac non finis; quia nos, tanta in rebus divinis ingenij paupertate mulctati, de ijs, quæ non apparent, haud secus, atque de ijs, quæ non sunt, judicamus: At ubi se ita ostendit, ut sit aliquid, & revera subsistat, tum Aleph tenebrosum in Aleph lucidum convertitur; Et appellatur tum quidem Aleph Magnum, quando ex tenebris exire cupit, & apparet rerum omnium causâ per \beth quod est filij, atque Sapientiæ symbolum: Unde \aleph dicitur pater omnis generationis: Patet ergo, quod Aleph contracto & occultato in ventre abyssi tenebrarum tenebræ appareant in suo statu: Unde \aleph est illa mater, quæ tenebris ascribitur; & per consequens denotat etiam elementum terræ, quæ est massa tenebrarum ad machinæ centrum repercussarum: Arguit etiam Occidentem, quare nocti datur; porro etiam Autumno; Unde melancholiam denotat, quæ est humor terribissimus: Ut ergo \aleph simplicissimum, & per se sine omni creationis respectu, erat principium primum mundi Archetypi, sic etiam hic sua occultatione facit tenebras principium primum in creatione; à cujus ventre principium secundum trahitur, nempe \beth .

\beth est secunda mater, respondens aquis & spiritui, ex ventre primæ matris orta; Estque, teste Cabalistica doctrina; hieroglyphicum Aquarum: Unde aqua Hebræe scribitur cui duplici \beth , sic $\beth\aleph$: Et ut \aleph fecit tenebras quasi patrem, sic \beth manentium fecit \aleph quasi filium: Unde \beth à Cabalisticis attribuitur filio, seu Verbo à voce \aleph lucidi, seu \aleph procedens. Atque hic notare debemus, quod duplex apud Hebræos recenitatur ipsius Mem character; quorum prior dicitur \beth commune, & secundum est \beth finale: Primum \beth arguit aquas illuminatas & apertas, dum locutus est Jehova ex nube; unde aperitur in sua base; Aliud oclusas denotat aquas, & caliginem arguit, ac est symbolum silentij. Hoc autem mysterium sapientes non latet: Sufficit, ut hoc in loco testemur, quod \beth sit character Aquarum, & secunda in creatione mater.

ψ est ultima mater, quæ igni & luci creatæ refertur; Unde ignis Hebræica lingua dicitur $\psi\aleph$; ubi omnia sunt lucis testimonia; videlicet præsentia patris lucis videlicet \aleph lucidum, & ipsum ψ , quod lucis creatæ est symbolum, & Spiritui Sancto refertur in sua proprietate, Unde tria habet in sua corona puncta, arguens hoc ipso, Trinitatis proprietates in unum congregatas. Hic ergo notandum est, quod, ut Aleph tenebrosum, mediante spiritu divino, esse dedit Aquis, seu \beth , ita è contrario Aleph lucidum per suos radios dederit esse ipsi ψ ; quæ est plenitudo rerum & vacuitati, seu inanitati contraria.

Quod vero ad Elementa minus significantia atinet, sic accipe;

\beth est symbolum domus seu habitationis, vitæ, filij, sapientiæ, Legis initium.

\beth arguit retributionem pacem, angelos fortes &c.

\beth denotat ostium, fores seu januam, tertias intelligentias, sapientiam.

\beth significat animam, spiritus beatorum, odoratum &c.

\beth est character terroris, locutionis, angelos etiam septimi ordinis denotans:

\beth est signum inclinationis, Cherubin.

\beth importat volam, primum mobile, stellas fixas, opes:

\beth denotat doctrinam, spheram Saturni, negotium:

\beth arguit filium, nepotem, solem, meatum:

\beth est signum appositionis: denotat spiritum, id est, \aleph .

\beth significat oculum sinistrum, Lunam, risum:

\beth est character oris, animæ intellectualis, & \beth spiritus animalis:

\beth materiam cælorum & elementorum, & suspicionem importat; & ψ finale elementorum formas.

ψ arguit revolutionem, circuitum; estque symbolum inanimatorum, & mineralium, ac eorum, quæ dicuntur elementa mista; arguit soporem:

ψ signum est paupertatis & egestatis; & in creaturis significat omnia vegetabilia & fructus; similiter arguit gratiam, fecunditatem, & hæreditatem.

est character finalis, mundum terminans in tenebris terræ; estque signaculum Cain; Item, Finis & consummatio.

C A P. II.

Cabalistica trium Principiorum Physicorum secundariorum, à tribus illis Theosophicis immediate procedentium explicatio.

PERacto jam tandem de tribus supernaturalibus & omnium primarijs principijs Tractatu, videlicet de Patre, Filio, & Spiritu Sæcto, hoc est, de tribus Deitatis unius proprietatibus sub magno atque ineffabili nomine Tetragrammati symbolice & modo Hieroglyphico à Cabalisticis significatis, & de characteribus hisce perfectione spherica solummodo inter alios præditis, videlicet \aleph in mundo atque cælorum compositione & ordinatione, per divinam atque unicam Jehovæ sapientiam, Messiam, seu virtutem, in ijs, tanquam in thronis tribus proprietate distinctis insidentem; Restat, ut in hoc libello de principijs creatis, atque immediate ab illis primarijs profluentibus more tam Cabalistico, quam aperto & vulgari, sed tamen Theologophilosophico breviter discurremus. Ut igitur secundum Cabalistarum doctrinam nostra speculatione atque observatione percepimus, tres literas sphericas nominis differentes \aleph fuisse principiorum increatorum, videlicet Patris, Verbi, & Spiritus Sæcti characteres atque symbola (quæ quidem Patres primarios in creatione appellamus) ita etiam secundum reliquorum Cabalistarum sententias, tres illæ matres ab Abrahamo in *Iezerah* allegatæ, sunt principia secundaria, in quæ, tanquam fæminas, characteres patres ad mundi creationem agere dicuntur. Matres autem tres ab Abrahamo & Aleph, Mem, & Shin nuncupantur. Et quamvis & sit Dei increati, atque ipsius in Trinitate sacrosanctæ unitatis indicium, hic tamen exprimitur necessario inter principia secundaria, quatenus sine ejus præsentia nihil existere potuit: Atque, ut in præcedentibus declaratum est, quod in secundo loco ciphra, quam spiritui informi comparavimus, absque unitatis præsentia nihil denominare solcat; sic etiam ille spiritus seu aqua denominari non potuit, nisi ejus mater, è cujus ventre vel visceribus eductus est, prius denominaretur: Hinc Moyses *Gen. 1.* mentionem prius facit Tenebrarum quam Aquarum; Nec quidem habere potuissent Tenebræ suam denominationem, nisi Aleph ex ijs relaxisset: Unde, respectu oppositionis earum ad lucem dicuntur Tenebræ. Notandum ergo ex his erit, quod, ut Jod sequitur Aleph, & est quasi Aleph tenebrosi in lucidum conversio, hoc est, fluxio formæ lucidæ à suo centro occulto ad circumferentiam mundanam manifestam, ita etiam tenebræ præcesserint spiritum lucidum, quæ spiritu gravidæ atque imprægnatæ, manu Dæmogorgonis, hoc est, luce Aleph jam manifestata; Panem seu universam naturam humidam, seu aquam, seu spiritum mundanum pepererunt; Unde, ut mater præcedit filium, sic etiam Tenebræ Aquas; & per consequens Aleph, quod erat tenebrosum, pro ipsis tenebris, quibus denominationem dedit, accipitur: Sic etiam Jod, quod est secundus ab unitate progressus, (nam unitas se recipit in numerum denarium) denominationem dedit aquis superioribus; Unde lux primo die creata dictæ sunt. Hinc ergo, teste Abrahamo, Aleph in rebus naturalibus denotat elementum terræ; quæ facta est ex tenebrarum in locum unicum seu universi centrum collectione & congerie. Porro etiam hoc terræ vocabulum pro universis tenebris, priusquam ad centrum fuerunt repercussæ, à Moysè acceptum fuisse percipiemus; si verba ejus diligenter consideraverimus, quæ hæc sunt *Genes. 1. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ fuerunt super faciem abyssi.* Non ergo de terra tertio die creata loqui videtur Antistes, quoniam illa non erat vacua & inanis, quatenus fructifera & fœcunda erat, herbis semen producentibus exornata, ut in eodem capite explicatur, sed de tenebris universaliter dispersis, quæ in potentia erant ad terram tertio die in loco ei destinato quiescentem; Quo quidem eo magis adducimur, quia aquæ nondum fuerunt tum temporis nominatæ, ex terræ inanis visceribus extractæ, aut ulla lucis scintilla revelatæ: At quoniam omnium rerum impletio fit à Deo & vero illud & erat adhuc tenebrosum, hoc est, lucis suæ radios in se contrahens, idea vacua & inanis dicta est terra seu tenebræ, ex quarum conglomeratione in machinæ centrum terra facta est; Nam causa plenitudinis est fertilitas; & causa iterum fœcunditatis sunt radij lucis multiplicantis, qui à facie Aleph revelati, sive Jod, quod est Aleph cum ciphra, seu spiritu informi, effluerunt. Sed & hoc quidem hisce dictis *Job. 26. 7.* confirmari potest; *Aquilonem extendit Deus super inane & vacuum,* (hoc est cælum fecit gyrare, ubi terra inanis & vacua erat) *& suspendit totam terram super nihilum;* (hoc est conglomeravit & congregavit illud inane & vacuum, cujus spacium jam in creatione implevit cælum, in massam unam, quæ terra nuncupatur, & suspenditur super nihilo.

Hinc igitur est, quod veteres Saturnum Deorum patrem esse finxerunt, hoc est Aleph obscurum, & Saturnina veste indutum; cujus splendore expanso Jupiter, hoc est, Jehova, & à Jove Apollo,

lo, hoc est, Messias, Pan, hoc est, spiritus universalis, Vulcanus, hoc est, ignis, Neptunus, videlicet mare, Mercurius vel angelus & nuncius, & hujusmodi alij prodierunt, ita ut \aleph in tenebris omnium tam Deorum quam creaturarum sit author & pater: Et quamvis Aleph Deus ubique sit in spiritu mundano sub caractere Jod; attamen ipse etiam in tenebris, imo vero in centro ipsius terræ, seu massæ tenebrarum delitescit, quemadmodum per conum pyramidis formalis secundum nostram inventionem declaratum est; quippe ubi fecimus pyramidis formalis seu lucidæ conum penetrare usque ad centrum basis pyramidis materialis ei oppositæ, inde arguendo, quod, ut Deus, per \aleph symbolice significatus, est unitas, & omnes lineæ pyramidis in angulo conveniunt solent, hoc est in puncto seu unitate, sic etiam Deus \aleph , seu ipsa unitas in centro tenebrarum habitare soleat, in suo occulto Solis centralis locum non aliter supplens, quam in ejus manifesto visibili Solis cælestis, & invisibili ipsius Jod solaris, dans gratiam & gloriam spirituales, ut apud Prophetam Regium reperitur; Nimirum, uti & super hoc Sapiens Ecclesiastic. 24. dicit; *In abyssorum profunditate ambulavi, inquit Sapia, rotunditatem cælorum circumivi, & in tota terra &c.* Et Psalm. 139. 11. *Tenebræ non absconduntur à Deo. cui nox est; ut dies, nam tenebræ sunt ei, ac ipsa lux:* Et Ioann. 1. *Lux Verbum in tenebris lucet, & tenebræ non comprehenderunt illum,* Et Job. 22. 14. *Densa nubes sunt latibulum ei, ut non aspiciat &c.* Et Mercur. Trimegist. Pimand. 1. At vero quatenus Aleph hoc in loco pro suo tegumento seu indumento ponitur, ita pro teacibus & terramani accipitur, quæ est prima rerum creandarum mater; cujus filia \beth Mem, est aqua universalis; quæ tandem cum suo Cupidine seu radijs universalibus, à Jod emanantibus, ex con mixtione tertiam matrem profert, videlicet ψ Shin, seu aquam, sive lucem creatam. Secunda igitur rerum creandarum mater ab Abrahamo dicitur \beth , seu aqua universalis, ex qua omnia, quoad substantiam, creata sunt, juxta illud 2. Pet. 3. 5. *Latet enim eos, quod cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, quod quidem aquæ symbolum omne illud spiritus universalis seu mundi spatium denotat, quod diaphanum & perspicuum est inter supremam lucis sedem & infernum tenebrarum habitaculum, in regiones tres, quæ cæli dicuntur, distinctum; ita ut hoc perspicuum sit medium quædam inter duo extrema, natura & qualitate ab invicem differentia, quorum infra mentionem latiori faciemus: Atque hic obiter Lectores de ratione certiores facere volui cur \aleph & ψ matres, & elementa, seu principia secundaria nuncupentur: Nam, ut ab \aleph simplici sit compositio primi ordinis ψ . & ab illa procedit secundæ compositionis vigor, idque semper per præsentiam unitatis, sic etiam \aleph obscurum produxit unam matrem, à qua secunda mater egrediens primam compositionem constituit unitatis, videlicet Jod seu numero denario, hoc est Aleph paterni præsentia, cum \beth , sine qua \beth seu aqua non magis existat quam ciphra sine unitate: Hinc igitur collegi, quod apud Hebræos vocabuli significatio cum characterum natura optime conveniat: Nam ψ mare proprie significat, hoc est, aquam universalem; ubi Jod jungitur cum \beth , significando per hoc ipsum, quod, nisi Dei præsentia adesset, \beth mare, vel aquæ esse non possent: Porro etiam scribitur nonnunquam cum duplici Mem, hoc modo $\beth\aleph\aleph$, inde arguendo hieroglyphice, quod \beth universale, seu aquæ universales, supra quas ferebatur spiritus, mediatione firmamenti divisæ atque separata sint in duas regiones; Id quod etiam arguitur per *Genes. 1.* quippe ubi $\beth\aleph\aleph$, legitur, id est, *Maria*; ita ut significari possint aquæ superiores & inferiores; & primum Jod arguit Deum in cælo super substantiali, prospicientem in mundum fabricandum, & secundum Jod est unitas illa super η in Vau, qua copulatur \beth præcedens cum sequenti; non aliter, quam in nomine mirifico η superius cum η interiori per unitatem supra η in η ligatum erat: Atque ut in $\beth\aleph\aleph$, Jod reperitur in medio inter duplex \beth , sic in $\eta\aleph\aleph$ Jod interponitur inter duplex η , & \aleph in loco priori dispositum denotat omnium sequentium principium; Nam tenebræ, quæ erant, & sunt \aleph latibulum creatum, fuerunt origo \beth : Ut ante creationem \aleph in Jod, hoc est, lucidum produxit η , & ut post creationem ψ successit \beth ; ita etiam ante creationem Vau succedebat η : Et ut Shin est symbolum ignis & lucis, seu spiritus illuminati, ex puriori tenebrarum parte, & identitate lucis divinæ compositum; ita etiam fit ex Vau, quod ex η spiritu, & unitate, qua Vau excedit η conflatur, solaris dispositio, in mundi sphaera æqualitatis collocata: Notare etiam possumus occultam vocabuli Hebraici naturam, quæ aquam vel aquas significat, videlicet $\beth\aleph\aleph$: quippe ubi etiam Jod inter duas interponitur aquas statione prædicta; & \aleph in \beth priori occultatum & per Chirek significatum denotat \aleph tenebris occultatum, jam exterius ad spiritus ex aquis productionem resplendescens.*

Habemus ergo ex matribus duas simplices, videlicet \aleph simplices tenebras absque alio respectu, atque \beth simplex, aquas absque omni alia consideratione: At vero tertia, nempe ψ est natura ab ambabus producta, videlicet, à tenebrarum filia aqua, quæ patiens est, & ab Aleph manifesti seu lucidi claritate, seu emanatione lucida ipsius Jod, quæ est agens, & loco Cupidinis ac viri: Unde fit; ut nonnulli attribuant \aleph Patri, \beth Filio, & ψ Spiritui Sancto: Quod etiam intelligi potest, considerando \aleph in obscura & occulta sua natura in tenebris, cujus virtute aquæ productæ sunt; & iterum à luce \aleph manifesti, & spiritu \aleph tenebroso, tanquam ab utroque ψ seu natura cælorum orta dicitur.

Quare, ut aqua consideratur cum luce seu emanatione divina permixta atque composita, ita

Shin nuncupatur; ex qua quidem primi ordinis compositione cœli primo creationis die facti sunt; uti *capite sequenti* clarius explicabimus.

Ex his igitur considerare possumus, quod characteres divini sint ut plurimum ordinum digitorum, uti *postea* declarabitur, videlicet **℞** denotans patrem & unitatem, **⊃** filium, vitam, sapientiam & dualitatem, **⊃** pacem, retributionem, benignitatem, & numerum ternarium, **⊃** domum, januas, fores cœli, ordinem angelorum, & numerum quaternarium, **⊃** spiritum seu manum Jehovæ, Spiritum Sanctum, symbolum aquarum, & numerum quinarium, **⊃** symbolum verbi in spiritu, & centrum Jehovæ, animam mundi, & numerum senarium, **⊃** arma seu tela & jacula Jehovæ, spiritum beatorum, numerum septenarium, **⊃** terrorem à throno Jehovæ procedentem, dum loquitur, & in ira incipere solet; locutionem quæ primum & ante omnia à spiritu Jehovæ orta est, & numerum octonarium; **⊃** denotat inclinationem cœlorum, quo descendit Jehova & tangit montes, juxta illud *Psal.* 144. 5. *Jehova inclina cœlos tuos &c.* Similiter Cherubinos denotat, quibus Jehova, tanquam ventis, descendendo insidet *2. Samuel.* 6.2. atque numerum novenarium **⊃** significat ipsum Deum Jehovam, essentiam divinam, atque numerum denarium, seu principium in compositione; cujus præsentia **⊃** ex nihilo fit aliquid, ut per præsentiam unitatis ciphra ex nihil denominante fit numerus essentialis primæ compositionis.

Ex his igitur liquet, quod hæc literæ, seu numeri simplices, sive digiti 9. ante Jod denotent res circa Deum versantes in mundo metaphyfico, quemadmodum à Jod progrediendo, quod est principium compositionis secundæ, seu articulo:ũ simplicium, tanquam in secundario denariorum ordine designant res in mundo Phyfico: Quare miscendo literas primi ordinis cū unica vel plurius secundari arguitur ipsius Dei mixtio in rebus mundanis; ita ut uno respectu sit ad Deũ relatio & ipse creatura dicatur, alio a respectu sit relatio ad creaturam, & creatura dicatur Deus: Hinc igitur dicitur est Deus per totam creationem **⊃** **⊃** **⊃** quasi **⊃** **⊃** **⊃** vel **⊃** **⊃** **⊃** Deus fortis, & **⊃** **⊃** **⊃**, seu **⊃** **⊃** **⊃** maris vel **⊃** **⊃** **⊃**, transpositione unius **⊃** ante **⊃**, hoc est, aquarum, ac si quis dixerit, Deus fortis aquarum: & non numero plurali Deum accipiendo, uti omnes fere, sensum male torquendo, voluerunt; Ad quod quidem ideo magis ductus sum, quoniam **⊃** **⊃** **⊃** usurpatur 32. vicibus in creatione, quæ erat in aquis, per aquas, & ex aquis, quemadmodum *alibi* declaravimus: Hinc dicitur, quod *Spiritus Elohim nasavit super faciem aquarum &c.* Et tamen Elohim nonnunquam angelus dicitur: Quare hic ex una parte **⊃**, seu aqua, quæ est medium inter lucem æternam & tenebras deformes, caliginem nonnunquam ex una parte accipit à terra, & claritatem ac perspicuitatem ex parte altera à Jod, seu Aleph lucido: Ut igitur claritatis capax est **⊃** ita & **⊃** mutatur.

Ultima denique mater, quæ est **⊃**, in secundo denariorum ordine reperitur; Et proinde denotat compositionem secundam ex principijs præcedentibus; videlicet ex luce **℞** quod est simplicissima litera, & in numero digitorum prima; Atque hæc littera est prima mater respectu tenebrarum, quæ erant ei latibulum, quamvis respectu sui sit pater omnium; cujus loco, propter ingressionem Jod in compositionem, ipsum Jod præcedens Tetragrammati characterem, tanquam patrem increatum non insulse posuimus.

Deinde **⊃** primi denarij (est enim litera Hebraica ordine 13. reperta) est secunda mater; & denique **⊃** (quod ex primo & simplici **℞**, & **⊃** secundi ordinis fit) ordinis secundarij (cum sit vigesima prima litera) est mater tertia atque ultima; Quæ quidem matres symbola dicuntur, & quasi hieroglyphica trium principiorum seu elementorum universorum, machinæ mundanæ naturam integram constituentium, videlicet Tenebrarum, quæ omnium primo in creatione recensentur, Aquæ, Tenebrarum filix, & lucis creatæ, de quibus hoc in loco copiose tractabimus.

C A P. III.

Quomodo Patres increati concurrant primum ad nomen divinum Dei productionem, & tum postea ad mundi, creaturarumque existentiam; item de aliarum literarum primariarum usu; Et similiter de creaturis compositis in mundum, ratione mixtionis characterum maternarum productis.

IN præcedentibus luce meridiana clarius (ni fallor) explicatum est, quod tres sint in literarum Hebraicarum consideratione ordines; quorum primus est prioris denarij, ubi digitorum Arithmeti-
corum sunt symbola 1.2.3.4.5.6.7.8.9. usque ad 10. Secundus est prima denariorum series 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. usque ad 20. Ultimi vero ordinis, seu ordinis denariorum secundarij sunt tantummodo literæ duæ 21. 22. Primus ergo literarum ordo, quia illæ sunt in numerorum di-

gitorum serie, simplicissimus existit, nempe **א ט ח ו ה ר ג ב א**; quorum tamen characteres alij sunt absoluti, simplices, & ad essentiam supersubstantialem annexi; eorumque alij sunt primarij, & quasi actus principales, atque patres dicuntur, videlicet **א** & **י**od; alij vero secundarij à primarijs orti, & proinde respectu proprietatum magis sunt passivi, videlicet **ה** & **ו**. Sic filius dicitur obediens patri, & ad voluntatem ejus præstandam paratus & spiritus sapientiæ modestus, patiens &c. Et tamen hæ literæ unicam & eandem Deitatis essentiam constituunt: Nam ut **א** in **ארה** se habet, sic **ו** in **וה**; ubi etiam unitas occultata in ventre **ו**au hoc idem significat, quod **ו** in medio inter **ה** & **ה** in **עיה**. Iterum harum literarum essentialium & superexcellentiæ alia sunt absolute centrales & alia respectively ac comparate: Nam **א**, quod est unitas, est punctum atque centrum absolute dictum, utpote à quo lineæ seu literæ cæteræ sunt egressæ: Hinc filius dicitur à centro patris egredi, & Spiritus Sanctus à centro utriusque: Unde factum est, uti paulo superius demonstravimus, ut **א** modo occulto in se contineat totum nomen. **והו**: Est ergo **א** litera absolute centralis; in cujus characterem, modo mystico continentur omnia; quæ fuerunt, sunt, erunt; quatenus totum Tetragrammaton tantum **והוה** quam **והוה** in se continet: Literæ ergo tres reliquæ, quæ ad hujus essentiam maxime pertinent, sphericæ dicuntur, nempe **ו** & **ו** ut in *præcedentibus* declaratum est: **א** ergo erat rerum increatarum, imo vero ipsarum tenebrarum centrum; atque ita etiam comparative dici potest **י**od omnium rerum creatarum centrum; quod **י**od est idem in creatione, quod **א** ante creationem; namque cum **א**, in tenebrarum seu nubis immentia & caliginosa centro sibi ipsi relucens; incepit umbram humidam immentiam in peripheriam dilatare & illuminare, tunc non fuit Aleph tenebrosus, & per se in deformi chaos persistens, sed Aleph lucidum, hoc est cum aquis, seu i. ciphæ o. immixtum; quod Aleph lucidum nihil aliud est, quam **י**od, seu numerus decarius; Quæ litera **י**od ideo formaliter spherica dicitur, quoniam ejus lux totam mundi peripheriam illuminat, & motu circulari ferebatur super aquas; Porro etiam centrum dicitur rerum creatarum, quatenus in Sole seu mundi centro in throno **ו**au sedere dicitur unitas creans, seu **י**od in spiritu. Est ergo **ו** character sphericus respectu **א**, estque in **ו**au centrum respectu **ה**. Hæ igitur literæ 4. sunt omnium simplicissimæ, & naturæ Dei in supersubstantiali sua essentia existentia maxime propria: Quæ quidem literæ, si in vocabulo se misceant cum alijs serie digitalis, important semper mysterium aliquod in vera sua significatione; Exempli gratia **אב** denotat patrem omnis generationis, Nam **ב** arguit filium; & per consequens, cum patre **א** junctum denotat fecunditatem: Sic **אבוי** Ah, vel ubi, est desiderandi affectus, ut qui secundum tuam votam ad sanam bonum exaltaretur: Unde **ב** alis quali Dei **א**, & elevati videtur ad locum requietis. Et revera in his literis divinis seu simplicibus ordinis digitorum Anima quali, & spiritus, & corpus reperuntur: Nam **א** est quasi anima simplex sine vestimento spirituali; & **ה** est quasi spiritus simplex, & **ו**au quasi Anima in spiritu vita: Reliquæ vero literæ ad corpora spiritualia magis referuntur, videlicet **א ט ח ו ה ר ג ב א**: Ubi igitur literæ sanctæ ad invicem solæ & per se concurrunt, ibi Deum in simplici natura significari intelligendum est: Verbi gratia **אב** significat Vbi, denotans hoc ipso, Deum nullibi inveniendum, aut infinitum esse; iterum sumitur pro insula, quæ insula sensu occulto lunitur pro terra viventium, & lapide angulari, qui est Messias, mari circumvento seu abyssu; & tamen sensu vulgari usurpatur: Sic **וה** denotat Deum benignum & fortitudine vestitum &c.

At cum literis minus essentialibus ejusdem ordinis jungantur hæ essentialia, rem magis corpoream denotant, ut **אב** patrem, **הב**, Excellentem, Excellentum &c. Quæ attributa ad creaturam divina bonitate exaltatam pertinent. **אב**; Hoc, illud; ac si quis diceret, Res demonstrabilis in lumine Dei: Sic etiam **וה**, iste, hic; Et **וה** denotat manum & potestatem; Vim enim habuit **אב**, & sic in cæteris. Dicimus ergo, quod **ב** facit res omnes per **א**; adeoque denotat in simplici sua natura res substantiales, pertinentes ad illum Angelorum ordinem, qui dicitur Ophaim, h. e. rotæ seu formæ: denotat vitam sapientiam, domum Dei, & cætera; arguit benignitatem, retributionem, angelos fortes & robustos, pacem, & cætera, atq; ita in alijs. At si literæ sacræ profundius adhuc se misceant literis, profundiores etiam in materiam mundanam habent significationem: Sic, ut **וה** erat Deus benignus, ita **אב** est Deus fortis & robustus, justitiam arguens. Est etiam spiritus disciplina; Nam **ב** denotat disciplinam; Atq; ita, extra cælum Empyreum se extendens, se cum sphaera Saturni miscet, & in cælum mediū se immergit: Et in **אבוי** nomine divina potentia **א** & **ו** se miscent per **ב** & **ו**; hoc est per cælum & terram, Nam **א** in tenebris terram arguebat, & **ב** sphaeram Saturni, cujus fere characterem habet; qui Saturnus terræ dominatur: & **ו** est solum aquarum seu cælorum, quos illuminat: Atq; ita Deus dicitur esse in cælo, & vocatur Aleph lucidum, seu Apollo conservans: Dicitur et esse in terra, atq; ita Aleph tenebrosus nuncupatur, & Dionysius dilacerans: Sis lucis filius, & Aleph tenebrosus non perentis. Porro et proprie hanc Deitatis cum materia mundana permutationem fit, ut Jehova hoc idem dicatur, quod alio respectu est creatura: Nā angelus, qui anteibat Israelitas, angelus dicitur est respectu columnæ nubis obscuræ, & Jehova respectu columnæ ignis divini: Sic et ignis, quem vidit Moyses in rubo sub monte Horeb, eadē ratione, modo dicitur Angelus, quatenus alteritas flammæ consideratur, modo Jehova, respectu simplicitatis lucis, quæ aderat. Ratio a. hujus rei in vocabulo **אלהים** Elohim optime decla-

declaratur; Nam ה & מ, denotantia cœlum & terram, pro angelo nonnunquam sumuntur, quem
 admodum in sacris literis sepicule quoad nos translatum legimus; Vt, *Minuisti eum paulo minus ab an-
 gelis*; Et, *In conspectu angelorum psallam tibi*. Ex his denique literis sacrosanctis literæ ordinis secundi, quæ
 matres dicuntur, animatae sunt; veluti מ denotans aquam & tenebras, per נ cuius illæ ante creatio-
 nem erant domus deformis; & ו, quod est aliquid tertium ex his resiliens, per ל lucidum, seu Jod;
 cui ו refertur, & per י spiritû, cui aqua refertur, & per Aleph tenebrosum, cui tenebræ & caligo at-
 tribuuntur: Nam ubi Jehova, hoc est, Aleph occultum non resplendet, sed sibi reflectit radios suos,
 ibi necesse est, ut tenebræ resulent atque prædominentur, & per consequens, ut aquæ densæ, deforme-
 mes, atque instar umbrarum horridarum relinquuntur: At ubi formam suam manifestat, *ibi umbra
 horrenda obliqua revolutione ad præsentiam faciei ejus luminosa subterlabi solent*, ut testatur Merc. Trilm. Acque
 tunc in me liate post Aleph seu Jehovæ mysticam apparitionem ב Beth sequitur, ac Verbum editur;
 atque tunc נ dicitur pater; quia Beth est ejus filius seu emanatio primaria; in humida natura appa-
 rens: Sic יא, fit מ; in quo spiritus igneus natans producit creaturam triplici corona adornatam, si-
 gnificans hoc ipso, quod hæc creatura ad similitudinem Trinitatis sit creata ex radijs divinis & natu-
 ra humida, ut Spiritus S. à Jod & Vau in nomine missico increato. Ex horum ergo elementorum
 mixtione eo digniores res in mundo creantur quo magis essentielles literas recipiunt eorum nomina
 Hebraica: Nam hic erat modus, per quem, Adam primus homo cuilibet creaturæ nominatione natu-
 ræ ejus propriam assignavit: Verbi gratia; Videmus quod in vocabulo אשׁיה in principio duæ
 sint extremitates, א nempe denotans egestatem, inopiam; seu terminus primus ad actum sœcunditatis,
 & hæreditatis, gratiæ, ac successione; atque ה quod est indicium solitudinis; unde præponitur
 הוה ה solitudo & הוה Chaos, sive materia informis & inanis; Ubi differentia inter hylem & Chaos
 discerni potest: Nam in הוה ה vacuum reperitur in principio, medio & fine, quia nec נ nec י nec ו nec
 ו ibi reperitur: Sed tamen, quoniam ה ibi invenitur, denotat potentiam inactuandi per י vel ל lu-
 cidum; At in Chaos הוה ה ibi invenitur Vau; hoc est ו loco unius ה in vocabulo הוה ה: Unde hyle
 convertitur in Chaos; ubi nulla tamen est pax; sed discordia; quoniam ו non est in interiori, sed ex-
 tra He medium; Unde ה ה seu Spiritu elementorum ה seu terra, & finis bellum gerit cum ו seu luce
 in medio ה quod est cœlum; At transpositione & mediatione ו inter ה & ה pax atque concordia
 facta erit inter cœlum & terram: Unde הוה ה denotat signare, designare, describere, circumscribere
 atque definire, Ac si quis diceret, Litigantia, & omnia irregularia, ac litigiosa locis concordantibus
 ac pacis vinculo Vau ligavit Deus, atque omnia elementa termino suo proprio restrinxit, cui cum
 scripsit, atque definiuit: Nam ה hoc in loco est נ magnum seu ω Omega, quod tam est symbolum
 Dei, quam א: Sed ה denotat א tenebrosum: Nam א magnum est symbolum numeri 1000000
 dicens hoc ipso ingressum א seu Dei in profundum materiæ densæ seu multitudinis cubice: *Ubi etiam
 א א א sumitur pro forma, ubi א in pronunciatione ut ו legitur. Sed ad rem redeo, videlicet, ut
 quod in principio totus actus seu luciditas divinitatis א ו & א tanquam nubes densa & obscura, vi-
 delicet א & א, tegatur; ubi א tenebrosum est, & א Aleph lucidum, & א defectus, qui ab utroque
 mediante caligine humida in actum ad mundi complementum producendus est: Atque ita crea-
 tor omnium in suo Archetypo idealiter secreto suo consilio delineavit, priusquam ex nube tene-
 brarum erupit, naturamque humidam aulæ instar extendendo cœlos per Verbum constituit. Hoc
 ergo est illud principium, in cuius centro א א & א delitescbant; quibus postea aqua, cœli & terra
 per majestatis divinæ revelationem luculenter atque leviter ex tenebris in lucem emerferunt: Hinc
 aquæ dicuntur sermone atque caractere Hebraico מים ad exemplar increatum הוה ה nominis Je-
 hovæ vel הוה ה nominis Ehieh; ita ut מ seu aquæ inferiores, & מ seu aquæ superiores radijs י seu solis
 increati in medietate, & quasi centro totius massæ aqueæ illuminentur: Similiter cœlum caracteri-
 bus Hebraicis sic describitur מים אשׁ; Ubi א denotat ignem seu lucem creatam, & prius מ aquas
 super firmamento, ac מ aquas sub firmamento simul junctas per Jod; cuius symbolum est Vau, seu
 unitas in ה; ita ut מים אשׁ dicatur quasi aquæ ignitæ, vel aquæ illuminatæ; quæ nihil aliud sunt, quam
 cœli: Unde cœlum summum Empyreum dicitur, quasi igneus spiritus; Et æthereum quasi æther,
 hoc est, igneus aer &c. Similiter terra seu massa tenebrarum his characteribus inter Hebræos expli-
 catur ארץ אשׁ quasi terra culta; ubi propter præsentiam א dicitur terra culta; quemadmodum pro-
 pter ejus absentiam הוה ה dicitur solitudo, seu terra inanis, & הוה ה abyssus: In terræ autem cha-
 racteribus, nempe הוה ה videmus rationem, cur tenebrosa sit; videlicet, quia א sua præsentia
 lucida exterius invenitur, interius vero delitescit, nullaque litera lucida ibi reperitur; Unde quod
 tenebrarum sit sedes luculenter explicatur, quoniam מ aquæ obscuræ sunt in ea; & א arguit quod
 sit janua seu ostium per quod א in aquas tenebras מ ingreditur, & se in tugurio suo abscondit, vel
 egreditur per א, & illuminat א alterius extremitatis. At si א in gradu Jod ex aquis tenebrosis מ pro-
 spiciat, tunc terribilis est ejus aspectus: Unde א א Hebraica lingua idem est quod formidabilis atq;
 terribilis in lingua latina. Sed & א א sunt characteres terram arguentes; ubi etiam Aleph exterius
 est in manifesto, at in centro se occultat: Unde א est, ac si quis diceret, lucis divinæ præsentia inopi
 seu defectus; nam Resh denotat paupertatem & inopiam, at א Tzade symbolizat cum materia
 cœlo-*

cælorum, & cæterorum elementorum; Unde in extremitate vocabuli ponitur: Hic ergo invenimus Salem; videlicet ignem occultum per γ , sulphur, nempe ignem manifestum per \aleph ; & Mercurium, qui est utriusque medium, per ζ : Sal ergo dicitur centralis occultus; sulphur dicitur tinctura, seu aurea tam mineralium tinctura, quam vegetabilium oleum, & fluctuum essentia; & aqua spiritus intermedius, qui in superioribus terræ characteribus per η & \beth significatus est, quemadmodum γ pro sale, quod est ostium, & janua, ac via ingressionis in omni mineralium scientia: Similiter videmus in creatæ lucis characteribus, videlicet \aleph duo testimonia præsentia divinitatis, nempe \aleph & γ , & unicum spiritus, videlicet γ : Et quamvis γ per se denotet paupertatem & egestatem, attamen cum radijs divinis junctum denotat fecunditatem, hæreditatem, gratiam, virtutem divinam in mundo.

Est ergo hic γ & ubique alias loco corporis seu mediij capientis atque recipientis divinas influentias à γ : Atque ita creata est lux, videlicet ornatum est γ corpus lucis, hoc est, spiritus superioris portio, & non γ vel \aleph quæ sunt essentialia nominis divini atque super substantialis characteres; quo respectu ipsa lux creata dici potest Jehova: Nam tali ratione dicitur Jehova ignis consumens. His etiam admonemur, quam nobilis & divina res sit lux, ad quam tot characteres seu signa essentia increatæ concurrunt: Oh quam admirabilis & jucunda est hæc contemplatio! Fateor equidem, me ipsum videri mihi, dum hæc cogito & scribo, extasi quadam divinæ voluptatis raptum, atque mente mea exaltata ad ipsius Elich palatium pertingere.

Porro etiam in diei naturæ examinatione invenimus, quod \aleph dies, duplicem lucis increatæ proportionem in se habeat, videlicet γ & γ ad unicam aquæ \beth : Unde dictum est; *Et vocavit lucem diem*: Atque, ut lux primi dici procedebat à Patribus increatis mundi, nempe \aleph γ . Sic etiam Sol, creatura, & majus lumen à matribus productus est: Unde ψ \beth ψ Sol, duo habet signa atque testimonia lucis creatæ per repetitionem matris ψ , quæ est symbolū ignis atque lucis creatæ; Quibus duobus ψ interponitur \beth seu corpus & materia densa substantia Solis, quæ occultatur, & quali submergitur in centro duplicis lucis seu luminis, seu, ut proprie dicamus, ψ : Nā lux primo die producta nō habet nisi simplex corpus spirituale; at in Sole est corpus duplex spirituale, nempe superioris He, & η in Unde Vau occulti: lux creata est anima ψ matris; ut illa est anima mundi, ac vita Solis: Anima lucis creatæ est ipse Messias, & lux est anima ψ , quæ est Metatron, seu anima mundi visibilis. Lunæ etiam, luminatis minoris characteres sunt η γ ; ubi multum arguitur materia; videl. γ corpus densum, & η , obstinatus ac nebulosus spiritus; Quæ duo virtute illuminantur: Quare, ut duo fuerunt testimonia lucis in Sole, & unum spiritus in centro condensati: ita hic è converso duo sunt spiritus densi & obscurei testes, ac non nisi unica pars lucis: Hinc etiam ratio colligi potest, cur Sol sit pater vitæ, atque multiplicationis causa; videlicet, quod ψ ignis seu masculus, agens in \beth aquam seu fœminam, & cum ea, more gallinacæ & gallinæ, continue atque incessanter coeans, facit, ut tum agens, tum patiens spermata sua vivifica in terram undique dispergant: Hinc ergo est, quod apud Hebræos ψ \beth ψ , coire & ministrare significat.

Sed, ut ad naturæ hominis indagationem perveniamus, percipimus, quod \aleph honoris anima sit ipse Deus \aleph , ejus spiritus \beth , & cujus corpus γ ; ita ut inde arguatur etiam, quod in γ sit ostium; seu porta, & janua, per quam Deus in hominem seu templum suum ingreditur mediante \beth , sapientiam, & γ , spiritum ejus benignum & pacificum significante; quæ duo in \aleph patre mystice includuntur: Sustainetur ergo homo ex una parte per spiritum \beth ; cujus attractione & expiratione mediante præsentia Dei \aleph in parte ejus dextra vivit atque statuminatur in hoc mundo: Sic ergo factus est homo Microcosmus ad exemplar Macrocosmi; sicque mundus tam major, quam minor ad imaginem Tetragrammati factus est & formatus: Aleph dat vitam, \beth recipit atque ejusdem vehiculum est; & ambo tandem, nempe lux \aleph per spiritum \beth in corpus γ introducuntur: Infinita quidem istiusmodi huic Tractatui inserere possemus; quod sane non faciemus, quoniam alia alterius naturæ nos avocant.

Hic tamen concludimus cum literis Hebraicis concludentibus, quod illæ duæ ultimæ, quæ excedunt 20. sint torius mysterij creationis complementum: Nam, ut η denotat solitudinem, vacuitatem, & inanitionem ac abyssum & per consequens tenebrarum est symbolum, quo mundus terminatur, (nam \aleph ψ \aleph principium, inanitas solitudo finit: atque η η incipit, similiterque η η , abyssus, & η η Chaos,) lic vice versa ψ est plenitudo atque vacui ablatio per præsentiam radiorum Dei ubique in Spiritu; Et ut η terminat literas in nihilo, & numero imperfecto, hoc est, terminatur mundus sphericus ubiq; cum tenebris seu vacuo; ita incipitur ejus esse ab unitate: Quare η non est litera, sed signaculum quoddam termini ultimi literarū: Sic in Cain erat signaculū dedecoris, & in reb. creatis est signaculū limitum mundi, & ingressionis in margines hylæ vacuæ ac deformis: Unde numerus literarum Hebraicarum hoc modo invenitur in numero septenario perfecto, videlicet in septenario ter in seducto, hoc est in 21. secundum numerationis Cabalisticæ nominis divini \aleph \aleph effectum, quod denotat essentiam in rebus omnibus: Nam 10. & bis quinque & unum constituunt per congregationem & appositionem 21. η vero est terminus finalis seu meta essentia divinx: Atque

hoc

hoc modo dicitur Deus Alpha & Omega; Aleph parvum, & Aleph magnum. Sed, Cabalistica hac demonstratione seposita atque relicta, ad illam trium principiorum creatorum explicationem descendemus; quorum symbola hieroglyphica sunt prædictæ matres à divina profapia oriundæ ac propagatæ; videlicet Tenebrarum & tenebrosùm, Spiritus seu Aquarum, ♃, & Lucis seu Ignis ♃; quorum mentionem, licet obscure modo, fecit Abrahamus in *letzirah*.



S E C T I O.



SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARTIS II.

Liber I.

De

PRIMARIIS NATURÆ
ELEMENTIS.

C A P. I.

*Anne, (uti quidam male putant) opiniones meæ, & doctrinæ meæ
fundamenta recentia sint, & quasi nova?*



QVONIAM non exiguus inter homines subortus est error, dum existimant nonnulli opiniones meas esse recentes, Philosophiæque meæ fundamenta nova & nequaquam antiqua, operæ pretium esse existimavi oculis iustitiæ intuentibus demonstrare, quod si fundamenta mea sint antiqua, opinionesque meæ tum rationibus Philosophicis, tum viva demonstratione statuminatæ, tunc procul dubio illæ non sint novæ, & per consequens etiam non ita periculosæ, quatenus videlicet adversantium argumentum ita solummodo formatur, opiniones meas ideo periculosas esse, quoniam sint novæ. Quod autem Macrocosmica mea principia sive fundamenta ex profundissimis antiquitatis visceribus depromantur, non modo Philosophorum antiquorum autoritate, verum etiam sacrarum scripturarum testimonio comprobare atque confirmare possumus; siquidem ab illis ipsis principijs mundus & omnia, quæ in mundo sunt, ortum habuerunt. Quod si doctrina hæc mea super bases seu principia Aristotelica fuisset fundata, videlicet super Materiam, Formam, & Privationem, utique sine ulla hæsitatione pro antiqua ab istis hominibus nimia curiositate agitata haberetur, & sine aliqua eorum contradictione in publicum divulgaretur: Atqui hæc principia nova (uti dicuntur) Tenebræ nempe, Aqua, & Lux, non sunt admittenda, quatenus recentia, & quasi noviter inventa atque ante hoc tempus inaudita. Nonne autem videtur hoc in hominibus Christianis grossum atque palpabile ignorantiae argumentum, ita avidè Aristotelis Ethnici assertiones amplecti, ac vehementissimis contumeliæ argumentis eas defendere, adeoque etiam ipsarum causa verissima Antistitis Moylis principia repudiare, negligere, in derisionem habere; in cujus nihilominus autoritate fidei nostræ fundamenta ponimus? Nonne Moyles noster asseverare videtur, tenebras fuisse formæ & essentiæ impedimentum, dicendo, terram fuisse inanem, tenebrasque fuisse super faciem abyssi? Nonne facit ipse tenebras terræ informis receptaculum, & quasi deforme velamentum; quam quidem materiam vix imaginabilem abyssum nuncupat? Nonne illud quasi nihil, seu tenebrarum & hylæ deformitatem informavit Spiritus Domini virtute lucis suæ increatæ, ita ut abyssum in formam ac esse aquarum reduceret? Unde dicit Moy-

ses:

ses: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas, ex quibus, teste D. Petro, mundus, omniaq; in eo, facta sunt.* Nonne deuique creata fuit lux primo die tanquam principium illud formale & actus primus, quo mediante, ut immediata fontis totius luminis in Spiritum aquæ purissimum emanatione, omnia deinceps sunt condita? Nonne ergo hic ex doctrina Mosaica deprehenduntur tria illa principia sive fundamenta, quibus cælum & terra per creationem statuminata sunt? Cæterum si nobis solam & verissimam sanctorum Bibliorum tam Theosophiam, quam Philosophiam sequendi facultas & libertas denegabitur, ita ut clarissimo sacrarum literarum lumine interdicto in spurca & cænosa Ethnicorum ac infidelium obscuritate tanquam cæci vagari cogamur, equidem contra injustam istam (si quæ sit) hominum sententiam argumentum illud Prophetæ Baruch 3. homini iusto minime reijciendum in defensione atque exculpatione nostra haud inconcinne allegare possumus: *Non conuenit deserere fontem omnis sapientia, & in regionibus extraneis quarere artem, scientiam, & intellectum, uti faciebant Agareni, & qui erant in Theman, quippe, qui viam veram sapientia nunquam agnoverunt.* Quibus luculenter docemur sacram scripturam tanquam fontem totius sapientiæ amplecti, Ethnicam vero & extraneam doctrinam seu scripturam relinquere; utpote in qua nulla reperitur vera scientia aut divina sapientia. Sed & quid dicent isti Censores mei, si etiam antiquos & famulos Ethnicorum Philosophos Aegyptum, Arabiam, Assyriam, & præcipue Judæam peragrando, totius doctrinæ suæ Philosophicæ fundamenta atque principia ex facio mysteriorum fonte, & Biblico, seu Verbi Dei myrôthecio furtim surripuisse, sibi que ipsi injuriose attribuisse argumentis solidis ac irrefragabilibus probauiro? Imo omni disputatione & probatione ulteriori seposita hoc idem & vel euidenter etiam oculis percipiemus, si mytli. a Platonis, Mercurij, Trismegisti, Orphei, Hesiodi, Ovidij & Philosophorum divinotum tam Poetarum quam aliorum perolurauerimus. Quod si neq; hæc omnia etiam accuratissimis Aristotelis cultoribus sufficiunt, ad inquisitionem in ipsius Aristotelis principia descendamus; ita enim facillime tandem ipsum Antistitis Moylis discipulum & imitorem, aut potius principiorum Mosaicorum raptorem falso sibi ea attribuentem sentiemus. Nam quid aliud (obsecro) est prima illa Aristotelis materia, quam plane nihil actu esse dicit, nisi mera quasi imaginatio, vel, ut præceptor ejus Plato vult, simulachrum in somno apparens? Unde Aristoteles hanc appellauit aliquid in potentia; Et tamen nihil dicitur eo, quod informis est, cum sola forma det nomen & Esse. Nonne est ista vix imaginabilis materia tenebræ Moylis, quæ fuerunt super faciem abyssi, quam Synesius & alij cum ipso Aristotele Hylam nuncupauerunt? Deinde quid est illa secunda Aristotelis materia præterquam hyla seu prima materia in actum deducta, vel abyssus tenebrosa Moylis ac deformis jam præsentia luminis actusque increati informata, & Aquarum nomine insignita, quæ erant universalis rerum omnium in creatione materia; ita ut jam illud Inane Moylis, vel hoc quasi Nihil Aristotelis luminis increati splendore in actum deducatur, hoc est, creetur: Unde dixit Moyses, *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* hoc est, præsentia Spiritus informantis Aquæ jam nominantur, & actu producuntur, quæ antea non erant, aut non nominabantur. Quænam ergo erat forma illa essentialis Aristotelis cujus aspectu materia ista in potentia in actum est redacta? Nonne lux illa primo die creata, quæ erat prima & immediata à Deo vivente in materiam humidam emanatio? Nonne ergo vocavit ille formam istam essentialem actum primum, seu primum rerum materialium informantis? Denique quid intelligebat Aristoteles per Privationem nili tenebras & deformitatem, quam materia in potentia in ipso informationis seu creationis puncto exuebat: Quæ nihilominus tenebræ ante rerum creationem non erant privatio, utpote quas nulla materiæ positio præcedebat; id quod Aristoteles ignorare videbatur, quia ipse à Præceptore suo Platone in hoc differens, mundum existimabat æternum & non creatum. Sed hæc tenebræ, creatione præeunte, privatio dici possunt, quatenus materiam eo instanti possidere dicuntur, quod est inter punctum corruptionis & generationis. Quid ergo nunc de novis istis opinionibus putatis? Suntne illæ tam recentes & novæ, cum fundamenta earum tam antiqua & vetusta esse reperiuntur? Aut, quia ego Christianus doctrinæ Mosaicæ usu magis, quam Aristotelis fortassis pollens præceptoris meo Moyli, quod suum est, iusta mensura attribuo, & in hoc ab Aristotele differre videor, qui Mosaicæ disciplinæ medullam & sensum alieno verborum velo abscondens principia illa creationis sibi arroganter & falso adscripsit, quæ ipse Moyses ab ore, instinctu, & quasi manu Dei viventis Jehovæ creatoris accepit; & que ad sensum suum Ethnicum convertit; quia (inquam) divinam divini mei Magistri doctrinam philosophiamque veram agnosco, ideone culpandus sum? Nonne sunt Biblia sacra totius sapientiæ atque scientiæ fons & origo? & relinquemus aut deseremusne illa, ut inconstantem Agarenorum & illorum in Theman, hoc est, infidelium & Ethnicorum doctrinam sequamur, qui veram sapientiam aut certam scientiam nunquam noverunt, sed Philosophiam alis vanæ opinionis, fragilisque imaginationis innitentem super fundamenta illa, quæ mysterijs Judaicis clanculo surrepta fuerunt, construxerunt, atque ita, vitam & veram animæ scientiam relinquendo mortem scientes volentes nobis consciscemus.

De Tenebris, & earum speciebus.

QUOD tenebræ fuerint ante omnia, in quas Tetragrammatum ad mundi creationem egit, ut in suam naturam lucidam seu actum eas deduceret, docet nos Sapientissimus ille Salomon, *Sap. 11. 18.* Cujus verba sunt hujusmodi; *Mundum ex informi materia effecit Deus*; Vel, ut Hieronymus interpretatur, ex materia in visa; hoc est, ex spiritu seu aquis vacuis & inanibus, i. e. nulla forma lucida seu gratia impletis, aut in esse quocunque modo deductis: Unde fit, ut, cū lux omnimodo tenebris opponatur, necessario sequatur, illic succedere tenebras & caliginem, ubi illa abest. Hinc dicitur *Sap. 7. 22.* *Sapientia Sole aut Stellis clarior & lucidior, cui succedit nox*; hoc est, absentiae seu defectus praesentiae spiritus divini succedunt tenebræ atq; caligo: Hæc Salomonis verba optime confirmare videtur *Iob. 12. 22.* Quippe ex cujus verbis expressis optime tres tenebrarum species elicere possumus: *Revelat* (inquit ille) *fundamenta a tenebris, & deducit in lucem umbram lethalem*: Per vocabulum ergo (*Tenebras*) intelligit omnium tenebrarum matrem, videlicet hylam obscurissimam, in qua est nullum luminis vestigium: Et quamvis in ea occultetur Aleph ab æternitate ante mundi in lucem editionem; attamen illud tenebrosum omnino dictum est respectivo, licet in se sit absolute lucidum; sed noluit emittere radios ad circumferentiam, hoc est in multitudinem, sed in suo centro atq; unitate eos contraxit: Hinc dicit *Merc. Trism. Monas generat monadem, & in seipsum reflexit ardorem suum*: Atque hæc erat ratio, quod spiritus humidus universalis omni gratia divina destitutus tenebris immentis atque caligine absoluta operiebatur & obvelabatur, quatenus ne scintilla quidem luis ei aderat: Unde plane pro nihilo habebatur, & nihil existere videbatur; sed totum illud, quod erat, si quid omnino erat, hoc nihil dictum est; quatenus nihil aliud fuit, quam tenebræ, quæ formæ, nomen & esse danti, penitus resistunt, actumq; divino fortiter renitentur; quippe in quarum natura atq; dispositione est nunquam movere, sed vice contraria in suo loco connaturali in sempiternum quiescere. Hæc ergo sunt tenebræ illæ generales, seu hyla, ex cujus tandem matrice seu visceribus, operante Aleph, à centro versus circumferentiam profunda, (hoc est, abyssus aquarum) revelantur: Atque umbra lethalis, (quam *Mercur. Trismeg. vocat horrendam*) quæ ubique super facie abyssi adhuc fuit, erat illud Chaos obscurum, in quo splendor sanctus inerat, sed more confuso, atque irregulari ratione; ex cujus tandem in machinæ creatæ centrum congregatione terra seu pulvis aridus productus est. De illis ergo singulis hoc in libello ordine methodico discurremus; in quorum quidem campum publicum priusquam descendamus, de characterum sanctorum consideratione, quibus singulæ prædictarum specierum naturæ atque dispositiones hieroglyphicis quasi vivis explicantur, sermonem quidem brevem atque succinctum instituemus.

C A P. III.

De characterum sanctorum examinatione, quibus species prædictæ lingua sancta secundum exactam earum naturam atque conditionem explicantur.

IN superioribus luculenter satis declaravimus, quod quælibet res suam, secundum suæ dispositionis proprietatem, denominationem habeat, ita ut characteres nominis sint tanquam symbola & hieroglyphica conditionis ipsius rei nominata; Tali enim respectu adduxit Deus ad Adam omnes bestias terræ, atque omnia volatilia cæli ut daret ijs nomina ipsorum naturis convenientia, hoc est, ut cuilibet nomini characteres assignaret, quæ optime vitæ illorum in calido & humido proportionē, hoc est, eorum naturam internam literis formalibus & essentialibus declararent, & corporis in elementari compositionis mole mensuram ac numerum, literis magis materialibus & opacis explicarent: Unde factum est, ut cuilibet creaturæ nomen ex literis vivis compositum, per omnia dispositioni ejus consentaneum & conveniens attribueret; Nec certe (ut opinor) est quicquam in rerum natura à Verbo Dei characteribus auctis expressum, cujus natura & esse in iisdem non luculenter, sed modo mystico explicetur; ita ut, si literarum sacrarum seu characterum vivorum mysteria hominibus plene revelarentur, equidem impossibile non credam, fore, ut exactam cujuslibet rei formam, atq; et corporis compositionem tanquam in speculo contuerentur; cū & vel rudi et more, ac per solam considerationem exteriorem res non exiguas aperire, & judicia haud absurda, licet non ita absolute, redere soleamus; Verbi gratia, in hoc nostro subjecto (nam ad rem nostram nos jam accingemus,) quando tenebrarum generalium fit mentio, secundum *Gen. 1.* ponitur imprimis *חֹלֶה*, h. e. *solitudo, inanis, deformitas*, seu omni forma carens, & vastitas; ita ut dicat *Moyfes, terram fuisse talem ante creationem*; Et per terram intellexit illas tenebras inanes, ex quibus tandem terra repleta luce, atq; fecunditate ditata, post tenebrarum ad centrum percussione facta est: Et terra erat inanis seu solitudo; h. e. substantia terre nobis visibilis & sensibilis erat tum temporis tenebræ vastæ & inanis sine omni forma aut lucis scintilla; utpote cujus materia ante creationem erat hylæ substantia, in qua erat nullum lucis

informantis testimonium: Nam prima litera \aleph est signum privationis: Etenim per illud dicitur Cain obli gnatus, ut argueretur, ipsum exclusum esse à præsentia divina; porro est litera finalis, qua mundus finit lucis suæ margines, & cum tenebris hylæ terminatur: At quia finalis hæc litera proponitur, ideo denotat, quod ante principium mundi fuerit instar limitum mundi, qui sunt hylæ contigui. Porro etiam η & ζ sunt aquarum, seu spiritus & aquæ, seu aquæ subtilis & grossæ characteres in potentia solummodo ad esse illud, quo jam existunt, quoniam deest illis omnis lucis divini actus; Nam neq; \aleph neque ι neque κ eis adsunt; sed solummodo η , quæ est litera passiva seu fœminina, nulla masculina concomitante; illic reperitur. Quare, ut fœmina absque masculino, inanis, sterilis, & inutilis ad procreationem, aut ad producendum aliquid in actum exiit: Sic etiam $\eta\eta$, velò tenebrolo ipsius \aleph obumbratum est sine actu divino: qui quidem in se, & per se est utriusque fœcunditatis plenus, ut testatur Mercur. Trismegist. Est ergo $\eta\eta$ plane nihil; quia Tenebræ est & inanis hyla; Et equidem est hyla, quatenus omni lucis præsentia destitutum, & per consequens summum; extremum & generalissimum tenebrarum genus, à quo ejus genera subalterna derivantur; videlicet caligo & abyssus, quæ sunt universæ illæ aquæ densæ ex hylæ ventre apparentes, quæ luce nondum purgantur, sed fere, quamvis non penitus, informes & inanes extant; Id quod etiam ex characterum ipsarum appellatione seu radice Hebraica percipere possumus. Nam $\aleph\aleph$ non multum differt à $\eta\eta$, nisi in eo, quod partus seu mixus hylæ jam sese revelare incipit, ita ut appareat esse aqua: Unde concluditur cum \aleph clauso, quod denotat aquas obscuras: Nam \aleph apertum arguit aspectum lucidi, seu ι Tetragraminati extra abyssum, quo aquæ obscuræ illuminantur: Unde fit, ut abyssus sit gradus secundus, seu filius secundus tenebrarum: Gradus autem tertius est illa caligo, quæ est tenebrarum cujusque cœli in infimum per diem secundum spirituales contractio, sive umbrarum horrendarum in locum infimum congregatio; in cujus ventre ignis divinus includitur, radijque lucis seminantur; hoc est, in abyssi centro lux à spiritu tenebris & caliginè obducto, retinetur, & divina præsentia cum angelis exultare videtur; quod etiam nominis ejus characteres nos docent, qui ita disponuntur $\aleph\psi\eta$, Tenebræ vel Chaos: Ubi character luminosus ignis & lucis ψ includitur à duobus literis tenebrosis & materialibus \aleph & η ; ac si lux solaris undique nube densa & caliginosa obsepiretur & circumdaretur, ita ut nihil præterquam tenebræ atque caligo videretur; quemadmodum in tenebris Aegypti palpabilibus, & quando Deus faciem suam tegere atque occultare voluit, ut in columna nubis, & quando tempore passionis Domini tenebræ à hora sexta ad nonam usque fuerunt universaliter super facie terræ. Ultima denique tenebrarum species est ipsa terra; cuius interpositione inter Solem atque machinæ hemisphærium nox quotidie ingruere solet: At vero, quod hæc sit species tenebrarum omnium levissima, nos docent ejus characteres tres, ex quibus componitur videlicet $\aleph\aleph$; ubi lux non penitus includitur, ut in $\aleph\eta$, sed ab una parte ex characteribus tenebrosis emicat per \aleph , arguens hoc ipso, quod lux solaris seu visibilis Dei præsentia semper in uno terræ seti ultimæ tenebrarum congeriei hemisphærio manifestetur; Atque hac ratione hæc tenebrarum species, quæ erat prius terra inanis, vacua, & solitudo, jam est terra fertilis, mineralium radicibus, plantisque seminaria sua habentibus repleta, & passim arboribus fructiferis exornata, ac paulo post etiam animalibus cujusque generis habitata. Quomodo autem hæc tres voces ad invicem natura convenient, sic accipite; $\aleph\aleph$ per interpretationem est inanitas, inane, res informis, solitudo &c. $\aleph\eta$ Abyssus: quæ abyssi, ut testatur Psalm. 77. 17. Præsentia Domini timuerunt & conturbata sunt, inde arguendo, quod splendori Dei essent contrariæ, & per consequens caliginè obductæ. Et Gen. 1. Tenebra fuerunt super faciem abyssi: Et Mercur. Trismegist. Pimand. 1. Tenebra & umbra agitantur ineffabili luminis vultu, & oblita revolutio subterlabantur: Et Pimand. 3. Erant umbra infinita in abyssu &c. $\aleph\psi\eta$ latino sermone est Tenebræ, obtenebratio, caligo, obscuritas &c. $\aleph\aleph$ est terra, quam Job. 17. 12. Videtur tenebras & infernum appellare; Et cujus loca tenebrosa dicit Psalmista Psalm. 74. 20. Crudelium & violentorum plena esse &c. Sed illorum hoc in loco particulariter & distincte mentionem faciemus.

CAP. IV.

De primo & summo tenebrarum regno, seu genere generalissimo, quod ab Hebrais $\aleph\aleph$, & à Græcis $\sigma\lambda\eta$, ac à Latinis solitudo, tenebræ, & inanitas appellatur.

$\aleph\aleph$ apud Hebræos, & $\sigma\lambda\eta$ apud Græcos idem est, quod solitudo, caligo & tenebræ inanes apud Latinos: Et Latini etiam ut plurimum hoc vocabulum Græcum Hyla pro principio primario materiali, hoc est, pro materia remotissima usurpant, quamvis nonnulli hac dictione pro omni tenebrarum specie utantur: Hinc Synesius in Hymno secundo;

*Fluctuantis & hyla
Texit dorsum æther
Ignis insidens summitati.*

Ubi hylam accipere videtur pro abyſſo inferiori, ſuper cujus facie tenebræ Hylæ generaliffime fuerunt: Atque hæc abyſſus inferior eſt nihil aliud, quam Chaos, ut *infra* declarabimus. Alibi ille ipſe hanc hylam pro inferis, aut terra meditullio accipere videtur; Unde in hymno 1.

*Beatus qui, voracem hyle
Vitans latratum, & è terra
Emergens, saltu levi
Vestigia ad Deum dirigit.*

Similiter in hymno ſecundo ejuſdem ſic cecinit;

*Regit altitudinem mundi,
Supernum ornatum trahens
Ad imam uſque hylam,
Vbi Demonum turbam
Natura ſubſidens parit.*

Et alibi, hymno 3, dicit, *Alatus Draco Demon hyle, Nubes anima &c.* Et alibi ibidem, *Pro tenebris intellectus, ut Hyle me magicis, irretivit artibus, adhuc tamen inſunt mihi:* Et tamen uno loco Hylæ vocabulo utitur, prout in ſenſu generaliffimo ſumi debet: Ut;

*Tu lux es
Vna, micans radius cum patre,
Qui perruptis hyle tenebris
In ſpiritum fulges mundi.*

Atqui nos revera pro primordiali omnium principio materiali ipſum accipimus, quod eſt matena remotiffima, informis, & in ſola potentia exiſtens: De qua Auguſtinus ſic loquitur; *Cum aliquid informe concipio, prius nihil intelligo, quam intellig. bam; quoniam. ſicut nihil videndo tenebra videntur, nihil ſimiliter a. diendo auditur ſilentium.* Ex quibus ſequitur, quod Hyla ſit illud, quod inter aliquid & nihil percipitur; Unde, ut aliquid non dicitur, ſic neceſſe eſt, ut quoad nos pro nihilo habeatur, quatenus non informatur, hoc eſt creatione non illuminatur; & per conſequeus, quod Deus omnia ex nihilo creaverit; h. e. ex non actu præxiſtente ſeu informato, ſed ex nihilo ſeu re informi res omnes in eſſe produxit: Agnoſcit n. Auguſtinus, quod Hyla non ſit aliquid, & reſpectu illius, quod ſit quaſi nihil; non aliter, quam Aleph alijs non illuceſcens tenebroſum à Cabaliſtis nuncupatum: Nam quid poteſt illud eſſe aut exiſtimari in rerum natura, quod inane, vacuum, atq; tenebroſum, hoc eſt, omni forma lucida deſtitutum eſſe dicitur: Unde, cum Deus mundum creare voluit, neceſſe fuit, ut illud inane & vacuum deponeret, utpote quo præſente nihil in actuari aut creati potuit: Hinc dicit *Iob. 26. 7. Aquilonem extendit Deus ſuper inane & vacuum,* (h. e. fecit cælum gyrare ſuper polum aquilonarem, i. e. ſpiritum pulchrum informatum ſtatuit loco nihili ſeu vacui & inanis) & *ſuspendit terram ſuper nihilum;* h. e. Hylæ primordialis tenebræ, ſeu ſpiritus tenebroſi deorſum pulli jam lucis formalis radijs impleti ſunt, vacuiq; & inanitatis nomen reliquerunt; quatenus rebus omnibus per divinam præſentiam opulenter inſtructi & abundantes in terra à Deo bene exulta ſuper nihilum ſuſpenſi dicuntur; h. e. loco vacui virtute Verbi ſtatuminari. Ex quibus colligere poſſumus, quod inane & vacuum, utpote quod nihil aliud erat, quam hylæ & tenebræ primordiales, fuerit priuſquã cælum aut mundus creatus & in lucem productus fuit. Atq; hinc *Gen. 1. dicitur, quod terra fuerit inanis & vacua;* Quæ quidem terra pro primis tenebris accipitur; quippe quæ fuerunt in potentia ad terram, actus divini ubertate affluentem: Et hæc terra informis & vacua nominata fuit, priuſquam ulla creatura in mundum fuit prodita, aut in lucem edita. Hæc igitur terra inanis, ſeu tenebræ uſque uſque, ſeu umbræ horrendæ ſpiritum profundum, & deformitate in earum ventre ſeu abyſſo deliteſcentem, ac quali mere nihil exiſtentem brachijs tectis, atq; naturæ creandæ triſtibus & lethaliſibus amplexæ ſunt, uſq; quo apparitione præſentiæ divinæ, tam quid illud profundum in ventre hylæ ſeu tenebrarum primariarum occultatū, quam quid ipſæ tenebræ, vitæ creaturarum adeo oppoſitæ, exiſterent, patefactum eſt; juxta illud *Iob. 12. 22. Revelat profunda è tenebris. & educit in lucem umbrā lethalem;* h. e. ſpiritum ſeu aquas in tenebrarum deformium obliuione ſubmerſas jam ex ijs emergere fecit, luceque ſua ineffabili tenebras horrendas, & umbræ ras lethales, h. e. vitæ contrarias (narr. privationis ſunt principia) in lucem produxit. Nonne hoc idē etiam confirmare videtur Salomō *Sap. 11. 18. Mundum ex informi ſeu inviſa materia efficit vel creavit Deus.* Quib. etiam ſacrarum literarum teſtimonijs quam exactiſſime adſtipulari videtur Antuſtes ille ſapientiſſimus Merc. Tiſim. *Pim. 1. cujus ſermo eſt huiusmodi; Cū hac dixiſſet Pimander, mens divina potētiae mutavit formā, & univerſa ſubito revelaviſt; Cernebam n. immenſum quoddam ſpectaculum; omnia videl. converſa in ſua ve nimmū atq; jucundum, quod intuentem me mirifice oblectabat; Paulo poſt umbra quaedam horrenda obliqua revolutione ſubterlabebatur, in humidamq; naturam migrabat. ineffabili tum vultu exagitata: Inde ſumus magnus in ſonitum erumpebat; ex ſonitu vox egrediebat, quam ego luminis vocem exiſtimabam; Ex hac luminis voce Verbum factum prodijt; Verum hæc natura humida aſtans eam ſovebat &c.* Quid igitur aliud tibi vult hic ſermo, quam quod Aleph tenebroſum mutans formam ſuam, factum ſit Aleph lucidum ſive Jod; primus Tetragrammati character? Cujus præſentia hyle tenebroſa in ic̄tu quaſi oculi illumi-

illuminata fuit, ac protinus & è vestigio tenebræ seu umbræ horrendæ, cum magno strepitu è ventre hylæ illuminatæ egredientes, obliqua revolutione versus centrum machinæ propulsatæ sunt, atque humida natura tum immediate, & quasi in instanti post ea apparuit, quam fovit Verbum; hoc est, spiritum seu aquas, è quibus cælum, seu universum constat, illuminavit & informavit emanatio lucida & sancta, seu virtus Tetragrammati; juxta illud *Genes. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Per umbræ ergo horrendas aquas densas & nigras, adhuc informes, sed in motione politas arguere videtur, quæ sunt secunda tenebrarum species ab hyla universali movens; quam abyssum cum sacris literis appellamus: Hinc inquit Psalmista Regius *Psalm. 77. 17. Abyssus præsentia Domini timuerunt, & conturbata sunt.* Hæ autem umbræ subterlabentes sunt tenebrarum hylæ infinitæ quiescentis portio illa, quæ erat istud inane & vacuum, quod repertum fuit in illo spatio sphærico, in quo Deus posuit atque collocavit mundum creatum; Nam hylæ dimensio seu extensio tam infinita est extra mundi peripheriam, ut comprehendi non possit. Quare Sapiens *Pimand. 5.* in hæc verba erumpit; *Cantabone laudes tuas in ijs qua in lucem è tenebris eruisi, an in ijs, quæ latent adhuc arcano sinu recondita?* hoc est in mysterio magno tenebrarum fundamentalium sive hylæ: Sed jam saltu levi ad secundam tenebrarum speciem, scilicet ad Abyssus naturam & conditionem descendemus:

C A P. V.

De scrupulo nonnullorum; qui ad-versus opinionem meam, qua hylam increatam esse statuo, insurgunt.

Quoniam (obiter agendo) non parvi momenti scrupulus nonnullorum mentes occupat, quasi maximus mihi siue perferit error in eo, quod Hylam, primam materiam seu tenebras illas Mofaicas, increatas dixi; prius ac si hoc ipso statuerim aliquid Deo coæternum, idcirco huic etiam objectioni respondeo, me longe à tanta præsumptione abesse; constanter asserens; non modo Philolophorum veterum opinionibus, sed etiam Reverendissimi Patris D. Augustini autoritate munitus, quod quamvis hyla, seu prima materia, seu abyssus informis, hoc est, tenebris obducta sit aliquid nomine, attamen non sit quicquam re: Unde fit, ut non immerito definiatur esse illud, quod inter absolute nihil, & hoc revera aliquid seu rem informatam & creatam imaginatione concipitur. Hinc enim est, quod D. Augustinus dicit, istam materiam vix imaginabilem esse, ut silentium respectu sermonis: Sicut igitur silentium non est sermo, sed est potentia ad sermonem; sic etiam hyla seu tenebrosa abyssus est nihil, sed in potentia ad reductionem in aliquid actu, hoc est, creationem. Unde colligendum est, quod hæc prima materia sit quoddam vix imaginabile, inane, & per consequens, nihil; Nam, ubi actus Dei æbet, ibi impossibile est, ut res aliqua actu subsistere queat, utpote cujus præsentia est æctus ille primus atque supersubstantialis omnia creans, omniaque informans: Atqui hæc tenebræ omni forma & præsentia divina destitutæ fuerunt, & proinde eas plane pro nihilo, respectu alicujus rei haberi liquet. Præterea non dubitamus quin literati intelligant, rerum omnium creationem nihil esse aliud, quam actus attributionem, nihilo seu rebus informibus datam; & consequenter formæ inductionem collatam rebus imaginarijs, quæ antea actuali spiritus Domini præsentia non fuerunt informatæ. At vero hyla seu prima materia fuit res nomine artis quidem denotata, sed revera non nisi vano & phantastico modo per imaginationem concipienda, quatenus videlicet in sola potentia venit consideranda habens sese ut simulachrum in somno, vel silentium ad vocem, uti dictum est. Hæc hyla, posteaquam creata fuit vel in actum deducta vocatur ab Aristotele materia secunda, quatenus à prima derivata: A Moysè aquarum nomine appellatur, quæ ex tenebrosa & deformi abyssu effluerunt, radiosa Spiritus Domini præsentia, interveniente, speciem aquarum induentes; A Mercurio Trimegisto autem nuncupatur natura humida, ex umbra horrenda per Verbi divini assistentiam revelata; Et D. Petrus dicit, 3. 6. quod *cæli fuerint prius & terra ex aqua & per aquam consistens verbo Dei:* Atque tamen dictum est, Deum creasse omnia ex nihilo: Nonne igitur intelliguntur per nihilum aquæ informes seu abyssus, super cujus facie fuerunt tenebræ quæ actu plane nihil erant, & tamen informantis Spiritus ignei præsentia Aquæ fiebant? Etenim cum sit formæ essentialis conditio nomen dare & esse; sequitur illud esse nihil, cui forma penitus absit, hoc est, neque nomen proprium neque esse genuinum habere. Erat ergo mundi fundamentum in potentia abyssus forma destituta, utpote super cujus facie fuerunt tenebræ primordiales, quarum præsentia forma omnino tollitur, & nihili trophæum statuitur: Fundamentum autem mundi in actu erat aqua, à tenebrosa abyssu (tanquam à potentia & plane nihilo respectu essentiali) in actum deducta, hoc est, aqua in actuata seu creata. Nonne videtur ipse Job huic rei exacte astipulari, dum *cap. 12. 22.* in hæc verba loquitur; *Revelat fundamenta è tenebris, & educit in lucem umbram lethalem?* Ubi per fundamenta principium æctivum & passivum (ni fallor) intelligit, nempe aquam quæ, teste Petro *loco supra allegato*, est fundamentum materiale cæli & terræ, ac lucem, quæ est

fundamentum formale ex tenebris elucens. Et Job etiam vocat *abyssum umbram lethalem*, id est, tenebras non aliter formam suam præsentia tollentes (unde lethum sequitur) quam lux suo vultu & aspectu deformitatem abyssi auferendo, nihil quasi, vel potius illud potentiale inter absolute nihil & aliquid actu in Esse aquarum reduxisse traditur. Nonne est hoc idem nobis confirmare videtur vir ille tam sapiens quam patiens, c. 26. 7. verbis his apertissimis; *Aquilonem extendit Deus super inane & vacuum, & suspendit terram super nihilum?* Ubi per inane & vacuum intelligit umbram lethalem, quam etiam Moyses vocavit *terram inanem*, quatenus ex illa umbra, splendore & præsentia divina, (quæ jam omnia implere dicitur) destituta, terra creata & donis ac seminarijs præsentia divina repletissimis per umbrarum lucis divinæ radijs commixtarum ad centrum repercussionem, producta est. Hæc omnia à Rabbi Judæorum more Cabalístico scribentibus optime demonstrari videntur, dicentibus; quod Aleph (hoc vocant principium) in abyssu tenebrarum retractum, & immanens, otiosumque vel (ut ajunt) ad nihil respiciens ideo dicatur *אין*, id est, *Nihil* live *non Ens*, ac *non finis*, quia nos tanta in rebus divinis ingenij paupertate mulctati de ijs, quæ non apparent, haud secus atque de ijs quæ non sunt, judicamus. At ubi se ita ostendit, ut sit aliquid & revera subsistat, ibi Aleph tenebrosum in Aleph lucidum convertitur. Unde nobis explanatur, quod, cum Sapiencia (quam vocant Aleph & Principium) captu nostro tenui existimetur ut Nihil, quoniam in abyssu tenebrarum recondita, quasi nihil vel non Ens videtur esse, quatenus in actu esse non apparet, quod (inquam) sequatur inde, tanquam ex concessis, tenebras ipsas multo magis pro nihilo haberi, quippe quarum deformitate & aspectu privativo aliquid fit nihil. Verum si hæc meæ assertiones vobis nondum sufficiant, equidem ratione hac sequenti me vestræ curiositati satisfacturum haud dubito; ita ut spiritus vestros ambiguos mutuo tandem consensu queam animo meo conciliare & unire. Deum nostrum Jchovam secreta sua sapientia consilioque inscrutabili mundum ex nihilo fabricari pondere, mensura & numero decrevisse, ejusque creandi typum materiam & formam imprimis in æterna & *super substantiali* sua idea seu Archetypo delineasse, priusquam ille ad sensum humanum vera *creatione in actum* deduceretur, neminem sanæ mentis compotem latere existimo: Hinc autem sequitur, quod mere & absolute nihil hoc secreto conditoris decreto ita præparatum fuerit, ut, licet tenuitati & paupertati captus ac intellectus nostri videatur materia illa, quoad nos informis, hoc est, vix imaginabilis, nihilominus tamen ea arcano consilio Dei destinata, ut mundi creandi materia existeret, de subito tum fuerit ex plane nihilo ita præparata, ut extiterit aliquid in potentia: Quæ quidem potentia live præparatio ipsi decretori fuit jam tum quasi absolutissima creatio, licet occultissima & minime apprensens, quatenus in actum sensibilem nondum deducta. Sed, ut istam hujus declarationis clausulam breviter & verbo quasi uno concludamus per illud, quod in doctrina scholastica nullo modo à substantia divinitatis dissentaneum existimatur, dicimus, quod, quatenus Deus omnibus temporibus est præsens, eatenus res omnes, quæ exordium atque existentiam actualem in conceptu & intellectu hominum habuerunt, fuerint semper in potentia objectiva oculis Dei; quæ quidem potentia licet hominis considerationi nihil videatur, attamen respectu præeuntis decreti creatoris est quodammodo & quasi jam tum creatura actu coram Deo facta. Concludimus igitur, ut videlicet ad statuminandam istam opinionem nostram, locum adhuc manifestiorem producamus, verisimile esse ex ipsissimo sacrarum literarum contextu, quod mundus, & ea, quæ in mundo existunt, sint ex materia minime creata, hoc est, actu destituta, & per consequens informi conflatæ & productæ, quoniã de eo expressa ipsius Salomonis in Magia Cosmologica completissimi verba Sap. cap. 11. v. 28. reperiuntur; quæ secundum Pagniani translationem ita habent; *Manus omnipotentis mundum ex informi materia effecit, vel* secundum Tremellii expositionem, *Manus tua creavit mundum ex informi materia*, vel, ut Hieronymus reddit, *Manus tua creavit orbem terrarum ex materia invisâ*; quippe ex quibus evidenter apparet; quod supradicta mea sententia ab ipsius veritatis objecto nulla ratione discedat.

C A P. VI.

De secundo tenebrarum regno, videlicet de Abyssu, & illius speciebus.

Abyssus, seu *ἀβυσσος* apud Græcos, idem sonat, quod *אֲבִיסּוֹס* apud Hebræos, & profundum apud Latinos: Characteres autem ejus sancti, per quos viva abyssi natura significatur, non differunt à characteribus hylæ seu tenebrarum inanium; præterquam quod in litera finali *ס* mutatur in *ב* Mem clausum: He autem denotat spiritum magis occultum & absconditum; Mem vero magis apertum & in actum fere deductum; Unde denotat, quod aqua incepterint apparere ex ventre hylæ, sed modo obscuro; ita ut *א* tenebrosum antea quiescens jam intrinsicè movendo è meditullio tenebrarum infinitarum vultum naturæ humidæ adhuc nondum formatae extra hylam universalem exilire fecerit; sed eo modo, ut Mem (quod est ejusdem aspectus obscuro symbolum) clausum esset, & non apertum; nam lux nondum eruperat ex hylæ ventre: Unde dicitur, *Genes. 1.* quod *tenebrae fuerint super faciem abyssi*: Atque hæc abyssi fuerunt profunda illa, quæ *Iehova* revelavit è tenebris, atque umbrae lethales, quas in lucem eduxit, secundum illud antea ex *Iob. 12. 22.* allegatum. Hæc sunt umbrae illæ atque tenebrae ineffabiles lumi-

luminis motu agitata, quarum mentionem facit Merc. Trism. Pimand. 1. sive hæc est umbra illa infinita & universalis, quam Merc. idem dixit, inesse abyſſo, eam à Chaos differentem faciens seu distinguens: Verba ejus hæc sunt, Pimand. 3. *Erat umbra infinita in abyſſo; aqua insuper & spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam in Chos inerant &c.* Hæc sunt illæ abyſſi, quas splendor sanctus nondum ad manifestam aquarum productionem penetraverat; quippe quæ ad faciem luminis subterlabi & fugere traduntur: Unde Psal. 77. 17. *Abyſſi præſentia Domini timuerunt & conturbatæ sunt.* Et Merc. Trism. Pimand. 1. *Umbra horrendæ obliqua revolutione subterlabebatur ineffabili tum vultu agitata.* Et Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas:* Namq; illic Mem clausum aperitur, & fit \aleph hoc est, Mem apertum: Etenim Spiritus Domini penetravit in abyſſum, & revelavit aquas, quæ in abyſſo tenebris obductæ occultatæ fuerunt: Nam primum ferebatur super aquas, cælorum viam sphericam delineans; & deinde in profundum abyſſorum obscurarum penetrabat, quæ in illarum ventre deformi occlusæ erant, & loco nihili habebantur, tandemq; ipsius præſentia manifestabantur: *Rotunditatem (inquit Sapia) cælorum in tota terra circumivi sola; in abyſſorum profunditate ambulavi &c.* Eccles. 24. Ex his igitur videmus, quod abyſſus, cujus facies tenebris obruta erat, proximo gradu se habeat ad suam matrem hylam, è cujus ventre & gremio incepit clauso vultu \aleph apparere, & more litigij vivis creatoris actionibus resistendo tandem deorsum à facie radiorum \aleph Jod proſequentis descendit, & ab increpationibus ejus fugit: Nec tamen ita Tetragrammati actiones lucidas evitare potuit, quin ipse sua sapientia ejus penetralia diligenti inquisitione perspexerit, resque nunquam revelatas in actum & esse produxerit: Sic itaque universæ aquarum mundanarum tenebræ virtute Chymicæ divinæ sunt sublata; & recondita est sexta ejus essentia in suprema machinæ regione, quinta autem essentia in cælo medio, atque essentia quarta in infimo; in cujus tandem centrum tenebrarum fæces ab humida totius expansi materia seu aqua universali, tanquam à circumferentia ovi Philosophici, ad suum centrum atq; meditullium fuerunt reductæ; juxta illud Job. 38. 37. *Quis numeravit cælos in sapientia, & quæ descendunt de cælis quiescere fecit, cum descenderet pulvis in duriticam illam, & glebæ sibi invicem adhererent?* Sed de his suo loco. Videmus ergo, quomodo abyſſus pro secunda tenebrarum specie numeretur, ac sit quasi filia hylæ seu tenebrarum generalissimarum atq; infinitarum, quarum expansio vasta ultra mundi creati margines in infinitum se extendit; cujus matris portio, ex qua tandem Pan seu universalis natura procreata est, dicta fuit Abyſſus universalis; sub cujus umbra aquæ universales informes mox producendæ comprehendebantur: Atq; hæc est ratio, quod ejus litera finalis est Mem clausum, arguens videlicet, quod parata fuerit abyſſus ad aquas deformes porrectione manus Dæmogorgonis seu Tetragrammati producendas; quæ, postquam in lucem editæ fuerunt \aleph dictæ sunt, ubi \aleph in medio inter duplex, Mem arguit tabernaculum solare, ex quo Jod, tanquam à centro illuminat tam aquas inferiores, per \aleph clausum significatas, quoniã cum tenebris terræ finiuntur, quam \aleph apertum, quoniam per ipsum effulſit Jehova in universum mundum. At vero jã de subalternis abyſſi speciebus, quæ ad hunc usq; diem in mundo remanet, verba nonnulla faciemus. Aliam abyſſum peculiarem scimus esse apud Jehovah absconditam ex Psalmistæ Regij assertionem Psal. 33. 7. *Abyſſos posuit Jehova in thesauris;* De quibus sic loquitur Sapiens Eccl. 1. 3. *Terra latitudinem, & cæli altitudinem, abyſſumq; & sapientiam quis investiget?* Sunt ergo abyſſi superiores, & sunt abyſſi inferiores; De superioribus jam existentibus sic loquitur sapiens Prov. 8. *Cum fortificaret Jehova superiores nubes superne, cum roboraret fontes abyſſi &c.* Fui ego sapientia latificans, & ludens ante eum omni tempore: Et Gen. 7. 11. *Fontes abyſſi & cataractæ cæli aperiuntur.* De inferioribus loquitur Psalmista Psal. 104. 6. *Terram operuit abyſſo ut indumento, super montes stantibus aquis ex increpatione tua fugerunt:* Unde videtur hic Propheta Regius abyſſum accipere pro nubibus, seu aquis densis. Hinc Psal. 104. *Nubes densa vehiculum Dei seu ejus currus,* Et Psal. 105. *Nubem expandit Deus pro regum tecto;* Et Job. 22. 15. *Nubes densa latibulum Deo;* Et Exod. 40. 34. *Nubes operuit tentorium conventus;* Et 1. Chron. 6. 1. Et 1. Reg. 8. 12. *Jehova dixit, se habitare sub caligine;* Quibus arguitur, quod abyſſus sit superius: Similiter densa nubes pro ipsis tenebris accipitur: Unde Josua 24. 7. *Posuit caliginem inter vos & Aegyptios:* Item aquæ densæ & tenebrôsæ ipsius maris pro abyſſo reputantur, secundum illud Exod. 15. 5. *Abyſſi operuerunt eos; descenderunt in profundum sicut lapis;* Et ibidem 8. *Abyſſi concreverunt in intima parte maris flatu narium tuarum;* Ubi abyſſum sumit pro fluctibus tetræ maris turgidi, & pro obscuritate aquarum propter densitatem earum: Unde etiam nubes densa dici potest abyſſus. Intelligimus igitur ex his, quod abyſſus sit nihil aliud, quam magna aquæ densæ, & propter profunditatem obscuræ ac tenebrôsæ congeries: Et quoniam ab initio totius massæ, universæ aquæ profundum propter lucis absentiam tenebris erat obductum, ideo illud abyſſus dicebatur, hoc est, massâ aquarum ingens luce orbata; Id quod etiam nominis ejus characteres primarij & vivi designant; \aleph \aleph , quasi \aleph Mem tenebris clausum, seu aquæ deformes: Unde Moyses primum mentionem facit Tenebrarum, & deinde Abyſſi, priusquã de Spiritu aquæ incubante verbû ullum pferat: Et revera reliq; abyſſi portiones, in huc usq; diem nominatæ, sunt potius abyſſi respectively dictæ, quã absolute, quatenus nihil jã existit, q; revera inane aut vacuum in mundo dici possit, quæ admodum in principio erat \aleph \aleph , ubi nullus lucis, aut formæ lucide character aut signaculum inveniebatur: Unde et pro maris profundo metaphorice sumitur, in quo nõ illucescit lux interna, aut pro nube obscura, in q; luminis seu ignis stigmata seu indicia non includuntur: Nã hujusmodi

abyssi species Chaos proprie dicitur; utpote in cuius medietullo ignea natura cum aquea, & aquea cum terrea nullo ordine observato continentur; id quod etiam ex Cabalistica vocabuli eius characterum inspectione facillimum erit discernere; de qua *capite sequenti* latius discurremus. Sub hac etiam tenebrarum specie comprehendi possunt tenebræ illæ Aegyptiacæ, de quibus scribitur, *Exod. 10. 23. Tenebræ Aegyptiorum tam magna fuerunt, ut alter alterum non videret, nec surgeret ullus de loco per tres dies*: Porro etiam tenebræ hæc fuerunt lentibiles seu palpabiles super terram Aegypti, ut quis eas palpare posset: Sed & tales fuerunt tenebræ illæ, quæ factæ sunt ab hora sexta usque ad nonam in passione Salvatoris, *Matth. 27. 47.* Cujus rei ratio in promptu est; quoniam videlicet Deus, qui est mundi lux unica, avertens fulgorem suum primo à regione Aegypti, & deinde à regno Judæorum universaliter per spatium dierum trium in uno loco, & trium horarum in alio permittit tenebras abyssi veras eo modo in aciem seu aquas inferiores irrepere, quo extiterunt Domini in principio, priusquam plene mundo affluisset lux; Atque ita \aleph de \aleph omni lumine privatum palpabiles reddebat tenebras Aegyptiorum; In altero vero loco tenebræ non fuerunt ita palpabiles, sed admirabiles valde, & modo supernaturali ortæ; De quibus Sanctus Lucianus Antiochus Martyr, in tormento suæ passionis & mortis constitutus, iudicibus in cruciatu ei astantibus acclamavit; *Perquirite in animalibus vestris, & in v. metis, temporibus Pilati, patiente Christo, etiam fugato Sole tenebris diem fuisse interruptum.* Nec certe erat eclipsis hæc sine insigni Dei digito, sive avertione manifesta faciei ejus ab iniquitate facti, ac si tale facinus intueri noluisse; quoniam tria ipsam comitabantur miracula; quippe quæ (quod dictum mirandum est) imprimis contra naturalem eclipsium communium ordinem facta est; utpote quæ nunquam in plenilunio, hoc est, in oppositione Lunæ ad Solem accidere solent; & vero hæc immediate post Solis oppositionem contingebat: Deinde pars Solis versus Orientem prius fuit obumbrata, & eadem postea lumen suum etiam prius recuperavit; quod itidem contra communem naturæ dispositionem evenire certum est; Denique, (quod omnium maxime prodigiosum, & fere incredibile existimari potest) in hora eclipsis Luna contra suum cursum naturalem tetendit, videlicet ab Oriente in Occidentem, cum motus ejus naturalis sit huic contrarius; & tum postea immediate post eclipsin finitam rursus motu suo naturali versus metam solitam, ab occasu, inquam, in ortum, deproperavit: Porro etiam Eclipsis hæc fuit *universalis*, quando reliquas e contra particulares duntaxat esse communis nos edocet experientia. Quare manifestum est, quod Deus Jehova salutarem vultus sui lucem per trium horarum spatium ab inferiori mundi regione, utpote in qua tenebræ illæ per totam istius spatij intercapedinem, videlicet inter horam sextam & nonam, in cælo infimo ad instar at ylli primæ perdurarunt, modo mirabili & ineffabili averterit. Sub hac etiam specie erat caligo illa, de qua loquitur Josua 24. 7. *Posuit caliginem inter vos, & inter Aegyptios*; quantumvis etiam hæc tenebrarum species ad Chaos dispositionem quam aptissime referri possit.

C A P. VII.

De tertio tenebrarum regno, quod Chaos appellatur.

Quod Chaos sit tertius tenebrarum gradus à duobus superioribus distinctus ex vocabuli ejus characteribus vivis elicere atque animadvertere possuimus; videlicet; \aleph , id est, *tenebræ vel Chaos*: Atque hæc tenebræ non sunt ita inanes & vacuæ, ut præcedentes, quibus nullus inerat lucis character; sed ipsius divinitatis thesauris repletæ: Nam in suo centro habent Shin, quod est hieroglyphicum ignis atque lucis, & symbolum Trinitatis individua; unde tribus protuberationibus sursum tendentibus insignitur: Atqui hoc ψ ex omni parte velo obscuro & terribili ipsius \aleph ex parte anteriori tegitur; quod est signum terroris & locutionis, quoniam per illud quandoque penetrat Jehova suis radijs, & mundo loquitur: Sic etiam litera densa atque obscura ex alia parte, videlicet \aleph Caph finali, quod est volæ index, sic enim Jehova volæ manus essentiam faciei suæ abscondebatur a vultu Moysis) operitur atque occultatur: Unde in quadam quasi abyssio secundum deprehenditur, ubi verum est mundi agens seu mas, veraque ejusdem scæmina seu patiens simul in eodem vehiculo denso & obscuro comprehensa; Et per consequens propinquiore est hæc tenebrarum species creationi quam cætera dux, quatenus actum totius perfectionis in se continet; Imo vero hæc nonnunquam dicitur Jehovæ laribulum, cuius solius est *umbra in lucem educere*; juxta illud *Job. 12. 22.* antea allegatum: Atque hæc est illa caligo, sub qua ipse Jehova se habitare asserebat: De quibus etiam intelligitur hic Psalmista Regij sermo *Psal. 139. 11.* Ne tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin Deus prævideat, sed nox remota ut hyla & abyssus, sed ad formam & situm regularem suscipiendum in potentia proxima. At vero quatenus Chaos hoc in sua natura propria existit, ita definitur *moles rudis, indigesta, caliginosa, in qua omnia sunt confusa, & male posita*: Hoc erat prin-

principium tenebrarum tertium à suo fonte hyloso, ab initio hians; à quo fonte ejus substantia deformis emanavit. Sunt tamen & alij, qui illud definiunt materiam cœli & terræ informem: Sed tamen isti (ni fallor) in eo peccarunt, quod Chaos acceperunt pro ejus matre abyſſo: Vel saltem convenire potest hæc eorum opinio cum Chaos, ut accipitur pro infima abyſſi specie: Unde etjam dixit Mercur. Trismegist. Pimand. 3. Erat umbra infinita in abyſſo; aqua insuper & spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam in Chaos inerant: Ubi tamen tenebras abyſſi in hoc à Chaos distinguere videtur, quod umbram infinitam seu tenebras infinitas in abyſſo esse dicit; accipiendo videlicet ea ratione totam hylam pro inani & vacuo, & Chaos pro omni illo informi non vacuo, quod aquam & spiritum intellectualem per divinam potentiam, hoc est, informationem lucis divinæ occulte in se continebat; quæ divina potentia per Ψ in medietate significatur; Vel etjam eo in loco pro \aleph , seu abyſſo hoc totum significari potest; in quo vocabulo \aleph infinitas hylæ tenebras arguit, quatenus denotat in mundi dimensione, ultimum diametri finem, seu principium materiæ inanis & vacuæ infinitæ hylæ; Unde dixit; *Erat umbra infinita in abyſſo &c.* Et per aquam \beth & per spiritum intellectualem γ quod est character nominis ineffabilis intelligit: Sed jam, Deo suum velum & peplum tenebrosum deponente, & in mundum tertio die prospiciente, atque ita natura humida cum omnium rerum forma se patefaciente, ultima atque infima tenebrarum moles producta est in lucem, uti infra declarabitur. Atqui, ut hoc in loco animi nostri sententiam de abyſſo & Chaos aperiamus, non sine consilio hæc eadem iterum iterumque nobiscum reputando dicimus, manifestum esse, quod Deus Archetypus, quem *Pimandrum & mentem divinam* vocat Merc. Trismegist. suo spiritu igneo non à centro abyſſi mundi primum egerit, sed à circumferentia potius; quatenus dicitur, quod *Spiritus universalis Elohim ferebatur super aquas*; non in aquis: Unde hic spiritus erat prima emanatio ab Aleph lucido seu \aleph Jod Tetragrammati: atque omnes aquæ, super quas ferebatur, non erant intrinsecus informatae, sed erant deformes adhuc, & tenebris obrutæ, ac nihil aliud, quam vera mundi universalis abyſſus caliginosa; in cujus superficie spherica apparebat nudus spiritus aqueus abyſſi, tenebris paulatim exutis & deorsum obliqua revolutione propulsatis: Hæc, inquam, massa universa tenebrarum è gremio hylæ exterioris quiescentis \aleph dicitur: ubi per \aleph spiritus in potentia tenebris \aleph tegitur; quod \aleph , cum sit ultima litera, loco Aleph finalis seu 1000. seu tenebrosi, & in profundo abyſſi immersi, quod & idem est quod Omega, accipitur. At vero ejus centralior pars spherica, in quam Deus Elohim mundum constituit, & cui spiritus circulari motu incubabat, vi lucida spiritus ignei à sua matre Hyle separata abyſſus, seu profundum dicitur; super cujus facie tenebræ erant; vel, juxta Mercur. Trismeg. *Erat umbra infinita in abyſſo*: hoc est, tenebræ erant ubique super vultum abyſſi: è cujus tamen facie superficiali, emicante ipsa luce è facie Jod, \beth seu aqua obscuro modo subito apparere cœpit, hoc est, in ipso momento apparitionis spiritus Elohim: Unde \aleph vertitur in \beth ; videlicet \aleph in potentia jam manifestari incipit, & in \beth obscurum vertitur, hoc est clausum adhuc, & non apertum: Unde \beth est Mem finale; quasi finitio ipsius abyſſi per præsentiam spiritus, qui super Mem ferebatur: Deinde virtute invicta Spiritus Sancti agentis, umbræ horrendæ, seu aulæum, seu pellis obscura aquarum deorsum pulsa paulatim & gradatim tollitur, atque aquæ mundificantur: Unde prima spiritus apparitione prima dies facta est, & primi dici opus; videlicet purificatio spiritus, seu aquarum subtilium à terra sua deformitate, & sorde tenebrosa; ex cujus spiritus ita mundificati elementis (quæ distinguuntur secundum majorem aut minorem naturæ igneæ dominationem) creaturæ ordinum 9. juxta Dionysij sententiam, creatæ sunt: Atque ita abyſſi tenebræ seu umbræ per unum gradum magis deorsum propulsatæ sunt; eoque modo tenebræ in abyſſi inferioris compressione sunt fortificatæ: Deinde secunda spiritus apparitione secundus dies factus est, in quo tenebræ abyſſi per unum alium gradum magis deorsum pellebantur; atque ita aquæ seu spiritus regionis mediæ sunt revelati; & retractione spiritus intra nubem seu sedem suam segregatam succellit nox secunda; eaque ratione omnes hæc tenebræ in infimam abyſſum descenderunt, ubi tenebræ valde contractæ & compressione compactæ sunt; ita ut diligenti jam observatione videre liceat, quomodo 4. elementa in hanc massam obscuram congregentur, cujusque substantiæ & naturæ existant. In primis igitur intelligendum est, quod omnes partes informis abyſſi fuerint homogeneæ & ejusdem naturæ in densitate, ac esse potentiali; quatenus illa nullam habuit in se vim igneam, cujus virtute majori aut minori pars ejus una esset alia grossior aut subtilior: At aliter sese res habuit post spiritus increati à luce revelationem: Nam ubi major spiritus præsentia erat, ibi materiæ seu aquarum substantia subtilior, purior, atque in minori quantitate erat; quemadmodum in *libello meo, de arte physica pyramidalis* luculenter & exacte demonstratum est: Unde sequitur, quod propter majorem spiritus in summis cœlis præsentiam, abyſſi substantia in forma aquarum spiritualiū jam revelata (quæ eadem erat in potentia cū cæteris quantitate, valde tenuis sit facta: Atque hinc fit, ut densior ejus pars cum tenebris in forma umbræ deorsum reverberetur; quod quidē tam subtiliter fieri non potest, quin scintillæ nonnullæ lucis æternæ, à spiritu grossiori incluse, in tenebrarū illius loci portione rapiatur: Unde spiritus hic locū digniorē in Chaos uni-

universo sibi vendicat; Et proinde hujus cœli Empyreï superfluitas partim in elementum ignis regionis infimæ secundū suam puritatem, & partim in lutum superiorem terræ regionem constituens, ex quo animalia opaca, secundum fœcum loci istius qualitatem procreantur, transit. Porro etiam, quoniam minor vis lucis divinæ concurrebat ad producendum cœlum æthereum, ideo ejus substantia est spissior illa Empyreæ: Unde ex puriori spiritu in tenebris ejus portionis abyssi incluso, post Chaos ordinationem cum calore ejus mediocri, quem à luce spiritus divini in eo loco ad purificationem surreplit, elementum aeris est productum: Simili etiam ratione maria, flumina, & aquæ omnes visibiles è spiritu tenebrarum infimarum, seu portionis abyssi infimæ fiunt; quæ sunt tam dense, spissæ, & frigidæ propter debilitatem spiritus lucidi agentis in hanc regionem, ac propter forte in resistantiam spiritus grossi & rebellis tenebrarum omnium, quæ in terram & maria congregatæ sunt. Similiter terra fit ex congregatione spiritus densioris, opacioris, & magis tenebrosi, ac quali fœcum, & cinerum, & capitis mortui totius extracti; in qua sunt tres terrarum differentie, triplici portione tenebrarum cujusq; cœli respondentes; quarum etiam qualibet cuilibet trium creaturarum opacarum regno, videl. animali superior, vegetabili media, & minerali infima referri videtur; quemadmodum *infra* latius. Sed, ut ad rem nostram redeamus, tres hujusmodi tenebrarū portiones post diem secundum, vel secundam spiritus ignei occultationem in ipsius latibulo, in infimam abyssum congregatæ, & luminis divini ignem in se includentes, atq; simul etiam hæc 4. elementa de quib. verbo uno locuti sumus, hæc, inquam, tenebrarum massa, seu abyssus caliginosa universalis deorsum ita propulsata, non est quiddam inane aut vacuum; sed igne essentiali & spiritu per præsentiam illius lucis quodammodo varium in modum formato instructa & repleta est: Veruntamen adeo confusæ sunt hæc substantiæ, adeo tenebris litigiosis & dissonantibus intermixtæ, ut nullus in ijs observetur naturæ ordo; Ignis enim cum aqua contendit, & aer humidus cum terra sicca confunditur, atq; ita omnia tumultuarie subvertuntur, donec Verbum Domini cum Spiritu igneo tertium diem producens omnia illo die bene disposuit, & vinculis pacis omnia ad invicem ligavit, juxta illud Merc. Trismeg. *Pimand. i. Deniq; commota sunt à spirituali Verbo, quod super ijs ferebatur, aures eorum circumsonans &c.* Sequitur igitur, quod hæc tenebrarum congeries, & elementa discordantia ac in vicem litigantia, imo vero & lucis divinæ portionem in ventre suo includentia, dicantur Chaos, quod est illa caligo seu tenebræ, quæ \aleph appellatur. Nam ψ , i.e. ignis in ejus medietate in spiritu triplici confuso modo, tanquam ignis in nube densa includitur: Unde Chaos rectissime definebatur *materia rudis, indigesta, atq; confusa, ab initio hians*: Ac jam tandem ad tertiæ dispositionem post completam aquarum universalium perfectionem, & à tenebris densis mundificationem, hoc est, post cœlorum complementum pede & gradu festino me conferat.

C A P. VIII.

De ultimo Tenebrarum gradu, videlicet de elemento terræ; Et primum de vivorum eius nominis characterum significatione.

REdactis abyssi tenebris per duplicem spiritus lucidi circumgyrationem in illam dispositionem, quam vocavimus Chaos, seu \aleph , tandem tertia illius spiritus apparitione tam cœlum quam terra completa est, omniaq; vera numerorum proportione, aptissimiq; justitiæ tuæ ponderata & disposita sunt, juxta illud Merc. Trism. *Pimand. 3. Floruit & splendor sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit &c.* Cumq; indistincta fuissent levia, postmodum in excelsum regionem provolarunt; gravia sub arena humida refederunt: Hoc itaq; modo tam terram quam cœlum procreatum videtis; de illa peculiariter hic agere intendimus; Nominis ejus primarij characteres sunt hujusmodi; atq; ita disponuntur \aleph ; ubi lucis inopia in centro per \aleph significatur, & externa terræ fertilitas per \aleph arguitur, quod est jam luminis fons, quatenus externum & lucidum, ac tenebrarum origo, quatenus quiescens, ac tenebrosum, & in ventre hylæ occultum. In hoc ergo mysterio \aleph dies & nox primum declaratur, quatenus Aleph præponitur, quod est litera lucida & formalis; & ψ postponitur, quod est litera materialis, & inter numeros denarios Alphabeti inventa: Nam ψ Tzade denotat elementa materialia: Porro etiam \aleph ex una parte denotat lucem increatam in superficie tenebrarum; Et ψ ex altera denotat elementa ignis, aeris, aquæ & terræ, inde arguens, quod ex tercia massa seu prima materia tenebrosa 4. elementa exilierint. Porro etiam \aleph regnum animale indicare potest, in quo est plus ignei atq; divini, ψ vero regnum vegetabile, in quo aer prædominatur, & non tantum ad est lucis, & \aleph regnum minerale, in quo densa aqua dominium habet, & minime lux, utpote quæ in corpore minerali tarde movetur & lente propter materiæ compressionem. Præterea etiam \aleph arguit tenebras supremas, immediate ab Aleph illuminatas, ex quibus sunt corpora opaca animalium; ψ tenebras medias designat à luce intermedia vivificatas, ex quibus sunt corpora vegetabilium; Et \aleph Resh denotat tenebras infimas à luce infima essentialitatas, ex quibus corpora mineralium sunt compacta; Atque horum omnium columna & sustentaculum in centro \aleph occultatum, à quo tota massa obscura statuminatur, est Verbum Dei, seu lapis ille angularis, de quo Job. 38. a. 4. *Vbi nam eras,*
quando

quando fundabam terram? Quis disposuit mensuras eius, quod noscas? aut quis extendit super eam lineam? Super quo bases ejus sunt defixa? aut quis jecit lapidem ejus angularem? Hinc etiam Proverb. 3. 19. Terram fundavit Deus sapientia, & cælos intelligentia. Simili etiam modo Carbunculo, divino afflatu emisso, statuminatus est Sol in suo loco, qui lapis est fundamentalis ipsius tabernaculi divini, quod Iehova posuit in Sole. Hic ergo lapis est verus ille Sol centralis, seu Archæus naturæ divinæ, seu virtus Terragraminati in tenebris ambulans, (juxta illud, Ecclesiastic. 24. In profunditate abyssorum ambulavit sapientia &c.) quo terra, olim ante creationem inanis & vacua, jam fecunditate plena, & virtute feminaria ac multiplicativa redundare observatur; Imo vero ipsa ΥR : Terra totius mundi pulchritudinis, tam materialis, quam formalis, portionem haud exiguam virtute atq; potestate istius magnetis Deiformis copiose & quotidie ad se attrahit. Quod autem hæc Terra in se & per se sit evidentissima tenebrarum substantialium portio, nos edocent per multa sacratum literarum testimonia: Etenim primo videtur Job. 17. 12. Terram appellare, *sepulchrum*, (quod etiam secundum Hieronymi translationem *pto inferno* accipitur;) & illam etiam vocat *ipsas tenebras*, dicendo; *In tenebris instruo strata mea*, hoc est, *instruo sepulchrum meum in terra*: Dicitur etiam *sedes Principis tenebrarum*: Porro quoq; vocatur *pulvis, cineres, lutum, corpus opacum &c.* Similiter ab hujus Esse tenebroso deducitur nox, secundum illud Job. 17. 11. *Propinqua est nox propter eius tenebras*: Unde definitur nox nihil aliud esse, quam terræ opacæ inter utraque hemisphæria positio: Sic ergo vocat Job. 4. 9. *Corpus humanum domum obscuram hominis interni*: Et Sap. 5. 15. *Corpus opacum, infectum corruptione, vocat habitationem terrenam*; Et Ioan. 1. dicitur *Vita esse in tenebris*, hoc est, in tenebroso carcere: Deniq; terræ opacitatem optime describit Job. 10. 21. hisce verbis; *Cum nondum abivero, unde non sum rediturus, in terram tenebrosam, & mortis caliginem opertam, Terram obscurissimam, similem caliginem umbrae lethalis, & expertem vicissitudinum, utcumque splendet, similem caliginem*. Ex quibus, si ipsa experientia nos non admoneret, attamen & vel sacrarum literarum luce videre possemus, quod terra sit opacissima & tenebrarum congeries; uti cælum est aquarum limpidarum & lucidarum in sphaerico mundi mari coacervatio.

C A P. IX.

De terræ origine, duritie, opacitate, sede, compositione, figura, immobilitate, fundatione, & usu.

IN præcedentibus dictum est, terræ molem atque materiam esse ex hylæ tenebris: At vero, quia secundum D. Petri doctrinam. 2. Eph. 3. 6. *cæli & terra dicuntur prius fuisse de aqua, & per aquam consistere in Verbo Dei*; nonnulli obijcere possunt, terram ex aqua creatam esse, & non de substantia tenebrosa: Quibus respondere licet, quod ipsa terra sit totius aquæ immensæ olim informis, quæ abyssus vocata erat, quali fax & sedimentum: Sic enim vidimus ex cænofo & turbido Tybris Romani flumine aquam densam, opacam, atq; minime diaphanam extractam; quæ per 24. horas in vasculo quiescens, tandem secessione materiæ opacæ & lutosæ in fundum, clara, diaphana, atq; perspicua facta est; ejuſq; cænosam materiam in fundo residentem, in densam atq; glebosam terræ substantiam compactam percepimus: Eodem plane modo Deus virtute Verbi terram tenebrosam ex aquæ immensæ penu ac farragine confecit: Videmus enim, quod ex aqua pura & limpidiſſimâ cristalli, & etiam gemmæ perspicuæ naturali operatione generari soleant: At vero, si terra perspicua ex aqua generatur, non est dubium, quin terra etiam opaca & tenebroſa ex turbida abyſſi tenebroſa, quæ deformis substantia per coagulationem quandam frigidam in lucem profertur possit: Præterea etiam commune est hoc inter Philosophos axioma, quod res omnis materialis resolutione vera in suam primordiale materiam seu substantiam, ex qua primum orta est, reducat: At qui terram cujusque naturæ in aquam converti communis nos docet experientia: Nam, si acciperis glebam terræ, vel etiam partem petræ, eamque usque ad calcem vel cineres combusseris, & cineribus istis aquam affuderis, ac per linteam eam aliquoties transmiseris, eoq; modo illam à cineribus separaveris, acerrimum inde fiet lixivium; quod si aliquot vicibus per alembicum, aliove modo, destillaveris, & sensim ad postremum incoxeris, & evaporare siveris, reperiens in fundo Sal; Hoc si tenuiter contriveris, & in marmore vel vitro in locum quendam humidiorum reposueris, resolvetur in aquam; ita ut exinde colligere queas, terram esse ex aqua: Quod autem de terra illa restat, est quasi terra inanis & vacua, in qua vis tenebrarum abundat; eaque est causa tenebrarum extremarum in corpore: Atque hæc terra impia apud Chymicos & damnata non inepte nominatur: Et tamen Deo nihil ita est impossibile, quin etiam menstruo aliquo salutari, ab ejus afflatu proveniente hoc corpus obscurum & inutile, pellucidum ac salutare reddere queat; ita ut inde edoceri possimus, omnia illa coram Deo bona & utilia esse ac haberi posse, quæ nobis mala, prava, & extra omnem salutis spem aut possibilitatem posita & constituta videntur: Nam Spiritus Dei (inquit Joann.) ubi vult spirat, & suo spiritu inconvincibili omnia in naturam suam convertere tentat: Tam suavis enim est spiritus sapientiæ, & tanta benignitate præditus. Colligimus igitur ex his, quod aqua sit tam terræ, quam

cælo.

cælorum origo; videlicet perspicua horum, & tenebrosa illius: Qua demonstratione infallibili inducimur ad credendum, quod Ψ seu aqua sit omnium existentium mater veneranda: At vero ita massa non constat ex aqua simplici, quatenus egressa est ex hylæ, seu abyssi tenebrosæ ventre; sed cum dispositione lucis ita permiscetur ejus spiritus compactus, glebosus, atq; petrosus; ut inde naturam igneam, æream, & elementam aquæ, itidemq; Sulphuris, Salis, & Mercurij in se contineat & possideat; atq; ob hanc causam receptaculum dicitur miraculosum fructuum omnium, vegetabilium animalium, & mineralium; Unde rerum omnium mater non immerito nuncupatur, vel vera mundi fœmina, in cujus matricem cælum, tanquam universi rotundi masculus, seminata sua deortum quotidie impluit atque infundit liberaliter. Hujus massæ sedem in totius peripheriæ macrocosmicæ centro esse tradiderunt nobis philosophi, sacra scripturæ suffragio ea in parte muniti, quippe quorum est sententia, quod ista moles opaca atq; immanis in medio aquarum in a Deo fundata, & ex omni latere aquis obducta; hoc est in aere libero, qui est aqua tenuis, absq; ullo columine, sustentaculo; aut fulcro fundata est atq; suspensa; inibiq; *Deus enim globum ita firmavit, ut immobilis illic in nullam partem propendat*, Psal. 92. Quod autem *Deus terram ex nihilo suspenderit*, docet dilucide & expresse Job. 9. Similiter, quod *terra in aquis firmata sit* indicat Psalmista Psal. 135. Atq; etiam Psal. 24. *Deum terræ fundamentum in mari constituisse* indicat. Ex quibus sat liquido constat, globum terrestrem in libero aere absq; fulcramento aut statumine, & sine ullis catenis in æterno Dei verbo constantissime & firmissime permanere, nec vi ulla, nisi divina, loco suo moveri; Quod quidem pro fidis quasi fundamentis ex istis Psalmistæ verbis colligimus; *Terram fundavit Deus super bases suas, ne dimoveretur in seculum, eamque operuit abyssus, ut indumento*. Quod autem ad hujus massæ seu molis ingentis figuram Geometricam attinet, intelligere debemus, quod Deus cælum, stellas, solem, & lunam, similiter elementa perspicua in figuram atq; effigiem sphericam diduxerit & creaverit; Unde sequitur, quæ ex concessis, ipsam terram quoq; esse ejusdem formæ atq; effigiei: Etenim hæc res omnes tam accurata rotunditate sunt fabrefactæ, ut nullus plane angulus in his reperiatur; atq; ita globus hic totalis est, ut ab omni parte partem habeat rotunditatem, adeo quidem, ut quacunq; etiam parte eum tangas, ibi semper medium ejus punctum offendas: Quod autem globi formam habeat terra, multis in locis Psalmorum nobis refert David, ubi mentionem facit orbis terrarum: Et sane forma rotunda ceteris omnibus magis est idonea, conveniens, apta, & accommodata ad usum; Namq; circulus, orbis, vel globus continet in se opus perfectum & absolutum: Et profecto, si diligenter res alias creatas inspicere velimus, eas etiam rotundas esse inveniemus, videlicet tam animalia, quam vegetabilia & mineralia. Quod deniq; ad hujus globi terrestis usum attinet, invenimus, quod, ut cælum est spirituum invisibilium receptaculum, ita etiam terra sit animalium omnium visibilium promptuarium & myrothecium: Est etiam quasi cista, abundanter repleta divitijs, ut designari illæ re multis quidem seculis possent; Est, inquam, cista quedam thesauraria Dei, repleta divitijs in usum hominum, & in honorem divinum: Deniq; quod ad ejus durationem attinet, docemur Ecclesiastici 1. 4. quod *terrâ in seculum sit permanens*.

C A P. X.

De tenebrosi orbis terrarum è perspicua aquarum, seu cælorum substantia extractione, eiusque ratione; Et de tribus eiusdem regionibus ab invicem natura distinctis.

Quod ante terræ aut cælorum creationem fuerint tenebræ super facie abyssi; & quod nox sive obscuritas successerit primæ, & secundæ, ac tertiæ diei, itemq; quod noctis umbræ horrendæ virtute lucis seu diei spiritualis sint obliqua revolutione dejectæ & subterlapsæ versus circularis peripheriæ, à primo spiritus ignei super aquas superiores motu factæ, centrum, in quo jam terra fixa est, antea verbis satis perspicuis declaravimus; uti & quod terra sit illa tenebrarû illuminatio, quæ immediate ante Chaos fuit appellata: Unde, ut in Ψ seu ignis & lux inclusa erat inter duas literas nebulosæ & opacæ; sic Ψ manifestat illam literam luminosam Ψ per Ψ : Nam, ut Ψ est mater luminis, sic etiam Ψ est tam tenebrarum quam luminis pater; Tenebrarum inquam, occultans sese in cætro latibuli obscuri, ut in Ψ ; Et lucis, manifestans sese, ut in Ψ : Atq; sic Ψ , quod est symbolû Tetragrammati, h. e. Iehova, est rex super totâ terram Ps. 47. 3. *Qui revelavit profunda è tenebris, & eduxit in lucem umbrâ lethalem*. Job. 12. 22. h. e. qui abstulit tenebras, quæ fuerunt super facie abyssi, & aquas mundificatione limpidas reddendo cælos revelavit, ac Chaos obscurû, seu umbram lethale, h. e. tenebras privativas in lucem eduxit; ac si diceret, in terrâ convertit utilem & jucundâ, sed tenebrosam; Atq; ita, juxta illud Sap. 11. 18. *mundum*, h. e. cælû & terram *ex materia informi & non visa creavit Deus*, efficiendo videlicet informationem & illuminationem tam perspicuum & purum, quâ opacû & immundû visibilia ac delectabilia, pariterq; cû ad honorem creatoris tû ad utilitatem humanâ valde necessaria: Porro est qd terra fuerit quadam immundities & impuritas seu fuligo totius massæ aqueæ perspicuæ & depurata, à cælo ad centum descendens, atq; luminis actu reverberata, verbis itidem expressis innuere videtur, Job. 38. 37. *Quis numeravit cælos in sapientia, & quæ descendunt de cælis quiescere fecit? Quum descenderet pulvis in*

duriciam illam, & gl'ba sibi invicem adhererent? His igitur certiores nos factos esse opinamur, quod omnes illæ tenebræ, quæ fuerunt super facie abyssi, in hunc unum locum sint congregatæ; illis tantum exceptis, quæ densis stellarum corporibus in hærent, & nihil aliud sunt, quam spiritus simul compacti densitas & spissitudo: Sic etiam videmus, quod multus aer simul congregatus faciat nebulam; & nebula compressione fit nubes; Similiter multa aquarum congregatio dicitur *abyssus*. Atque ita dicitur *Psalm. 104. 5.* quod *Deus terram operuerit abyssis; ut indumento;* Et *Exod. 15. 5.* *Abyssis operuerunt eos; hoc est profundo aquarum submersi sunt:* Et *ibid. 8.* *Abyssis concreverunt in intima parte maris flatu narium tuarum &c.* Ex quibus liquido constat, quod materia terræ sit quasi caput mortuum & fæx terrestris in magnò & stupendo illo opere verissimæ & primariæ Alchymix, in ovo Philosophico mundano relicta; quod ovum naturæ universalis in fornace ex terra sive luto inani seu vacuo, hoc est, in ventre & matrice ipsius hylæ continetur, ac virtute lucis & caloris Spiritus ignei aquis incubantis versus perfectionis metam tam diu concoquitur, quousque in forma vivi Spiritus omnino invisibile, & quasi Deiforme exeat; atque à mortalibus oculis fugiat & evanescat; quippe qui spiritus est sextæ essentix portio, ex qua constat cælum Empyreum: Atque hæ sunt aquæ seu spiritus illi subtilissimi, qui semper adsunt coram Jod, vel ante thronum Jehovæ; de quibus sic loquitur David *Psalm. 148. 4.* *Aquæ supra cælum laudant Deum;* Vel *Psalm. 104. 3.* *Cæli superiores reguntur aquis à Deo.* Ex hac ergo Spiritus portione fecit Jehova *cælos cælorum;* de quibus *Nehem. 9. 6.* Hæ ergo sunt illæ aquæ subtiles de quibus dicitur *Genes. 1.* quod *Deus separaverit firmamentum ab aquis inferioribus.* Deinde ex vino quintam essentiam elicere possumus; Atque etiam ex massa aquea universali extraxit Deus secundo loco naturam firmamenti; cujus mediatione aquæ puræ & spirituales à grossis & materialibus separantur; Et hoc firmamentum vocavit etiam *cælum*, in quo postea duo luminaria majora & reliquas stellas disposuit: Denique tertio loco & ordine essentiam quartam extraxit, in qua erat imini na ætus & essentix divinæ portio: Nam ita hæc sese habet ad cælos superiores, ut phlegma vini ad varios spiritus sui gradus; Etenim quo magis spiritus cum aqua phlegmatica permiscetur, eo debilior, indignior, & deterior est: Similis etiam ratio habetur in trium cælorum productione; quippe quorum purius ex prima aquæ universalis circulatione in ovo magno Philosophico, seu Macrocosmico efficitur, quæ circulatio fit motu spiritus increati luminis super aquas, illo instanti, quod dies dicitur; quamvis (ut mihi in occulta mea consideratione videtur) omnes septem creationis dies unico die completæ & comprehensæ sunt; Nec enim inconsulte loquor, cum hoc idem quoque videatur sacra scriptura asserere, dum *cap. 2. Genes.* ita legitur; *Istæ sunt generationes cæli & terræ in die, quo faciabat Jehova Elohim terram & cælum:* Verba Hebraica sunt *יומ* in die; non, in diebus: Quibus innui videtur, quod septem creationis dies mystico modo ab Antistite accipiantur; id quod etiam eos, qui in voluptarium mysteriorum divinatorum mare profundius sese immerferunt, latere præcul dubio non potest. Sed ad rem nostram revertendo dicimus, quod terra sit totius extractionis fæx, & tenebrarum, à perspicuo auxilio divino separatarum, appositio, ac à cælo ad imum, seu à circumferentia & summitate ovi mundani, tanquam à pileo seu alembico, ad centrum & quasi ad basin ac fundum cucurbitæ dejectio; In qua tamen face occultata est admirabilis virtus, videlicet Sal, tinctura, Mercurius; quibus res seminales in terra inclusæ multiplicantur, & seminaria cæli in matrice istius feminæ universalis naturaliter concipiuntur, & benevole tanquam sanguine menstruo conservantur ac nutriuntur; ita ut gradatim & pedetentim in utero generali augeantur & crescant, donec tandem in altum à terra in forma vegetabili exurgant, vel in forma minerali splendore & perfectione exalantur, aut etiam, hac matre universali formam animale induente, in figura & substantia animalium, tam super ejus mole & in ipso quoque sinu illius, quam in mari, & aquis atque itidem in aere nascantur & producantur. Sed hic jam multos latet mysterium, quomodo ex una eademque matre has tres propagationis species, natura & dispositione tam diversas, produci sit possibile, cum mineralis ejus filius sit fixus, sine ulla vita manifesta, cæteris duobus magis ponderosus, substantiæ magis grossæ, compactæ, rebellis, duræ, densæ, extra ejus matricem nunquam nisi vi prodiens, quieti amicissimus, circa centrum & venas matris suæ delitescens, paucitate caloris superni imbutus &c. dum ex adverso alij ejus filij, vegetabilis scilicet & animalis plane diverso & contrario modo se habent; quippe qui ad maturitatem in utero materno properant, & ut egrediantur tempore constituto, festinant, ac substantia, partibusq; materialibus & natura sunt molliores, lucis actioni obedientiores, ad subtiliationem promptiores, motui aptiores, utpote quo assidue se exercent, spiritu vivaciores, luce & anima pleniore, ac calore naturali ditiores, ita ut ejus etiam actionib. substantia illorum obedire cernatur. Similiter tantum videtur esse discrimen inter filium ejus vegetabilem & animale, quantum est inter mineralē & vegetabilem; Nam proles terræ vegetabilis è semine in terram matricem coniecto exurgit; substantiæ est valde aqueæ, caliditate nõ multū abundat propter frigidā aquæ multitudinem; corpus ejus est valde compactum si maturum, in terra per radices retinetur, sensu caret, atq; non movetur de loco in locū &c. dū interim filius terræ animalis modo penitus diverso se habet; quippe ad cujus generationē species terræ induunt; atq; ita terra & lutū parere solet filios suos animales, qui calido igneo sunt ditissimi, sensu & motu locali præditi spiritu cœlesti

perfusi, atque altissima regni terrestris dignitate sublimati. Harum autem trium specierum ratio, ni fallimur, (quis enim mortalium in dubio tam ancipiti se penitus ab omni errore alienum putabit) à triplici tenebrarum diversitate procedit, quæ tribus creationis diebus gradatim cum tali itidem spiritu, singulis ipsis incluso, ordine diviso repercussæ sunt: Namque primum tenebræ ex suprema abyssi facie deorsum propulsatæ sunt cum magna spiritus ejusdem cæli seu aquarum subtilium portione; quæ, cum essent viscosæ atque tenaces, lucisque divinæ & virginæ, qua informarentur, avidæ, scintillas infinitas illius lucis tenebrosam umbram perfectus secum rapuerunt, & sibi ipsis vendicaverunt: Unde tenebrarum seu tenebrosi spiritus hujus cæli dignitas non magis eminentis est super duas inferiores tenebrarum portiones, quam ejus spiritus in cælo Empyreo permanentis honor loco & essentia attollitur supra spiritum medium & infimum: Sic enim videmus, quod spiritus vini naturali instinctu superinnatet ejus oleo, atque iterum illud ejus phlegmati falso. Ratio autem, cui dignitas supremarum tenebrarum sit super alias, est, quia participat de immediato radio, & emanatione procedente à Deo Jod: Cum vero tenebrarum mediarum spiritus radios secundariæ lucis sibi rapiat, quæ lux est de portione lucis creatæ, ideo lux ejus non est adeo nobilis; quippe cum illa sit radius Dei, hæc naturæ. Denique lux tertiaria, cujus scintillas tenebrarum inferiorum spiritus sibi rapit & adsciscit, componitur ex luce duplici, videlicet Dei & naturæ; quæ duplici spiritui immergitur: Unde materia istarum tenebrarum rebellis est contra lucem istam compositam. Hinc igitur sequitur, quod, cum ex spiritibus cujusque cæli alter altero dignior & loco excelsior inveniatur, secundum majorem aut minorem lucis suæ propinquitatem ad naturam divinam, ideoque etiam necesse sit, ut tenebræ quoque hanc eandem obtineant in suo mundo tenebroso seu globo terrestri dignitatem & exaltationem: Nam per lucem istam divinam in tenebris terræ comprehensam dicitur Deus esse tam in terra, quam in cælo, dicitur *sapientia in terris esse*, diciturque *terra scabellum pedum Iehovæ*, uti *calum* in scriptura sacra *thronus ejus esse* traditur: Etenim in re omni se habet hic globus terrestris opacus, ut globus ille cælestis & perspicuus: Atqui tres invenimus in mundo diaphano regiones, quarum media, juxta sacri textus sententiam, separat infimam à superiore; Ergo etiam in obscura terræ machina tres sunt procul dubio regiones; quarum supremam ab infima distinguit illa media, ex qua egreditur vis vegetabilis. Sequitur igitur, probabile esse, quod natura mineralis sit de illa terræ regione, quæ est infima, tum quia locum possidet profundiorum & substantiam habet densiorem atque duriorum, tum etiam, quia animam habet à luce debiliore: Unde quieti magis datur, & tenebris fœdis obvolvitur in centro totius; adeoque etiam propter immensam suam gravitatem magis deorsum & ad infimam abyssum tendere conatur: Ex quibus perspicue liquet, quod hæc creaturarum species sit de tenebroso regno tenebrarum infimarum; ubi lucis efficacia minor atque indignior; propter rebellis materiæ abundantiam, esse reperitur; adeoque inde agnoscitur terram & aquam in mineralibus magis abundare. Simili etiam proportionem refertur compositio vegetabilis opaca ad regnum tenebrarum mediarum; cum ex media terræ parte seu regione, quæ videlicet ejus parti seu regioni superiori & superficiali propinquior est, vegetabilia enasci & exurgere percipiuntur; Nonne etiam, atherem cum ista regione comparando, videmus, quod Sol, ætheri regni Imperator, atque simul etiam cæteræ stellæ sint causâ vegetationis & multiplicationis? Quod autem ad creaturæ opacæ animalis regnum attinet; deprehendimus, ipsam ex luto & terra esse formatam, videlicet ex suprema terræ regione: Unde & calidior & fortior cæteris in igne & acre percipitur; adeoque etiam inde accidit, ut non modo motum localem habeat, sed etiam sensum: Quin &, quod majus est, ipse Adam cum suis, animal in igne, ex luto & argilla hujus regni quoad ejus externum formatus, de ratione & intellectu participat: Et quidem ratio hujus rei in promptu est, quoniam videlicet elementum ignis factum est ex spiritu superfluo è primis tenebris exiliente, & lucis supremæ dignitate ornato; Unde propter lucis dominium dicitur calidum & siccum: Sic elementum aeris ex spiritu superfluo cæli medij originem trahit; unde calidum est & humidum, propter æqualem spiritus & lucis temperiem: Elementum autem aquæ ex spiritu superfluo & luce debili infimarum tenebrarum procedit; atque hæc est ratio, quod aquæ & fontes sunt tam frequentes in intimis terræ visceribus; Unde aquæ propter exiguitatem caloris in illo regno frigida dicuntur, & humida; videlicet propter naturam humidam partis suæ tenuioris. Sed de his *infra* tuo loco luculentius.

Videmus ergo quod minerale regnum, utpote quod est infima tenebrarum portio, consistat ex aqua & tenebris infimis, regnum autem vegetabile ex aere & tenebris medijs, & regnum animale ex igne & tenebris supremis. Considerate, quæso, quod minerale conficitur ex corpore opaco & spiritu conformi; similiter quod vegetabilia corpus etiam opacum tegat cum spiritu leviori; ac denique, quod animalia velamen suum opacum cum spiritu maxime libero possideant: Unde hæc corpora ita ab invicem differunt non nisi varia terræ natura, cum vosmet ipsi, spiritus diversi rationem à diversitate elementorum procedere fateamini, quorum unum super aliud dignitate exaltatur.

Porro etiam, si corpus animale comburatur igne, exhibet violentiorem & vivaciorem flammam, quam vegetabile propter propinquiorem suam cum igne cognationem & dispositionem, aeri mistam; quippe cum vegetabili ignis minus, & aqua magis prædominetur. Similiter etiam vegetabile facilius accenditur, citiusque flammam concipit quam minerale; quod ignis violentiæ propter suæ substantiæ compactæ obstinatiam resistit: Atque ita quoque animal minores fæces seu cineres post sui combustionem relinquit, quam vegetabile, & vegetabile itidem minores seu pauciores, quam minerale. Cum igitur qualibet creatura sublunaris composita sit ex corpore & spiritu, necesse est, ut corpus idem tenebrarum proportionibus respondeat spiritui; Atque hæc est ratio, cur inter speciem & speciem, & inter genera & genera tanta sit differentia. Sed de his rebus in *capite sequenti* plenius dicemus.

C A P. XI.

Luculentior atque amplior triplicis creaturæ sublunaris, nempe animalis, vegetabilis, & mineralis declaratio.

Ratione in *capite præcedenti* allegata orta est intelligentiarum prima die creaturarum differentia: In his enim interioribus propter tenebrarum diversitatem animalia à plantis discrepare dicimus, quippe in quibus ignis magis abundat, & plantas seu vegetabilia à mineralibus, quatenus aer in illis magis exuberat: Atque hoc modo videmus, quod tenebræ, quæ primi cæli spiritus seu aquas tenebras ante creationem contexerunt & obduxerunt, primo spiritus divini apparentis actu deorsum abigantur & in exitum quasi eiciantur, in quarum tamen visceribus procul dubio Spiritus quidam crassus atque densus occultabatur, portionem haud exiguam scintillarum lucis, immediate à facie conditoris emissa, sibi avide attrahens & arripiens, raptamque sua viscositate firmiter retinens, tanquam cupiens vehementer à tetro suo carcere & captivitate inmani virtute illius liberari: Unde fit, ut nonnulla istius Spiritus portiones propter convenientem lucis ijs inhærentis quantitatem liberentur, & more tui artificialis virtute ignis sui incorruptibilis in cæli octavi concavitatem eleventur, ibique immobiliter aquarum frigore congelatæ stellas innumerabiles fixas constituent: Velerjam propter scintillarum, quas possident, exiguitatem in tenebris semper habitant; ex quibus corpora illa opaca quinto & sexto creationis die sunt producta, quæ animalia dicuntur; Nam quatenus spiritus in tenebris occulti formam receperunt, & scintillam splendoris à divinitate immediate emanantem, necesse est, ut in tenebras agant, easque huc atque illuc pro voluntate & appetitu suo ducant.

Porro etiam, quoniam lux ista inclusa immediate à Deo, lucis & vitæ fonte, scaturit, ideo necesse sequitur, quod illa forma propter efficaciam suam nobiliter creaturarum genus ex inferioribus procreet; videlicet animale; quippe quod vegetabili & minerali longe præferendum est, quatenus ignis in eo præ cæteris habet dominium, qui est elementum reliquis loco, actione, & puritate dignius. Videmus igitur rationem non modo probabilem, sed etiam, uti opinor, satis manifestam, cur animæ à primordio corporibus opacis inclusa fuerint, & quod corpus fere sit nihil aliud, quam carcer, ipsum spiritum & lucem in eo inclusam aggravans, secundum illud Sapientis *Sapient. 9. 15. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena habitatio deprimit sensum &c.* Hic ergo ratio ultro se offert, cur corpus animale sit mortale, & passionibus atque mutationibus obnoxium; videlicet, quia est tenebrarum seu terræ congeries, quæ semper actionibus lucis resistere, motui contrariari, vitæ adversari, & omni tristitia animam & spiritum (si modo lux divina unquam afflictioni subijci potest) affligere parata est: Hinc morborum atque mortis origo; hinc vitæ animalis infortunium, hostisque exitialis: Et tamen, si scintillæ vitalis vigor sufficiat, ejusque pabuli seu Spiritus latex suæ flammæ correspondeat, tetrum atque obscurum illud animalis elementum obediens redditur, vitæque functiones coacte perficere cogitur: Atqui si in spiritu, aut luce ejus, in verbo divino mystice habitante, aliquem percipiat defectum, protinus more proditorio lucem ardentem atque violenter injurijs aggreditur, eamque eradicare & extinguere è vestigio conatur; atque ita in motu hoc contrario primo loco ut plurimum præcedit morbus, quæadmodum pugna & bellum præcedit victoriam, atque ultimo succedit mors & interitus, nisi medicamentis promptis adjuvetur natura, ac viribus suis mirum in modum recollectis, in hoc conflictu tandem victrix evadens pristinam vitæ suæ valetudinem recuperet & denuo acquirat. Eadem plane ratione spiritus adhuc crassior cum secundæ mundi regionis tenebris deorsum obliqua revolutione propulsatus, lucis secundariæ, seu virtutis, scintillas secum rapuit; quarum portiones septem propter copiosum lumen in ijs inclusum, post perfectam universarum tenebrarum, in centro, tertia die congregatarum, dispositionem in altum evolaverunt, stellasque erraticas constituerunt, quas Planetas septem appellamus; Reliquæ vero spiritus mediæ cæli partes, quarum lucis scintillæ non potuerunt sufficere ad ipsarum ex ventre Chaos, seu tenebrarum secundarum captivitate liberationem, in tenebris semper permanserunt, ac secundum

dum sive medium illud compositorum genus constituerunt, quod vegetabile dicitur; cujus lux & calor est minor, quam animalium, quemadmodum & ipsa lux medij cœli, quæ dicitur actus naturæ, non est ita efficax, ac illa cœli supremi, quæ vocatur actus Dei, sive prima atque immediata lucis à fonte divino emanatio, quæ ineffabilis est efficaciz & mirabilis virtutis, quatenus Verbi sacrosancti essentia est repletissima: Atque hinc est, quod lux animalium, quamvis sit in spiritu interno inclusa, & corpore obscuro circumducta, emicat tamen ex suis tenebris, & eminus res externas conspicit, rerum præteritarum recordatur, de rebus longe distitis quodam rationis instinctu cogitat, easque quasi oculis spiritualibus intuetur; Et quamvis spiritum, in quo includitur, ad cœli stellati cribrum & diaphragma exemplo & imitatione stellarum fixarum sublimare nequeat, attamen inclusi luminis ejus radij longe lateque orbiculariter non aliter disperguntur, quam illæ lampadis flammæ seu candelæ, quarum radix licinio fixe adhæret; Imo vero hæc quidem lux in homine tam excellens est & insignis, ut sua subtilitate usque ad thronum ipsius Archetypici assidue penetrare soleat; nec ullum corporis interstitium ejus actus ullo modo impedire potest, quo itatus extrema, terræ & maris, ac quæ supra sunt in cœlis speculari & perspicere queat: In cæteris vero animalibus lucis fulgor non ita se dilatat; sed tamen ad ipsa sydera ipsis etiam datum est visione ascendere. P. æterea tanta est hujus scintillæ vivacitas, ut animal è terra in altum saltu levi exilire soleat, quemadmodum in leone, fele, cane, cervo, serpente, homine, & hujusmodi alijs videre licet. Nonne etiam quotidiana animadvertimus experientia in vegetabili, quod in eo lucida tenebrarum mediarum scintilla sese, tanquam captam, auxilio radiorum cœlestium seu fratrum suorum redimere omnibus viribus tentet ac annitatur? Unde illa in planta sua ex terra exurgens, & fugam è corpore opaco appetens sursum tendit, ac secum naturam igneam (quæ ei, utpote de natura quintæ essentia participant, vinculo naturali colligatur) in altum rapit: scd, quoniam eadem ratione aer alligatur igni, ideo ipse simul cum igne ascendit; Simili etiam concatenatione aqua cum aere sursum vehitur; ac deniq; ipsa tera modo haud dissimili aquæ, legibus naturæ nexuque firmo conjuncta miseram illam fugitivam non aliter radice firmata in regione corruptibili & mutabili detinet, & ne altius versus patriam suam ascendat, impedit, quam corpus animale opacum, & terrestre ipsam animam in eo detentam vi & vinculis terrenis in suo ventre putrido, & animæ perfectionibus odioso, & omnino adverso custodireprehenditur. Ex quibus cernitur, quod ignea vegetabilis natura non sit ita efficax, quam illa animalis in suis operationibus, quatenus hæc immediate à naturæ radijs, hoc est, à radijs secundæ emanationis, illa vero immediate à Dei radijs, seu primæ emanationis fulgore derivatur: Unde vegetabilium spirituum in tenebris medijs seu secundarijs inclusorum radij actione debiliores sunt, quam scintillæ spirituum in tenebris primarijs incarcerationum: Hinc igitur fit, quod natura tenebrarum primariarum, seu prima die deorsum propulsatarum, ex quibus animalium corpora, quoad eorum externum conflantur, & complexio spirituum in ijs retentorum, ex quibus materia animalis interni, ac lux essentialis, seu primæ emanationis, cujus præsentia in esse deducitur animale genus, non aliter supra naturam vegetabilem dignitatè exaltatur, quam natura vegetabilis exaltatur supra naturam mineralium, quæ ex luce tertiana, & tenebris infimæ mundi regionis cum incluso ipsarum spirituum in conditionem corporum opacorum creata sunt: Atque ita videmus rationem, cur creaturæ animales & vegetabiles in dispositionem & naturam corporum opacorum & tenebrorum sint productæ; Restat nunc ultimo loco narrare, cur corpora mineralia ultimum in creatione locum obtineant, & de eorum proprietate atque dignitate ad amissim tractare. Ut igitur animalium externum ex tenebris primo creationis die à cœlo primo deorsum percussis conflatum diximus, eorumque internum ex spiritu superfluo ejusdem cœli & scintillis lucis eidem spiritui incluso in hærentibus; (Unde secundum diversitatem proportionis primum lucis, & tum postea spiritus, ac denique multitudinis tenebrarum genus animale differt, primo quidem dignitate & vivacitate propter multitudinem lucis, ut in homine; deinde levitate & velocitate propter multitudinem spiritus ut in avibus, fele, & similibus, ac denique tarditate & magnitudine propter multitudinem tenebrarum, ut in Elephantæ & Ceto; similiter ubi adest multitudo tenebrarum cum multitudine spiritus tenuis, & lucis sufficiens quantitas, ibi ex illis prodeunt volatilia cœli; quod si adest multitudo spiritus grossi cum paucitate lucis in varia tenebrarum quantitate, oriuntur inde aquatilia; sed si adest multa lucis quantitas in paucis, ac tenui spiritu, generantur inde Salamandra & serpentes, quibus subtilitas testimonio sacrarum scripturarum attribuitur; Verum si grossus sit spiritus cum talibus quoque tenebris, tum prodit inde buto &c. quæ omnia inter genera reptilium recensentur;) Similiter, ut vegetabilium externum ex tenebris secundo creationis die à cœlo secundo seu regione mundi media percussis conflatum diximus, eorumque internum à spiritu earundem (qui est densior & magis superflua pars spiritus ætherei, cum tenebris ejusdem cœli in creatione deorsum percussa) & lucis talis, videlicet emanationis secundæ portione, quam naturæ actum appellavimus, (secundum cujus spiritus majorem vel minorem portionem plantæ proceriores vel minores & submissiores in terra reperiuntur; iridemque etiam secundum lucis majorem portionem in tenui

ori & pauciori spiritui herbæ, plantæ, & fructus aciores & qualitate calidiores, naturæque ignis propinquiores inveniuntur, uti in herba Flammula, & omnibus, quæ calida & sicca sunt in aliquo gradu: Atque hic notandum est, quod, quo magis intensa est caliditas eo minor sit spiritus primarij proportio, in quo inest scintilla lucis; quo autem illa est minor, eo magis ipse digreditur à multitudine lucis ad dominium spiritus; Veluti, illæ plantæ, quæ sunt calidæ in 4. 3. 2. & 1. gradu ita se habent, ut in illis proportio lucis videatur spiritus sui, cui inhaeret, naturam adæquare; At si spiritus tenebrarum dominium habuerit super lucem, tunc dicitur herba vel planta in eo gradu frigida & humida quo remouetur à natura lucis versus sedem qualitatis tenebrarum, quæ est frigiditas; ut, puta si discedat per unum gradum à temperie versus cruditatem, tunc excedit frigiditas & humiditas naturam caliditatis, quæ est lucis qualitas, per unum gradum; atque sic in cæteris; Sed de his rebus latius suo loco, Deo adjuvante discurremus. Porro etiam tenebrarum super lucis proportionem dominio, cum spiritu crasso & denso magna vegetabilia produciuntur, ut Quercus, Fagus, & hujusmodi alia, de quibus etiam *infra* luculentius.) Ut igitur (inquam) hæc duo creaturarum genera à duplicium superiorum tenebrarum portione orta sunt; sic etiam verisimile videtur, quod mineralium externum sit de tenebris cæli tertij & infimi, tertio creationis die complete ad machinæ sphericæ centrum repercussis, atque in massam caliginosam ibi redactis & congregatis; eorum vero internum ex spiritu grosso, ponderoso, atque compacto, & luce debili, pauca, ac mixto materiæ onere oppressa (quæ est tertiæ atque ultimæ emanationis effectus) in prædictis tenebris rebellibus & horrendis inclusis: Magna etiam lucis proportio cum æquali spiritu & tenebris producit aurum; Unde illud ab Alchimistis Sol appellatur; Magna autem spiritus, & minor lucis, ac minima tenebrarum proportio Mercurium in lucem edunt; Et major tenebrarum portio constringit illum Mercurij spiritum in plumbum; Cui si lucis major facultas accedat, Saturnum tristem in lucidiorum & magis jovialem naturam mutat; & produciuntur stannum; Quæ quidem lux si adhuc eminentior sit, & spiritum satis mundum adinveniat, satis à tenebris purgatum & politum, mox argentum prodire facit; At si spiritus sit defectivus & lux eminentis cuprum proferri solet; & sic in cæteris: Cæterum si natura tenebrosa dominium habeat, mineralia minora & friabilia edere ac procurare solet; cujusmodi sunt Antimonium, Arsenicum, atque salium genera; de quibus etiam alibi plenius disceptabimus. Sed & hæc à positione & situ cujuslibet generis creaturarum compositarum declarantur; Nam, ut imprimis observare debemus, quod tres sint cæli; ita etiam tria sunt præcipua elementa, quibus natura horum cælorum refertur, & tria itidem compositorum genera, quæ dictis elementis correspondent. Sic cælum Empyreum ignis naturæ refertur; Unde Empyreum appellatur, id est, igneum: Et præterea de considerare debemus, quod, ut ignis cæteris elementis inferioribus dignitate & nobilitate præponitur, sic etiam cælum supremum inferiori gloria, loco, subtilitate, & pulchritudine præstet; atque ob hanc etiam causam animalia omnia, è tenebris, spiritu superfluo, & luce ejusdem conflata, dominium, & potestatem, ac excellentiam habent super vegetabilia & mineralia; quatenus scilicet, inter corpora composita opaca majorem lucis quantitatem habent & præstantioris sunt profapiæ, tanquam scintilla primæ emanationis divinæ: Sic etiam cælum medium aeri non inepte comparatur; quippe quod ex spiritu æthereo componitur; cujus substantia nihil aliud est, quam aer incorruptibilis, Quinta essentia dictus: Unde colligendum est, aera aquæ anteponi: Sic cælum hoc dignitate, puritate, & subtilitate cælo infimo, seu tertiæ mundi regioni præcellere videtur; Et per consequens compositum opacum vegetabile, ex ejusdem cæli tenebris, & spiritu ac luce secundaria illis inclusis natum, mineralibus dignitate antefertur: Unde liquet, quod major lucis efficacia sit in animalibus, minor in vegetabilibus, & minima in mineralibus: Atque hinc nostræ opinioni astipulari videntur Philosophi antiqui, quorum sententia erat, quod in sensitivis creaturis dominetur, ignis & aer, in vegetativis aer & aqua, (per aerem autem significare videntur ignis diminutionem;) at quod in mineralibus licet ex omnibus elementis constent, terra tamen & aqua super eminentiam habeant: Quid enim aliud sibi volunt illi, quam quod in animali regione ignis & aer suam exaltationem habeant; videlicet spiritus cum luce primaria cæli Empyreici contigua cælo æthereo; in vegetabilibus autem aer & aqua, hoc est, æther, in quo est minor lucis pars, & aer regionis ætheriæ contiguæ cum cælo aereo, & in mineralibus aqua & terra seu cælum infimum, in quo est minima sextæ essentiæ seu lucis pars, quæ terræ contigua est. Sed accuratiori adhuc contemplatione introspeciamus situm & positionem harum tenebrarum, in mundi centrum repercussarum, terramque constituentium; & percipiemus ab effectu, rem ipsam ita sese habere, atque ego vobis indicavi: Nam videmus, quod ipsa mineralia propter suarum tenebrarum, vel potius spiritus ijs inclusi gravitatem & spissitudinem, in venis terræ atque deorsum magis circa centrum collocentur, & inveniuntur, ut inde observetur, ipsa secundum situm ex tenebris cæli infimi conflata & creata esse, ac dignitate cæteris duabus creaturis subjecta; Atque etiam spirituum ipsorum crassitiam ac rebellis natura contra lucem ex hoc illucescit, quod eorum scintilla lucida, alias semper prona, ut sursum elevetur firmiter ac immobiliter in ijs retinetur, ita ut propter materiæ spiritualis duritiam ea subtiliari, dissipare, aut penetrare non possit; quemadmodum in spiritu vegetabili propter majorem ejus erga suam lucis actus obedientiam

tiam, fieri videmus; quippe quæ suum spiritum sursum quotannis elevare observatur. Deinde percipimus, quod naturali ordine regio vegetabilis minerali superimponatur; Atq; hinc est, quod ejus summitates ex terræ superficie à suæ regionis centro exurgere, & è regione tenebrarum mediarum in terrarum emergere deprehenduntur, quoniam earum spiritus actionibus lucis magis est obediens, quam spiritus mineralium, lucisque earum scintillæ sunt magis efficaces. Quod autem ad animalia attinet, subtilior pars, & quasi cremor terræ totius concurret ad illorum compositionem; atq; hoc eo magis confirmatur, quoniam hominem, animalium omnium præstantissimum, ex lutoso pulvere factum legimus. Hic etiam imprimis in animalis naturæ consideratione observandum est, quod, ut tenebrosa cæterarum creaturarum pars cum incluso suo spiritu grosso, terræ naturali vinculo alligatur, & sine terræ adhæensione vivere non potest, ita animalium natura est, ut ejus radix à terra sit libera & soluta; ita ut ab una in aliam partem transire, & huc atq; illuc prohibitu & arbitrio suo movere possit: Cujus rei ratio, ut mihi videtur, in promptu est: Nam primum, ut terra aquæ naturali quodam vinculo, ne quicquam vacuum intercedat, alligatur, & etiam aqua aeri, atq; aer igni; ita inde manifestum est, quod numerale corpus in sua vita atque existentia naturali à terra separari non possit; imo vero in ipsius terræ visceribus profundius submergitur, eo, quod terrestri naturæ magis amicum ac familiare est: Similiter quia igni concatenatur atq; naturali glutine conglutinatur æther, & ignis aeri, atq; ille aquæ, & aqua terræ, ideoq; terra æthereas tenebras per illam suam cum æthere conanguinitatem retinet; quemadmodum in vegetabilibus observatur; quippe quorum radices ita terræ affiguntur, ut ipsa altius vertus patriam suam ascendere prohibeantur: At vero in animalibus res aliter se habet: Nam, quia regio quintæ essentia, quæ cælum medium, seu firmamentum; separans aquas superiores ab inferioribus nuncupatur, interponitur inter cælum Empyreum, & infimum Elementare dictum, ideo animalis compositio ex tenebris, Spiritu, & luce cæli Empyreici constans necessario naturæ vinculo terræ non jungitur, sed libera est, ut in aqua natate, in aere volare, & in eo saltare, atq; respirare possit, uti in piscibus, volucris, & animalibus terrestribus videtur. Sed & si illa ad confirmationem hujusce nostræ opinionis vobis non sufficiant, alio modo vobiscum sic procedam: Unde, obsecro, est hæc creaturarum compositarum tenebrositas atq; opacitas? Cui objectioni procul dubio (& non inepte, fateor) respondebitis, à terra, luto, pulvere, aut cineribus; cum de hujusmodi substantia opaca legamus in scriptura sacra Adami externum, quod est ejus pars tenebrosa, fuisse creatum; Vel, cum Philosophus loquendo, ex quatuor elementis simul in compositioe unitis; quamvis hanc Philosophorum assertionem nos audacter, Biblijs sanctis confidentes, maiam esse dicamus, cum reliqua tria elementa sint per se diaphana & perspicua, ac nequaquam opaca, cælumq; illud mundi infimum constituent; Id quod intellexit Moyses Gen. 2. 20. *Appellavitq; Adam cuncta animalia & volatilia cæli & c.* Quæ quidem elementa in eo, quod cælum constituunt, ipsi terræ & opacitati sunt contraria, juxta illud Gen. 1. *Creavit Deus cælum & terram:* Unde corporum opacitas est de terra, & non de re aliqua alia; quia nihil præter ipsam terram opacum dicitur: Nam quavis stellæ densiores sint suorum orbium partes, non tamen proprie ijs insunt tenebræ, sed profunda perspicuitas, namq; alias lux ipsas non magis potuisset penetrare, quam radij Solis ipsam terram. His igitur ad vota vestra ita concessis, videlicet, quod creaturarum compositarum tenebræ sint à terra, oritur inde questio alia; nimirum, unde sit tenebrosa ipsius terræ conditio; Cui equidem respondendum censo, eam esse à tenebris, & caligine, seu *umbra ipsius Chaos, gradatim obliqua revolutione* (ut Merc. Trism. verbis utar) *subterlabentibus:* Quæ quidem tenebræ cum tripliciter secundum triplicem mundi regionem, ex qua tribus primis mundi diebus gradatim deorsum reverberatæ sunt, distinguantur, non aliter sese habere debent hic in terra, per earum aggregationem constituta, quam ipsæ tres mundi seu aquarum regiones, quarum una est alia præstantior atq; dignior: Atq; ut harum regionum trium suprema respondet elemento ignis; cuius natura est locum mundi eminentiorem petere; sic etiam ejus tenebræ in centrum machinæ orbicularis repercussæ supremam terræ partem procul dubio occupant; quatenus vivacitate lucis, & multitudine Spiritus in tenebris inclusi, mote cremoris lactis in culmen & summitatem massæ exurgunt: Quod enim hæc tenebræ præstantiores sint duabus cæteris, declaratur hoc ipso, quod earum spiritus est copiosior, luxq; primaria ijs in hærens cæteris duabus lucis speciebus excellentior, & virtute potentior; quippe quæ erat prima emanatio à sacrosancto unitatis & super substantialis luce fonte. Quod autem spiritus ejus sit copiosior & subtilior, quam spiritus inferiorum, inde arguitur, quoniam multitudo lucis primi cæli unicam solummodo requirit spiritus portionem ex quatuor: Unde fit, ut ista lux mihiifica, seu Dei actus ita subtiliter spiritum istum, ut ex quatuor illius partibus unicam solum sibi reservaverit; Et per consequens tres superfluas ejus portiones cum ipsarum tenebris deorsum repercussit: At vero tenebræ medij cæli propter mediocritatem lucis illius loci non nisi duas spiritus complexæ sunt partes; cum quibus deorsum ad centrum, lucis persequentis faciem fugiendo, sunt delapsæ: Et tandem, quamvis tres ad sint spiritus infimi portiones tenebris infimi cæli, attamen, quoniam ipsæ sunt valde graves, densæ, atq; à luce tertiaria (quæ erat nimis exigua, & proinde debilis) non mutata, ideo tantis mutationibus subjectæ proximum locum circa centrum, hoc est, locum infimum sibi vendicant qua-

quatenus ille est vera frigiditatis sedes, quæ lucis caliditati omnino contraria reperitur. Sed hæc omnia ex nostra duplici pyramidis, materialis scilicet & formalis, adaptatione & descriptione luculentius declarantur, quemadmodum in libro nostro, de pyramidum Tractatu, & multis Tractatus nostri de Physica Macro- & Microcosmi historia locis plenius demonstratum est: Similiter supremæ tenebræ longe cæteris sunt, quoad lucis supernæ plenitudinem, opulentiores; & mediæ infimis. Quibus luculenter docemur, quod, ut ignis supremam regionem mundi propter suæ conditionis perfectionem occupat, sic etiam illius regionis tenebræ in terra reliquis inferioribus superinnant; quatenus ipse tres punctus subtilis portiones habet, quibus per auxilium lucis ipsi in altiore loco in terra locum vehitur: Et ut Spiritus Domini ferebatur super aquas, sic istius fœculentæ materiæ Spiritus Empyreus, luce illius loci illuminatus atque exagitatus, fertur super reliquas tenebras inferiores: Simili etiam ratione tenebræ mediæ, quæ aeri referuntur, medium possident in terra locum non aliter, quam aer inter ignem & aquam, vel æther inter cælum Empyreum & elementare. Denique infimæ Chaos tenebræ, quibus comparata, locum infimum possident. Nonne hic percipimus evidentem inter regiones terrestres differentiam, qua regio à regione discrepare cernitur, non minus, quam spiritus Empyreus ab æthereo, & æthereus ab elementari, sive spiritus igneus ab aereo, & aereus ab aqueo? Nam, ut aqua à tenebris magis purificata per subtiliationem fit aer invisibilis, & ille ulterius per lucis operationem in ignem vertitur, sic etiam res sese habet in mutationibus partium terræ: Nonne eodem plane modo agitur cum minerali, vegetabili, & animali. Colligimus enim, experientia docti, quod mineralia vegetantium purificatione in vegetabilia, & vegetabilia in animalia: Id quod etiam confirmat Artorius in suo libro, qui dicitur *Clavis sapientia*. Sed, ad rem redeundo, nonne percipimus maximam differentiam inter has tres creaturarum opacarum constitutiones atque conditiones, videlicet inter animaliam, vegetabilem, & mineralem? Quam, quæso, aliam rationem invenire possumus, aut quodnam probabilius & manifestius argumentum, quod tanta sit inter hæc tria creaturarum opacarum genera discrepantia, quam illud à nobis superius allegatum, quo videlicet ostenduntur tres tenebrarum species natura, dignitate, atque conditione & motu distinctæ, ac totidem creaturarum tenebrarum genera ab invicem manifeste differentia; quorum illud, quod est animale, præfertur vegetabilibus eodem dignitate, qua cælum Empyreum æthereo; Et vegetabile præfertur minerali, sicut cælum æthereum elementari: At vero, quia hujusmodi cælorum spiritus tetra sua exuerunt vestimenta, & nudi atque invisibiles reperiuntur, intelligendum est, quod istæ creaturæ tenebroso amictu ornatae hæc cælis assimilentur in interno; cæterum in externo lacinijs ipsorum caliginosis, quas exuerunt; Sic spiritus in animali occultatus propter ejus sensum, memoriã, & rationem quandam spiritui Empyreico refertur; atque corpus ejus ad tenebras ejusdem loci relationem habet. Sed quoniam tenebræ illæ deorsum cadere non potuerunt, nisi per regionem mediam descenderent, ideoque inde est, quod ab illa regione vitæ suæ portionem acceperunt. Non ergo mirum vobis videatur, o Lectores Benevoli, quod hanc nostram opinionem, quæ omnino nova, & ante hunc diem inaudita est, ita audacter & confidenter hic in lucem producimus; quoniam (uti omnino opinor) si contemplatione strenua hæc à nobis jam indicata vobiscum reputaveritis, è vestigio & citra moram (ni fallor) illa totius rerum omnium visibilium cognitionis radicem atque fundamentum esse deprehenderitis: Nihil enim frustra produxit Opifex in lucem, sed tam ipsas tenebras, quam lucem, tam noctem, quam diem, tam privationem, quam positionem, tam mortis originem, quam vitæ principium, tam corporis quam animæ rationem, tam vestimentum quam vestitum, tam Cacodæmonem quàm bonum Angelum, & tam ipsum malum denique, quam bonum in mundum produxit Deus; cujus medium est spiritus univertalis, qui prædictis actionibus contrarijs subijcitur; cum hic sit ille, qui à luce sanitatem & vitam haurit, à tenebris autem ægritudinem atque ipsam tandem mortem attrahit ac patitur; Est enim rei externum atque ejus spiritus, qui patitur & morti obnoxius redditur, cum ejus internum interire non possit. Sed de his copiose atque luculenter postea discurremus.

CAP. XII.

De qualitate substantiali, quæ ex tenebris egreditur, & ad massæ terrestris ac sphaeræ humiditatis constitutionem necessario concurrat.

HAbent tenebræ, habetque lux qualitatem quandam essentialicam sibi ipsis maxime propriã, quæ hæc in illas agit, atque illæ primû actiones patiuntur, & tum postea in instanti quasi resistendo reagere dicuntur: Nec tamen denominationem aut esse habet una harum qualitatum sine præsentia alterius; uti nec ulla alia actio sine passione, aut è converso; Unde ambæ à mutua actione & passione denominationes suas acceperunt: Quæ tum patitur, tum reagere dicitur, est tenebrarum; hoc est, ex obscura tenebrarum voragine exurgit, & vocatur frigiditas; Quæ vero ex luce exiliit, & frigiditatis effectus in mundo seu aquis primum patefecit, caliditas appellatur; cujus inferius suo loco mentionem faciemus. Frigiditas ergo dicitur, quatenus quid in hylæ & tenebrarum visceribus invenitur naturæ caliditatis adversum; Nam, ut tenebræ omnino lucis naturæ contrariantur, sic etiam qualitas earum, confestim post lucis apparitionem super faciem abyssi caliginosam effectus actioni lucis contrarios produxit. Est ergo frigiditas qualitas segnis, quieti naturaliter

dedita, excitatione atque exagitatione lucis, hoc est, per accidens, ad motum contra naturam suam provocata, densitati materiæ tenebrosa, tanquam loco suo proprio se immergens, motui opposita, quietis origo, vitæ inimica mortisque ministra exitialis, corporis comes, & animæ hostis, sensum stupore obtundens, à functione naturali detrahens, mineralibus familiaris, animalibus autem, & vegetabilibus itidem morbus, atque tandem interitus & evitatio, heterogenea congregans, & contraria ad invicem conjungens: Atque hæc est tandem illa dispositio materiæ semper adjuncta, qua mediante tot mutationes & alterationes mundo elementari accidere, atque tam subito sæpe ac inopinato obvenire solent: Ortus hujus, inquam, est in ventre hylæ, seu abyssi; in qua & tenebrosum delitescere, & in se radios & actus suos occultare traditur; atque ita etiam frigiditas, in hylæ natura deformi deformiter præservata, extra omnem imaginationem humanam erat in potentia Dei omnipotentis; & occultati; quæ tamen qualitas, apparente & è tenebris etiam virtute efficacis lucis ejus revelata fuit. Et quamvis & tenebris coopertum, & sibi ipsi tantummodo viam suam revelans, plane tenebrosum esse captui humano videatur, at tamen ipsum modo occulto omnia, quæ in tenebris erant, videre atque discernere tum potuit; adeoque etiam frigoris, tanquam latibuli sui, tum latentis, quiescentis, atque in potentia tantum existentis qualitatem dignoscere valuit, quippe cui, teste *Psal. 139. 11.* tenebræ non ita obtenebrari possunt, quin prævideat; nam *nox ei, ut dies, perlustrat, & tenebræ ei sunt, ut ipsa lux.* Est igitur frigus latibuli Dei dispositio, à flatu ejus pro ipsius voluntate, huc atque illuc, vel in creaturæ beneficium, vel in ejusdem punitionem dispersum: Atque hoc semper in suo excelso cum ariditate seu siccitate insigni conjungitur, hoc est, ab omni humiditatis societate separatur: Unde res diversas congelativa sua proprietate congregare solet; Id quod etiam confirmare videntur illa verba Davidis *Psal. 147. 17.* *Gelu suum docet Deus tanquam frustra; coram frigore ejus quis resistit?* Cui etiam astipulari videtur *Iob. 29. 7.* *Glaciem Deus fortis edidit flatu suo; si ante Deo concrevit gelu.* Quibus docemur, quod frigiditas agitur à flatu Dei, occultati in suo tugurio tenebroso, seu Aleph tenebrosi, utpote cui illa, tanquam Deo tam tenebrarum, quam lucis obedire solet. Quod etiam siccitas extremam frigiditatem comitetur, arguunt prædicta sacre scripturæ testimonia, quatenus producit gelu; Unde quam insulsa sit, tam veterum, quam recentiorum Philosophorum opinio, ipsum aquæ elementum frigiditatis sedem esse asserentium, vobis (judices doctrinæ characteribus insigniti) definiendum relinquo; cum in propatulo sit, veram ipsius sedem, à nativitate primaria ei appropriatam seu assignatam, esse abyssum tenebrosam, imo ipsas tenebras, quarum locum hic in mundo esse deprehendimus, uti infra ostendemus; Namque in primis videmus, quod tenebræ, operante flatu Dei, producant in lucem congelativam frigiditatis proprietatem; Sic enim evidens est, quod ex terra & nigra nube grandæ ac nix procedant, flante spiritu & seu Jehovæ ab Aquilone, qui est vera tenebrarum regio, uti postea dicitur: Deinde videmus, quod aqua contigua sit acri; imo quidem ipsa est aer spissus; Unde caliditatem manifestam in se habet, quatenus est de natura aeris, quæ calidum esse nemo negabit. Porro est si summa frigiditas inest aquæ, tum illa per se coagularetur semper & in glaciem universa constringeretur; quæ cum non fiat, certum est, naturam frigoris è fonte ab aqua alieno derivari: Similiter videmus, quod in parte boreali inveniatur mare glaciale; id quod non fit à natura aquæ, sed loci, seu à positione tenebrarum, sive terræ, in qua tenebræ propter Solis absentiam prædominantur: Atque etiam inter alias rationes hæc non est repudianda, quod motus atque actio est evidens caloris interni signum: Atqui aqua tam fontium & fluminum, quam marium movere, & anima quadam vivifica, in calore existente, per fluxum & refluxum quasi ambulare percipitur; Ergo caloris magnam quantitatem, & quasi evidentissimam animam viventem in se continet: namque motus est caliditatis comes, utpote ejus est effectus: Contra vero terra quiescens, ex partibus heterogeneis quasi in globulam dispositionem in forma gelu contracta, circa machinæ centrum conglomeratur, quod est locus sicuti, natura, & motu ab igne & luce remotissimus, tenebrarum Chaos congregatio, & ejus tandem grossities; quo facti liquido arguitur, ipsam esse extremam totius abyssi frigiditatis receptaculum; cujus natura est occupare sedem naturæ quietis proximam: quid autem in toto mundo terra immobilis? quippe quæ *Deus firmiter fundavit super bases suas ne dimoveretur in seculum Psal. 104. 5.* Quibus luculenter, ut opinor, docemur, contra omnium fere tum Medicorum, tum Philosophorum sententias, aquam non esse frigidissimam sed terram: Quam enim absurdum foret, corpori tam nobili, quod, uti comes, adjungitur cælo, tanquam femina masculo, qualitatem tam vilem ad ejus proprietatem essentialicam assignare, qualis est siccitas; quæ quidem est fere nihil, nisi absentia illius rei, quæ non adest; Nam siccitas est nihil aliud, quàm humiditatis absentia; Et tamen videmus, ipsam terram aqua & aere undiq; repletam esse, ne vacuum in ejus natura admittatur: Atqui scio, nonnullos replicaturos esse; quid igitur de aqua dicendum sit, quomodo ve eam à cæteris elementis disterre agnoscamus? Quibus respondemus, quod aqua non sit, nisi unius sphaeræ humiditatis portio; cujus pars superior, nempe aer, ut cum igne participat, eaq; ratione calida dicitur, licet non ita calida, ut ignis, unde & humida vocatur; sic ejus pars inferior, videlicet aqua, utpote quæ terræ contigua & quasi continua est, participat de ejus frigiditate; Unde frigida dicitur, sed non ita frigida, ut terra, quoniam quod facit tale, est magis tale: Sic itaque ejus humiditas

cum frigiditate jungitur, ut inde arguatur, quod ejus natura sit media inter caliditatem ignis, & frigiditatem terræ: Ex quorum actione, passione, & reactione in spatio intermedio sphaera tota, sed bipartita humiditatis procreatur: Unde fit, ut humiditas in locis solis intermedijs inter utraq; extrema reperitur; In ipsis vero extremis non reperitur naturaliter, hoc est, nisi accidentaliter ijs adveniat: atque hinc extrema propter humiditatis absentiam dicuntur sicca. Est ergo naturalis aquæ qualitas eadem, quæ & aeris; videlicet humiditas; Et ambo illa simul constituunt non nisi unicum elementum, quod sphaera humiditatis dicitur; ita ut tria primaria naturæ principia universaliter habeamus; nempe lucem, aquam, & tenebras: Sic etiam non nisi tria secundaria naturæ principia mundo elementari appropriata habemus; scilicet ignem, sphaeram humiditatis, & terram, quæ referuntur ad prædicta, uti *infra* demonstrabitur.

Ex his igitur concludimus, quod terra sit vera tenebrarum sedes, & per consequens frigiditatis intensæ receptaculum; Atqui in partibus suis intermedijs vim suam demonstrare non solet, propter assiduam Solis in illam operationem, frigiditati in ea occultatæ contrariam; in extremis vero, & versus polos vehementer eam exerit: Ab Aquilone ergo; tanquam à loco, ubi tenebræ in aperto aere in perpetuum prædominari dicuntur, frigus abundat, flatuque divinæ Sapientiæ in Meridiem dispergitur. Quod autem sit hujusmodi tenebrarum locus in ultima polorum regione primum ab Olao Magno docemur, Viro quidem in secretis Borealibus, utpote qui in ultimis Sueciæ terminis natus fuit, optime versato; quippe qui narrat, regionem esse magnam atque incognitam tenebris perpetuis obscuratam, in qua fugus intensissimum, geluque, & nives assidue abundant; prorsus ac si hæc esset verissima spiritualium tenebrarum sedes, ut ipsa terra integra materialium, à qua hujusmodi flatus Septentrionalis frigidi atque congelationis occasio tanquam à fonte & scaturigine emanarint: Fortassis in hoc falli potuit Olaus, quod illo tempore, quo regio ista revelata fuit, in ultimis Biarmicæ luminosæ territorijs, sol versus polum oppositum declinaas, per dimidium anni spatium noctem magnam, & non unicam in illis partibus reliquerit. Dixere autem nonnulli locum ipsius Paradisi esse in montibus Hyperboreis, quibus thesaurus Jehovah includatur. Et meminimus, me audivisse in concione cujusdam Rabbi Judaici, in Pragæ Synagoga sermonem habentis, ipsorum Messiam in insula quadam Boreali, undique glacie ac nive circumdata & inaccessa, cum infinito numero Sanctorum Israelitarum manere; Ex quo loco ipsi tandem, ad Judæos à captivitate liberandos, mundumque integrum renovandum, & sibi subiiciendum, venturum esse fide ac obstinatio incredibili credunt. Quam, quidem doctrinam à quodam Doctore in mysterijs profundis satis versato, ipsos primum accepisse opinamur; quamvis metaphorice illud accipiendum, & proinde sensui communi non ita obvium videatur, ut protinus ab omni queat ille sermo intelligi. Sed, ut ad rem redeamus, credimus, tum caloris, tum frigoris etiam mysterium in occulto & caliginoso Jehovah latibulo seu tugurio, ubi thesauri ejus reconduntur, delitescere: Nam *Verbum Jehovah dixit, 1. Chron. 6. 1.* & proinde infallibile est, quod ipse habitet sub caligine: Deinde quod frigiditatem etiam secretum in illa caligine delitescat nos instruit certum Bibliorum sanctorum testimonium. Nam *Iob. 28. 32.* ita habetur; *Pervenisti in thesauros nivis? aut in thesauros grandinis inspectionem habes?* Atqui ubi sunt thesauri nivis & grandinis, ibi etiam fons procul dubio est frigiditatis, utpote cujus actu aqua in nivem & grandinem condensatur. Ab Aquilone vero seu parte Boreali nobis emittuntur flatus hujusmodi frigidi, uti non experientia solum, sed etiam Verbi divini testimonijs docemur; Nam, juxta illud *Iob. 37. 8.* *Ab Arcturo seu à dispergentibus, ut alij interpretantur, seu, secundum aliorum translationem, à ventis Aquilonaribus est frigus:* At *venti sunt Dei Iob. 37. 9.* seu *flatus narium Jehovah Exod. 15. 8.* Unde etiam ita legimus *Iob. 27. 9.* *Glaciem Deus fortis edit flatu suo; flante Deo concrevit gelu:* Unde sequitur, quod, cum nubes densæ & obscuræ latibulum Dei sint, *qui ambulat caelorum obambulat Iob. 22. 15.* ideoq; frigus etiam ab illo latibulo virtute flatus narium Jehovah ab Aquilone procedat. Quomodo autem ventus procedat à Jehova, in libello de Meteoris ventosis clarius explicabimus. Concludimus igitur, quod ventus frigiditatem, gelu, nivem, glaciem, & grandinem inducens sit à naribus Jehovah; quo fortificantur, & subinde magis magisque, constringuntur aquæ; imo vero ipsa aqua cum terra permiscetur, h. e. naturæ heterogeneæ ad invicem congregantur; quin & ipsas nubes in glaciem & grandinem quadam quasi vitrificatione convertit; At vero ex altera parte verbo lucido ab ore suo egrediente congelata iterum liquefacit, heterogenea separat atque disgregat, & spiritu suo calido, ut aquæ congelatæ diffusetur, mirabiliter efficit. Quod si mihi hac in re minus creditis observate, quid Psalmista narret *Ps. 147. 16.* in hæc verba; *Nives emittit Deus sicut lanam, & pruina quasi cineres dispergit, deicit gelu suum tanquam frusta; coram frigore eius quis resistet? Emittens vero verbu suu liquefacit ista; simulac efflat ventum suu, effluunt aquæ.* Quid eo clarius aut luculentius dici potest. Videmus ergo quod Aleph invisibile & tenebrosu frigiditatem invisibile producat, Aleph v. lucidu & manifestu seu Verbu solet illud dissolvere & vivificare, quod Aleph frigidu vita quasi privavit, & quiescere fecit: Atque ita Apollo sua luce diurna reficit illud inter diu, quod Dionysius suo frigore nocturno dilaniavit, vel lethali frigore costrinxit. Sed dicet aliquis; Nulla nube aut obscuritate in caelo apparet fit pruina aut glacies: Cui respondeo, quod fons tenebraru, in quo delitescit frigus, & à septentrione flatu secreto dispergitur, non minus cognoscatur,

quam

quam featurigo lucis, qua frigoris actus dissolvuntur: Sed quam difficile sit tenebrarum fontem, aut lucis originem designare, docet nos *Iob. 38. 19. Quanam via itur, ubi habitat lux? & tenebrarum ubi est locus?* Quod autem Jehova frigus ventis suis Aquilonaribus emittat, glaciem & gelu inducens, nos docent *superius* allegata Bibliorum sacrorum loca; Et quod etiam Verbum ejus lucidum ab illa mundi plaga sapicule moveatur, arguit locus ille *Iob. 37. 22. Lux aenea advenit ab Aquilone; propter Deum terribilem laudis.* Quod autem terra sicca dicitur, hoc sciendum est fieri, non quidem respectu aliquo ipsius terræ, sed quatenus in ejus dispositione sincera omnis humiditatis respectus ab ea dicitur abesse; ita ut hac ratione etiam *pulvis* appelleretur *Iob. 38. 37. & pulvis atque cinis Gen. 18. 27.* Nam terra est una humiditatis extremitas, ubi nihil humiditatis apparet; sicuti ignis est extremitas altera; Et per consequens hæc duo extrema dicuntur sicca, ac si quis diceret, extra humiditatis limites posita vel ab omni humiditate libera; Hinc dicitur *Psal. 95. 5. Aridum Deus fecit ac formavit;* Et *Gen. 1. 10. Aridum vocavit Deus terram;* Similiter Mercur. Trismegist. *Pimand. 3. Gravia sub arena humida resederunt &c.* Dicimus igitur, quod ipsa ariditas seu siccitas nihil aliud sit, quam humiditatis absentia: Unde fit, ut humiditas sit illa regio, quæ inter duo hæc extrema, scilicet inter frigidum & calidum, seu inter terram & ignem sita est. Atque ita satis perspicue, licet breviter & succincte, de quatuor tenebrarum speciebus sermonem pro captus nostri exiguitate fecimus. Jam porro ad primum tenebrarum partem, qui est natura universalis humida, quam Veteres Panem Deum esse finxerunt, & D. Petrus aquam, ac Cabalisticam matrem, Mem 12, quod est aquarum symbolum, atque ipsius, 17 nominis ineffabilis exemplar nuncupaverunt, gradum nostrum promovebimus.





SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARTIS II.

Liber II.

De

PRIMARIIS NATURÆ
ELEMENTIS.

C A P. I.

De aqua, seu spiritu universali sine ullo lucis, aut informationis respectu.



Substantia aquarum in hyle ventre inclusarum erat nihil, vel potius aliquid inter Esse & Nihil; adeoque Noniens; sed in potentia ad esse; cum omnis Entitas presentia lucis informantis existentiam suam habeat: Unde hæ aquæ in potentia, & velo tenebrarum primariorum operatæ, à Peripateticis materia prima & remotissima dictæ sunt; quam aliquid in potentia, nihil vero in esse nuncupaverunt: Nec quidem potuerunt earum tenebræ ab ijs privatio dici, quatenus nulla forma, quæ eas existere efficeret, præcessit; sed ab origine in vasta hylæ voragine informes, incultæ, vacuæ, atque inanes, nondum illuminante eas Jehova seu Aleph, nec extra cætrum suum in earum deformitatem prospiciente, extiterunt. Atque hoc modo aquæ nihil, imo vix aliquid imaginabile existimandæ sunt, sed substantia in potentia hylam inanem, terramve vacuum & Phantasticam constituens: At vero, quando à Aleph à suo centro in deformitatem rerum prospexit, tum spiritus oris ejus, radijque vultus ipsius ferebantur super faciem tenebrosam Abyssii, in cujus facie exteriori aquæ deformes occultatæ jam exterius cum forma & specie perceptibili aquarum (unde abyssus ita scribitur *אֲבִיִּס*, quatenus presentia seu prima apparitione spiritus increati *א* clausum est) apparebant: Nam quamvis subito lucis intuitu prima facies aquarum revelata sit, nondum tamen penetraverunt radij ejus in ipsarum profundum: Unde dictus est Spiritus Domini ferri super aquis, & non, esse adhuc in aquis: Quare post aquarum superiorum manifestationem prima creatura, videlicet lux, condita est; hoc est, suprema aquarum portio est illuminata; quæ creatura omnium nobilissima composita est ex radijs spiritus increati æternis, & ex aqua subtilissima, uti *infra suo loco* explicabitur: Virtute ergo lucis increatæ recesserunt umbræ abyssii obliqua revolutione primum ad mediam, & deinde ad infimam machinæ universæ regionem; nam *tenebræ abyssii presentia Domini timuerunt, & conturbatæ sunt.* Psalm. 77. 17. Ubi abyssii nomen sumitur pro aquis deformibus & nondum illuminatis: Sed post densiorem ipsarum partium reverberationem versus machinæ centrum (in qua quidem densitate nigredo & caligo consistit) aquæ superiores evaserunt pellucidæ, subtiles, & nobiliores, secundum suam majorem aut minorem cum luce participationem; quam optime describit Sapiens, Proverb. 8. 24. hisce verbis; *Cum fortificaret Iehova superiores nubes superne, cum roboraret fontes abyssii, cum imponeret mari statutum suum, & aquis ne transgredierentur statutum oris ipsius; cum statueret fundamenta terræ, Ego Sapiencia fui apud eum, letificans coram eo omni tempore:* In quo quidem loco arguit per supernas aquas, regiones superiorum cælorum, & per abyssii fontes densarum atque obscurarum aquarum scaturigines &c. & quo lux divina seu virtus Tetragrammati, quæ est *Sapiencia*

ista

ista divina seu Verbum, de quo loquitur sapiens, sit causa illuminationis illarum per suam in universam aquæ massam ingressionem: Nam *Sapientia rotunditatem cœlorum circumvixit, in abyssorum profunditate ambulavit, in fluctu maris, & in tota terra. Ecclesiast. 1. 4.* Ex quibus etiam liquet, quod illud D. Petri axioma sit verissimum 2. *Epist. 3. 6.* quod *cœli & ipsa terra sint prius de aqua, & per aquam, consistentes verbo Dei: Quas quidem aquas Deus per idem Verbum appendit in diversis regionibus per mensuram, posuitque ijs legem per universum. Non ergo aquam hic accipimus, pro mera nubis aut maris aqua, quæ est visibilis, sed pro omni natura humida, à cœlo supersubstantiali numerando usque ad imam ipsius terræ abyssum; ita ut tota hæc aquæ massa in tria dividat scriptura sacra, videlicet in cœlum, quasi Quintam Essentiam, atque huius partem exaltatam, quæ est Essentia Sexta, & in mare, quod est quasi ejus phlegma, ac in terram, quæ est quasi tax totius: Hinc dicit Psalmista Regius; *Cœlum, terra, & maria, & quicquid habitat in ijs, laudabit Deum: Et iterum Psalm. 146. Cœlum, terram, mare, & quicquid in ijs est, conservat Deus constanter in seculum.* Quare nos in multis operis nostri locis has aquas Spiritum universalem vocavimus; quem postea in duas partes divisimus, videlicet in grossum & subtile; Et grossum appellavimus omne illud, quod est visibile, videlicet terram, quæ est nihil aliud, quam grossa aqua, & aquam grossam, quæ est nihil aliud quam abyssi substantia, seu terra subtilis: Subtile vocamus omne illud invisibile, quod cœlum appellatur; Atque ita dictum est, quod Jehova fecerit cœlum & terram, hoc est, subtile & invisibile, ac spissum & visibile; quorum hoc est scabellum pedum ipsius, illud vero thronus ejus, ut Matth. 5. 35. legimus. Et tamen hæc duo non sunt nisi unica aqua, in duo ab invicem differentia divisa; quorum unum est tenebrosum, aliud lucidum, unum grossum aliud tenue, unum spirituale, aliud corporale: Nec tamen aliud est grossum quam subtile, nec subtile aliud, quam grossum, quoniam quod grossum est attenuatione idem erit, quod subtile, ut in lignorum combustionem videmus; Et quod subtile est inspillatione redditur grossum, ut aeris in nebulam, & illius in nubem densam, ac nubis in grandinem & glaciem atque etiam in telum fulminare conversio ostendit. His ergo aperitur illa Mercurij Trismegisti assertionis obscuritas in *tabula Smaragdina* inventa, qua dicit; *Quod est superius, est sicut illud, quod est inferius &c.* Concludimus igitur, quod hoc elementum materiale per secundam matrem Abraham in *Jetzerah* significetur: Nam Mem est illud hieroglyphicum Hebraicum, quod aquas in lucem productas significat, quemadmodum N tenebrosum erat tenebrarum character seu symbolum: Atque hinc est, quod vocabulum Hebraicum aquæ conflatur ex illius characteris geminatione; in quo unum characterum medio Jod litera formalis seu lucida invenitur, quasi Sol illuminans aquas tam superiores, quam inferiores; hoc modo Maym, hoc est, Aqua; ubi Mem præcedens, quod est apertum in basem, denotat aquas lucidas; per cujus basin apertam N influit in naturam Jod: Atque Mem finale & clausum arguit aquas inferiores, quæ terminantur cum tenebris terræ: Et Jod in medio est loco Solis, in medio firmamenti dividens aquas ab aquis: Sic itaque brevem habetis, secundum Cabalistarum rationem, expositionem vocabuli vivi & primarij aquarum Mem: in quo literis seu characteribus vivis tam substantia aquarum, quam Dei Jehovæ, eas informantis, symbolum in earum centro delitescens, & circumquaque à centro ipsas illuminans atque informans explicatur.*

C A P. II.

Quod aqua sit omnium rerum mater.

UT Abraham in sua *Jetzira* fecit N Aleph obscurum, seu tenebras, unam & primam matrem deformem seu materiam primam; ita etiam non inconcinne statuit Mem, quod est aqua à ventre Aleph tenebrosi scaturientis symbolum, matrem secundam, seu materiam rerum secundam, ex qua substantia cœli & terræ, omniaque in ijs reperta derivantur: Nam in principio non cœlum, sed aqua creata est, atque tum postea deum cœlum & terra ex aqua facta sunt; utpote ex cujus multitudine Deus tandem res omnes creavit, atque ab invicem segregavit, veluti immensæ altitudinis profunditatis, atque amplitudinis cœlum, terram, ignem, aerem, & aquam; quæ omnia in ejusmodi concordiam atque unitatem redacta & compacta sunt, ut etiam in unoquoque istorum separatorum corporum quatuor illæ essentialis materiæ reperiantur; videlicet, Aer calidus & humidus, continens in se aquam & ignem atque etiam terram; Aqua frigida & humida continens in se aerem & terram, cujus umbra apparet, unde & Abyssus nuncupatur, Terra in se amplectens aquam, ignem, aerem; Sed & aqua comprehendit in se terram, à qua etiam formam suam habet, eademque ratione ignem, qui in terra latet, atque aerem, unde molliem & mobilitatem suam habet: Atque hæc, inquam, omnia sunt ex aqua, per aquam, & in aqua illa immensa, quæ est prima mater, cujus character seu hieroglyphicum est Mem; in qua totæ regiones seu species quasi unius generis diversæ reperiuntur propter majorem vel minorem lucis increatæ in ijs præsentiam.

Videmus igitur, quod ipsa aqua sit prima rerum omnium materia inactiata, & per consequens

quens prima rerum omnium mater, & quasi penus, ex qua res omnes tam visibiles, quam invisibiles, desumptæ atque segregatæ sunt: Nec tamen hoc ita intelligendum sive exaudiendum est, ac si Deus res omnes ex una matre, quæ fuerit ab æterno, ut puta, ex aqua fecerit, & quod ea de causa, aqua sit primum esse rerum omnium; Etenim, ut alibi dictum est copiose, prima mater & penus; ex qua Deus aquam creavit, fuit Nihil; hoc est Tenebræ & hyla per \aleph primam matrem significata; Ex cujus matrice, mediante & emanante luce divina, egressa est γ Mem aqua: Hoc autem humano modo intelligendum est, quod Deus creaverit aquam de Nihilo; Et recte id dicitur, cum in principio seu hyla nihil fuerit visibile, nihilque formatum, sed mera deformitas, ex qua tanquam nihilo in esse & per consequens non imaginabili, ac nihilo invisibili, adeoque etiam insensibili Deus Elohim creavit & in lucem produxit aquas: Cæterum si vere & supra humanum modum perscrutare volumus, unde aqua veram suam habeat originem; negari non potest, quin in creatione aquæ fuerit materia quædam informis (uti dixi) in summo mysterio seu hyla, quæ erat in voluntate divina; Ex qua penus, tanquam mysterio, in creatione aquæ præmanarunt; id quod captui humano nimis obscurum, imo etiam incredibile videtur: Etenim nos, qui ex carne nati sumus, carnaliter & sentimus & loquimur de huiusmodi rebus; at si semel, gratia divina præcunte, ex spiritu renascamur, ad satietatem huiusmodi mysteria intelligemus, & cognoscemus originem ac primum initium aquæ; quæ ex summo mysterio invisibili & informi facta est visibilis; ex qua tum postea cætera principia sunt orta: Atque ita potest jam hæc aqua bene dici materia rerum omnium, videlicet, aqua invisibilis in visibilibus, ut cælorum & ejusdem intelligentiarum; atque visibilis rerum visibilibus, nempe terræ & matis, ac aquarum dulcium; & eorum, quæ degunt in illis: Unde rationabiliter concludendum est, quod aqua sit mater secunda, seu materia secundaria rerum omnium, tam cælestium, quam terrestrium; & per consequens; quod mundus universus, cælum & terram includens, sit nihil aliud, quam aqua diversimode, secundum diversam actus lucidi in eam diverse operantis rationem, alterata atque mutata: Sic enim videmus, quod una fluminis ejusdem pars atramento tingi potest, altera sanguine, altera croco, & ejusdem extremitas lacte aut calce, dum tamen interim illa est una eademque aqua specie, ejusdemque continuatis. Hujus denique rei sufficiens testimonium habemus apud Apostolum loco antea citato, videlicet 2. Pet. 3. quod *cælum primis temporibus etiam fuerit, sicuti & terra, consistens ex aqua per Verbum Dei.* Quod ergo aqua γ Mem, quæ est prima rerum mater, sit simplex & nulla re alia commixta, ex his, quæ supra dicta sunt, apparet; Quod etiam principia reliquorum trium elementorum in se complectatur, seminaque rerum omnium, tam visibilibus, quam invisibilibus in se contineat, sat liquido constat, quatenus ex ea, & in ea Deus condidit cælum, terram, omnesque eorundem res tam visibiles quam invisibiles, & per consequens etiam quatuor elementa, eorumque seminaria in ea posuit: Quare etiam elementa ipsa ex aqua facta esse certum est, quemadmodum capite sequenti commonstrabitur:

C A P. III.

Quomodo aqua sit mater cælorum, omniumque elementorum, atque gluten, quo mediante actu divino, illa in compositione connectuntur?

IN præcedentibus declaratum est, quod substantia tenebrarum deformium fuerint aquæ seu spiritus, & quod hinc sequatur, unam caliginis speciem alteri præferri; videl. hanc, quæ cæli superioris est, illi, quæ est cæli medij, atque iterum illam huic, quæ est infimi; nimirum respectu mobilitatis loci illius lucis, cujus scintillas spiritus isti tenebrosi sibi arripuerunt, dum à luce tenebras, tanquam aliquod sibi oppositum, persequente spiritus superflui cujuslibet cæli deorsum versus centrum paulatim cum tenebroso suo velo fuerunt depulsi: Nam quamvis illa vix imaginabilis materia in hyla, quæ jam per revelationem spiritus ignei aqua apparet & nuncupatur, æqualiter per vastam & infinitam hylæ voraginem seu abyssum dispersa erat (quoniam omnis inæqualitas facta est ab actu diverso; qui non se manifestabat ante principium in hyla, quatenus ejus fons \aleph Aleph se nondum revelabat) attamen jam intelligendum est, quod hæc æqualitas apparitione lucis in creatæ vertatur in inæqualitatem: Nam, ubi lucis præsentia & effectus est magis perspicuus & copiosus, ibi, propter naturam ejus attenuantem & subtiliantem, spiritus illi, in quibus habitat lux ista perspicua, magis subtiles atque rari efficiuntur, Unde purgato cælo Emyreo à superfluis suis spiritibus tenebrosis, superfluitas illa instar umbræ horridæ deorsum per aspectum Jehovæ subterlabi coacta est; Quæ quidem tota massa valde perturbata fuit, juxta illud Psalm. 77. 17. *Abyssus præsentia Jehovæ timuerunt, & conturbata sunt;* Et, Mercur. Trismegist. Pimand. I. *Præsentia luminis immensi Pimandri revelati umbra horrida obliqua revolutione subterlabebantur;* hoc est, umbra, id est densior spirituum informatorum pars præsentia lucis in creatæ versus centrum se inclinavit, & tenuior ejusdem portio à tenebris mundificata luci in creatæ loci vehi-

culi seu indumenti inservit; estque lux illa huius spiritui seu aquæ tenuissimæ portioni tanquam anima, forma, & vita, à qua nomen & esse habet: Unde à præsentia fluida istius formæ supersubstantialis illa creatura subtilissima appellatur lux creata: Atque ita aqua est cæli supremi quasi mater; cuius pater est lux; juxta illud Mercur. Trismegist. dictum in *tabula Smaragdina*; *Pater eius est Sol, mater vero Luna*; ubi Luna pro spiritu illo radijs Solis increati ita exaltato & illuminato ponitur: Sic itaque superfluitas caliginosi spiritus cæli superioris à cælo hoc supremo deorsum igne spirituali reverberata est; Qui tamen spiritus superflui, (quorum tenebris abyssus facies adhuc obruitur) vehementer informari appetentes, scintillas innumerabiles lucis sibi attraxerunt, attractosque suo glutine retinuerunt; atque ita abyssus olim inanis & vacua jam scintillis formæ lucidæ irregulariter gradatim impleri incipit, atque raptim in dispositionem Chaos mutatur. Hunc eundem ordinem observavit superflua spiritus tenebroso mediæ regionis portio; quippe quæ, relicta sufficiente suæ substantiæ parte luci secundariæ, (cujus est vehiculum) itidem virtute illorum radiorum naturæ deorsum pulsa fuit; & in motu suo tenebris superioribus non aliter subijcitur, quam spiritui vini oleum: Atque ita cæli ætherei substantia ex aqua matre universali procreata est; & superfluitas reliqua cæli illius, radios infinitos naturæ seu lucis secundariæ sibi arripiens, deorsum in Chaos generalis naturam lapsa est: Sic itaque tres aquarum deformium spirituumve in prædictis cælis superfluorum portiones, cum tenebris infimi regni confuso modo commixtas, habemus; ex quarum tandem spiritibus subtilibus inclusis, per Alchimiam naturæ extractis, & tertiana luce ad pellucidam formam adductis, atque ab immunditie & farragine purgatis tria elementa, seu simplicia perspicua & pura, quibus inferioris cæli vacuum impletur, producuntur: Atque, ex universi denique Chaos parte feculenta & opaca tria creaturarum opacarum regna oriuntur; ex quibus universam terram (ob id in tres regiones, ad illas cælorum regiones, quarum facies sunt, relatas, digestam) conflari dicimus: Quare post tenebrarum omnium in terra compressionem succus purior & subtilior superfluorum cæli Empyreï spirituum opacorum egressus est; & virtute scintillarum lucis primariæ ijs inclusa sursum vehitur spiritus ille, & digniorem occupat locum in hoc cælo infimo, quem Elementum ignis appellamus: Sic videmus spiritum vini propter lucis dignioris præsentiam, quam habet, oleo superinnatare:

Similiter secunda tenebrarum portio, quæ est cæli mediæ, per compressionem suam quoque subtile emittit, alisque lucis mediæ occupat locum elementi aeris: Nonne videmus etiam, quod aer in omnibus cum æthere conveniat, & ignis cum spiritu Empyreï; nisi quod hi grossiores sunt spiritus, & per consequens in infimo mundi loco dispositi, illi vero subtiliores, quatenus existunt in superioribus? Verum tamen dicimus, quod quatenus ignis procedit à tenebris cæli Empyreï, & aer à spiritu caliginoso cæli ætherei; eatenus ignis ita sese habeat in suprema cæli infimi sphaera, atque spiritus intellectualis se habet in supremo mundi cælo; similiter aer in mediâ cæli infimi regione, ut æther in medio mundi cælo: Porro etiam compressione tenebrarum infimarum, seu cæli infimi fit elementum aquæ vubilis, quæ nihil aliud est, quam terra subtilis & perspicua, ut in glacie aut in gema perspicua sufficienter declaratur: Atque ut spiritus vini superinnatât oleo, & oleum phlegmatici; sic itidem ignis aeri, & aer aquæ. Sed ille spiritus hujus cæli tenuis, quem vendicavit sibi lux tertiana, antequam tenebræ ad centrum complete redigerentur, erat locus ille universalis, in quo dicta elementa collocantur; qui locus cælum infimum nuncupatur. Hujus rei probabilitatem multa nobis insigniverunt testimonia: Nam in p. imis apud Mercur. Trismeg. ita legimus *Pimand. 1. Verum Verbum natura humida astans eam fovibat; ex humida autem natura visceribus sincerus ac levis ignis protinus alta petijt; Aer quoque levis spiritu parens mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur, Terra vero & aqua sic invicem commixtae, ut terra facies aquis obruta nusquam pateret.* Hic ergo arguit, quomodo, mediante Verbo & generatione lucida, omnes hæc res aqueæ concordî pace ligentur, & pro dignitate majori aut minori disponantur: Quæ omnia immediate post motum umbrarum horrendarum deorsum subterlapsarum facta esse eodem in loco nos docet: Unde verisimile videtur, ex cuiusque regionis mundinæ umbræ, quæ dignitate & excellentia sibi invicem præcallebant, substantias horum elementorum, Verbo, luceve, & igne supercælesti mediante, esse extractas: Similiter hoc optime alibi nempe *Sermone suo 3. idem. uto ita declarat: Erat umbra infinita in abyſſo; aqua in super & spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam in Chaos inervant; et loruit autem splendor sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit, Cumque indistincta fuissent, levia postea in excelsam regionem provolarunt, gravia sub arena humida resederunt: Distinctis libratisque rebus, quæ igneo spiritu vehebantur, emicuit cælum in septem circulos.*

Hinc ergo innuere videtur, quod non modo elementum ignis, tanquam quarta essentia, ex spiritu tenebroso, è regione Empyreica expulso, sed etiam ipse Quintæ Essentiæ flos Solaris, sive Heliotropion, videlicet lucidum solare corpus ex eodem exurrexerit, è cuius virtute & fonte lucido reliquæ stellæ erraticæ lumen suum recipiunt, uti *Tractatu primo, Voluminis primi* demonstratum est; At vero reliqui spiritus ejus, qui ob grossitiam suam in æthera penetrare nequiverunt, supremam infimi cæli sphaeram possidere cæperunt; atque ita, uti ante dictum est de facie abyssus, sic jâ hic quoque dici potest,

Spiritum igneum ferri super facie aquarum, tam in cælo mundi superiori, ubi lux regnat, quam in superiori elementorum iphara: De aere vero seu spiritu elementari invisibili sic loquitur *Eccles. 1. 5.* *Aer seu spiritus ad motum Solis ab ortu in occasum circumit & properat, ac secundum circuitus suos revertitur:* Similiter, ubi ventorum mentionem faciunt sacra scripturæ; ibi aerem virtute Jehovæ impulsum intelligunt: Aquæ etiam elementum notat *Psal. 33. 7.* quando dicit; *Terram operuit Iehova abyssu, ut indumento.* Ex hisce ergo videmus, quod elementa omnia in aqua; & ex aqua sint, ac per consequens, quod aqua sit omnium elementorum mater: At vero, quod illa ipsa etiam sit fons & origo corporum opacorum in tribus compositionis regnis jam ostendemus. Secundum cælorum mundanorum numerum; qui in numero ternario comprehenditur, tres etiam in terra tenebrarum regna esse, luculenter superius explicatum est; quorum supremum cælo mundi supremo, itidemque supremo infimæ mundi regionis elemento, nempe igni, & animali compositionis generi responderet. Unde certum esse perceperunt in Philosophia peritiores, quod animalia respectu cujusdã rationis (quam vel metaphoricam faciunt, ut in irrationalibus seu brutis, vel vere intellectualem vocant; ut in homine) similiterque consideratione memoriæ & sensus, de cælo superiori, seu rationali quodammodo participant, & quod in eorum compositione ignis in aere dominium habeat; quo quidem declaratur, corpus animale tenebrosum (quod nihil aliud est, quam aqua condensata) esse de tenebris cæli *Empyrei*, seu prima spiritus divini apparitione deorsum repercussis; ex quibus elementum ignis per compressionem exilivit: Hinc itaque facillime naturam sibi similem ad suam compositionem, magnetica sua virtute attrahente, allicit: Atque inde factum est, ut animalia natura ignea vegetabilibus præferantur, uti illa mineralibus: Similiter vegetabilia respectu vegetationis & multiplicationis, quæ procedit à regno solari, seu cælo æthereo; de tenebris illius cæli corpora sua opaca habent, & de elemento aeris spiritum cum aqua; quod ex eisdem tenebris ortum est, participat in sua compositione. Eodem plane modo res sese habet in mineralibus; quorum corpora ex tenebris infimi cæli compacta sunt, & de natura aquæ cum terra maxime participant; Quod quidem elementum aquæ exilis per compressionem virtute Verbi seu ignis divini expressum, & chymia vera, tam supernaturali quam naturali modo extractum est. Unde fit, ut animalia subtiliora & molliora sint vegetabilibus, & mineralia illis ambobus densiora, duriora, & magis compacta: Sed de his luculentiori discursum *Sectione hujus tertia*, ubi de medicamentis trium regnorum opacorum verba fient, agemus. Concludimus igitur ex his, quod Aqua sit materia prima, & mater, ac quasi penus rerum omnium tam invisibilium quam visibilium, tam simplicium quam compositarum, tam perspicuarum quam opacarum; & quod opacitas seu tenebræ sint nihil aliud, quam aqua condensata: Unde est nubes densa, quæ & caligo in sacris scripturis dicitur: Nec certe quicquam aliud est aer, quam aqua subtilis, & per consequens aer inspissatus facit aquam; Nec denique aliud quicquam est ignis, quam aer rarefactus; qui condensatus fit aer; & ille iterum aer fit nubes fulgurans propter ignem ei inclusum inspissationeque contractum; atque illa etiam in terram & lapidem congelari solet: Hinc igitur videmus, quod spiritum sit nihil aliud, quam subtile, nec subtile quicquam aliud, quam spiritum; h. e. *inferius est, sicut & illud, quod est superius, & è converso*; Et per consequens, quicquid in mundo existit, est nihil aliud, quàm aqua, subtile, & spiritum; Et spiritum est subtile in potentia, uti & subtile habet potentiam evadendi in spiritum: Illud vero, quod distinguit & alterat hæc omnia, est Verbum & virtus lucida Jehovæ; cujus actu majori spiritum fit subtile, & minori subtile fit spiritum; Atque ita intelligitur illud *Psal. 134.* *Verbo Iehovæ firmati sunt cæli, & spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum.* In aqua, ex aqua, & per aquam, operante Verbo, factum est subtile & spiritum, perspicuum & opacum, cælum & terra, atque omnes creaturæ ex ipsius compositione. In cælo ergo aqua est res valde pretiosa, pellucida, liquida, subtilis, spiritualis, & simplex, res tam visibiles quam invisibiles penetrans, corporaque omnia essentialia instar glutinis, virtute lucis in ea agentis connectens; adeo ut sine aqua res nulla, prout per se ea creata est, contineri & ad invicem coherere posset; sed extra istam aquam limpida corpora instar pulverum aut cinerum conciderent; quod quidem in ligno comprobatur; quippe quod, simul ac ex ejus compositione liquor aqueus vi ignea expellitur, protinus in pulveres & cineres redit, hoc est, in portionem suam tenebrosam, unde opacitatem suam habuit: Nam impossibile est, ut aliqua creatura animalis, vegetabilis, aut mineralis subsistere queat in sua compositione absque aqua sua essentiali; quæ est ejus humidum radicale, seu balsamum, quo partes ejus veluti glutine quodam ad invicem compactæ conservantur. Quid autem hoc humidum radicale faciat in corporis curatione, suo loco & tempore explicabimus: E contra vero aqua tenebrosa est quasi basis & fundamentum, super quo liquidiores & subtiliores aquæ ad speciei effigiem efformandam statuminantur & opacitate reguntur; Sic cineres, lutum, argilla, terra, umbra, & caligo dicta sunt hominis externi fundamenta, ut in locis haud paucis declarant monumenta sacra. Videtis igitur, ô Terrigenæ, quod aqua sitis; in aqua vivitis, in aqua vescimini, in aqua per aquam dormitis, in aqua sentitis, in aqua intelligitis; ex aqua denique, in aqua, & per aquam sustentamini & spiratis; gaudio & sanitate afficimini, & lætitia perfundimini ex spiritu aquæ tenui & claro; tristitia vero & mœrore, vitaque misera, ac morbo affligimini per aquæ grossæ & tenebræ haustum: Denique in D. Petri

sententiam concludendo, omnia in mundo existentia, sive simplicia, sive composita, ex aqua, Verbo operante facta, creata, atque in genera speciesque distributa sunt; Et per consequens, aquam esse matrem, materiam primam, seu argillam, & ceram illam virgineam infinitam, in quam Verbum Dei seu Messias actus sui characteres impressit, certissimum est, & sine omni controversia manifestum: Sed tamen omnis illa aqua dicitur elementum aquæ, quæ est visibilis; quemadmodum & aqua invisibilis comprehendit aerem, ignem, & cælum.

C A P. IV:

De multifaria aquarum divisione, & præcipue in visibilem & invisibilem:

Nunc deinceps de aquæ universæ in suas particulas divisione verba nonnulla breviter faciemus. Gen. 1. legimus, *aquas divisas esse in expansam, quæ quidem pars est firmamentum vel cælum, & in collectam; quæ mare nominatur*: Hæc enim est exacta divisio aquarum perspicuarum; quæ idem illud innuere videtur, quod aquæ in visibilem & invisibilem distinctio; de qua infra: Iterum aqua dividitur in partem superiorem & inferiorem; Sic dicitur firmamentum distinxisse aquas superiores, subtiles, & spirituales, ab inferioribus, grossis, & materialibus; Atque ipsum firmamentum seu cælum medium de utrisque participat, suntque ejus aquæ mediocriter tenues, & mediocriter crassæ; Unde per cæli mediæ centrum transire dicitur sphaera æqualitatis: Iterum Proverb. 8. dividitur in nubes superiores superne, in fontes abyssi, & in mare; Verba sunt hæc; *Cum fortificaret Jehovah nubes superiores superne, cum roboraret fontes abyssi, cum imposeret mari statum suum, & aquas, ne transgrediantur præstitutum oris ipsius, cum statueret fundamenta terræ, Ego Sapientia sui apud ipsum*. Per nubes ergo superiores superne ipsos cælos intelligebat, juxta illud Psalm. 104. 3. *Cæli superiores teguntur aquis à Deo*; Et Job. 25. 5. *Cælum intueri, & contemplare superiores nubes, ut sint alta super te*; Similiter Psalm. 89. 7. *Cælum dicitur superiores nubes*; Et Psalm. 89. 9. *Deo Jehovah, quis in superiori nube par existimatur?* Per fontes abyssi, aquam dulcem arguebat, & per mare salum, ac per terram, aquam opacam, quæ erat in creatione aquarum perspicuarum universarum. Sed alibi omnes aquas visibiles sub maris nomine concludere videtur, nempe Psalm. 146. *Cælum, terram, mare, & quicquid in ijs est, conservat Deus constanter in seculum*; Et Gen. 7. 24: *Aqua perspicua in fontes abyssi, & cataractas cæli distinguitur*. Atque Deut. 4. 18. aquæ visibiles in aquas sub terra & supra terram dividuntur; Item aquæ visibiles & sentibiles superiores dividuntur in nubem, nebulam, vaporem & exhalationem seu ventum; quorum mentio facta est Psalm. 104. & 105. 39. Psalm. 135. 7. Ecclesiastic. 1. 3. & in infinitis locis alijs; Item dividuntur eadem aquæ, in liquidas & condensatas; quales sunt nix, grando, glacies, manna, & sic in alijs: Similiter visibiles inferiores aquæ in dulces, & saltas, acidas, amaras, sulphureas, & calidas, ac actu frigidas distinguuntur; Porro etiam aquæ sunt vel vivæ, quas Christus ipse dixit sitim in æternum tollere Ioan. 4. 13. vel aquæ communes; quæ sitim perpetuo non extinguunt. Sed inter omnes alias aquæ divisiones hæc à nobis præfertur, quæ sitim spirituales atque invisibiles, & in materialem seu visibilem, & qua iterum spirituales aquæ in naturales & supernaturales, atque iterum naturales in ætheream & elementarem, similiterque materiales seu visibiles in limpida, videlicet aquæ elementarem, & opacam seu terram distinguuntur. De hujusmodi igitur aquæ divisione nos hoc loco discurremus. Proinde sciendum est, quod aqua in initio invisibilis fuerit; Verum, ut homines cæteraque animalia eam videre possent, induit ei Deus quasi vestem aliquam pellucidam; prout etiam res omnes visibiles ab initio invisibiles fuerunt, & postea demum visibili forma, veluti veste induta, quo videri & percipi oculis corporalibus possent: Atque ita etiam in visibili hac essentia persistet aqua, usque ad terminum suum præfixum, quo rursus in claram, invisibilem, & plane spirituales essentiam revertetur: De quo summus ille Psalmista Israelis canit Psalm. 102. *Quod autem Deus ex rebus invisibilibus creaverit res visibiles testatur scriptura sacra in Epist. ad Hebr. 11. Per fidem agnoscimus, quod semper ita actum sit cum mundo per Verbum Dei, ut ex ijs, quæ videri non poterant, fierent ea, quæ possunt videri*. Invisibilis ergo in principio erat aqua, ex qua omnia visibilia creata sunt; Quæ etiam creatura nobilis, ut videri possit, vestem seu putamen induere solet: Sic quidem aerem invisibilem nubis densæ & visibilis vestimentum induere videmus; atque etiam nonnunquam cælum, thesaurum optimum Jehovah continens, homini visibile redditur juxta Deut. 28. 12. *Si quis autem sciat modum & artificium capiendi ac colligendi aquam veram invisibilem; tum, ajunt Sapientes ipsum habere præstantissimum balsamum, omnis generis infirmitates sanantem; de quo inferius suo tempore clarius, quod ab auctoribus fide dignis accepit, explicabo.*

CAP. V.

De aquarum mensura; Et an aqua creata fuerit dulcis,
vel salsa.

Quamvis corpus aquæ conditæ sit tantæ magnitudinis, quantum nemo mortalium assequi ratione potest; attamen ipsam Deus manu sua est emensus, *Esa. 40.* utpote qui suam cuique rei mensuram, numerum, & pondus tribuit, *Sap. 11.* Imo etiam hic artifex aquam conditam eo modo emensus est, ut mensuram ejus ad numerum teneat, quot mille nimirum manipuli ejus existant: Præterea quoque pondus aquæ exactissima Dei trutina exploratum, adeoque etiam certissimus librarum seu pondi numerus annotatus est. Hæc mensura, numerus, & pondus aquæ ea concordia & æqualitate sunt conjuncta, ut corpus illud totum absque permissione creatoris nec sursum, nec deorsum, neque ad latera etiam movere possit; sed in mensura, numero, & pondere suo ita constanter perseverat, ut ne gutta quidem de eo pereat: Quacunque enim ratione aquam usurpemus lavando, vel effundendo in terram, nihil tamen de ea deperit; sed revertitur illa vel ad aquam terræ, vel etiam in aerem; quippe ubi itidem est aqua; ita quidem, ut nihil omnino intereat, sed semper illa in mensura, numero, & pondere suo sine ulla imminutione conservetur: Nec quidem hoc de aqua solummodo communi dicendum est, sed etiam de terrâ; de aqua visibili, de aere, de nube, de igne, æthere, & spiritu Empyreo idem est intelligendum, quæ quidem diversæ sunt aquæ generalissimæ species: De terræ enim mensura (quæ est tax aquæ, vel aqua opaca) sic scribitur *Psal. 95. 4. Terra ima vestigia sunt in manu Dei, penes quem sunt altitudines montium &c.* Et *Psal. 104. 5. Terram fundavit Deus super bases suas, ne dimoveretur in seculum:* Similiter *Job. 26. 7. Terram suspendit Deus super nihilum;* Et *Proverb. 3. 19. Terram fundavit Deus sapientia;* Et *Job. 38. 23. Quis, quæ descendunt de cælis quiescere fecit? Quomodo descenderet pulvis in duritiem illam, & gleba sibi invicem adhererent?* De aquæ etiam visibilis mensura sic scriptum invenimus, *Job. 26. a. 10. Aquas terminum circumdedit, vel decreto circumdavit superficiem aquarum;* Et *ibid. 28. a. 5. Aquas appendit Deus in mensura.* Similiter de nubibus, proportionem loquendo dicit *Job. 28. 25. Ponebat pluvij legem suam, & viam procellis sonantibus;* Et *Prover. 8. Cum fortificaret Iehova superiores nubes superne &c.* De cælorum etiam numero dicitur *Job. 38. 37. Quis numeravit cælos in sapientia?* Et *ibid. 26. 7. Aquilonem extendit Deus super inane;* Et *Proverb. 3. 19. Statuit Deus cælos intelligentia &c.* Ex quibus videre licet, quod Deus omnem aquæ universalis speciem iustis trutinis, atque mensura debita ab initio ordinaverit, talemque dispositionis perfectionem perpetuo observaverit. Quod autem ad aquæ qualitatem dulcem & salis attinet, dubium exinde haud exiguum oriri potest, an aqua universalis, imo vero an mare ab origine suæ creationis fuerit salsum vel dulce? Cui quidem ut verbo uno respondeamus, dicimus aquam universalem, & consequenter omnes ejusdem particulas à primordio fuisse dulces, atque etiam suavitatis & odoris tam grati, ut simile quid inveniri in toto orbe terrarum nequeat: Imo vero hæc prima aqua, tanquam mirifica, sancta, & unica creatura Dei fuit pariter & odoris & saporis admodum grati, suavis, & salubris; ut exprimere hæc lingua humana non possit. Cum vero Deus hoc ipsum opus suum pellucida quadam testa, seu veste, aut putamine induerit, eique suavitatem suam & saporem, atque odorem istum jucundissimum & saluberrimum induerit, artis utique non leviserit, putamen illud ab eo uti & à cæteris rebus, in quibus nobiles balsami delitefcunt removere atque uniformem invisibilemque essentiam ex eo eximere: Sed hic labor, hoc opus est: Scio equidem, illud faciendum esse, attamen perficere id non possum; Sed, ut ad rationem falsedinis aquæ revertamur, dicimus, quod die secundæ, aquis ab aquis per firmamenti interpositionem separatis, aqua omnis sub firmamento comprehensa, in unum locum congregata, & mare nuncupata sit; Quæ quidem in continenti, atque ea ipsa hora salsa est effecta, nec quicquam in ea sine sale relictum: Unde vocabatur *Salsum Gen. 14. & Num. 34.* Hac occasione simul notandum est illud memoria dignum, quod sal etiam in omnibus terræ fructibus, arboribus, herbis, animalibus, mineralibus, adeoque in rebus omnibus visibilibus, quæ in universo orbe existunt, repetitur, prout quotidiano Chymicorum exemplo illud demonstrari potest. Ratio autem in promptu est, quare sal reperitur in omni creatura composita; quoniam videlicet omne corpus compositum ex face seu cineribus tenebræ aquæ factum est: Unde, cum grossa aqua concurrat ad compositionem creaturæ cum cineribus tenebrarum, sequitur, quod illa creatura in sua compositione salsum contineat; quoniam aqua compositionis ejus, aquæ marinæ assimilatur: Hinc ergo urinam in animalibus sale infectam sentimus; & lixivium ex lignis, ac tartarus ex vino facillime conficiuntur. Quare videmus, quod in principio aqua universalis fuerit dulcis & grati saporis; sed post ejus separationem & conjunctionem cum terra, tanquam aquæ vulgaris cum cineribus, cœpit aqua illa extrahere naturam salis cinerum terrestrium, atque ita in continenti facta est salsa: At vero aquæ fontium & fluminum aliter se habent; Nam licet origo earum sit à mari iterumque revertantur in mare juxta illud *Eccles. 1. 5. Flumina ad mare properant, nec tamen impletur;* quippe quo arguitur illa à mari provenire; attamen propter assiduam suam per poros terræ colationem seu transitum purgantur & purificantur à falsedine sua, dulcesque rursus efficiuntur.

An aqua sensum in se habeat nec ne?

Sed hic quæstio oritur haud exigua; *An videlicet creatura ista universalis sensu & intellectu prædita ac donata sit à Deo?* Cui nos affirmative respondendo dicimus, quod primum in aqua, & deinde in creaturis cæteris omnibus, ex ea conflatis tantum addit sensus atque intelligentiæ, quantum ijs sufficit ad auscultandum & audiendum vocem Dei, ut ad eam contremiscant, eidemque obtemperent: Nam Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, igneam atque intellectualem suam naturam ita ijs miscebat, ut, movente atque innuente Spiritu increato, tanquam agente, Spiritus seu aquæ creatæ, tanquam passivæ, intelligerent sensum & voluntatem Dei, eique se obediunt semper præberent: Nam propter Spiritus lucidi præsentiam, vitam habuerunt aquæ universales, quæ Messias seu virtus Tetragrammati dicta erant, & in naturæ regionibus Metatron: Hinc erat aqua illa Paradisi & mystica, quæ est quasi spiritus vitalis universæ massæ, & aqua viva in multis sacrarum literarum locis dicitur; Mandat enim Deus, ut aquam vivam affundant cineri. *Deut. 19.* Quæ etiam ratione David loquitur, quod *aqua viderit Iehovam, & timuerit, commotæque sit abyssus. Psalm. 77. 7.* Christi que Imperato, obdixerunt aquæ, ita ut fluctus ejus tumultuantes seu sævientes voci ejus derepente paruerint. *Matth. 8. 26.* Quibus in locis confirmatur, quod sit in aqua sensus aliquis & intellectus, ita, ut videat, audiat, & timeat: Porro etiam *Psalm. 148. 4.* dicitur, quod *aqua supra cælum laudent Deum: Et alibi; Cælum, & terra, & mare, & quicquid habitat in ijs, laudabit Deum:* Insuper quoque audit aqua, & videt malitiam hominum; eamque perfert patienter: Imo dicuntur aquæ loqui; Unde dictum est, quod *cæli loquantur laudem & gloriam Dei, & quod firmamentum cæli annuntiet opera ejus, quæ fecerit manibus suis:* Non tamen obtinere hoc aut præstare homines in pœnam peccatorum suorum possunt, ut obediunt illis aquæ, sicuti Moyse, Josuæ, Eliæ, Elitæ, & Christo, paruerunt, cum siccis pedibus transiverunt per mare rubrum *Exod. 14. 21.* per Jordanum. *Iosu. 3. 16. & 4. Reg. 2.* & mari inambulaverunt, ut loco antea citato; non attento eo, quod Deus omnes creaturas suas visibiles subjecerit hominibus, ut hi illis imperent, atque illæ e contra cum timore & tremore his obtemperent. *Gen. 1. 9.* Hoc autem audire videre, timere & loqui, quod in aqua esse diximus, assurgit supra omnia Phylica Ethnicorum scripta; nec quicquam de hoc ipso in eorum libris invenitur; quippe qui neque verum Deum, neque creaturas ejus cognoverant, sed sibimet ipsis Deum mundumque quendam proprium ridicule confinxerunt; Unde in cæcos illos errores prolapsi sunt, in quibus etiam mundus, & sæculum hoc nostrum de mundo judicans, hærent: Et sane horum opinionibus egomet ipse me quodammodo, licet coacta quadam voluntate, submitto, ne, si in ipso statim principio nimis à vulgari errore recedam, criticum me novarum opinionum introductorem, vanumque, & veteris doctrinæ oppugnatorem appellent: Equid enim non videretur hoc stultum & ridiculum nonnullis ignorantia obrutis, si apud eos asseveraretur, Cælum Empyreum, æthereum, atque sedem Dei esse tam in mundo elementari, quam in summo; & quod cælum sit in terra, ac terra in cælo, item quod Deus sit in homine, & homo in Deo, & quod Sol, Luna, & Planctæ descendant. Et tamen hæc omnia apertissimis factæ scripturæ testimonij comprobari & confirmari posse aucter affirmamus, quantumvis ea ignavis relata fidem perdant: Vos igitur per viam antiquam & sapientiam humanam ac fictitiam ad divinam & veram sapientiæ portam deducere, hoc est, à fundamentis Aristotelicis ad campum Ebraicum Verbi Dei seu sacrorum Bibliorum semitas per principia similia dirigere atque allicere gestio, in quibus est unica & sola veritas, & extra quæ nulla: Non enim convenit deserere fontem omnis Sapientiæ, & in regionibus extraneis quætere artem, scientiam, & intellectum, uti faciebant Agareni, & qui erant in Theman; quippe qui viam veram sapientiæ nunquam agnoverunt *Beruch. 3.* Etenim hic solus fons *clavem Davidis possidet, quæ aperit & nemo occludit, & quæ occludit, & nemo aperit. Esa. 22.*

C A P. VII.

De maximis mysterijs quæ sunt in aqua.

Mysteria equidem prægrandia posuit Jchova in aqua hac sua generali; imo vero cujuslibet creaturæ suæ, tam visibilis, quam invisibilis, proprietatem occultam, vim, operationem, & motum aquæ licet modo invisibili includit; ita quidem ut in illa lateat semen rerum omnium; Et per consequens, secundum doctrinam nostram præcedentem, hæc est mater universalis rerum omnium; quippe in cujus ventre spermata rerum continentur; videlicet cælorum, astrorum, animalium vegetabilium, gemmarum, & metallorum; de quibus in Sectione De Medicamentis copiose; Est etiam

etiam alimentum atque nutrimentum omnium viventium cujusque regni, itidemque gluten & connexio omnium elementorum atque elementatorum palpabilium: Dixerunt etiam Sapientes expertissimi, ipsam esse medicinam præstantissimam, quæ uspiam sub Sole inter cælum & terram inveniri potest: Et denique est mysterium omnium maximum, quod Deus sydera omnia, adeoque Solem, & Lunam, cum cæteris Planetis, universumque aerem, & habitantes in eo angelos ac spiritus, ipsum denique globum terrestrem cum omnibus in eo existentibus ex aqua fecerit, & aquæ ea miro modo incluserit, atque in ea firmiter vivo atque omnipotenti verbo suo obsignaverit; & quod unum quodque eorum in ordine primitus instituto constanter perseveret, ac munus suum absque intermissione exequatur in laudem & honorem Dei, ac humani generis utilitatem.

Videmus ergo, quod cælum sit mera quasi aqua, & quod sydera omnia in eo quasi natent, non aliter quam lignum in aqua; Et tamen illud lignum dissolutione facta nihil aliud esse deprehendimus, quam aquam; prout etiam ipsa compacta stellarum corpora nihil sunt aliud, quam aqua condensata, & in globum congregata. Reliqua mysteria spiritualia, quæ in hac ipsa creata aqua continentur, ex Biblicis scriptis adeoque etiam ex novo Testamento colliguntur; quæ nimirum ratione Christus Jesus venerit per aquam & sanguinem; non per aquam solummodo, sed per aquam & sanguinem; *Tres esse testes in terra; nimirum aquam, spiritum, & sanguinem, & tria illa esse unum, I. Joann. 5.* Videmus ergo hic mysterium insigne & hominibus præcipue honorandum ac observandum, quod videlicet una cum spiritu sancto etiam aqua & sanguis perhibeant testimonium de adventu Domini in hunc mundum: De Baptismo etiam ex aqua, spiritu, & igne legimus in multis novi testamenti locis non atque mysterio stupendo; Similiter de aqua viva, & fonte vitæ Paradisi tam cælestis quam inferioris sæpissime verba fiunt in scriptura sacra, & de hujusmodi alijs. Sic quoque libri Moysis de columna ignis & nubis, & Ezechiel de rotis spiritualibus in cælo coram Jehova, & de aquis Saphyrinis, & caeteris ei consimilibus agunt. Quod denique attinet ad aquarum finem; videlicet quid de aqua futurum sit die novissimo, & an ea omnis sit interitura nec ne; satis ea in *Tractatu primo, Tom. 2.* declaravimus; Cæterum de arcana humidi radicalis & aquæ ad medicinam virtute *infra suo loco sermonem faciemus.*

C A P. VIII.

Quod aqua visibilis res omnes emundet, atque semetipsam etiam purget.

TAm pretiosa est hæc rerum omnium mater, & ad usum quarumcunque rerum ex ipsa procreatarum tam necessaria, ut creaturarum visibilium princeps homo neque in templis, neque domi, neque foris ea carere possit: Nam quicquid depravatum, putridum, aut mucidum effectum est, aut alioquin impurum; pollutum, aut coinquinatum, & commaculatum, hoc omne lavatur ac emundatur aqua; quatenus ea omnem impuritatem ad se rapiendo res impuras emundat, atque omnia devehit ad loca convenientia & destinata, ne officere quid hominibus aut offendere eos possit. Quando videmus aquam in macellis & culinis sanguine tinctam, in officinis figulorum lutosam, apud tinctores nigram, cæruleam, viridem, in stabulis fimo infectam, atque in latrinis adeo fœtidam, ut etiam præ fœtore nimio eam ferre nequeas, sed ea de causa proferenda sit atque effundenda, & vel tunc etiam ejus est virtutis, ut ejusmodi immundiciem à se ipsa removeat, ac purget & emundet sese iterum eo modo, ut nullum amplius in ea vitium deprehendere, sed salubriter rursus, illa in potu & coquina uti possis: Ex locis secretis stercorea, & immunditiæ hypocauftorum ac tricliniorum eijciuntur in aquam, adeo, ut illa hujusmodi sordibus reddatur omnino impura & contaminata; sed vix ac ne vix quidem etiam ista omnia per ducenta stadia secum trahit, quin deposuerit rursus omnem istam impuritatem, atque peroptime sese expurgaverit, saporemque omnem coitexerit, ita ut possit in potu alijsque necessitatibus esse usui: Et quamvis ut plurimum evenire soleat, ut aqua fluminum, imo vero & fontium per diuturnam in vasis moram corrumpi & putrescere observetur, ita ut in navibus aut ædibus absque valetudinis detrimento detineri non possit; attamen sciendum est, quod aqua in sua natura sit res sancta, munda, pura, & quod nulla ratione putrefieri aut corrumpi possit, sed persistat semper in essentia sua sana & pura: Quod autem illa in vasis aliquibus ejusmodi odorem ingratum sibi contrahit, istud fit non ex natura aquæ, quod hæc sit putrefacta, sed potius inde, quod aqua ex ligno metallo aut fictili, in quo asservatur, odorem assumit, & magis magisque eum ad se attrahit & adauget, usque dum ad postremum effundatur, atque tum illam vasculi putredinem à se abigit: Porro etiam natura occulta terræ illius loci, ex quo extrahitur hæc aqua, potest esse causa istius fætoris; Unde fit, ut una aqua in ipsidem vasis citius putrescat, quam alia; nam aqua sua successione in motu tollit corruptionis causam, quæ magis accidere solet in quiete elementorum non quiescentium naturaliter: Sic enim humorem in corpore extra suam sedem naturalem

moventem; ibique quiescentem subito corrumpi cernimus, & fetidissimum reddi; quod etiam non ex simplici aquæ conditione evenit, sed ex ejus cum occulta quadâ heterogeneitate mixtione; quæ quidem natura heterogenea ita occultata per diurnam suam in eadem aqua stationem immobilem corrumpitur, nec potest aqua corruptionis stigmata impedire, quatenus ejus actio & motus tollitur; atque ita propter materiam terrestrem ei adhaerentis corruptionem dicitur ipsa aqua corrumpi: Sic etiam potest ea aqua, quæ re aliqua fetida est imbuta, dici corrupta vel corrumpi, quamvis ipsa revera in se & per se incorruptibilis atque pura & sana in perpetuum persistat: Hæc etiam est ratio corruptionis in homine; qui tamen per se, tam respectu sui spiritus seu aquæ, quam lucis vivificæ, incorruptibilis est & sempiternus.


C A P. IX.

De illa aquæ inferioris portione, quæ sphaera, seu elementum humiditatis dicitur; Et de aquæ qualitate maxime propria.

Illa aquarum inferiorum portio, quæ sita est inter duo extrema, videlicet inter ignem & terram; Sphaera humiditatis nuncupatur; quæ nihil aliud est, quam illa duo elementa, quæ Philosophi aquam & ignem vocaverunt, hoc est, aquam visibilem, & aquam invisibilem sive densam & subtilem: Nam hæc sphaera in partes duas natura & loco ab invicem differentes distinguitur propter duorum extremorum ad quamlibet earum accedentem propinquitatem, ita ut infima sphaeræ humiditatis portio visibilis & densa reddatur propter frigiditatis terræ in ea dominium; cujus est, condensare: Superior vero invisibilis & rara est, propter caliditatis vicini ignis confortium, cujus est attenuare, atque attenuando invisibile reddere. Est ergo terra infima aquæ universalis extremitas, opacumque algoris tabernaculum; ignis autem est suprema aquarum infimarum summitas & apex; aqua vero & aer, quæ sphaera humiditatis unica dicuntur, inter hæc duo suspenduntur. Horum ortus, quem admodum in superioribus dictum est, à tenebris infimis & mediis cæli derivatus est: Nam harum tenebrarum compressione circa centrum universi, spiritus quidam superflui animæ & alis scintillarum in ijs inclusarum, vel sublimius, vel depressius exaltantur vel submerguntur secundum lucis dignitatem, quæ in ijs vehitur: At vero lucis secundariæ, vel naturæ scintilla, in tenebrarum mediarum deorsum repercussarum spiritum immerse digniores sunt & vivaciores illis tertiis, quæ in infimarum tenebrarum spiritum sunt infusæ: Ergo hic maris & aquæ visibilis locum implet, ille vastam aeris capacitatem; atque ambo integram æqualitatis sphaeram conficiunt: Sed hic ingens oriri potest dubium; cur scilicet, cum tam terra elementum, quam elementum ignis sint aquæ portiones, hæc ambo non humida, sed è contrario sicca dicantur, cum humiditas semper conditionem atque naturam ignis comitari solvat origine. Cui respondemus primo loco, quod, quamvis terra dicatur arida, propter condensivam & contractivam frigoris immensæ præsentiam, nihilominus tamen habeat in se occultam aquæ humiditatem, quemadmodum in salis natura, in cujuslibet terræ portiois medietate reperti, videre licet, quod mediante humiditate actuali cum caliditate in aquam redigitur: Unde liquet, quod ipsa terra modo occulto, & in potentia quasi, humiditatem in se habeat; at propter actum congelativum ipsius frigoris sicci tollitur illius humiditatis effectus; quæ nihilominus humiditas in terra interim delutescit, & in potentia existit. Hinc igitur est, quod humiditas, quoad nos, abesse dicitur à terra, ita ut sicca & arida vocetur, non quidem quod revera & centraliter hæc ita sit; sed quoniam, quoad sensum humanum humiditas dominium in terra habere non videtur, quatenus omnis ejus massa arida apparet in medietate aquarum, ut Gen. I. habetur; Et tamen, si oculis intelligentiæ rem, prout est, intus inspicimus humiditatem hic centraliter reperimus; sed, quatenus ea vi frigoris congelatur, non humiditas sed ariditas nuncupatur, atque humiditas propter hunc respectum abesse dicitur; quæ quidem humiditatis in terra absentia hac de causa siccitas appellatur. Ratione etiam haud dissimili humiditas in elemento ignis reperitur; nam est lucis essentialis quasi vehiculum: Veruntamen hæc propter subtiliantem ignis naturam ita attenuatur, videl. spiritu igneam vim recipiente, ut nullum humiditatis signum in eo appareat; & per consequens siccum appellatur hoc aquæ membrum, quatenus propter humiditatis occultationem & imperceptibilitatem ejus contrarium adesse videtur, videl. ariditas, ut in ultimi principij, videl. lucis, descriptione latius declarabimus: Est ergo pyramidis materialis conus spiritu imperceptibili stipatus & perfusus; ac proinde humiditas quoad sensum, eo loco abesse putatur, & siccitas prædominari dicitur; In basi vero ejusdem spiritus aqueus abunde reperitur, sed in duram & siccam massam frigore congelatur, actusque humiditatis tollitur, & in ariditatem permittitur. Sed, ut ad rem redeamus, dicimus, quod sphaera intermedia, quæ aquam & aerem continet, fiat ex proportionali qualitatuum oppositarum duorum extremorum, nempe Terræ & Ignis conflictu; videl. ex actione caliditatis in frigus terræ, & consimili ac correspondente passione reactione & resistentiâ frigoris terrestri adversus naturam ignis persequentis: Diameter ergo pyramidis ignei transit atque descendit à sua base, in elemento ignis collocata, ad suum conum, qui in terra desinit; & vice versa pyramidis terrestri diameter ascendit à basi sua terrestri ad conum suum

suum in ventre elementi ignis terminantem; Unde demonstratur, quod proportio pyramidis materialis, à terra ad ignem elevata, æqualis sit ad proportionem formalis, elementi ignis, quæ ab igne descendit ad terram; & per consequens actio est proportionata ad resistantiam passionis, loci que interfectionis factæ à duabus illis pyramidibus est locus ille verus, seu sphaera æqualitatis elementaris, in qua Jehova mirabiliter sese nobis in gloria sua manifestare solet; quemadmodum etiam in interfectione media, facta à pyramidibus duabus universalibus, per integram aquæ creatæ massam transcendentibus, sphaera animæ & æqualitatis mundanæ circumferri traditur, in qua Jehova tabernaculum suum posuit. Dicimus igitur, quod causa humiditatis in propria ejus sphaera inter terram & ignem interjacente sit hujusmodi: Tota terræ dispositio seu massa in regiones tres, videlicet in tres sphaeras tenebrarum trium cælorum est divisa; quarum quælibet cujuslibet alterius dignitati præcellit, & diversum habet ad resistendum elementi ignis actionibus respectum: Nam regio ejus superior (è cujus frigiditate elementum ignis, compressione manifestatum in altum effugiebat) usque ad ignem penetrat; sed quoniam hujus tenebrosi frigoris spiritus, (qui animalis est,) existit de dignitate spiritus Empyreï, ideo facile eum dissipat ac dissipat ignis natura; & quasi tota ignea exinde videtur: Verum, quia portio tenebrarum mediarum non nisi ad convexam ignis superficiem penetrat, & quia fortior est ejus frigiditas, quoniam minor est calor vegetabilis, ideo in aere congelari solet; sed illa siccitas in coagulatione per actionem pyramidis igneæ resolvitur, & convertitur in temperiem intermediam inter calorem & frigiditatem: At si actus ignis debilis sit, tunc in media aeris regione grando, glacies, & nix generatur; quæ iterum, urgente calore, in humiditatem & vaporem, aut pluviam & rorem rediguntur. Cæterum horum duorum elementorum humiditas ratione tenuitatis & densitatis in tantum variatur & differt, in quantum illa propinquiora sunt vel inferiori vel superiori termino: Nam in loco inferiori densior & spissior est humiditas propter potestatem & dominium frigoris terrestris in medium illud aquæum; in superiori vero tenuior est atque subtilior propter caloris ignei proprietatem in humidi dispositionem: Porro etiam aqua est talis humiditas grossa; quippe quæ ex tenebris densis regionis mundi visibilis & mineralis est extracta. Ex his igitur videmus, quod humiditatis regio seu sphaera sit omne illud, quod implet integrum istud spatium inter ignem & terram; & quod qualitas essentialis ipsius aquæ illuminatæ nihil sit aliud, quam humiditas; quæ ideo dicitur qualitas passiva, quoniam fit ab actione naturæ calidæ in naturam frigidam, reducendo omne illud in humidum actum, quod præsentia & dominio frigoris congelantis & astringentis in potentia ad talem actum se habuit: Patitur ergo spiritus congelatus, & siccus frigore factus, actum caloris; cujus virtute dissolutiva siccum removetur, geluque in humorem reducitur; atque ita tandem qualitas humiditatis, seu natura media inter caliditatem & frigiditatem procreatur; quæ est vera & naturalis aquæ revelatæ dispositio; cujus absentia, quoad nos, siccitas appellatur; quamvis, ut mihi videtur siccitas absolute dicta in rerum natura non inveniatur; sed tantummodo comparative seu respectively, uti in libro sequenti luculenter declarabitur. Pyramidis hujus humiditatis elevationem à terra confirmare videntur hæc verba *Iob. 24. 19. Ascendunt vapores ab extremitate terra &c.* Immensæ quidem magnitudinis librum de ineffabili aquarum mysterio; & conditione tam occulta quam manifesta conscribere possemus, sed, quoniam illud ad institutum manibus nostris jam commissum non pertinet, idcirco hoc loco istud omitemus, ut ad tertium & nobilius tam supernaturalium; quam naturalium principium lucidum tandem pedem proferamus, & perveniamus:

SECTIO-



SECTIONIS I.
PORTIONIS I.
PARTIS II.

Liber III.

De

PRIMARIIS NATURÆ ELE-
MENTIS, ET IN SPE-
CIE DE LUCE.

C A P. I.

De ultima matre ו Shin, & quomodo ea à prima matre illuminata, nempe ק & à secunda matre non illuminata procedat.



Uemadmodum in nomine mirifico, seu elementis super substantialibus ווה emanatio characteris essentialissimi Jod, tanquam persona secunda, & filius à patre transit in spiritum primum ה; Sic etiam in elementis tribus substantialibus, quæ matres nuncupantur, videmus, immediata mundi & rerum naturalium principia ab eo derivari: Nam ק tenebrosum primum è tenebris hylæ prospiciendo fit lucidum, atque ita tenebras suo silentio & occultationem denorat; manifestatione vero punctum, centrum, & originem illuminationis; Et quoniam ejus radius immensus מ seu aquas illuminavit, & de nihilo abyssi in actum reduxit; ideo dicitur מ ab ק procedere, tanquam filius à patre; & ideo comparatur lineæ, quæ est prima in Geometria progressio à puncto: Atque hinc accipitur à Cabalisticis pro Verbo divino, tanquam informatum pro informante: Et מ Mem finale ac clausum denotat verbum FIAT non prolatum, sed adhuc in ventre Abyssi inclusum; Unde מ clausum est symbolum silentij. At vero מ Mem apertum arguit verbum seu sermonem apertum atque prolatum; Estque symbolum spheræ Jovis; inde arguens, quod aperta aquarum abyssio, Jehovah gloria hominibus reveletur. Videmus ergo, quod Mem secunda mater arguat filium, secundam personam, seu Verbum; eo quod Verbi præsentia tales apparent aquæ, quales sunt; Et ex illis cæli creati sunt, juxta illud Psalm. *Verbo Domini creati sunt cæli &c.* Atqui jam tandem ad ultimam naturalium matrem (de qua hoc libello agere mihi proposui,) perveniamus, quam ו appellaverunt Sapientes: Quæ quidem se habet ad duas præcedentes, ut superficies ad lineam & punctum; Nam, ut superficies procedit à puncto, tanquam principio primario, & linea tanquam medio; sic etiam Shin ו profluit ab ק & מ: Quare, ut מ ab ק procedebat, tanquam filius à Patre, seu secunda mater à prima, sic etiam ו procedit ab ק & מ tanquam tertium quoddam, à Patre quasi & filio derivatum, & assimilatur à Cabalisticis Spiritui Sancto: Atque hinc est, quod ejus character formatur veluti formam habens coronæ cum tribus eminentijs; ita ut inde arguatur esse symbolum Sanctæ Trinitatis: Porro etiam ו Grammaticè illud dicimus, quod sufficit, vel satis est, ac si sufficeret, quatenus est Trinitatis symbolum, ac totius machinæ complementum, secundum illud prædictum; *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum; Ubi Dominus est ק locutor; & Verbum est fiat מ in actum; ac spiritus ab ore ejus est ו Shin à quo, tanquam à forma ignea omnis actus & virtus procedit: Nam ק est in Mem, & utriusque virtus in ו Shin: Namque hæc tres matres non sunt, nisi unus spiritus, qui est unus Deus, Cui etiam astipulatur Abraham in *letzrah: Unus**

Deus

Deus vivens, & Benedictus ipse, & benedictum nomen ejus, qui vivit in secula, vox, & Spiritus, & Verbum; & hoc est Spiritus Sanctus duo spiritus ex spiritu: Hinc etiam Rabbamaï in libro De speculatione ita scripsit; Hi tres unam inter se proportionem habent, ut Vnus, Vniens, Vnicum; & sunt principium, medium ac finis; Et hæc sunt unus p̄fectus, & est Dominus universi: De quo dixit Azariel in libro Sanctitatis; Hic est primus absque initio, & hic est ultimus absque termino, & nominatur Ensof, id est infinitudo; quæ est summa quædam res secundum se incomprehensibilis & ineffabilis, in remotissimo suæ divinitatis recessu, & in inaccessâ fontis luminis abyſso se contrahens ac contegens; atque ita pro mero puncto, centro, & Aleph tenebroso absque manifestatione accipitur; Sed post suam revelationem hic unus spiritus in proprietates tres dividitur, quas mundi matres dicimus; quæ omnes in naturam ♀ migrare dicuntur:

C A P. II.

De Shin tenebris occultato, & revelato; Et quomodo secundum sui characteris positionem proprietates vocabuli differre observetur?

IN superioribus declaratum est, quod Shin ♀, quod est ignis & lucis creatæ, seu spiritus ignei, & in creati cum spiritu ♀ creato permixti symbolum, sit aut aquis tenebrosis abyſsi inclusum atque occultatum, aut non occultatum; Priori casu denotat penultimam tenebrarum speciem, quæ Chaos significat, & characteribus obscuris sic includitur אשח: atque ita ignis divinus egressus est è nub̄ caliginosa in monte Sinai coram Israëlitis: At vero si non occultatur, apparet esse ignis ille terribilis & consumens, transiens ante faciem Jehovæ, de quo Israëlità ad Moysen loquentes dixerunt: Deuter. 5. 31. Vocem Jehovæ audivimus è medio ignis; Si pergeret Deus loqui tum homine, an viveret? Nunc itaque quare moriemur? non absumeret nos ignis ille maximus? &c. Atque hoc casu inter characteres obscuros non occultatur, sed ita depingitur אש signifiçans ignem; ubi Aleph denotat Jehovam, cujus est symbolum; & proinde illud cum ♀ mixtum arguit, Jehovam apparere ab ignis seu lucis creatæ centro: Hinc dixit Psalm. 104. 2. Deus est amictus lumine, extendens cælum sicut pellem, seu aulaum: Porro etiam Solis essentia characteribus hujusmodi vivis explicatur אש, hoc est, Sol, sic dictus à ministrando lumine; Ubi ♀ Mem, seu aqua, seu spiritus limpidus & substantia pura ipsius Solis in centro videtur, duoque characteres ipsius Shin, illam ex utraque parte includunt, arguentes, quod lux solummodo in Sole videatur, & spiritus substantialis, qui à Philosophis dicitur dentior pars sui orbis, ex omni parte lumine & igne obducta. Quibus luculenter docemur, quod mater hæc efficacissima sit causa luminis visibilis, & quod ejus virtus à partibus seu characteribus vivis nominis ineffabilis emanet; ad ejus exemplar matres naturæ producuntur, mundique partes delineantur: Atque hinc est, quod lux primariæ & spiritualis, quæ effluebat immediate à facie Jod, seu Aleph lucidi, à characteribus seu elementis formalibus ipsius Tetragrammati promanavit: Unde verbum illud sacrosanctum FIAT, spiritu igneo undique stipatum, sic exprimitur literis Sanctis יהי. Ubi, ut in Sole ♀ ab unica matre duplici amplexu tenetur, quod est tabernaculum Verbi in mundo; Sic etiam ה spiritus centralis Verbi efficacissimi FIAT ab unico Jod, patre luminis duplici itidem amplexu continetur: ubi loco universi nominis mirabilis יהוה, Jehova habemus יה, Jah, & י quod exæquat duplex ה; ita ut inde denotetur, quod Jod idem impleat triplex הרה, hoc est, tres cælos universi mundi, & per consequens, quod Messias, seu virtus יהוה sit ubique in mundo, & per mundum; ea quidem, quæ erat ipsa Sapientia, & existerat, antequam aliquid creabatur, cum Jod; ut in textu sacro reperitur: Lux ergo immediate ab ejus spiritu effulgens, retinet in se divinitatis characteres: Unde dicitur lingua sancta אור: ubi א ut dictum est antea, est signum paupertatis, vacui, & inanitatis, & per consequens tenebras hylæ denotare potest; à quo א effulgens, medium י reddit, ut Jod in He, vel Aleph lucidum in ה; quæ constituunt sex; Cujus numeri hieroglyphicum est Vau י. Quare denotat spiritum divinum illuminatum: Nam, ut Mem seu aqua illuminata dicitur Lux, & notatur per Shin ♀; in quo ♀ occultatur, ut in Sole אש; sic etiam ה Spiritus Sanctus in Vau absconditur; nam hoc arguit lucem increatam, illud vero creatam; Et in א, id est, lux, Vau, existens litera spherica, arguit, inter א Deum & א tenebras, mundum ה sphericum illuminatum fuisse positum. Unde etiam denotat, quod Deus sit extra & intra omnia.



C A P. III.

Vocabuli, Cælorum, ex characterum eius vivorum consideratione expositio:

UT tres matres naturæ substantiales derivantur à tribus patribus supersubstantialibus, & omnium maxime primarijs, qui per characteres tres nominis stupendi videlicet יהוה (nam י est symbolum, & quasi anima matris א & ה matris מ, & י matris ש) sic etiam ex his principijs naturalibus, seu substantialibus primarijs, & maxime simplicibus principia secundaria, seu magis composita oriuntur: Nam ex מ & ש ipsorum cælorum substantia componitur; videlicet ex מ tanquam parte materiali, & ש tanquam formali: Unde cælum summum est quasi totum Shin, seu igneum; unde Empyreum à πῦρ & dicitur, id est, ignis; Et cælum medium æthereum, quasi æther, hoc est igneus aer: Nam, ut in prima ordinatione ש procedebat ab Aleph lucido; & מ spiritu vel aqua; quorum mixtione deinceps אור aer, lux, creata est, cujus hieroglyphicum est ש; sic etiam ex matre hac ita composita; & מ facti sunt cæli visibiles, qui firmamentum appellantur: Sed & hoc optime tanquam in speculo politissimo ex characterum vivorum vocabuli sancti cælos significantis dispositione & conditione videre atque percipere possumus: Vocabulum autem istud est hujusmodi שמים Shamaim: Quod quidem vocabulum compositum esse volunt ex ש illie & מים aqua; ac si quis diceret; Ecce illic aquas: Nam ש, quatenus est ignis, illuminat; & mediante lumine illius fit demonstratio loci, illic; ac si innueretur, Ecce; Vide &c.

Quidam autem alij sensu rectiori (uti opinantur) cælorum compositionem ab אש & מים; id est, ab igne & aqua deduxerunt: Imo vero & hoc ipsum ex natura characterum ipsius vocabuli elicimus: Nam in שמים invenimus ש hieroglyphicum ignis, & מים quod est aqua: Ex quibus arguitur, quod cælum sit nihil aliud, quam compositio ex luce vel igne, & aqua, hoc est, ex materia aquæ, quæ est ejus substantia, & ex essentia ignis seu lucis creatæ, seu primæ compositionis ש: Et, quoniam Shin, uti dictum est, conflatur ex א lucido & מ, tanquam ex Deo & natura humida; ideo quod nunc est שמים, post creationem, dictum est ante & post creationem in æternum אלהים Elohim, quasi אלה Elha Deus, & ים, vel ים mare universale; Nā positio י inter duplex מē erit מים, i.e., aqua, ac si quis diceret, אלהים, Deus maris universi, vel ab אל Deus fortis, & מים aquarum, quasi אלמים Elmaim: Nam מ est in mundo ad exemplum Spiritus ה in archetypo; E enim in יהוה denotat spiritum increatum, & מ in mundo aquam seu spiritum; Unde Elohim ante creationem erat exemplar Shamaim post creationem: Nam, ut Elohim erat Deus aquarum, hoc est, lux increata aquas non creatas illuminans; Sic etiam Shamaim est quasi lux creata, aquas jam creatas illuminans: Unde א Aleph erat exemplar in Archetypo ipsius ש in mundo creato: Nam, ut Aleph illuminat mundum Archetypum; Sic etiam Shin mundum creatum; Est ergo in Elohim Aleph ante omnia & extra omnia, actum habens in spiritum ה Archetypi, & potentiam in Mem מ mundi creandi; Sed ante omnia fuit; atque ita ante ullam creaturæ nominationem à Moysè expressum fuit illud Dei nomen, quod nihilominus relationem habuit ad mundi producendi creationem; ad cuius tandem in creatione similitudinem cæli, seu שמים facit sunt: Unde ut א Aleph se habebat vel Jod in mundo Archetypo, sic se habebat ש in mundo creato; & per consequens ש in creatione est quasi Deus naturalis in aquis creatis, vel מים, ut אל in spiritu increato, & aquis creandis הים: quod in Deo idem est, quod ש in מים Maim, quatenus ה est spiritus increatus, ut מ est spiritus creatus: atque ita שמים in creatione relationem habet ad אלהים creatorem, ad cuius iconem & imaginem mundus, ex cælis distinctis conflatus, factus est:

C A P. IV.

Quotuplex sit Lux, seu de multiformi lucis natura.

IN scripturis sacris invenimus multifariam lucis divisionem: Et quamvis radicaliter una eademque sit lucis essentia, attamen, respectu varij, atque diversi ejus in hoc mundo indumenti, ipsam quoque variam esse dicimus, quæ respectu sui nihil est aliud, quam identitas, & una eademque natura: In uno igitur loco legimus de igne alieno coram Jehova Levit. 10. 1. in alio docemur, Jehovaham esse ignem continentem Deut. 4. 24. & 9. 6. item; Exhibuit tibi videndum ignem suum maximum; nam verba ejus audivisti è medio ignis. Deut. 4. 36. Legimus etiam adhuc de igne punitionis; Sulphure & sale exusta est terra ejus. Deut. 29. 23. Similiter Sodoma & Gomorra hujusmodi igne destructæ sunt. Gen. 19. 24. Legimus etiam de igne legati in dextra Jehovahæ lucente: Porro etiam scrip-
pturæ

ptura sacra mentionem fecerunt ignis columnaris, *Exod. 13. 12.* De igne etiam Jehovah descendente & holocaustum ac lapides & ligna consumente, omnemque aquam in aquæductu delingente loquitur, *1. Reg. 18. 38.* Quo etiam spiritu exanimatus est præfectus quinquaginta cum quinquaginta suis, *2. Reg. 1. 12.* Sic quoque est ignis seu lux solaris, & cæterarum stellarum; Item est lux meteororum igneorum, de quibus passim reperimus verba fieri in Biblijs sacris: Similiter habetur ignis communis, quem materialem vocant; Est denique ignis gehennæ, de quo loquitur, *Mat. 18. 9.* Nos autem in modo & ordine magis exacto progredientes lucem dividimus in invisibilem, & visibilem; atq; iterum visibilem agnoscimus esse vel increatam, atq; æternam, & supersubstantiali, vel illam creatam lucem primi dici, ex qua cæteræ invisibiles lucis species sunt formatae; videlicet angeli cujusque ordinis, & omneque sanctæ: Et in hunc ordinem etiam ignem Gehennæ obscurum referre possumus: *Visibilem etiam distinguimus in manifestam & occultam; atque iterum lucem manifestam facimus vel ex facie luminosa Jehovah veste lucida & visibili oblecta procedentem, vel cælestem à stellis procedentem vel elementarem, quæ in metæoris percipitur, vel illum tandem ignem vulgarem & materialem: Occultam vero illam vocamus quæ in metallis delitescere solet & lapidibus, lignis, herbis ac animalibus; quippe ex quibus motu & arte ita elici potest, ut etiam visibilis reddatur, sensuique subijciatur, atque oculis obversetur. De his autem ordine capite sequenti breviter dicemus.*

C A P. V.

*De luce invisibili increata, & quomodo ad ignis visibilis naturam comparetur:
Porro etiam probatur, quod lux visibilis sit quaedam lucis increatæ
& invisibilis in vestimenta, quæ induit,
reflexio.*

Lux illa invisibilis & increata, à qua cælum, & terra, atque omnia tam visibilia, quam invisibilia formata sunt, est illud unicum, sacrosanctum, ineffabile, & æternum Verbum Dei, seu Messias, & virtus vera Tetragrammati; Et hoc Verbum erat in principio apud Deum, & Deus erat Verbum; Omnia per hoc Verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat: Hoc est Verbum illud, in quo omnia firmiter subsistunt, & per quod Deus sese creaturis potenter & gloriose manifestavit: Hoc est illud Verbum, per quod Deus ex ore Prophetarum & angelorum locutus est, ac salutem generi humano annunciavit; Hoc est Verbum illud, quod præpotenter in se recepit peccata mundi, atque genus humanum cum Deo reconciliavit: Hoc est illud Verbum, quod in sacrosancta divinitate constituit tertiam personam: Etenim Deus creabat cælum & terram; quo quidem ipsa nobis prima persona notatur; Secunda autem in eo, quod Deus elocutus est hoc Verbum יהוה FIA T; atque tertia in spiritu oris ejus; Quæ omnia Deus ipse per brevissima illa jam commemorata verba ita explicavit, quod in divina sua majestate trinus sit in uniformi essentia, nimirum, Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus; atque ita trinus quidem in personis, sed unus tantum Deus: Hoc, inquam, Verbum FIA T est æternum & divinum; splendor gloriæ divinæ, & imago invisibilis divinæ essentia, ac lux hujus mundi, quæ unumquemque hominem in hoc mundo illuminat; Qui corde humiliato & vero desiderio hanc lucem apprehendit, ei præluet in vitam æternam. Hæc lux non percipitur oculis humanis; Sed à Spiritu, qui homini à Deo inditus est, in hac & futura vita conspicitur: Etenim, cum humanum corpus, à Deo datum, sit per carnem & sanguinem obfuscatum, ita ut oculi ejus cæcutiant, impossibile est ei contueri hanc lucem; neque enim mortale corpus ante factam clarificationem videre potest illud, quod est immortale: Testatur etiam scriptura hominem neque vidisse Deum, neque etiam eum visurum esse unquam in hoc carnali corpore, donec purificetur, & post hanc vitam corpori Christi per clarificationem conformis, & veluti divinus fiat; Ibi enim tum videbit Deum, sicuti est. Hæc est lux illa æterna, quæ primum aquas deiformes in identitate Spiritus cum Patre illuminavit; Hæc est Sapiencia illa divina, quæ cælos tres ab invicem sua virtute distinxit, & cujus aspectu levia, sursum evolvendo, graviaque deorsum descendendo, statuminata sunt: Hic est nodus ille pacificus, quo, materiæ humidæ discordia & lite sublata, symphonia per mundi universi regiones facta, & inter elementa contentiosa ac litigantia pax conciliata est perpetua: Hæc lux invisibilis est cæli superioris spiritus intellectualis mens, cæli ætherei essentia, elementorum forma, creaturarum compositarum vita & mundi universalis anima; Anima, inquam, est aquarum universalium, & centrum seu punctum vitæ in omnibus seminibus aquæ inclusis; & per consequens primus, verus, atque unicus omnium creaturarum actus: Per ipsam terra in vasto mundi centro super nihilo trutinis justitiæ suspenditur; Per ipsam terræ molis quiescit, seminariaque in ea contenta crescunt & multiplicantur: Per ipsam mineralia forma quotidie sed lente discescunt, & vegetabilia corrumpuntur,

tur, ut in multitudinem perfectionis in statu meliori & digniori è terra exurgant, animalia coitu multo foetus producant & motu locali huc atque illuc feruntur; Per ipsam ignis elementaris delitescit in qualibet creatura tam animali & vegetabili, quam minerali; ex quibus arte etiam elicitur; Et per ipsam ignis visibilis ardet, & examinare ac depurare solet res impuras, atque composita itidem coinquinata in elementa sua pura actu mirabili reducere; imo verò Verbum agit in cuiuslibet ignis centro quam evidentissime: Per illam maria fluunt atque iterum refluent, tempestuose commoventur, atque iterum sedantur & componuntur; Sed & primum, mediante ista Sapientia clarissima & actuosissima, intra suos limites in cumulum istum redacta est aqua visibilis; Hujus Spiritus presentia venti à quolibet mundi angulo, tanquam flumina rapta, scaturire percipiuntur, nubes lancibus admirandis in aeris æquilibrio sustinentur, aquæ in nives, grandinem, pluviamque convertuntur, & quod magis est miraculosum, ignis in nubium densarum & congelatarum centro occultatur, ac invita aquarum potestate in ijs ardere cernitur: Igneum denique elementum per ipsam super aerem exaltatur, & aer super aquam; atque terra quoque eadem Verbi lege aquæ subest & subjacet.

Est ergo Verbum divinum lux æterna, Sapientia sacrosancta, Messias seu virtus Tetragrammati, principium illud centrale, per se increatum & æternum, respectu rei in quam agit & movet creatum, quoad homines dictum: Nam Deus nobis sensu ductis imperceptibilis existit, & ab effectu solummodo cognoscitur; ita ut homines oculis sensibilibus, & non spiritualibus res specularum male actorem internum pro Spiritu, in quo habitat, & ipsum itidem Spiritum internum, qui in hominibus est templum Dei, pro corpore male accipiant: Sic itaque creaturam, creatoris neglecto, male respiciunt, atque ita actum divinum in creaturis ignorant, & ob fidei defectum vili pendunt: Et tamen quæ visibilia sunt ex invisibilibus per Verbum esse facta nos docet *cap. II. Epist. ad Hebræos*; Per fidem, inquit, agnoscimus, quod cum mundo per Verbum Dei ita semper sit actum, ut ex ijs, quæ videri non poterant, fierent ea, quæ possunt videri: Unde liquet, quod ex spiritu seu aqua subtili & invisibili per condensationem fiat illud, quod visibile est, mediante Sapientia Spiritu; qui in centro habitat, & omnia operatur: Simili etiam ratione per hanc Jehovah virtutem rutilant ignes ætherei motuque constanti, tamquam vigiles Dei ministri visibiles universam machinam circumeunt, dum principium eorum intus in se ipsos impellens est hæc secreta & invisibilis Jehovah virtus, sine qua nihil existit: Nam spiritus eius igneus occulte delitescit; qui contrahendo spiritum invisibilem reddit talem speciem visibilem, qualis conspicitur: Quæ quidem compositio visibilis subito instat fumi evanesceret; nisi actus ille divinus sua presentia arcana ejus partes tanquam naturæ vinculo adligaret; Nam recedente hoc Jehovah sigillo à mundo necesse est, ut omnia in hylam deformem verum redigantur; quatenus cuiusque rei forma & essentia ab hujus virtutis presentia dependet. O quam gloriosus est ille globus solaris, in quo affluentius regnat hujus virtutis sacrosanctæ presentia; quippe in quem tabernaculum posuit Jehovah! Neque tamen est illa lux, quæ à Sole emittitur, de immediata lucis sacrosanctæ presentia; sed est quædam illius reflexio, quæ propter corporis densitatem colorata & visibilis apparet, quamvis in se corporeis oculis sine morte & partis interitu videri nequeat: Corporis igitur coloratum est, quod videtur, & nequaquam lux illa Dei æterna, quæ est secreta & abscondita Tetragrammati virtus in qualibet re visibili, quæ subsistat, existens: Angeli quidem cæli superioris, qui altant coram facie Jehovah, hanc virtutem possident pro corporum suorum mente divina; ita ut hæc lux increata sit illis quasi anima; Spiritus autem sincerus, in quo illa natat & vehitur, est ipsorum corpus: Unde, ut Deus dicitur identitas, ita angelus est alteritas, quatenus ex spiritu creato, tanquam corpore, & spiritu lucido ac increato conflatur: Atque hinc est, quod angelus respectu corporis dicitur creatura, & ratione virtutis divinæ in eo exuberantis, Deus & Jehovah appellatur; unde etiam angelus nuncupatur Elohîm אלהים: imo verò pro Christo seu Messia in nonnullis sacræ paginæ locis usurpatur, quemadmodum in *precedentibus* luculenter explicatum est. Hinc igitur rationem videmus, quomodo Spiritus hic Sanctus, Jehovah patris Verbum, se in majorem vel minorem materiæ multitudinem immergendo, omnia prius increata, & in sola potentia constituta, ad aliquid in actu produxerit, & quod sine eo nihil in actu persistere aut permanere queat. Concludimus itaque, quod, ubi est aliquid visibile, illud fiat tale per invisibilem virtutis divinæ presentiam; quæ in re visa inest, & sine qua nihil existit, sed in hylæ substantiam omnia evanescent; & per consequens, quicquid videmus, illud quidem Deus dici potest: Atque hinc est, quod mundus uterque Dei appellatur imago; quippe qui uterque talis, qualis conspicitur, est propter Dei presentiam; qui teste Psalmista, videtur & conspicitur in suis operibus aqueis, ut vultus creatoris in speculo creato, & lumine increato polito. Ratio autem, cur regiones mundanæ, & res earundem ab invicem differant, est in diversitate vestimentorum aqueorum ab invicem discrepantium; in quorum mole virtus Jehovah tam in creatione, quam post creationem diversimode operata est: Namque hæc virtus seu lux increata ingrediens in spiritum Empyream, lucem creatam pro vestimento induit; Unde *Psal. 103. 104. 2. Deus est amictus lumine, tanquam chlamyde aurea*: Atque hic tenuis amictus est quasi spirituale ejus indusium, quod

ejus essentiam immediate includit. Hæc itaque est lux illa simplicissima illuminans in mundo, de qua dicitur Psalm. 48. *Lux faciei Domini maiorem lætitiã in didit animo meo, quam &c.* Et Psalm. 18. 29. *Tu illustras lucernam meam; Iehova Deus meus splendentes efficit tenebras meas;* Nam hujus lucis affluentia homines regenerantur, mens illuminatur, & quod bonum est, consequemur: Unde Psalm. 4. 7. *Lucem faciei tuã, Iehova, attolle super nos, & efficias, ut videamus bonum;* Et Psalm. 80. 4. *Luce faciei Iehove salvabimur:* Et Psalm. 84. 12. *Iehova Deus est Sol, lucem & gloriam dans.* Nam, ut Sol est lux visibilis mundi, dans vitam, vegetationem, & incrementum corporibus visibilibus; ita etiam Sapiencia divina, quæ per se est Sole pretiosior, & superans stellas, quatenus cum luce comparata prior esse deprehenditur Sapient. 7. 27. primo spiritualissimo & tenuissimo mundi indumento amicta non aliter agit benedictionibus in spiritus invisibiles, quam Sol in visibiles: Nam in spiritu interno scribitur lex viva Christi, ut in externo & visibili lex illa mortalis Mosaica.

Ex huiusmodi ergo lucis primariæ compositione creati sunt angeli, animæque hominum: Deinde lux illa magis deorsum in materiæ multitudinem se immergens huic chlamydi tenui & subtili, tanquam tunicam mediocrem, seu chlamydem priori densiorem, superinduit spiritum æthereum; ita ut jam profundius in materia submergatur: Porro etiam in spissa & condensata Solis substantia templum suum sibi posuit, & in mundum instar imperatoris regnare atque gubernare cernitur; ex quo cætera ætheris corpora spherica illuminat, imo vero in ijs habitat, & ad centrum usque penetrat: In materiæ verò multitudinem altius adhuc descendens nube obscura quasi toga tegitur; Quinimo etiam ad terram usque descendens hæc Sapiencia societate hominum delectatur, ita ut spiritum & membra humanana sibi templum constituat: *Erat, inquam, cum D. Joanne, & est in tenebris, sed tenebræ eam non receperunt; Erat in mundo, & mundus per ipsam factus est; & mundus eam non cognovit:* Ut igitur in cælo Empyreo erat, eatenus mens divina appellatur hæc lux, quæ in spiritu angelico statuit tabernaculum suum; In cælo æthereo mundi anima & Metatron vocatur; in elementis forma vivifica; in homine lux divina illuminans in tenebris, & cui tenebræ sunt, ut diès; & in omni denique creatura, ejus vita, esse, & actus.

Ex quibus liquido constat, quod Deus sit, omne quod est; quatenus nihil est præterquam illud, quod Deus sua præsentia facit tale esse, quale existit: Infinita ergo est hujus Sapienciæ seu Verbi divini virtus, ineffabilis ejus proprietas; Nam, ut ab homine incipiam, hæc essentia invisibilis penetrat per aures in corda humana, & purgat, emendat, ac præparat Spiritum hominis in corde ejus; idque ita illuminat, ut veram suam habitationem, postmodum in eo Spiritus Sanctus sese movet, & efficax est in illo, ac fructus suos in homine isto ea ratione ac modo operatur, ut cognosci ex illis possit, Spiritum Sanctum ibi habitationem suam constituisse: Unde in tali homine Sol lucet, ut ad splendorem ejus videantur, opera bona & mala, ut, quæ bona sunt, laudentur; mala vero culpentur, reprehendantur, & in melius reformatur; *Hæc lux illuminat omnem hominem, qui venit in hunc mundum,* & ambulare seu vivere in hac luce desiderat: Hæc est lux illa increata, quæ, ut dictum est, non percipitur oculis humanis, sed spiritu, qui homini à Deo inditus est, & quæ spiritum hominis illuminat, & in amore divino accendit, & excitat, ac peccata, scelera, & crimina igne suo consumit, hominemque ab illis purgat & emundat, non secus, quam purgatur aurum per ignem visibilem; *Est enim Verbum Iehovæ purum, ut argentum purgatum, in carino septies defecatum, Psalm. 127.* Unde impuritatem non permittit illis, qui confidunt in ipso, juxta illud, Psalm. 18. 31. *Verbum Dei purgatissimum est clypeus omnibus, qui se recipiunt ad eum:* Comparatur enim hæc lux invisibilis cum igne seu luce visibili (quæ etiam ab ea derivatur) in rebus corporalibus & in oculis incurrentibus; Etenim illa res istas omnes visibiles exterius illuminat, fovet, accendit, & à tenebris liberat, purgat, emundat & transparenter facit; ex quib. postea omnis generis mirabilia opera præparantur, & in lucem producuntur; Nullus lapis, nullumque metallum, lignum, os, aut alia corporalis essentia ejus est duritiæ & firmitatis, quæ non resolvatur; & omnino est in cineres redigatur per ignem; quemadmodum Moyses illum noviter seu recens erectum vitulum igne comburebat ad pulveres usque; insolitudine, & pulveres istos bibendos seu hauriendos exhibebat populo in aqua; Illud autem est in eo præcipuum, quod nullam tolerat impuritatem, omniaque illuminat, calore suo fovet, & immutat, atque etiam transparenter facit: Per ignem ex omnibus rebus visibilibus elicitur sal, oleum; succus, vitrum, & colores seu tincturæ: In igne ergo & luce circa huiusmodi purgationes, separationes, decoctiones maxima delitescit scientia; quippe in cujus cognitione non parum vertitur verorum artificum interesse, ut nimirum per hunc ipsum possint purum ab impuro putamine separare, & veram essentiam utiliter ad usum transferre: Vix præter Alchymiam reperitur ars aliã, in qua tot subtilia compendia adhibeantur, & tot utilitates in medicina & alijs rebus creentur: Qui hanc artem novit, ille aptior, habilior, & agilior erit ad omnes reliquas artes; adhibita tamen in hac re discretione, seu dextre hæc accipiendo: Vix etiam reperitur ulla operatio manualis accepta seu grata magis, & jucunda, quam hæc ipsa quæ per ignem expeditur. Porro etiam hæc est omnium maxima & efficacissima ignis operatio, quod per eum comburentur & renovabuntur secundum voluntatem supersubstantialem cælum & terra.

Dicimus ergo quod hæc ignis visibilis operatio fiat, seu procedat ab ignis seu lucis in-

creata actu; à quo solo omnes lucis mundanae actus tanquam à fonte lucido, emanare cognoscuntur; Nam, si, quod visibile est, invisibile erat, ut superius declaratum est, sequitur, quod actor in invisibili spiritu sit etiam idem principium occultum & internum, quod agit in spiritu jam oculis carnalibus manifesto; At verbum increatum agebat & agit in spiritum invisibilem; Ergo etiam Verbum seu Lux increata agit in spiritum visibilem & densum; quatenus quod densum est, est sicut illud, quod subtile, & vice versa. Produxit ergo Verbum aquas occultatas in Esse invisibile suo actu, atque effecit etiam sua compressione, ut illud subtile fieret densum, & spissum, atque visibile; & iterum secundum bonam suam voluntatem vincula compositionis relaxando corpus in spiritum motu retrogrado reducet & densum in subtile, corruptibile in naturam incorruptibilem, terram in caelum, visibile in invisibile: Atque ita quicquid in hoc mundo fit aut agitur, illud procul dubio mediante Messia & virtute Tetragrammati efficitur, sine quo est mors, quies, actusque & motionis privatio.

Dicitur autem haec virtus primario vel secundo movere, vel proxima aut remota rerum causa esse secundum profunditatem ejus majorem vel minorem in re materiali. Ex his igitur videre possumus, quomodo Deus dicatur intra omnia & extra omnia; videlicet intra omnia, quatenus omnis creatura ei loco indumenti inservit; atque ita dubitare quis potest, An Deus sit natura, vel an ipsa natura sit Deus: At vero quatenus est in sua essentia nuda & detecta sine ullo vestimenti aut latibuli materialis respectu, eatenus extra omnia dicitur, siquidem non continetur, sed omnia suo infinito amplexu comprehendit:

C A P. VI.

Amplior de Universalis mystici Verbi, seu lucis increatae natura discursus, tam in universa natura humida Mem, quam in ignea Shin:

UT profundiore de ineffabili Verbi divini mysterio discursum instituamus, intelligendum est, quod illud sit lux, per se, & in se invisibilis, & solo intellectu percipienda; Et tamen, ob ejus actus effectum, subjectum, in quo inest, seu vestis, qua induitur, eo magis colorata, & luce quadam visibili ornata est, quo in similitudine sua dignior est & honoratior, ut in corpore Solari & spiritu dignissimo ☩ He nubes: Unde lux visibilis non est immediatus actus lucis aeternae & invisibilis, sed illius potius effectus, seu reflexio in dignum aliquod corpus coloratum. Facit ergo Verbum divinum tam invisibiles quam visibiles lucis species, tum in caelo, tum in terra; invisibiles nempe, ubi spiritus seu indumenta illud recipientia sunt invisibilia & tenuia; visibiles autem per accidens, ubi spiritus sunt densi & visibiles, quippe qui suam visibilem & coloratam conditionem à reflexione lucis divinae recipiunt. Dicitur tamen lux respectu vestimenti, in quo est, naturalis; respectu vero sui, & sine ulla tegumenti naturalis consideratione, supernaturalis, quatenus à Jod seu fonte supersubstantiali promanat. Qui v. sint hujus lucis divinae effectus in universa massa aquea, quae per hieroglyphicū ☩ Mem, denotatur, quaeve sint egregiae proprietates in substantia lucis seu ignis creati infinitum equidē foret hoc in loco enunciare; Attamen, ut secundum sacrarum literarū usum loquamur, invenimus, quod hujus virtutis sacrosanctae expansione & dilatatione res omnes vivae & activae reddantur, nubes densae & congelatae dissipentur, aquae marium turgidae efficiantur ac superbe mobiles, aequae universus fiat calidior: E contra vero ejus contractione spiritus congelatur, & fit densior; aqua in nives, glaciem, grandinem, gelu, & pruinae condentatur. Similiter, ut dilatatione facultatis lucis principalis calor in aqua exigitur; Sic etiam ejus occultatione & contractione frigus habet dominium. Porro etiam est in Verbi potentia, ut remanente lucis ejus in corpore colorato effectus, calor tamen contrahi seu imminui ac deleri possit, & per consequens frigus praedominari, juxta illud Sap. 16. 18. Ignem Deus mitigat, ne comburat, modo ignem facit ardere inter aquam; Et ibid. 22. Ignis inest nivi & glaci, ipsis vero minime liquecentibus: Nam creatura tibi; qui fecisti omnia subiectis ad punitionem contra injustos intenditur, & remittitur ad beneficentiam ijs, qui confidunt in te. Quomodo etiam aqua condensetur absentia faciei Verbi, & iterum ejus praesentia dissolvatur nos docet locus ille a Psalmista Regio notatus Psal. 147. à 16. Nives emittit Deus sicut lanam, & pruinae sicut cineres dispergat; deiecit gelu suum tanquam frusta; coram frigore eius quis resistit? Emittens verbum suum liquefacit ipsum; simulac efflat ventum suum, effluunt aquae. Ex quibus innotelecre videtur, quod occultatione virtutis calidae Verbi seu lucis divinae frigus permittatur praedominari, ita ut nubes, in nives, grandinem, & gelu condententur; at Verbi seu effectus Verbi in nube emissionem, ac calido ejus afflatu aquae congelatae dissolvuntur, & disfluunt, atque revertuntur a nive seu grandine in pluvias: I cegimus ergo ventos, temerua, nubes, exhalationes, & procellas sonantes efficere seu inducere Verbum Dei. Psal. 148. 8. Ex quibus videre licet, quantam potestatem habeat Verbum in aquis, tam in earum congelatione, quam dissolutione, & per consequens ad massam aqueam refrigerandam & calefaciendam; hoc est, in productione caliditatis & introductione frigiditatis

sua occultatione: Similiter, quam efficax sit lux illa sacrosancta in reprimendo vires ignis manifesti & visibilis, ipsasque ad punitionem exasperandas, nobis non modo in loco supra allegato, sed etiam in multis alijs declarant Biblia sancta: Nam Jehova in mitigatione sui ignis dicitur benevolentia, misericordia, & benignitate plenus; atque ita *lux faciei ejus* dicitur *maximam latitiam afferre animo*, Psalm. 4. 8. *illuminare tenebras, & candelam seu animam*, Psalm. 18. 29. *efficere, ut videamus bonum*, Psalm. 4. 7. *Esse salus iusti, & robur vite*, Psalm. 27. 1. & quod *in ea salvabimur*, Psalm. 80. 4. item, *Sol, dans vitam & gloriam*, Psalm. 84. 12. & sic in cæteris. At vero, quatenus intenditur ad pœnam, eatenus dicitur ira ac iracundia Dei, ut Psalm. 6. 2. & 38. 2. *Ira Jehovæ est æstus ejus*; Et Psalm. 11. 6. *Depluit super improbos pruina*, Psalm. 21. 10. & 83. 15. *Ira Jehovæ ut ignis consumens*; Et Psalm. 78. 21. *Ignis Jehovæ accensus erat in lacu*, ut *ira arserat in Israele*; Et Psalm. 78. 63. *igne absumit Deus impios*; Et Psalm. 79. 5. *Irasceris in æternum*, & *deus dicitur ignis zelus tuus? Funde æstum tuum in alias gentes &c.* Nam *consumptor consumpsit Iacobum*; Et Psalm. 106. 37. *Ignis exardescens in cœtum Israelitarum; Flamma incendit improbos*; Et Psalm. 106. 31. *Ira Dei fuit in eorum*, Item iter Job. 2. 26. *Ignis non accensus flatu consumet eum*, atque sic in cæteris; Nam, juxta illud *proverbum Sapient. 16. 24.* *Creatura ignis Deo, qui fecit omnia, subserviens modo ad punitionem, modo datur contra injustos, modo remittitur ad beneficentiam: Primo autem, quod ignis sit creatura Deo subserviens, denotant loci illi hic subscripti: Nimirum Psalm. 104. 4. dicitur; Qui facis angelos spiritus, & ministros tuos ignem urentem, Et Job. 38. 35. Fulgura nunquid mittes? & ibunt, & revertentia dicent tibi; Adsumus.* De angelis etiam, qui sunt lucis invisibilis species, sic scribitur, Psalm. 103. 20. *Angeli Dei validissimi robore, efficientes verbum ejus, &c.* *Ministri facientes placitum ejus*; Sic angelus in igne visibili apparebat Moyse à medio cujusdam rubi *Exod. 3.* Et præcedebat castra Israelitarum in columna ignis, & nube. *Exod. 14. 19.* Sic angelus ascendebat in flamma holocausti ad cœlum coram Manocho & uxore ejus. *Iud. 13. 16.* Quod autem ignis virtute divina intendatur ad punitionem, legimus, primo, *Levit. 10. 2.* ubi videlicet ignis egrediens à conspectu Jehovæ exanimavit filios Aaronis, & mortui sunt: Deinde, *Num. 11. 1.* Ira accensus est Jehova, & excandescens in eos ira ipsius consumpsit eos, qui fuerunt in extremitate castrorum; sed clamante populo ad Moysem, supplicavit Moyse Jehovæ, & compressus est ignis ille; ideo nomen loci dictum est *Tabbera*, quia exarserat in eos ignis Jehovæ: *Et Num. 16. 35.* Ignis à Jehova egressus consumebat 250. illos viros qui admoverant thus: Similiter *Deut. 32. 22.* *Ignis accensus est ira mea, qui ardebit usque ad imum sepulchrum, absumetque terram & proventum ejus, & inflammabit fundamentum montium.* Quibus docemur, quod facie ignea Jehovæ, hoc est, excitatione virtutis igneæ Jehovæ, quæ est Verbum ejus, & lux æterna, ignis creaturæ anima vivificatur & provocatur ad extremam suæ virtutis & naturæ violentiam & efficaciam exequendam; Nam ignea Verbi virtus est anima agilissima & vivacissima ignis: Quare virtute illa in Verbi centrum seu Messie unitatem reflexa, remittitur & mitigatur vis ignis; At vero si virtus illa relaxatur, tum etiam ignes in lapidibus conclusos evocat, atque illis, potentialiter in lapidibus & occulte operantibus, vim atque actum tribuit, non aliter, quam videmus in tormento bellico pulvere igneo onerato; quippe in quo pulvis ille, nisi vivo igne accendatur, nihil agit; accensus vero vim atque potestatem ingentem in aere exerit: Nam, ut Verbum divinum erat lucis, motus, atque actus cujuslibet in rebus creatis fons, principium, & origo; sic etiam actus ille per absentiam sui primi motus quasi mortuus est, & non apparet; præsentem vero eo revivificatur pristinamque virtutem rursus acquirit, & recuperat: Sic mediante verbo & spiritu igneo Messie resurrexit Lazarus à mortuis; quoniam vitæ ejus candela penitus extincta, denuo lucis increatæ præsentia de subito fuit illuminata, & nulla interposita mora revixit: Atque hæc erit ratio revivificationis & resurrectionis in quolibet defuncto, die novissimo. Sed ad rem redeundo dicimus, quod etiam ignes quasi mortui, & in lapidibus & lignis quasi quiescentes, ac in mera duntaxat potentia existentes per aspectus divini præsentiam exagitentur & in actum reducantur, sui que creatoris voluntatem subito & velociter perficere atque executioni mandare gestiant: Sic legimus *Iud. 6. 21.* quod ignis è rupe seu lapide sub quercu per virtutem & solum contactum virgæ Angeli ascenderit, rapaciter absumens, & efficaciter devorans holocaustum Gedeonis: Similiter præsentem Jehovæ ardebat igne mons Sinai usque ad summum cœlum. *Deut. 24.* Sed & optime hoc confirmatur *Sap. 16. 18.* *Deus ignem facit ardere inter aquam, ut terræ injustæ fœtus corrumpatur: Porro etiam dicitur, 1. Reg. 18. 38.* quod ignis Jehovæ à cœlo decidens consumpsit holocaustum, & ligna, & lapides, ac pulverem ipsum, & quod adeo etiam aquam, quæ erat in aquæductu, delinxerit. Ex quo etiam de immentia ignis, ultimo die omnia purificaturi, proprietate & potestate judicare possumus: Et tamen nihil aliud erit illa rerum consumptio, quam earum in primam materiam & simpliciteratam reductio, hoc est, ex re visibili, impura, & coinquinata in rem puram, perspicuam, & invisibilem transmutatio. Neque igitur mirum est, quod ignis intenditur ad punitionem virtute Verbi, cum illud sit purissimus ignis consumens, juxta *Deut. 4. 24.* & 41. 18. Qui ideo dicitur consumens, quia destruit, quod impurum est, purumque conservat; ita ut, quod nobis dicitur punitionis, ipsi Deo sit justitia & æquitas; Quam tamen si exerceret erga omnes impuros, quis coram eo consisteret? Convertit enim iram istam contra improbos, parcatque ijs, qui confidunt in eum, nec, quod potest facere; facit,

juxta illud Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, ut respiscant &c.* Ecquid autem mansurum fuisset aliquid, nisi tu voluisses: aut conservatum fuisset, quod non accersivisses? sed parcis omnibus eo, quod sunt, o Deus animarum Sap. 11. Atque hoc est illud quod dicitur supra; Remittitur igitur in beneficentiam: Nam si Jehova ostenderet faciem suam mundo universo, necesse esset, ut omnia morerentur, vel transfigurarentur; quippe cum coram eo nihil impunitatis aut pollutionis perdurare possit: Quare iustus remittit, & reprimit Deus ardorem ignis, in quo Verbum præcipue inest, & in beneficium eorum illum benigne convertit: Sic dicitur, quod igne lucente per noctem totam deduxerit Deus Israelitas. *Psal. 78. 14.* ubi, juxta illud *Sapient. 16. 18.* Deus ignem mitigat seu mitem reddit, ut illuminet, & non, ut comburat. Atque ita videtis luculenter, (Lectores Benevoli, & diligenter illa intuentes,) quod Verbum seu virtus Jehovæ habeat omne regimen in aqua & in igne; & quod Mem, & Shin creatura, seu primæ matres, sint ministri, imperato æterni spiritus lucidi summe obediens ac morigeri, utpote ad cujus exemplar formatae sunt, & quod sint quasi ejus instrumenta, quibus vel igneo vel aqueo modo operatur in hoc mundo; quæ non aliter intenduntur aut remittuntur pro arbitrio suæ animæ, quæ est Verbum, Messias, seu Sæpientia æterna, quam Ducis cujusdam expertissimi gladius, qui in hostes et objectos, & tandem subactos, vel severitate & violentia, vel clementia ac benignitate usurpatur & exercetur: Ex quibus etiam sufficienter patet, quod nihil omnino patitur quitquam, nihilque in mundo universo agatur, præterquam, quod ab illo actu omnium primo, ab illa luce, omnia suo moderamine gubernante perficiat; & per consequens nihil ad bonum vel malum movere potest, nisi per dispositionem Verbi divini, cujus radios secundum plus vel minus in cujuslibet rei centio habitare necesse est, utpote sine quibus impossibile existimamus, ut quicquam consistat aut actu permaneat: Atque hæc erat ratio, quod Platonici, imo veto & Pythagoræi, omnia Divi, plena esse autumabant; quos tamen omnes ad unicum, tanquam fontem, referebant Jovem: Et Plato omnes admonuit, ut *absque lumine de Deo minime loquerentur*: Alijque dixerunt, quod, *quanto plus lucis aliquid in se continet, tanto plus Dei sibi vindicare debeat*; Et D. Augustinus *super Genes.* agnovit, lucem esse rem totius compositionis nobilissimam & dignissimam. Imo vero aliqui ob hoc ipsum Solem, & Lunam & stellas fecerunt sibi Deos; inter quos etiam infelicem Julianorum turbam numerabo, qui verum & centalem, ac punctualem & unicum Deum suum impie & profano more rejicientes atque misere contemnentes, ignem superficiale & non essentiali, principiatum & factum potius, quam principiam & causam, atque ita creaturam potius, quam creatorem venerari atque adorare volebant; Nam 2. Reg. 21. 3. Extruxit altaria toti exercitui cælorum; & *ibid.* 23. 5. Similiter eos, qui adorabant Baal, & Solem, & Lunam, & Planetas, denique totum exercitum cælorum: Atque ita passivum & informatum pro primo activo & forma super substantiali, corpus coloratum, visibile & creatum pro spiritu invisibili, æterno, & increato, mala peste ducti accipiebant, non attendentes ad illud Jehovæ mandatum per Moysen publicatum *Deut. 4. a. 16.* *Non respicies Solem, Lunam, aut stellas, aut ullam rem exercitus cælestis, ut incurvans te illis colas ea.* Et certe inter alias idololatricæ iniquitates propinquius ad rem accedebat abominatio Ethniconum; qui filios suos transiniferunt per ignem; arguentes hoc ipso, sese agnoscere, quod Deus quem adorare deberent, in ignis meditullio & occulto maneat. Sed quid ijs opus est Dei radium in igne, aut Sole, aut aliqua alia re creata adorare, cum Deus fons cælestis, & Sol, gratiam, splendorem, ac gloriam dans tam spiritui, quam corpori, sit in integra sua essentia in suo regno super essentiali, ex quo vitæ rerum radios per Verbum in creaturas mundanas infundit, quibus existunt. Veneremur ergo Jehovam in se, & per se, extra omnia, & in omnibus existentem; creaturas autem visibiles, in quibus tanquam vira existit, nobis viliores esse putemus, utpote qui facti sumus ad exactam creatoris nostri imaginem: Colamus, inquam, Deum, seu Verbum in natura humida & ejusdem compositionibus occultatum, & extra omnia omnibus imperans, naturamque ipsam contemplemur & admiremur; ut Verbi illius adorandi effectum, cui sit laus, honor, & gloria in æternum.

C A P. VII.

Quomodo tota massa aquarum creaturarum, mediante Verbo in tres cælos sit distincta.

Numeris dierum spiritualium, inter lucis videlicet & terræ creationem (quibus Deus operatus est in mundum ad dividendum eum in regiones distinctas) ipse numerus cælorum, seu regionum illorum respondet: Atqui tribus diebus, seu tribus Spiritus apparitionibus creatus est universus spiritus humidus; Ergo spiritus ille integer in cælos tres dividitur; inter quos opus primi diei est dignius opere secundi; & illud denique opus secundi diei dignius est opere diei tertij. Numeri hujus & dignitatis mentionem facit D. Paulus, quando *spiritu sese in tertium cælum raptum fuisse, ubi res stupendas & inenarrabiles vidit, fatetur:*

Hos equidem cœlos secundum characterum nominis Tetragrammati exemplar creatos esse diximus; in quo nomine probavimus, quod יהוה propinquius ipsi יוד, tanquam perfectionis fonti, sit cœli supremi ac dignioris typus seu imago propter propinquitatem ad unitatem: Sic etiam videmus, quod, quo magis ad ignem accedit objectum, eo efficacius agat ignis in illud; & per consequens perfectionis suæ donum liberius ei impertitur; Jod ergo extra omnia mirifice illuminavit & gloria sua beavit cœlum Empyreum primo die; in quo simplex compositio facta est, constituens יהי Jah: Postea, die sive illuminatione secunda, ad exemplum ויח formatum est cœlum medium seu æthereum, in quo est media compositio, videlicet ex יהי Jah, & ויח Vau; quæ est ויחי seu sigillum vitæ naturalium, & dicitur compositio mediæ ordinis; quia ibi est duplex יה, videlicet יה in ויחי, & aliud יה seu spiritus occultatus sub radijs unitatis ויח; cum יה sit quinque & ויח sit sex: Unde, ut ויחי Jah prima compositio est in denario numero (nam habet sese ut 10.) sic ויחי est in centenario; quippe ubi duplex יה stat pro duplici cifra, & unitas super יה quinque in ויח pro Jod; hoc modo 100. Unde hæc compositio est quadrata, quatenus ejus radix est 10. vel superficialis, quia ejus linea est, יהיח.

Porro etiam יה ultimum est icon cœli infimi, quod est compositionis mundanæ ultimæ ex elementis materialibus compactæ, ita, ut יהיה cum יוד Jod faciant numerum millenarium, ut 1000. qui est cubicus quadrati 100. vel corpus superficiæ ויחי; hoc est completa mundi perfectio ad similitudinem completi nominis יהוה Jehovah. Unde manifestum est, quod tres sint cœli, & quod cœlum supremum sit dignius inferiori, quatenus dicitur sedes & locus Jehovah ob dignitatem: Imo vero ubicunque Jehovah est, sive in cœlo quoad nos, sive in libero aere, sive in aquis, sive in terra, ibi etiam sunt hi omnes cœli, & ipse in digniori habitare solet; Quod quidem licet quibusdam ridiculum videbitur, sacris tamen scripturis rem ita sese habere demonstratur: Nam Proverb. 8. 28. *Cœlum & nubes superiores superne fortificatæ dicuntur*; Et Psalm. 89. 7. *Deo Jehovah quis in nube superiori par existimatur*; Unde patet, quod, ubicunque Jehovah hominibus apparet, ibi è medio hujusmodi cœli loquatur; uti etiam ex visione Ezechielis cap. 1. videre licet; Similiter Esa. 6. 4. 1. & alibi: De multitudine etiam cœlorum loquitur Moyses Deut. 10. 4. *Cœli cœlorum sunt Dei Deorum*; Ubi intelligit Empyreum illud, è cuius centro gloria Jehovah emicare solet, Verbumque effunditur: Atque hoc est illa domus Dei, de qua Psalm. 104. 3. verba fiunt, *cujus quasi aulæum est cœlum secundum, seu firmamentum*. De his cœlis supremis loquitur Nehem. 9. 6. his verbis; *Cœlos cœlorum fecit Jehovah, & omnem exercitum eorum*: Porro etiam dicit Psalmista; *Deus insidet cœlo cœlorum antiquorum*; hoc est, ejus locus est prima & antiquissima illa regio cœlorum, quæ die primo, cum apparitione Jod, in mundo manifestabatur, & in qua primum suum habitaculum posuit Deus in hoc mundo: Secundum cœlum est illud perspicuum, quod dicitur firmamentum, seu expansum, seu aer distensus, separans supremum ab obscura nube, seu infimo, ut testatur Moyses; ubi etiam in centro solari Verbum divinum statuit plusquam regale suum palatium: Nam hoc Verbo etiam firmati sunt cœli Psalm. 33. 6. quippe quod, *sub nomine sapientiæ, cœlorum structura aderat, ut alumnus cuncta componens*, Proverb. 8. 27. Quod etiam illud spatium elementare sub Luna existens cœlum dicatur, nos docet sacra scriptura; uti Genes. 1. 30. *Volarilia cœli &c.* Et Deut. 11. 27. *Cœlos claudet Jehovah, ut non sit pluvia &c.* ubi cœlum pro aere, & toto perspicuo accipitur. Quibus docemur, quod cœlorum diversitas consistat, in diversitate nubis, & quod singuli cœli sint quasi nubes demitate vel subtilitate ab invicem differentes, quæ admirabili Verbi virtute altiori vel depressiori loco suspenduntur in hoc mundo: Nam admirabile est rerum ex Verbo divino ligamentum, quo quælibet earum, secundum dignitatem aut meritum suum, in loco excelsiori vel viliori elevantur aut supprimuntur.

Quod autem cœlum quodlibet sit nubes, aflatu Spiritus ignei huc atque illuc ad nutum divinum mota, docemur hisce Bibliorum sanctorum locis: Proverb. 8. 28. *Cœlum nubes superiores superne fortificatum*. Et Psalm. 89. 7. *Cœlum dicitur superiori nubes*; Et Psalm. 104. 3. *Cœli superiores reguntur aquis à Deo*: Aquæ autem subtiles sunt nihil aliud, quam vapor seu nubes; & nubes subtiles nihil aliud sunt, quam spiritus: Imo vero nubes sunt aulæum illud domus Dei antea allegatum; juxta illud etiam Psalm. 105. 39. *Nubem expandit Deus pro regimento*; Et Exod. 40. 34. *Nubes cooperuit tentorium conventus*; Et *nubes densa sunt vehiculum Dei seu currus eius, qui itat super alis venti*, Psalm. 104. Intelligendum ergo est, quod, ut sunt nubes quædam densæ & perceptibiles, ita etiam sint nubes subtiles & imperceptibiles, invisibili æternitatis luce repletissimæ; imo vero & subtile sit densum, atque iterum densum subtile; Et id quidem vel contrahente vel dilatante res illas Verbo, seu virtute lucis increatæ quæ agit tam in spiritu visibili, quam invisibili.

Videmus ergo hic rationem, quomodo aquæ per emanationem à Jod distinctæ atque divisæ sint in diversas regiones, quæ cœli dicuntur; Apparet etiam, quod hi cœli nihil aliud sint, quam nubes grossæ vel subtiles, alis ventorum ex thesauris Jehovah egredientium in vasto mundo sustentatæ. Observare etiam possumus, quod major vel minor lucis actus sit causa tam imperfectionis, quam perfectionis, tam spissitudinis, quam tenuitatis, tam vitibilium,

quam invisibilium, tam corporum, quam spirituum. Atque hoc omne etjam itidem de cœlis Microcosmi intelligendum est.

Ex *precedentibus* etjam innuitur, quod Spiritus mundanus, tam aereus, quam æthereus, modo ineffabili à spiritu igneo & divino, seu luce invisibili adimpleatur; cujus quidem lucis gloria nonnunquam per accidens, Deo Jehova sic volente, oculis humanis revelari solet. Sed quoniam de hujus lucis dispositione tam naturali quam supernaturali, ejusque in Macrocosmi & Microcosmi structura efficacia & actu stupendo antea copiose egimus plura hoc loco non addemus: Possent hic etjam de igne naturæ discurrere, verbi gratia, de igne Gehennæ, de quo loquitur *Matth. 10.* de que eius loco, sede, obscuritate & violentiæ ratione; similiter de admirabili Verbi lucidi digito; viam ad Paradisum demonstrante; de mirabilibus mysterijs à luce tam visibili quam invisibili prolatis; de angelorum malignorum, seu lucis obumbratæ & tenebrôsæ ratione; de angelorum benedictorum & illuminatorum perfectione, virtute, beatitudine, & familiaritate cum viis bonis; de magisterio & administratione ejus in mundo; & quomodo angelorum tam benignorum, quam malevolorum multitudo infinita per omne opacum & perspicuum versetur, similiter de incredibili lucis divinæ Urim & Thymin proprietate, confectioe, & in veritatis prædictione efficacia, videlicet quidnam sit Urim & Thymin, & quid in lingua sancta ex characterum suorum significatione importet, ac de ratione, quia Urim possit usurpari, & qua ratione præparare sese debeat homo usus hoc Urim; uti & de infinitis alijs lucis mysterijs; utpote quæ omnia fieri & haberi posse ex aliorum traditione percepi; sed egomet peccator, ignorantix tenebris adhuc immerfus, talium tantorumque mysteriorum cognitione me indignum fateor, adeoque etjam brevitaris studio ea lubens hic omitto. Conclusio- nis igitur loco impræsentiarum de eo duntaxat benevolam Lectorem commonefactum volumus, quod de lucis qualitate, nempe de caliditate, à lucis actu & motu procedente, quæ frigiditati propter ejus cum quiete concordiam adeo contraria est, tam in *Tractat. 1. Lib. 1. De Macrocosmo*, quam alibi etjam in hoc ipso libello egerimus; Atque ita breviter huic parti finem imponimus.





SECTIONIS I.
PORTIONIS II.
PARS I.

De

PRINCIPIIS MICROCOSMI
ARCHETYPICIS, IDEALIBUS;
SEU PRIMARIIS.

C A P. I.

Quod eadem sint principia primaria Microcosmi quæ Macrocosmi: De literis sphaericis Tetragrammati ineffabilis constituentibus; Et quod non sint vulgares & mortuæ; sed igneæ & vivæ. Quales sint occulti mundi influxus.



T in Macrocosmi originis descriptione (supra à nobis prolata) principia ejusdem primaria rotundas seu sphaericas fuisse literas (quas Patres ob earum perfectionem diximus) verbis quidem paucissimis, sed perspicuis explicavimus; sic etiam eadem sunt fundamenta supersubstantialia essentia atque existentia Microcosmi; cum ille sit imago mundi; ut ipse mundus dicitur icon seu exemplar ipsius Archetypi; quatenus est speculum quasi politissimum, in quo simulachrum pulcherrimum atque sacrosanctissimum Tetragrammati conspicitur. Hinc ergo fit, ut ambæ hæ fabricæ Tetragrammati filij nuncupentur; quippe qui non modo orginem paternam deduxerunt ab eo, sed etiam verissimam ipsius effigiem præ se ferunt; quatenus virtute Verbi ejus, seu sigilli increati, in quo Majestas divina imprimitur, vitæ atque esse impressionem recipiunt, & tanquam myrothecia seu sacraria existunt, in quibus thesaurus ille supersubstantialis, tanquam in arca præparatissima occultatur, & à tenebrarum sive hyles abyssò secluditur atque segregatur, massaque tandem universalis creata splendore præsentia ejus illuminatur, inætuatur, vivificatur, & ad ultimum Periret præservatur. Hæ ergo literæ infinitam Tetragrammati virtutem in se continentes illud unicum & verum Dei nomen ineffabile constituunt, quo omnia tam Macroquam Microcosmi in mundo ideali seu Archetypi ante creationem delineata sunt. Nec quidem credendum est, has literas esse ejusdem essentia seu naturæ, qualis sunt literæ illæ Hebraicæ vulgares atramento aut sculptura humana depictæ (quæ quidem vera sunt mortuæ & fictæ;) sed literæ illæ fuerunt eadem, quæ in principio prolatae sunt ab hyla tenebrosa, & characteribus aureis, seu ex purissimis igne compactis expressæ, quarum præsentia, effecti atque motu *verbum* immediate ab Archetypo in fabricam rotundam emanabat; cujus actu, teste Psalmista, *firmitati sunt cæli, & spiritus amore igneo plenus ferebatur super aquis*, cujus influentia omnes virtutes & præcipue animæ primum mundo, & deinde creaturis ejusdem infuse sunt: Tanti, inquam, momenti & tam magnæ efficaciam fuerunt hæ literæ formales seu igneæ & sphaericæ primi ordinis Jod 7 He 1 Vau, tanquam naturæ remotæ à literis illis vulgaribus & accidentalibus ab humana inventionem in publicum productis; in quibus nulla vis nulla virtus infusa est, nisi quatenus sunt artis quasi stigmata seu characteres, quibus unius hominis intentio ab altero intelligatur. Et tamen nihilominus tanta est hominum vulgarium ignorantia, tam extrema cæcitas, ut nullas literas præter has solas fictas & mortuas admittere velint, omnino ignorantem, quod literæ spirituales (teste Apostolo) scribuntur in partibus interioribus & centralioribus ipsius creaturæ, quarum impressionibus Verbum prodit, *in quo juxta S. Joannem est vita cuiuslibet*

iuslibet natura. Non ergo frivolum aut accidentale erat illud nomen divinum, de quo, cum Moyſes petebat, quodnam eſſet, ipſe Deus reſpondebat, *i. h. u. h.* id eſt, יהוה, hoc eſt, *nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum de generatione in generationem.* Eſt igitur Tetragrammaton æternitatis nomen: & per conſequens literæ illud conſtituentes ſunt vivæ, perpetuæ, & non fictæ atque accidentales, quæ neque vitam neque diuturnitatem in ſe poſſident; quippe quod in literis iſtis primordialis & mere igneis conſiſtit Verbum, cujus ne jota quidem ullum decidet unquam ad terram, ſed permanebit in æternum. Hæ igitur literæ ſunt principes, ſolum ſphæricæ, originales, & quali veri mundi utriuſque Patres, Trinitati applicati ſacroſanctæ; cum יהוה Jod Patri, הוה Filio, & הוה Spiritui Sancto rite, hoc eſt, natura & proprietate attribuat. Quas quidem perſonas ante mundi exiſtentiam exiſtentes, quatenus ad ejus machinæ complementum quælibet earum ſecundum peculiare ſuum officium movebat, non inepte Patres in præcedentibus nuncupavi; utpote qui in Matres א Aleph מ Mem ש Shin agebant ad productionem Tenebrarum ſeu terræ, Aquæ, & Lucis: ita ut haud impertinens ſit conſiderare, quod, ut in mundo videmus, Angelos agere in ſtellas, & ſtellas in elementa, ac illa in creaturas, ſic etiam Patres agant in matres, & matres in ſua elementa ac elementa in meteo- ra, quorum adminiculo corpora naturalia compoſita tam ad generationem movent, quam ad corruptionem deducuntur. Atque hæc erat Philoſophorum occultiorum intentio, qui inviſibilem quendam Zodiacum ſupponebant, qui influxus ſuos faciebat in Zodiacum viſibilem & hic iterum in Planetas, quibus fatum inferioribus diſpenſatum, atque omnia gubernata aſſeverabant. Hæc etiam erat Cabaliſtarum intentio in ipſorum arbore inverſa de 10. Sephiroth, cujus radix erat Enelei prælidens, Cheter ſeu coronæ & ſummitas deorſum tendens Adonai, cui ſubeſt Malchath ſeu regnum. Atque hiſce innotescere videntur gradus, numerationes & dimentiones, quibus Deus variè operatur in hoc mundo; de quibus infra luculenter ſeu motem faciemus.

C A P. II.

De numero & meſſura Tetragrammati, qua numeratur & meſſuratur tam Macro- quam Microcoſmus.

IN libro noſtro de divinis numeris rationem, cur mundus in 27. partes diviſus ſit, explicuimus; videlicet ad Cubi productionem à radice exactiſſima & perfectiſſima numeri 3. Trinitatem ſacroſanctam amplectentis; cujus quadriatum erat 9. & per conſequens Cubum facit 27. hoc eſt, ter 9. Vel, ut Platonici exponunt, 9 9 9. in quo tot myſteriæ includunt: Cujus rei exactam demonſtrationem videre licet *Tractat. 1. Sect. 1. Lib. 1. & cap. 12. Microcoſmica hiftoria.* Hujus itaque numeri myſterium in hoc in loco enucleabimus, ejuſdemque rationem à fundamentis primordialis hoc modo eliciemus. Videmus nunquam inprimis nomen ineffabile ex tribus literis igneis & formalibus, quatenus fontem totius luminis includunt, conſtare, 1. 2. 3. quæ tantummodo ſphæricæ ſunt, & proinde ſuperexcellentes, eminentiſſimæ, numerumque primarium & ſimpliciſſimum perfectionis conſtituentes, nempe 3. Atque hinc eſt, quod Cabaliſta volunt, hoc eſſe illud nomen unicum gyrans univerſum & connectens univerſa; ſuprema ſibi ſect ſuprema & inferiora inferioribus, ac ſuprema inferioribus & inferiora ſupremis: adeoque hinc invenimus, quod prædictus numerus Cubicus 27. ſit dimentionis illius numeratio, cui mundi Semidiameter, metiendo à circumferentia ad centrum, adaptatur. Nam, ſi reſpiciamus numeros Hebraicos, qui literis ſolummodo explicantur, ex valore literarum nominis Tetragrammati illum numerum Cubicum reſultare percipiemus. Nam ה He quinque, & וו quinque, & י Jod decem, & וו Vau, lex conſtituunt 26. & א, quæ eſt ſemper radix numeri denarii, ſeu unitas, & nunquam à Deo ſeparatur, conſtituit 27.

Hinc ergo eſt, quod Deus dicitur Alpha & Omega, Principium & finis: nam ille, qui eſt principium mundi, eſt etiam finis ejuſdem: Quare etiam obſervare fas eſt, quod Deus inceperit ab א parvulo ſeu unitate opus ſuum, & finiſſet illud cum א magno, quod ſignificat numerum millenarium. Atque hæc eſt ratio, quod in ſublunari regione numerus millenarius invenitur in pyramidalis noſtra demonſtratione; hocque non inepte, quatenus eſt cubus numeri denarii.

Ex his igitur ſat liquido conſtat, quod totum nomen Tetragrammaton nihil aliud ſit, quam א Aleph; & omne, quod eſt, ab Aleph ſeu Deo includitur, qui eſt יהוה; Quod nomen eſt iterum Aleph, ſeu meſſura inter Aleph principale & finale. Unde probatur evidentè, quod omne, quod eſt, & omne Ens ſit ipſe Deus Aleph; qui eſt lux & tenebræ; videlicet tenebræ, quando in hyla occultatus, & lux, ſeipſum manifeſtans: Atque hæc eſt ratio, quod Aleph dicitur à Cabaliſtis tenebroſum & lucidum, quemadmodum in præcedentibus luculenter explicatur. His etiam perſpicue declaratur, quod Deus ſit totum per totum, & ſolum id quod eſt à circumferentia machinæ uſque ad pundum centri; hoc eſt, intra & extra omne illud, quod creatur: Unde *Deut. 10. En Domine tuum eſt cælum, & cælum cæli.* Et *Iſai. 66. Cælum ſedes mea, & terra ſcæbellum pedum meorum.* Quod autem ſit in omni-

omnibus & extra omnia, & per consequens infinitus, arguit hic locus; *Si celi & celi cælorum te capere non possunt &c. 3. Reg. 8.* Sed hoc luculentius adhuc demonstrat hæc Mercurij Trismegist. definitio, qua infinitam & omnipotentem Dei existentiam declarat: *Deus, inquit ille, est circulus, cuius centrum per totum existit, & circumferentia nullibi:* Quod quidem optime representatur per has duas notulas Arithmeticas 10. decem importantes, apud Hebræos explicata per literam Jod , quæ est ipsius Jehovæ hieroglyphicum, idem significans in denario numero, seu primo articulo, quod K in unitate explicatur: Quarum notularum prior, valens unitatem, est quali punctum indivisibile, per cujus notum reperitur centum: Non enim est numerus, in quo unitas non reperitur, quatenus omnes numeri de illo oriuntur, nec etiam est aliud numerus quam unitatum connexio sive congregatio. Porro etiam ciphra (quæ est secunda numeri denarij notula) circumferentiam denotat in sua figura, & est quasi non existens in aliquo loco, quatenus per se nihil valet; quare refertur ad Ensoph infinitum in suo esse.

Videmus ergo per typicas hæc demonstrationes, quod nomen Tetragrammaton, quo mundi dimensio delineatur, includatur in unica & immensæ capacitatis litera Aleph: quod quidem hoc modo ostenditur; In caractere K invenimus duplex Jod ; unum scilicet in forma alæ ascendens, & aliud descendens. Quod v . Jod denotet numerum denariû apud Hebræos sæpissime demonstratû est. Lancea etiam descendens in Aleph, hoc modo K est verus character literæ Vau, & per consequens arguit numerum 6. Bis 10. ergo addito 6. faciunt 26. Unde liquet, quod K numero æquipolleat nomen Tetragrammaton, in quo duplex K , hoc est, bis quinque constituunt 10. & Jod unicum denotat alia 10. & Vau 6. à quorum numerorum simul aggregatorum valore exurgunt 26. & unitas ipsius K complet numerum 27. qui est numerus cubicus tam Macro- quam Microcosmi. Sic ergo invenimus mundum in tres regiones divisum, & quamlibet earum in novem sphaeras seu intervalla; ita ut mundus in prima sua divisione referatur ad personas Trinitatis, quibus æquiparatur; in secundo vero numero quadrato, videlicet novenario sacrosanctæ & summæ radices perfectionis, videlicet numeri ternarij; ex cujus cubo totum conflatur opus Macrocosmicum. Similiter ad mundi imaginem homo in regiones seu sectiones tres distinguitur; cuilibet Macrocosmi cælo correspondentes: quarum superior utrumque subdividitur in hierarchias tres; quarum suprema est mentis, media intellectus, & infima rationis, quarum radix est Verbum. Suprema utriusque mundi regio refertur primæ personæ Trinitatis seu Patri, qui fuit priusquam regio secunda, aut tertia exit; Secunda Filio, quæ lucem & esse accepit à prima, tanquam à Patre, & Tertia Spiritui Sancto, qui naturam & actum suum derivavit à duabus superioribus. Sic etiam inter Philosophos & Medicos haud exiguum ortum est certamen, an prima hominis gignendi apparitio, vitæve eius exordium fuerit in cerebro vel corde: Inter quos, qui sensibilem amplexi sunt observationem, cor fecerunt primum vivens: Qui vero oculis intellectualibus rem penitus introspexerunt, vitam occultam atque motum creaturæ rationalis à puncto generationis vegetantis esse in cerebro statuerunt; quoniam certum est, cælum supremum lucem, vitam, motum & actionem, ab Alpha accepisse prius, quam secundum vel medium: Quod quidem eo liquidius comprobatur, quoniam prima mundi regio, sive cælum Empyreum vivebat & movebat ante quam secundum seu medium, æthereum scilicet, in mundi gremio appareret. Sed, quoniam mentionem uberiorem de dimensione nominis Tetragrammati tam in Macro- quam Microcosmo fecimus, in *Sectionis 1. Portionis 1. introductione, ca. 2.* ubi rationes simul atque effigies hujus rei manifestas patefecimus; non multum hic temporis in eo negotio conterere constituimus.

C A P. III.

De decem Sephirotis, seu numeris divinis omnia in mundo disponentibus, secundum opinionem nostram.

TAmetsi in superioribus mentionem aliquam fecerimus decem numerationum divinarum, quæ Sephirotæ dicuntur, attamen pro meliori negotij hujus nostri explicatione operæ precium esse existimamus, eas hoc in loco luculentius enodare atque explicare; quippe quas rite intelligere difficillimum erit absque manifesta explicatione, quoniam in ijs mysteria infinita eaque plane stupenda delitescunt, si Cabalisticis sapientioribus fides aliqua sit adhibenda; Est enim hæc (ut ipsi Sapientes testati sunt) scientia profundæ speculationis, & quoddam pelagus immensum, in quod omnis nostra contemplatio demergitur, & demersa quodam quasi hiatu absorbetur. Scripserunt nihilominus Doctores circa arborem decem numerationum multi multa, & totam fere sacram scripturam veterem in has decem numerationes, & per eas in decem ipsa Dei nomina, ac per ea iterum in unum Tetragrammati nomen redegerunt, affirmantes, quod Ensoph seu infinitudo sit *Alpha & Omega*, qui dixit *ego sum primus, & ego novissimus*: Et quod Cheter, id est, Corona regni omnium seculorum sit fons sine fundo, &c. Sciendum igitur imprimis existimamus, quod

quod Sefhirotae sint divinae mensurae & numerationes in mundi dimensione, quas Cabalisticæ vocant amictus divinitatis. Unde dicitur *Psal. 104. Amictus lumine sicut vestimento*. Sunt ergo hæc numerationes diversa lumina ab una radice descendencia, quorum favore cuncta creantur, creataque foventur: Unde etiam à quibusdam sumuntur pro diebus fabricæ, & denominantur quandoque à Cabalisticis Dies bresit, quarum diversitate diversa opera facta sunt in creatione, eaque continuata & conservata à creatione ad ultimum Pereat. Et proculdubio hæc sunt diversa indumenta unius Dei, in mundo res natura differentes per diversos influxus productentia; hocque propter varietatem resistentiæ materiæ crassitie differentium, quibus vestitur Deus pater luminis in mundo: Atque hinc est, quod Orpheus pluraliter Deorum fecit, qui omnes relationem habuerunt ad has Sefhiroas: Et Democritus ac Orpheus, multique Pythagoreorum; omnia Dijs plena esse, dixerunt; quos omnes referebant ad unicum Jovem; tanquam omnes numeros ad unitatem: Nam omnes novem inferiores Sefhirotae ab unica radice dependent atque oriuntur. Unde non inepte arbori inversæ comparantur Sefhirotae, habenti radicem, truncum, & ramos.

Hæc autem numerationes seu dimensiones Sefhirothicae in denario comprehenduntur numero; quippe qui est finis omnium numerorum, & per consequens mensura omnium mensurarum, cui quidem decalogus Moysis, decem sphaerae cæli, decemque categoriæ Logicorum subijciuntur. Harum autem decem numerationum tres per excellentiam dicuntur summae, quatenus earum sedes sunt supremæ, ubi sedet *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*; atque repræsentant personas in Trinitate, & per consequens sunt magis principales; quemadmodum reliquæ septem minus essentia exaltatae. Et quamvis cuilibet Sefhirotae seu numerationi nomen Dei peculiare attribuitur, attamen intelligendum est serio, quod inter decem illa nomina non nisi unicuique revera Deo approprietur: Cætera vero nomina ejus ab operibus sunt desumpta: Illud quidem unicum, videlicet Tetragrammaton ineffabile, Deo præcipue attributum significat substantiam Creatoris significatione pura, in qua non est participatio; at vero alia ejus nomina gloriosa rem denotant cum participatione, quatenus derivata sunt ab actionibus, seu operibus, quæ inventa sunt: Sic enim Dei agnominatio Adonai sumpta est ab hoc nomine Adon, quod est Dominus. Sic dicitur; locutus est homo Dominus terræ.

Dicitur autem Adonai (ut refert Rabb. Moyf. A Egypt.) causa gloriæ & honoris: Et sic locutus est Abraham angelo; Adonai, si inveni gratiam &c. Adonai ergo est agnominatio Creatoris: omnia vero alia, sicut Judex, Justus, Gratosus, Pius, Heloi &c. procedunt ab operibus. Trium autem principalium primum est quasi radix totius arboris Sefhirothicae, atque à Cabalisticis appellatur חתר, Cheter quod inter Latinos Corona appellatur: Quæ quidem Corona hieroglyphice significatur per litteram ו Shin; utpote quæ coronata est tribus eminentijs, estque symbolum Trinitatis. Porro etiam corona indicatur per characterem ciphrae o. quam superius cum circumferentia Dei comparavimus, quæ nullibi est, quatenus infinita, & per consequens extra omnia, cujusque centrum est 1. per totum reperta; ita ut illis simul junctis sit numerus denarius, omnia comprehendens. Et ceteri mundi creationis ordinem contemplati fuerimus, inveniemus o. ciphram esse typum universæ materiæ deformis & infinitæ, quæ hyla erat tugurium Dei non apparentis mundo: at vero, cum per 1. in mundo apparuit, o. ex nihilo facta est aliquid momenti: Nam apparitio unitatis centralis reduxit tenebras, mundi jam creati concavitatem implentes in speciem aquarum: Unde dictum est, *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*: quæ antea fuerunt tenebræ, seu abyssus, cujus faciem obvelaverunt tenebræ. Et sic corona hæc Dei in æternum est lucida; quippe cui, teste Psalmista, *tenebrae sunt tanquam lux, & nox instar diei*: at vero creaturis deformis & tenebris obruta jam pulchritudine sensibili ornatur, & de nihilo quoad sensum humanum in actum reducitur apparitione unitatis, reducens illud nihil in quantitatem seu dimensionem denariam: Atque ab hac corona infinita effluebat prima emanatio in umbras deformes, quibus reformatæ sunt: Sic productus est Messias seu virtus Tetragrammati in mundum deformem, cujus præsentia cæli firmati sunt: Sic effluxit Spiritus igneus in gremium massæ tenebrarum, cujus virtute nunc aquæ sunt detectæ, Majestasque divina naturæ humidæ revelata: Sic recte dixit Psalmista regius; *Verbo Domini*, hoc est, virtute Tetragrammati firmati sunt cæli, & Spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum.

Hæc ergo Cheter seu Corona à Cabalisticis nuncupatur radix totius arboris Sefhirothicae, quæ in denario numero consistit, denotans effectum Characteris י Jod, qui est 10. in quo nomen Tetragrammaton consistit; ita ut hæc unica litera י Jod idem sonet, quod Tetragrammaton. Quare Corona, seu Cheter, seu radix arboris divinae in mundo est idem, quod Jod; & iterum Jod idem, quod 10. ac denique 10. denotat unitatem seu fontem luminis prospicientem è tugurio suo tenebroso in mundum deformem o. cujus præsentia o. de nihilo fit totum in toto actu. Atque hinc est, quod huic primæ Sefhirotae Cheter seu Coronæ illud Dei nomen attribuitur, quod relationem proximam habet ad divinam essentiam, denotatque patrem ex personis Trinitatis sacrosanctæ, ex quo Filius & Spiritus Sanctus derivantur: Quare etiam denotare videtur tria tempora æternitatis, & pluralitatem personarum cum unitate naturæ, quatenus, ubi Pater, est, ibi Filius esse præsupponitur;

& ubi ambo, ibi Spiritus Sancti ab ambobus effluxus agnoscitur. Hinc inquit Moyses *Exod. 3. Sum quis tu, qui sum, & qui ero.* Nara Ehieh est futurum tempus verbi Hahah, Sum, denotans secundum Talmuditarum interpretationes aeternitatem Dei; nam per tempus futurum arguit præsens & præteritum, quæ quidem tres temporum differentie reducuntur in divinitatem, quæ non comprehendit, *Psal. 90. Anni mille unus dies.* Hinc eigo in hoc vocabulo Te. rag. איהיה, Ehieh & Aleph arguit Patrem; יי He, Spiritus seu nexus, patrem cum יו Jod Filium; Et ultimum ה He reducens nexu indivisibili per coronam seu circulum יו Jod Filium in יי Aleph, patrem à quo natus est: Nam יי in futuro tempore semper declarat primam personam. Hæc eigo est ratio, quod nomen Dei Ehieh est semper nomen clementiæ, amoris & misericordiæ, quatenus appropriatur Patri, cujus est semper misericordiarum & amare suos infantes. *Psal. 103.* Hujus ergo arboris Sefhirothicæ partis officium est influere per ordines Seraphinorum in primum mobile, & ab illo ad omnes res, quibus dat esse: Nam hoc in loco observandum est, quod, ut in creatione tres cæli sunt facti seu fabricati, unum post aliud, sic etiam triplex sit receptio influentiarum priusquam effectum in inferioribus operari queant; videlicet à Sefhiroth de unitate divina, & de illis à sphaeris cæli medij, ac tum postea ab elementis, quæ illas implantant seu infundunt immediate in corpora ipsis adaptata: Quamvis, ut mihi videtur, (contra nonnullorum Cabalistarum sententias, qui ponunt influentias hujus radicalis Sefhirothæ in primum mobile) Ehieh, prædominationem habens in numeratione Cheter, quatenus essentiæ divinæ refertur, vires & potestatem dat ex proprio suo officio, truncus & ramis suæ arboris, ut ab ijs tandem influentiæ demittantur ac infundantur in inferiora, prout Dei voluntas, & creaturæ ejus necessitas requirit; non minus quam virtus radicis alicujus arboris virtutem communicat truncis, & truncus suis ramis, ac rami fructui & folijs: quæ postea creaturas nutrire solent: Nec tamen attribuitur immediata nutritionis ratio radici arboris, sed fructui & folijs, licet certum sit, eandem virtutem nutritivam procedere originaliter à radice, utpote sine qua arbor & ejus fructus consistere non possunt. Et profecto, si paulo accuratius inspexerimus naturam nominis Ehieh, quod præsidet radici arboris, inveniemus quidem, eam nullo modo à nomine ineffabili יהוה Jehova, in essentia differre, cui attribuitur arboris Sefhirothicæ truncus: Nam, ut Deus ante ullam creationem erat יי Aleph seu unitas, sic etiam in puncto creationis, ita movebat ab יי ad יו Jod seu denarium merum, ubi unitas jungitur cum cifra. Unde, ut יו Jod procedebat ab יי Aleph unitate, sic etiam essentia divina movebat à radice, cui præest Ehieh, ad truncum, cui prædominatur Jehova. In nomine ergo Tetragrammato Jehova est vis universa Coronæ Ehieh, haud secus quam in truncis arboris est virtus radicis: Et efficacia etiam Jehovæ transit in agnomina inferiora, ut nutrimentum trunci penetrat in ramos & folia, quibus tandem animalia nutriuntur & reficiuntur. Ab Ehieh ergo intelligentiæ omnes in hierarchijs gaudent movente scilicet patre: Quæ quidem intelligentiæ simul motæ & movent sphaeras & corpora cælestia, quibus præsidet: Atque hæc est ratio, quod Deus à Mercurio Trismegisto dicitur *circulus, cuius centrum erat per totum, & circumferentia nullibi*, ut supra dictum est. Ex his, ni fallor, liquet, quod proprium officium Ehieh sit universale, & nequaquam tam particulare, ut nonnulli id facere voluerunt; quod quidem si esset, tunc Numeratio in fima Malchuth non influeret in Lunam, quæ est commune receptaculum omnium influentiarum superiorum, sed locum haberet inferiorem pro suo susceptaculo; quod quidem, ut mihi videtur, irregulare foret.

Præterea, cum omnia facta sint sapientia, quæ aderat Ehieh in auxilio tanquam dextra cuncta componens (ut ait Salomon) cumque profluxerit Verbum illud & virtus Tetragrammati Ehieh, seu Messias, & universalis emanatio à fonte illo lucido, in quo erat sola vita & lux, cujus virtute cæli firmati sunt, ita ut ipse universo mundo anima seu Metatron extiterit, verisimile videtur, quod immediatus influxus in primum mobile sit ab eo, qui tenet nomen Jehovæ impressum in se, ut ab illo deinceps orbe inferius impluatur ad res omnes, quibus dat esse. Hoc ergo est nomen illud ineffabile & sacrosanctum præsidens Sefhirothæ secundæ, quæ assimilatur truncis arboris: Atque hæc Sefhiroth sive numeratio secundi ordinis nuncupatur הַבְּרִיָּה Hochma, id est, Sapientia; cui quidem refertur prima genitura, quatenus immediate succedit Cheter, cui præest Ehieh Patri relictum: Similiter lex primitiva, quatenus sapientia primum fuit cum patre, & emissa est, tanquam lex primaria & constans, per quam mundus erat ab initio fabricatus juxta illud Prophetæ Regij, *Psal. 136. Cælorum fabrica à Verbo*, vel ut Sapiens vult, *Proverb. 3. 19. Cælos statuit Deus cum Sapientia.* Huic etiam attribuitur Ens, quatenus teste *Ecclesiastic. 1.* Omnium Entium primo creata erat sapientia, eratque Ens Entium, quatenus *omnia ab eo facta sunt, & sine eo nihil*, secundum D. Johann. 1. Unde etiam scribitur, quod nihil sit principium antiquissimum præter solam sapientiam. Nam Ehieh per se erat infinitudo, cum esset in abyssu tenebrarum retracta, & quasi otiosa, vel (ut ajunt) ad nihil respiciens: atque idcirco dicitur apud Hebræos יין Ein, hoc est, Nihil, sive non Ens ac non finis; quia nos tam tenui in rebus divinis ingenij paupertate mulctati, de ijs quæ non apparent haud secus atque de ijs, quæ non sunt, judicamus.

Sapientia ergo, quatenus erat prima emanatio ab Aleph tenebroso & quasi Nihil primum, dicitur

citur Ens; Et tunc Aleph proprie mutatur in Beth, denotans Filium, facientem res omnes. Atque hæc est ratio, quod Aleph eandem, uti propinquissimam & fecundiorē literam sibi recipit nominaturque אב Ab, id est, pater omnis generationis & productionis: Nam conjungendo ב Beth, א Aleph generat בן Ben, hoc est, Filium, qui est prima productio ab unitate & principium alterationis; Unde nominatur ראש ראשון, id est, principium, tametsi sit secunda emanatio ex infinitudine, hoc est secunda Cabalistica numeratio, per quam omnia facta sunt. Nomen autem, quod attribuitur huic numerationi, est illud ineffabile, cujus supra mentionem fecimus, videlicet יהוה, in quo sola litera י Jod tantum significat, quantum omnes quatuor literæ יהוה, quoniam significat 10. continens numerum 4. successive numeratum 1. 2. 3. 4. quorum aggregatione producit denarius. Et, quia omnes figure Hebraicæ formantur ex י Jod, quæ est solummodo punctus unicus, quo nihil est simplicius, & per consequens magis symbolizat cum simplicitate essentiæ divinæ, nos docemur etiam, quod res omnes creatæ ex simili quoque simplicitatis divinæ punctulo consentur; quod est tam simplex in sua essentia, ut sit penitus indivisibile & semper idem. Cabalisticæ observaverunt, quod quatuor literæ nominis Tetragrammati ineffabilis non sint pronunciandæ; Unde nomen dicitur ineffabile; cujus quidem literæ, quamvis sint numero quatuor, tres tamen eorum sunt tantum differentes: Qui numerus ternarius in se, ductus producit 9. qui est numerus simplex sphaerarum mobilium cæli mediæ, & ordinum angelorum cæli supremi, ac regionum elementarium, quem admodum in historia nostra de Microcosmo varijs in locis declaratum est. Hic iterum numerus quadratus 9. in radicem ductus producit Cubum illum Platonicum 9 9 9. seu 27. quo semidiameter universi mundi mensuratur. Unde videre licet, quod sapientia in unu patris residens, in quo nomen divinum & ineffabile Patris inest, mundum fabricaverit secundum idealem illam dimensionem per characteres divini atque ineffabilis nominis, aramento igneo in hyla, tanquam charta nigra, depictos: Nam, ut ו Vau separavit א prius ab ה; posteriori, voluntate י Jod; sic etiam, imperante Elohim, firmamentum separavit aquas superiores ab inferioribus. Sed nulla ista faciendū; quoniam copiose in præcedentibus hujus voluminis de ijs egimus, dicimus, quod Cabalisticæ nonnulli duplex ה He in nomine Jehovah fecerint ad imitationem duplicis naturæ ipsius Messie; quæ ideo dicitur virtus Tetragrammati: Volunt enim, quod ה immediate sequens י Jod (quod est imago Patris) divinam representet Redemptoris naturam, atque illumum naturam humanam, & quod ו Vau, quatenus est conjunctio copulativa, hæc duas naturas simul conjungat. Atque sane hæc animi illorum opinio mihi non arridet, quoniam ה ה, quod ה, quatenus est signum spirationis, denotet Spiritum Sanctum, qui est vinculum amoris, copulans Patrem cum Filio nexu inviolabili, atque iterum rejuvens filium cum Patre in ipsa unitate; juxta illud Mercur. Trismeg. *Monas generat Monadem, & in se ipsum reflexit ardorem juvenis.* Et quæ hæc est ratio, quod hæc solæ literæ sint sphaericæ sive circulares: quod quidem demonstratur tam per lineam rectam, quam per quadratum & Cubum, quatenus eorum numeri semper terminantur in eodem. Sic י Jod, quod ænotat numerum 10. qui est quasi linea extensa & exportata, ut in se deorsum, producit 100. qui est Quadratus qui denotat in radice multiplicatus pariet 1000. pro cubo: Atque ita de denario in denarium usque in infinitum. Sic ה He, quod est signaculum numeri quaternarij, pro Quadrato habebit 25. & pro Cubo 125. Porro etiam ו Vau, quod est numerus 6. character multiplicando fit 36. qui numerus iterum in radicem ductus Cubum pariet 216.

Ex quibus evidens est, quod isti numeri ita desinant, ut incipiunt in radice, quadrato & Cubo; quod ceteri numeri non faciunt: Unde quidem non inepte pro circularibus habentur. Atque hæc est ratio, cui Sapientia, cui hæc Sephirotha cum nomine hoc ineffabili & sphaerico datur, habuerit in officio suo, ut cælum & mundum rotundos tanquã perfectiores & capaciores fabricaret, secundum Sapientis *Ecclesiastici* 24. *Ego sola sapientia rotunditatem cælorum circumivi &c.* Et *Proverb.* 3. 19. *Cælos statuit Deus sua sapientia.* Quare nomen hoc ineffabile ex literis sphaericis constans merito in Angelo hoc increato fuisse verbis expressis agnovit Deus, dicens: *Nomen meum est in eo.* Hæc Sephirotha mittit suos influxus per omnes Seraphinorum (uti ego opinor) ad primum mobile, ut ab eo ad omnes res inferiores transmittantur, quo ijs affluenter det vitam & Esse: Nam ab eo vitam suam accipit primum mobile, utpote quod universas sphaeras inferiores movet motu rapidissimo ab ortu in occasum: Nam certum est, quod mundus & ejus primum mobile naturale acceperit motum suum à primo motore supernaturali, hoc est, à Filio, primo rerum motore; procedente à Patre immobili: Qui Filius erat illud Verbum divinum, in quo erat Vita atque Sapientia æterna, à qua omnia sunt creata; quippe quæ *Spiritus est divinus omnem virtutem habens*, teste Salomone *Sapient.* 7.

Quæ procul dubio omnis motus & actus in mundo, cum sint virtutes, promanant ab ea: Nam Sapientia quæ est emanatio seu fluxus claritatis omnipotentis Dei sincera, omnibus mobilibus mobilior est, & per consequens est mundi motus origo, ut testatur Salomon. Etat ergo hæc numeratio Sephirothica primus actus, & principium motus, ac vita quasi mundi & creaturarum ejusdem; cum ejus forma, seu anima lucida sit actus & splendor Majestatis divinæ, & vera illa Sapientia, Messiah,

Messiah, seu Virtus Tetragrammati; quæ undique ab ore Jehovæ diffunditur per mundum, quæ mundus animatur, creaturæque ejusdem vita fruuntur, virtute scilicet nominis Jehovæ: Est enim (ut recte dicit Archang. in *Cabalyst. dog.*) hoc nomen unicum, gyrans univolum & connectens universa, nempe suprema supremis, & inferiora inferioribus, ac inferiora supremis. Continuus ergo est fluxus virtutis hujus numerationis & nominis ejus, quatenus mundanum esse continue fluit ab ipsius fonte. At vero quod continue fluit, necesse est in aliquo permanente sustentari, ne ob influentiarum defectum pereat; quod est Verbum Dei, in quo omnia condita sunt & moventur, juxta illud D. Pauli; *Portans omnia Verbo virtutis sue.* Sed jam ad Sefhirotham tertiam descendemus, cui nomen est Hebraice בִּינָה Binah; quod Latino sermone importat Prudentiam seu intelligentiam; & est infima Sefhirotharum superiorum seu Principalium; quare attribuitur Spiritui Sancto. Atque hæc est ratio, quod huic numerationi attribuitur nomen אֱלֹהִים Elohim, quod maxime, proprie ex personis sacrosanctis assignatur Spiritui Sancto. Unde, quatenus hic commune est precedentium personarum vinculum ad unitatem; à nonnullis Elohim per interpretationem redditur, Dij, efficiendo pluralem numerum è singulari אֱלֹהִים Deus. Sed, ut mihi videtur, אֱלֹהִים, est potius numeri singularis, sicut alibi declaravimus; conflatum ab אֵל El fortis, vel fortis Deus, & יָמִים imm. Unde יָמִים mare, vel aqua; Vel ab אֱלֹהֵי Elh Deus, & quasi יָמִים aqua. Unde Elohim, quasi Deus fortis maris & aquarum in אֱלֹהִים Elohim, vel אֱלֹהֵי מַיִם Elomaym, Deus fortis aquarum; ubi אֱלֹהֵי מַיִם contrahitur in אֱלֹהֵי מַיִם. Hinc etiam cæli dicuntur הַשָּׁמַיִם Hashamaym; quatenus per Spiritum cæli spiritualis הַיְיָ facti sunt ex aquis: Nam hoc imprimis sciendum est, quod omnia fluxibilia in mundo ex officio pertineant ad tertiam personam sacrosanctæ Trinitatis. Atque hinc dicitur, quod Spiritus Domini ferebatur super aquas. In Elohim ergo, tanquam in unico communi Spiritu, Trinitas includi videtur: Unde Deus fortis aquarum exponitur, quasi Deus fortis mundi per quem mundus vivit & existit: Nam Spiritus Tetragrammati ferebatur super aquas, igneam vim ipsedens, & univolum in tres regiones, cuilibet personæ Trinitatis ex officio & proprietate respondentes, dividens: Quæ tres non sunt nisi unicus Deus Tetragrammaton, continens in se וְיָ & הַ personarum scilicet trium distinctarum characteres representantia. Hinc est, quod, ut Sefhirotha præcedens Hochma intendit Sapientiam, Messiam, & Verbum seu secundam personam; sic hæc denotat prudentiam, intelligentiam, Spiritum divinum, & Spiritum Sanctum disciplinæ. Hinc dictum est *Deut. 34. 9.* quod Jehosua filius Nunis plenus esset Spiritus Sapientiæ, cum imposuisset Moyses manus suas ei; Et *Num. 11. a. 25.* quod Spiritus Jehovæ fruitio Prophetas faciat; & quod intelligentiam 70. Senioribus attribuerit, quo populum cum Moysè gubernarent: Et *Genes. 41. 39.* dictum est Josepho; *Nemo est intelligens sicut tu:* Et *ibid. vers. 38.* rationem docet; *An invenire possumus virum similem huic, in quo Spiritus Deorum sit?* Et multa alia exempla ex sacris literis producere possumus, quibus facillimum est probare, quod Sefhirotha Binah, id est, Prudentia & intelligentia pertineat ad tertiam Trinitatis sacrosanctæ personam, cujus est proprietas intelligentiam dare, mentesque prudentia imbuere:

Ista quidem Sefhirotha influxus descendere suos facit per ordinem Cherubin in spheram octavam seu cælum stellarum, quam cingulus Zodiaci cum aureis suis characteribus circum ambit. Et quoniam principales stellarum virtutes consistunt in hoc cælo, & vero Spiritus Sanctus est omnium virtutum dispensator, ideo hæc spheræ attributa est Spiritui Sancto: Atque hinc dictum est, quod *Spiritus iste divinus incubavit super facie aquarum;* vel, ut, Pagnianus interpretatur, *agitabat sese in superficie aquarum;* hoc est, ferebatur & movebat in primo cælo super faciem cæli aquei, in cujus convexitate sunt stellæ fixæ, ignea illas virtute imbuens; mediantibus quibus omnis virtus inferior orta & derivata extitit. Atque hinc ait Psalmista Regius; *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu ab ore ejus omnis virtus eorum.* De his stellis dicitur *Psal. 147. 4.* *Stellarum multitudinem supputat & numerat Deus, & quotquot sunt, nominibus vocat magnus Dominus noster & multis virtutibus, cuius intelligentia est innumerabilis &c.*

Ubi per impositionem nominum stellis factam intelligit virtutum attributionem; quoniam quælibet earum nomen accepit secundum suam naturam & proprietatem: Nam per hoc signum nomina dedit Adam bestiis campi & volatilibus cæli &c. ut in *Genesi* legitur. Atque hæc est ultima trium Sefhirotharum superioris gradus, quæ arguunt vestigia Trinitatis; qua quidem omnes denique virtutes à Zodiaco primum Planetis, & deinde ab ijs rebus omnibus inferioribus infunduntur abunde & liberaliter. Ista est igitur ratio, cur Planetæ habent virtutem signorum Zodiaci atque cæterarum stellarum fixarum extra Zodiacum sitarum. Sic dicimus, Saturnum habere naturam Capricorni intra Zodiacum; ventris vero & caudæ jubæ ceti, ac rostri corvi extra; Jovem, naturam Piscis intra Zodiacum & extra, lucidæ Hydræ, & sicin cæteris. Sic etiam unum lignum dicitur domus hujus vel illius Planetæ, vel exaltatio vel triplicitas, & in omnibus proprietatibus necesse est, ut stellæ erraticæ cum fixis conveniant: Atque ob hanc causam putavimus, stellæ fixas fuisse creatas ante erraticas, quo ad causas scilicet & originem actionum earum: Nam, ut Zodiacus & tota ejus spheræ virtutem suam accepit ex influxu à Sefhirotha Binah, tanquam à fonte, idque actu &

potestate nominis Elohim; sic etiam Planetæ suas accipiunt impressiones generales à vivis illis cœli octavi hieroglyphicis, & particulares ab inferioribus Sefhiroth, & tum postea infundunt virtutes à Zodiaco influxas in inferiora. Hinc igitur est, quod Cichus Esculanus author seu scriptor de sphaera non inepte dicit, quodlibet ex 12. signis nomen suum particulare de natura & proprietate alicujus animalis recepisse, vel potius, vice versa, quodlibet animal à propria sua stella cœlesti, quatenus unius natura, cum alia symbolizare videtur. Et Moyses Arabicus ait, quod *omnes res animate habeant à cœlo stellam influentem in se ad eundem & preservandam suam essentiam*; hocque divino jussu & voluntate; ita ut stellæ constituentes signum Arietis Zodiaci gubernent & aspectum habeant ad Arietem animal terrestrem, & Taurus cœlestis ad terrestrem, & ceterus superior ad hunc inferiorem, & sic in ceteris: Atque hoc est illud, quod dicit Ptolomeus in *Centiloquio*, quod scilicet inferiora à superioribus regantur, & mundus inferior corporibus superioribus ut contiguus. Concludimus igitur, quod formæ stellarum fixarum sint quasi illæ defluxiones lucidæ à Sefhiroth Binah: Quæ quidem formæ occulte operantes à quibusdam intelligentiæ, demones, & Dij dicuntur. Unde dixit Meir. Talmeg. *Pim. 2. Dij in astrocorum idcirco cum signis conspiciuntur: Dinumerata sunt stelle secundum eos, qui inhabitabant illas Deos.* Per Deos enim intelligere videtur formales influxus, quos impit quodlibet nomen Lunæ à propria sua Sefhiroth. Quarta numeratio seu Sefhiroth, quæ est prima ex minus principalibus, dicitur ab Hebræo *שבת* Cœied, quod latine significat Clementiam, bonitatem, gratiam. Hæc ergo nomen adoniam dicitur nomen Dei *שבת* El; quod influit ab hoc suo tabernaculo per ordinem in honorem in sphaeram Saturni; licet opinio aliorum sit, ejus influentiam esse in sphaeram Jovis, quatenus est Jupiter amicus & benevolus humano generi: Sed nos, alia quidem consideratione ducti, illam potius Saturno damus, quam Jovi, quoniam scilicet denotat Sabbathum, quod æquidistant Cœlesti & terrenæ Sefhiroth Dei vivi, & symbolum mundi superioris, hoc est Jebiæ eternitatis, ubi cessat omnis labor: Unde dicunt, quod ejus usus dupliciter invenitur in sacris scripturis; videlicet quatenus refertur ad actiones exteriores juxta conditionem mundi inferioris, atque de hoc usum dicitur *Deut. 5. Observa diem Sabbathi*; vel quatenus respicit actiones interiores respectu mundi superioris. Unde legitur *Exod. 20. Memora diem Sabbathi ad jancijcandam illum*, videlicet animæ vires conjungendo mentis ad contemplationis prolectam juxta mundum superiorem. Hinc igitur est, quod Deus voluerit per hæc duo verba legem invenire, videlicet, observa & memora: Unde duo fecerunt Sapientes Sabbathum, juxta illud *Exod. 31. Currite jam astipulari videtur Exod. 20. Sabbathum meam dedi. Verum enim vero per hanc Sabbathi donationem Deus donavit illud perfectissimum clementiæ dedit quod Joboleum dicitur memori temper mente complectendum; quod quidem est hebdomada superna, quæ vocatur Joboleus, unde omnis remissio, propitiatio & infusio gratiæ descendit. Atque hoc Sabbathum quicquid vel Sabbathum Sabbathorum est, quo animæ humanæ omnes vitæ, rejecta tabe, recuperabunt hereditatem paternam, quam per Messiam animam acquisivimus. Quod quidem est illud Sabbathum verum Cabalistarum omni tempore sanctificandum, in quo non carnis, sed animæ sequimur voluntatem & divina contemplamur, nihil divini Majestati adversum cogitamus, atque hoc pro lege omnibus gentibus extat, quatenus ex ipsa natura pullulavit. Et ideo, nisi fallor, hæc Planetæ at tribuitur à Deo (ut Judæi ipsi asseveranter dicunt) dies Sabbathi, quem tam exacte & accurate observaverunt juxta voluntatem Dei sui. Hinc ergo esse potest, quod, licet hæc Planetæ ab Astrologis infamitas dicatur propter tarditatem, & qualitates stupidas inde oriens, de notat tamen fixitatem, cessationem à labore, & quietis tabernaculum, quantumvis ejus effluxus animatis ut plurimum à veritate hic in inferioribus propter mutabilitatem & alterationem naturæ eorum. Sunt etiam nonnulli, qui interpretari videntur vim Sabbathi à Moysse propositi in eo consistere; quoniam videlicet, stella Saturni infamitas atque malevola inferioribus existente, Moyses in sua sapientia noluit, ut res aliqua perageretur aut tentaretur illo die; sed non modo homines, verum etiam & alia animalia quietere & vacare voluit eo die pro servitio divino, quia Saturnus præsidet prima hora diei Saturni, quæ incipit sero noctis, ut ipse Mars (qui quidem est minus infortunum & Planeta peccationis illius) gubernat ultimam. Quare nonnulli Cabaliste redunt, malos Solitus plus habere potentiam ad efficiendum malo omni quarta & septima nocte, quibus hi duo Planete præsidet, quam alijs temporibus septimanæ. Unde volunt, hoc in Decalogo, *Recordamini vestrum ad sanctificandam diem Sabbathi esse institutum*. At vero hæc ratio, cur dies Saturni sit dies Sabbathi, est magis externa, quam ad Sabbathum internum pertinens. Quinta numeratio appellatur *שבת* Gheburah, quæ significat potestatem, vim, severitatem, judicium, punitiorem, sed cum clementia tamen: Et nomen huic conveniens est Elohim; ubi El miscet pacem & suavitatem cum rebellis dispositione Meyni seu aquarum; quippe quarum rebellio & resistencia est causa mali, & non est Deus. In hac numeratio per Dominationes in sphaeram Jovis. Hinc Jupiter pro primo inter Deos Domino habetur, terribilis & timendus: Unde depingitur cum jaculo fulmineo in manu, & Fulminator appellatur, parcens quibus parere vult, & quandoque puniens pro merito: Hinc in sinistra tenet clementiam arguens, ut in dextra spiculum severitatis. Sexta dicitur *שבת* Tipherets, quæ per interpretationem est Gratia, & pulchritudo. Nomen ei præ-*

præsides ex Tetragrammato Eloah אלוה. Hæc influit per ordinem Potestatum in spheram Martis, qui potens est dux. Septima Sefhiroth vocatur נצח Netzeth, Triumphus, Victoria; Et nomen istam regens est Jehova Sabaoth, Deus exercituum. Ista numeratio influxus suos proiecit atque effundit per ordines virtutum in spheram Solis: Unde virtute vitali impletur atque abundat affluenter, quam impluit in inferiora liberaliter: Et ejus angelus Michael seu Metatron est dux exercitus Dei, qui triumphavit & victoriam habuit pugna spirituali supra tenebrarum principem. Octava numeratio nuncupatur הוד Hod, id est, Honor, Formositas. Ejus nomen divinum est אבן עזר אבן עזר Deus exercituum, non pro bello & vigore, sed pro pietate & concordia: Hujus vero influxus fit per ordinem Principatum in spheram Venens. Nona appellatur יסוד Jesod, id est basis, fundamentum, redemptio, quies; Hujus nomen est אלחאי Elchai, Deus vivens, aut אבן עזר Sadai, Omnipotens, seu potius, qui sibi sufficit, sine re aliqua externa. Ejus autem influentia est per Ordinem Archangelorum in spheram Mercurij: Nam per nuncium seu Archangelum pax annunciata fuit terra. Decima ac ultima Sefhiroth vocatur מלכות Malchuth, Regnum, imperium, Templum Dei. Ejus nomen est אדנאי Adonai, Dominus; mittitque influentias suas per ordinem Angelorum in spheram Lunæ. Atque hæc ea in parte est opinio nostra, ut scilicet opinionem Cabalitarum Archangeli in Comm. in Cabalistarum dogm. defendam, qui posuit absolute influxus Malchuth per ordinem Angelorum in regionem Lunæ; quamvis ipse Reuclenius, & alij nonnulli influentias Malchuth dicant per ordinem animarum beatorum transire in creaturas rationales. Nec certe in totum repudiare possumus eorum sententias, sphasas seu ordines 10. cæli Empyreici facientium. Sed nos solummodo progressionem fecimus in novenario numero, & secundum illius mensuram de Sefhirothis egimus. Secundum eorum ergo sententiam influit Chereth seu prima Sefhiroth per ordines Sraphin in primum mobile, & ab illo ad oēs res inferiores, quibus dat esse. Isti verò ipsorum opinioni minime contradicam, considerans, quod, ut nomen divinum Ehieh, ad divinam essentiam relatum, repræsentat primam Trinitatis personam, videlicet Patrem. & per consequens primum sibi vindicat actum in mundo superiori & supernaturali; ita etiam primum mobile se habeat in mundo naturali, quatenus est quasi pater & origo immediata motus omnium spherarum inferiorum. At vero, quia Verbum seu Sapientia videlicet Hochma erat primus motor in mundo, idcirco ejus influxus primo mobili adaptatos dixi: Sed utrumque conceditur, neutrumque à me negabitur. Influit, dicunt, Hochmah secunda Numeratio per Cherubin in spheram octavam seu stellatam. Nec prorsus à me negabitur etiam hoc, quatenus Zodiacus hujus cæli stellati dicitur à Zoon, id est, animal. At in Verbo erat vita, quam infundit in illud vitæ cingulum, ut inde, mediantibus Planetis, ad inferiora deferatur ac impluat. Nihilominus tamen nostra opinio à veritate non inultum discrepare videtur, volens quod Binah seu Sefhiroth Spiritui Sancto attributa suas in hanc spheram infundat influentias. Dicunt etiam, quod tertia Sefhiroth Binah influat per ordinem Thronorum in spheram Saturni: Unde vocant Binah Saturnum supramundanum mundi intelligibilis, hoc ipso notantes penitentiam & remissionem peccatorum, quæ facta est in termino multiplicationis quadrati numeri septenarij: Sic etiam deprimetur magnus Jubilæus de Jubilæis seculi futuri. Postea volunt quarto loco, quod numeratio Chieid impluat per ordinem Dominationum in spheram Jovis, Et quatenus is est amicus generis humani, & vitæ rerum, admittimus volentes, quod influxus suos habeat à Chesed seu Jove supercælesti, seu אהבה, denotante semper Clementiam, gratiam & misericordiam vitæ rerum. Geburah etiam Sefhiroth quintam per ordinem Potestatis influere ajunt in spheram Martis: Nec quidem omnino me hoc negare dico, quatenus Geburah, Mars superior & spiritualis, est potestas, severitas, judicium & punitio; cujus itidem conditionis est Mars cælestis, utpote qui bella, desolationes, & spoliationes minatur. Sexta numerationis Tiphereth influentias faciunt penetrare per ordinem virtutum in spheram Solis attribuentes ei claritatem, lumen, & vitam, quæ à spherâ Solis descendunt ad producenda omnia mineralia, è quibus aurum est caput, & tanquam Sol inter cælestia, panis & vinum inter vegetabilia, & homo inter animalia. Nec quidem multum à veritate hoc aberrare puto, quatenus Tiphereth denotat gratiam, pulchritudinem atque ornatum; quæ omnia in Sole per abundantiam existere observantur. Septimo ordine potest esse, quod Netzeth influat per ordinem Principatum in spheram Venens: Et illæ influentiæ à Venere descendentes amorem justitiæ producant, ac tandem proferunt in mundo elementari arbores, plantas, herbas & alia vegetabilia: Octavo loco quod Hod mittat per Archangelos influentias suas ad spheram Mercurij, quæ postea descendens producit animalia: Postea, quod Jesod nonæ teries, fluxus suos effundat per cribrum ordinis Angelorum in spheram Lunæ; à cujus deinceps regione incrementum & decrementum rerum descendit: Atque in ultima Sefhirotharum dispositione, quod Malchuth influat per ordinem animarum beatarum in creaturas rationales conferens rerum cognitionem, scientiam, & industriam: Ponatur, inquam, quod hæc omnia concedantur pro certis, si modo spherâ animæ beatorum (ut nonnulli Theologi autumant) includatur cælo Empyreico; attamen, si nostra ratio bene consideretur, quæ est de mensura numeri novenarij, percipietis, maximam vim, atque non minimam probabilitatem inesse in meo Sefhirotharum ordine, atque

descriptione. Nec quidem decens esse videtur; ut influxus à Malchut per sphaeram animarum beatarum (si sit talis sphaera) à cœlo supremo per medium transeuntes extra proportionem cæterarum influentiarum in terram decidant, & hominibus in machinæ centro degentibus saltu tam profundo dent scientiam & rationem; quippe quam influentiæ potius Mercurij supercœlestis; qui secundum ipsos est Jod, & juxta nostram calculationem Jesod, infundere videntur, quam illæ Malchut, utpote quæ ob Adæ peccatum est magis ignorantia & tenebrarum, quam scientiæ causa. Porro etiam Binali dat scientiam & intelligentiam; quippe cujus nomen divinum, Spiritui Sancto relatum, est scientiarum ac doctrinæ fons & origo, ut in multis sacrarum scripturarum locis verbis manifestissimis explicatum est. Sed, quia in ista sententia mea non videbor obstinatus, illa quidem relicta, me, mentemque meam atque subjecti hujus mei filium integrum prædictorum Sapientum doctrinæ accommodabo.

C A P. IV.

Quod Sephirothæ, seu numerationes ideo sint in homine seu Microcosmo, quoniam in ipse Deum eiusque lumina non aliter in se habet ac mundus, utpote cuius filius est homo, uti ille Dei:

Platonici non sine ratione vocaverunt mundum Zoon, id est, animal: & Mercur: Trism. Pimand. dicit, quod *magnus mundus sit animal primum ex materiali quodam & intelligibili compositum*, (atque hinc Psalmista dicit, quod *cœli & elementa laudent Dominum, & in nomine præsentiaque eius exultent ac latentur*) similiterq; homo seu parvus mundus animal secundum: Unde etiam alibi vocat mundum Dei filium, uti hominem mundum, quoniam, ut mundus nihil in sua essentia comprehendit, præterquam, quod à Deo accepit, sic etiam & Homo omnes suæ compositionis partes tam internas quàm externas à mundo derivavit: Unde dicitur non inepte imago mundi, qui est filius seu imago Dei; Et per consequens recte à Moyse dicitur homo ad imaginem sui creatoris esse factus: Hinc profunde loquitur Mercur. Trismeg. in cum sensum Pim. 8. *Scio mundum à Deo atq; in Deo, hominem vero à mundo atq; in mundo consistere, Principium autem comprehensioq; omnium & constitutio est Deus*: Et in eodem Sermone iterum ait: *Deus primus secundum Deum ad imaginem suam sicut mundum, animal primum; tertium Deum hominem fecit animal secundum*. Sed & hæc ejus verba totum illum sermonem 8. accurate legentibus manifestiora fient, ubi hos Deos ita distinguent, *Primus Deus est inter omnes sempiternus, immobilis, ingenuus, omnium auctor; Secundus ad illius imaginem mundus, à Deo primo genitus, & ab eodem conservatus, nutritus, & immortalitate donatus; Homo deniq; Deus tertius, terrestris, sed mortalitati obnoxius*. Ex quibus sat liquido constare videtur, quod, si mundus, qui est Dei filius, à Sephirothis seu numerationibus divinis decem cum nominibus sanctis, ijs præsidentibus, gubernetur, utiq; etiam simili ratione eadem numerationes vim atq; potestatem suam exerceant in sphaeris Microcosmicis, quatenus Microcosmus constatur ex portione cujuslibet mundi regionis; Et per consequens, quod arbor Sephirothica tam effectualiter agat in homine quàm in mundo; quippe in quo est cœlum & terra; cœlumq; ejus est tam sedes Verbi divini à radice Ehieh; quàm templum Spiritus Elohim; qui ferebatur super aquas; Id quod etiam nos docet D. Paulus varijs in locis. Atq; hoc est illud, quod Mercur. Trismeg. intelligere videtur *Serm. 13.* ubi dicit, quod *numerus Denarius anima sit genitor; Vita vero & lux ibi unita sunt, ubi unitatis ipsius numeri sunt ex Spiritu nati*. Itaque unitas secundum rationem denarium complectitur, rursusque denarius unitatem. Nec quidem extra sacrarum scripturarum sensum loquitur, quæ omnia agnoscunt nomina Dei unico Tetragrammato referri, videlicet יהוה, quod est politissimum essentia divina speculum, in quo omnia Dei agnomina & cognomina relucunt, quemadmodum omnes Orphei Dij in unicum Jovein seu Monadem contrahuntur. Per vitam ergo intelligit antites ille Mercurius actus lucis Sephirothica: juxta illud Joan. Evangelistæ; *In eo, quærat lux mundi, seu in Verbo erat vita, seu vita à Verbo Dei elucet, ut illud à Patre seu Ehieh*. Per numerum vero denarium decem Sephirothas seu numerationes divinas intellexit proculdubio; Quæ quoniam ab una radice seu Ehieh Patre effluerunt, ideo illum denarium Genitorem vocat: Unde dixit, quod unitatis ipsius numeri sint ex Spiritu nati: Quæ quidem unitas denarium amplectitur, ut Denarius unitatem: Nam ♀ Aleph est idem quod Jod, & vice versa, Jod idem, quod ♀ Aleph atq; tum Aleph cum Jod nihil præter unitatem: Nam 10. est idem, quod 1. quatenus 0. est nihil per se; sed quod habet, hoc omne ab 1. possidet; Et 1. est idem, quod 10. quoniam non exaltatur 1. per 0. sed è converso ciphra per 1. informatur. Ex his igitur videmus, quod, quatenus anima est in homine, imo vero est ipsum Microcosmi cœlum, eatenus, cum numerus denarius sit animæ genitor (nam animæ essentia procedit ab influentia omnium Sephirotharum, quarum infima est Malchuth, quæ receptaculum est virtutis influxuum omnium superiorum, siquidem, ut in primo Microcosmi volumine multis in locis diximus, Mens in suo descensu virtutes omnium ordinum angelorum accepit) necesse sit, ut omnium Sephirotharum vis atque virtus tam in Microcosmo operetur quam in Macrocosmo. Hoc etiam à Cabalisticis doctissimis confirmatur,

qui asseveranter dicunt, quod Magia sit scientia mundi cœlestis, qui continet in se 10. sphaeras; quæ sunt instrumenta & modi, per quæ agit in nos; videlicet novem mobilia & decimum immobile dictum Empyreum. Et ad probandum hoc suum propositum inferunt hæc duas probationes, quibus ostendere conantur actus divinos à Sefhirothis in cœlos & per totum: *En Domine tuum est calum, & cælum cœli Deut. 10. Et si cœli, & cœli cœlorum te capere non possunt. 3. Reg. 8. Ubi ascendunt in demonstratione virtutis & potentia Dei ab Elementis & sphaeris, in quas fiunt influxus Sefhirotharum, videlicet à cœlis, ad ipsas Sefhirothas, quæ in cælo cœlorum numerantur, hoc est, in cœlis supernaturalibus; quatenus Sefhirothæ sunt divinae & superessentiales; ultra quas nihilominus in infinitum penetrat in hyla radix ipsius Ehieh:*

C A P. V.

De numerationum divinarum officijs in homine, & de mirabili mysterio earum in exaltatione naturæ humanæ.

Quis dubitare potest, denarium illum numerum divinum tam in homine comprehendi; quam in ipsis angelis per quorum ordines transeunt radiationes eorum? cum, teste *Psalm. 8. fecerit hominem angelis paulo minorem, & gloria atque decore coronaverit eum;* nam manibus suis proprijs eum fecit, *omniatq; posuit sub pedibus ejus.* Per Sefhirothas ergo spiravit Deus in hominem vitæ spiraculum, juxta illud *Genes. 2.* Per illas hominum filios sic creatos respicit à cœlis, hoc est, de radice arboris Ehieh, ut videat, an sit intelligens juxta illud *Psalm. 52. Et custodit eum Job. 7. 20. eumque visitat temporibus matutinis, momentis ut exploret eum Job. 7. 18. Virtute illarum eduxit illum ex utero matris suæ; juxta Psalm. 22. 11. Sicut argillam fabricavit, & sicut lac fudit illum, atque tanquam caseum coagulavit illum, cute & carne induit eum, ossibus & nervis textit eum;* Et hæc omnia per influxus superiores descendentes in Malchut; *Cum vitæ benignitate exercuit eum, & visitatio ejus præservavit spiritum ejus,* juxta illud *Job. 11. per virtutem influxus secundæ & tertiæ Sefhirothæ; & ipsius Tephireth;* Per has hominis opera omnia, & cogitata, ac imaginationes, & motus ejus, omnesque ejus viæ ab illo cognoscuntur; imo vero retro & ante obsedit eum, juxta hoc *Psalm. 139. 2. Quo iret homo à Spiritu Domini? aut quo à facie eius fugeret? Si scanderet cœlos illic est, aut si stratum poneret in sepulchro, ecce adest; Si assumeret alas aurora, habitaturus in extremitate maris, etiam illuc manus eius deducet illum; Si diceret, Tenebræ velut crepusculo obvolvunt me, atque nox esset circa eum, ne tenebræ quidem eum ita obtenebrare possunt, quin videat, sed nox est, ut dies illustrat; nam tenebræ ei sunt, ut ipsa lux. Psalm. 139. 7. Ex his ergo patet, quod Ehieh à radice Cheter seu Corona per omnes Sefhiroth hominem respiciat. Hoc idem etiam evidentius adhuc significavit textus Job; ubi dicitur, quod *in homine sit Spiritus, sed inspiratio omnipotentis eum faciat intelligere:* Ex quibus percipere licet, quod successio intelligentiæ sit à Deo patre Ehieh per Hochma, Sapientiam, ejus filium seu Verbum; mediante Binah, intelligentiâ, seu Spiritu Sancto, atque ita per totum truncum arboris, qui est Tetragrammaton, יהוה Jehova, & ramos ab eo exilientes. Quæ quidem actio seu influxus plenarius non fit in aliqua creatura sublunari, præterquam in solo homine, cui cœli intellectualis portio conceditur. Quod sane Synesius, *Hymn. 1. agnoscere videtur his dictis; Mens solos curat intellectuales mundos;* bona enim inde jam humani Spiritus origo individue divisa est: Ac Mens dilapsa in hylam immortalis parentum divinorum propago; exigua quidem, sed illorum tota, ista & una utique tota in totum infusa vastam cavitatem cœlorum torquet, universumq; hoc conservans in diversas formas distributa adest; Pars ejus stellarum cursus, pars angelorum cœtus, pars etiam gravi nexu terrenam sortita est formam, distinctaq; à parentibus tenebrosam hausit oblivionem cœcis sollicitudinib; terram admirata jucundam. Ex his ergo videmus, quod mentis humanæ origo sit à radice Ehieh, & quod ejus motus sit per universas Sefhirothas divinas, quatenus transit per angelorum cœtus, quos informat, ac per sphaeras, quas animat: Et per consequens est hæc Mens univerta Spiritus ipsius numerationis Hochmæ seu Sapientia, quæ est virtus Ehieh & ipsum Tetragrammaton, ac Mellias, seu Verbum omnia conservas. Unde etiam fit, ut hæc Mens divina in corpore opaco habitans relationem habeat ad numerationes superiores ac magis simplices: Quod quidem Mercur. Trismeg. *Pim. 3. luculenter declarat hujusmodi sermone; Anima (inquit ille) humana, velata carnis umbraculo ad cœlestium Deorum discursum suscipiendum, ad opera Dei & naturæ progressus, ad bonorū signa, ad potestatis divinae cognitionem; portio quadam attributa est ad bonorum indicium malorumq; variū artificium inveniendum: Incipit tamen in illis vivere, sapientiamq; nancisci ad portionem continui cursus Deorum circumventium & c.* Ubi per Deos intelligit numerationes inferiores ex decem radicibus, cui diversa Dei, sive unius Jovis nomina attribuuntur. Hinc etiam dicit Synes. *Hymno eodem; Anima bibens ex perenni bonorum fonte conceptis suppliciter precibus ad parentem ascende, neq; cunctare, terra terrena linquens; mox vero juncta cum Patre Dea cum Deo exultabis:* Ubi per patrem intendit Ehieh seu radicem; Atq; hic denotare videtur Mentis ascensionis modum de corpore ad Ehieh per gradus Sefhirothæ, qui nihil aliud sunt, quam ordines scalæ Jacobi; per quos angeli atq; animæ descendunt à cælo in terram, atq; iterum de terra in cœlos ascendunt: Nec quidem vos velim intelligere, me de cælo solummodo & terra Macrocosmica hic loqui, verum etiam de cælo & terra Microcosmica,*

videlicet de ipso homine interno & externo, in quo omnes Sefhirothæ divinæ idealiter exprimuntur tam exacte quam in Macrocosmo; Et in Microcosmo ipsa Mens ad Hochma refertur, juxta illud Merc. Trism. Pim. 1. Mens sua acie ad suprema erigi potest: Et Sermon. 4. de hac Mente sic loquitur; *Quicumq; hac Dei natura fultus sunt secundum operum comparationem pro mortalibus immortales habentur, intelligentia sua cum ea complectuntur qua in terra sunt, & que in mari, & si quid est præter ea supra cælum, atq; adeo seipfos erigunt, ut ipsum quoque bonum intueantur.* Atq; hoc est illud, quod in Evangelista reperitur; *Nemo patrem cognoscere potest, nisi per filium;* Hinc etiam ab Apostolo, *Homo dicitur Templum Dei, & alibi, Tabernaculum Spiritus Sancti.* Cui etiam Xistus Philosophus Pythagoræus astipulari videtur: Hinc à Merc. Trism. dicitur; *Homo animal divinum, quod non est terrenis brutis, sed cum cælestibus comparandum; Imo vero dicit, quod homo verus sit vel ipsis cælicolis præstantior, vel saltem pari sorte potitus.* Quam quidem suam affectionem sic probat: *Quicumq; (inquit) cælum descendit ad terram, cæli limitem deserit; homo autem ascendit in cælum, illudq; metitur, nec ea fugit quæ ima sunt quæq; sublimia, ac reliqua omnia diligenter inquirat; quodq; magis est, terram quidem haud dimittens in cælum attollitur; rã ampla est humana natura potestas: Quamobrem (inquit) audendum est dicere hominem terrenum Deum, sed mortalem, Deum vero cælestem immortalem hominem.* Ex hisce igitur ejus dictis elicere fas est, hominem externum Deum, sed mortalem, ejus vero internum seu interni principem Deum esse immortalem; quatenus Mens nullis passionibus est subiecta, utpote cui ipsa quoq; fata subijciuntur. Atq; hæc est ratio, quod Antistes iste in hæc erumpit verba; *Magnum miraculum est homo, adorandum atq; honorandum: Hoc enim in naturam Dei transit, & quasi ipse est Deus; Hoc Dæmonum genus novit &c.* Quod quidem de homine spiritualizato seu regenerato intelligere videtur, qualis sit virtute Mentis, quæ est de divina Messia natura: Unde legitur in *Resol. Theologorum T. 2. P. 1. P. 3. Q. 2.* quod immortalitas hominis non sit per naturam sed per gratiam; Et super hoc August. dicit; *Creavit Deus hominem immortalem non ex conditione nature, sed ex beneficio conditoris, h. e. Mentis universalis, omnia creantis & informantis.* Adam igitur primus homo suo peccato hanc hominis deitatem seu divinitatem abscondidit, qui immortalis erat in initio creatus, atq; hoc modo mortalitatis eruginem sibi & posteris contraxit; At Christus homo Spiritu S. plenus divinam hominis naturam è vinculis liberavit peccati ac tenebrarum, splendoremq; ejus vivificum sua justitia mundo patefecit; ita ut, quod unus ad distractionem præparaverat, alter Spiritu vivifico à ruina præservavit. Quod igitur Samael, destructivus & Martis Dæmon ad hominis ruinam suo fato ordinavit, hoc quidem beneficus & Jovialis Venens Spiritus deiecit, & in pristinum sanitatis gradum hominem reduxit: Hoc enim idem ab ipsis altris, fatum hominibus effundentibus, ab origine prognostico quodam denunciatum fuit: Nam sic secundum Firmicum & alios natus est Adam sub signo Arietis; quod est Dominus Martis, & Dominatio Spiritus Samael; in quo loco quia exaltata erat ejus malitia, ideo ejusdem detrimentum & depressio expectanda erat in signo ei opposito, videlicet (ubi Mars casum & debilitatem suam habere dicitur) in Libra: Id quidem quod etiam ita evenit: Nam dicitur ab Astrologis, Christum fuisse natum sub eodem signo, quod bonitati Venens & Jovis attribuitur: Ex his igitur videmus, quomodo superiora agent in hominem, suaque impressiones ideales in ejus cælum imprimant; Et per consequens, quod Sefhirothicæ numerationes non aliter veniantur in hominis cælo, quam in cælo mundi, ejus finis est ipse homo, per unicam animam ejus, quæ est Messias seu virtus Tetragrammati: Quæ cum sit etiam hominis ipsius mens, & arboris Sefhirothicæ humanæ quasi truncus, non erit dubium, quin ipse numerationes divinæ sint tam in homine interno quam in mundo spirituali. Porro etiam, cum Deus sit trinitas, & trinitate, Trinitati relata, communicet tam cum homine, quam mundo, quarum rationum qualibet iterum trina alia partitione dividitur, triplici trium Hierarchiarum ordini seu Angelorum choro attributa, cui divisioni ternaria per 3. ducta si unitas, quæ est unus Deus seu Monas, tanquam radix, adaptetur numerum denarium constituit, ideoque triplici ordine principali in se ducto, additione unitatis, (sic 10.) ipsum hominem creare decrevit, qui ob hoc rerum omnium nodus non infulse appellatur: Distinxit namq; hominum genus per gradus, videlicet superiores & cælestes, atque inferiores seu terrenos, & secundum horum graduum naturam vitæ hominum intervalla, animæque conditiones ordinavit. Ezech. ergo seu Pater in Cheter, corona seu summitate omnium rerum essentiam formalem in se possidens, quæ soli ejus intellectui objicitur & seipsum intelligens, Sapientiam; Messiam, Verbum, seu virtutem sui ipsius gignit; qui dicitur filius in Numeratione Hochma, à Cheter, hoc est, à finis patris saltu levi profiliens. Atque hinc est, quod in Deitate Patris ac Filij nomen invenitur: Nam Deus unus sine distinctione personarum virtutem suam in se continebat; nec que illam revelare aut emittere voluit, priusquam de mundi fabrica cogitabat: At tunc secundum Mercurij Trismegisti doctrinam, *Monas generabat Monadem, & in se ipsam reflectebat splendorem suum;* Vel, ut apud eundem alibi habetur; *Cum hæc dixisset, mutavit formam suam, & universa subito revelavit;* hoc est, occultum fecit manifestum; & ejus manifestatione, hoc est, emanatione splendida omnia deformia sunt informata. Hinc sequitur in ejus contextu; *Cernibam enim immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lumen conversa.* Imo vero hæc eadem Mens hominem de nihilo quasi aliquid effecit, juxta illud Psalm. 139. *Oculi tui viderunt substantiam meam informem & non adhuc existentem; nam in libro tuo fuerunt omnia membra mea conscripta.* Sic etiam

Sicutjam Filij à Patre, & Spiritus Sancti ab ambobus fluxu mundus idealiter, ante realem ejus creationem fuit delineatus: Sicuti & Propheta Regius gloriatus est, quod imaginem templi totaliter descripserim acceperit ex manibus Dei. Producta itaque sapientia, cum sit producenti simillima, & ab eo supernaturali progressu emanans, filij nomen sortitur, ut dictum est; Unde & patris appellatio, uti itidem dictum est, quatenus inter patrem & filium est relatio certissima: Pallulans autem igneus amor ex utrisque procedens, Spiritus Sacrosanctus, nexusque utriusque inviolabilis nuncupatur, quatenus prolem cum parente amore sempiterno connectit; atque hoc modo tertie statuitur Sefhirothæ virtus, videlicet Binah, cui Elohim attribuitur: Duobus vero primis à Spiritu junctis ordines Hierarchie superioris Seraphim & Cherubin respondent, cum per Seraphim Echieh mittat suas influentias, & per Cherubin Hochma, ut *superius* dictum est. Quod autem *in Verbo sit vita & lux hominis* nos docet D. Joan. c. 1. Et quod in homine videat & audiat Verbum Domini affirmat Mercur. Trismeg. st. *Pimand. 1.* Similiter, quod mens sit Deus pater, & quod Verbi seu Filij & Patris non sit differentia ad invicem in essentia, & quod ipsorum unio vitæ sit, ac quod hæc unio fiat per nexum illum igneum, nos instruit ipse eodem in loco: Porro etjam, quod homo sit templum Dei & Spiritus Sancti, testatur D. Paulus. Quid igitur dubitaremus, an Sefhirothæ superiores sine in homine nec ne, & per consequens virtutes angelorum Seraphim & Cherubin? Similiter Binah, prudentia Spiritu Saacto relata, mittit fluxus suos per ordinem Thronorum. Hoc Verbum Spiritu circumductum mundum dijudicat teste Psalmista: *Paravit in iudicio thronum suum;* Quam sedem filio pater concedit omnimodam ei tribuens potestatem judicandi: Similiter de eo dicitur *in Apocalypsi: Ego vici, & sedes in throno patris mei:* Judicans etjam rationem Deus dedit hominibus; de quo dano passim tractant scripturæ sacræ: Et Sapiens *Proverb. 21.* dicit, quod *iustitiam & misericordiam sebens inveniet vitam, iustitiam, & gloriam:* Et *Sap. 1.* *Iudices terræ debent iustitiam colere, & sentire de bonitate Domini:* Virtutem etjam Spiritus hujus ordinis seu Sefhirothæ habuerunt 70. Seniores, quibus datum est iudicare populum cum Moysè. Clementiam autem, bonitatem, gratiam & misericordiam recipit homo ab influxu, à Chesed; cui præest nomen **VS El**, transiens per ordinem Dominationum: Unde vim dominicam habet homo virtute influentiæ hujus Sefhirothæ transiens per hunc ordinem: Sefhirothæ Gebarah potestatem, vim, severitatem, & puniendi voluntatem infundit in spiritum humanum per ordinem Potestatum impulsu divini nominis Elohim. At Sefhirothæ sexta Tephireth dat ei gratiam, pulchritudinem, ornatum; & quatenus ejus influentiæ transeunt per ordinem virtutum in spheram Solis, homini cuilibet claritatem & vitam tam naturalem quam moralem attribuit, assistentia nominis Tetragrammati Eloah. Netzeth, quæ est Sefhirothæ septima, influit in hominem, Spiritumque triumphantem & victoriam dat per virtutem nominis Jehovæ Saboth, id est, Dei exercituum; cujus quidem influxus, quatenus transeunt per ordinem Principatum, distribuunt regna & provincias hominibus, aliasque dignitates regentes, tam spirituales quam civiles: Regnis ergo & provinciis, similiter imperatoribus & regibus, præponitur ordinis hujus influxus: Principibus & præsidibus, præest ordo Archangelorum, similiterque Prophetas docet: Angelus denique, recte Christo, cuilibet homini attribuitur: Per Archangelorum ergo choros influit Sefhirothæ Hod in spheram Mercurij; Et per Angelorum ordines illa ultima numeratio, *Jesed* dicta. Atque hoc modo videmus, quomodo decem Sefhirothæ, earumque virtutes in Microcosmo tam exacte inveniantur quam in Macrocosmo: adeoque etjam hinc est, quod istæ numerationes arbori comparantur radicem habenti in alto & ramos deorsum: Sic homo, qui factus est ad similitudinem Dei, propter rationes supradictas dicitur ab Aristotele ipsa arbor inversa, cum ejus radix sit in capite, rami vero deorsum tendant: Nam *Deus os homini sublime dedit:* Unde appropriatur optime arbori Sefhirotharum divinarum; quippe quæ constat ex nominibus divinis, cujus truncus est nomen ineffabile Tetragrammaton, à quo, tanquam stipitem seu rami, cætera hauriuntur agnomina. Nam Deus, qui comparatur Echieh, ait; *Factamus hominem ad imaginem nostram.* Quod verbum *Fiat* filio refertur; *Et inspiravit in eum spiraculum vite;* per quod intelligitur Spiritus Sanctus. Atque hic habemus principales Sefhirotham superiori regione hominis cohabitantes; in capite nempe, tanquam in cælo cælorum, in quo est præcipua divinitatis sedes; ubi radix est Deus Mens, truncus est Verbum, Sapientia, & nexus utriusque ad vitam Spiraculum seu Spiritus & afflatus divinus. Ut ergo mentio facta est de radice, trunco, ramis, & corticibus, sic etjam sapicule transfertur illa allegoria ad caput, humeros, crura, pedes, latera dextra & sinistra sive thoracem qui trunco comparatur, cui nomen Tetragramm. præest, inde arguendo, quod hominis fabrica sit quasi verissimum Sefhirotharum divinarum subjectum seu tabernaculum illarum. Porro etjam, quoniam homo ad Dei imaginem factus est, idcirco, ut Deus ipse Ilan, hoc est, arbor Archetypica cognominatur, stipitem, ac ramos, & radicem in se continens, sic etjam Homo non indirecte arbor Microcosmica appellari potest. Sed de his numerationibus decem, quibus præstunt totidem nomina divina, ab unitate seu **VS Aleph** scaturientia, mentionem, licet occultam, fecimus in *libello nostro de Numeris divinis;* ubi demonstrationem ex tribus pyramidibus conflaram fecimus, in qua-

in quarum summitate Deum in effigie trianguli flammigerantis expressimus: Ibi etiam declaravimus, quomodo Dias à Monade, & Trias ab ambobus profluebat, numerorum scilicet simplicium radices: Nam unitas est radix dualitatis, & illa radix seu propinquum principium numeri primi, videlicet ternarij, qui est radix cujuslibet numeri simplicis; cujus quadratum est 9. ita ut, si addatur ei unitas, producat numerus denarius. Ab unitate ergo ad numerum denarium simplicem procedebant illæ emanationes divinæ decem, ab Aleph profluentes usque ad Jod, quod denotat 10. quæ erant idæales mundi futuri proprietates in simplicitate regni Ensofph prolata; ad quarum exemplar mundus postea creatus est: Atque hæ proprietates erant numerationes illæ divinæ, dictæ Sephiroth, à quarum influentijs per ordines primi cœli in cœlum secundum, & earum tandem prolapsu tertio die ad machinæ centrum usque, mundus mundique creaturæ, & virtutes earum factæ sunt, atque perpetuo secundum Dei voluntatem conservatæ; ita ut in primo loco 3. declaret perfectam primæ perfectionis emanationem; quippe in qua est principium 1. medium 2. & finis 3. nempe III. simul in unum aggregata; sic etiam simplicem & completam personarum in Trinitate perfectionem, quæ attribuuntur Echieh, Cheter, Jah, Hochma; Elohim, & Binah; quæ sunt Sephirothæ simplices, ex quibus minus simplices in ramis arboris derivatæ sunt. Sic ducendo 3. in se, producitur 9. cui addendo unitatem oritur 10. nempe Adonai, Malchut: Nam ad 1. refertur 4. ad 2. 5. ad 3. 6. atque iterum ad 1. 7. ad 2. 8. & ad 3. 9. Quod quidem ita se habet; 1. Echieh, Cheter, seu identitas influit per primum superiorum angelorum chorum, quæ est alteritas, in spheras habentes triplicem naturam, videlicet in primam ejus ternariam regionem, seu primum mobile: Sic etiam 2. seu Jah Hochma per secundum ejusdem Hierarchiæ ordinem, nempe per Cherubin in spheram secundam ejusdem triplicitatis, in cœlum scilicet octavum; atque 3. seu Elohim Binah per tertium ejusdem Hierarchiæ ordinem, nempe Thronos, in spheram tertiam ejusdem, videlicet in illam Saturni.

Deinde per secundam revolutionem seu operationem 1. seu Echieh Cheter agit in 4. nempe El Chesed per primum secundæ Hierarchiæ ordinem in primam spheram secundæ triplicitatis, videlicet in Jovis spheram; et 2. vel Jah Hochmah impellit quintam Spheriorth; Elohim Gheburah per ordinem secundum secundæ Hierarchiæ infundit fluxus suos in regionem secundæ triplicitatis secundam; atque sic in cæteris. Hinc ergo videmus, quomodo intuita Dei virtus ad nature procreationem, priusquam aliquid formatum exiit, operata sit: Sic enim ab origine factus est mundus, atque sic etiam modo misisco creatus est homo; Unde unus, itemque & alter dicitur ad imaginem Dei creatus; quatenus exemplar emanationum idææ supersubstantialis pro anima sua & forma sive actu primo habent. Hinc, inquam, Sephirothæ sive numerationes divinæ sunt in mundo; indeque etiam reperiuntur in spiritu humano, non aliter, quam imago splendidissima in speculo politissimo, quibus tam hic quam ille dimensiones suæ moli maxime proprias, luminaque, quibus illæ dimensiones ornantur atque decorè insigniuntur, recipiunt, quibus ad hanc usque temporis minutam existunt; cum, teste Sapiente, earum favore cuncta creentur & foveantur, quorum quidem princeps terrenus est ipse homo.

C A P. VI.

De Mystero Sephirothæ ultimæ Malcut in Micro- & Macrocosmo; Et quod propter Adæ peccatum nobis claudatur, Quomodo Sephirothæ 10. applicentur homini? Et quod in se habeant cœlum ac terram.

Cabalista, rationibus prædictis moti, dicunt, quod homo sit arbor inversa, quatenus ei datur os atque vultus sublimis, uti dictum est: Et enim, cum homo sit ad imaginem Dei factus, sequitur, quod non inepte arbor dicatur, quoniam ipse Deus vocatur arbor Archetypus, superius ramos, & radicem in se comprehendens. Unde etiam sequitur, quod, ejus imago homo similes istius arboris partes in se possideat, quibus à creatore disponatur in operibus suis tam ad severitatem quam clementiam. Hujusmodi autem arboris Sephirothicæ radix est Echieh Cheter, cujus defluxus descendunt per inferiores Sephirothas, & tandem in Malchut: Sicut igitur, radice ab arbore exorta, flores, folia, & fructus marcescunt & pereunt, sic, (inquiunt Cabalista) per peccatum Adæ fuit exorta Malchut ab Echieh radice Cheter, & à trunco Tetragrammati, ac consequenter à beneficiis omnium Sephirotharum; & sic Malchut remansit nuda de omnibono influxu: Quæ sic vacua remanens hæc dimensio nihil nobis boni conferre potest, Antequam vero Adam peccabat, Malchut à supremâ radice recipiebat assidue influentias, omnium Sephirotharum proprietates, omnique angelorum ordines sese invicem mutuo amore secundum ordines graduum respiciebant, ita ut eadem cœlicitas & amicitia, quæ apud superiores inveniebatur, cœlet etiam inter inferos; Cœli cum elementis vinculo quodam mutuum fortiebantur amplexum, alterumque alterius mutuo adimplebat canales Sephirotharum, per quos deorsum movebant influxus, atque ad amissim officia sua præstabant, ita

ita ut à superioribus ad inferiora uberrime per meatus occultos transmigrarent influentia, nomi-
naque Dei sacrosancta benevole adimplebant mundum; Atque hoc intelligitur tam de Micro-
quam de Macrocosmo: Sed peccante Adamo confusi fuerunt ordines mundi utriusque, canates-
que anfractum subibant; atque hac via gloria & fixa sanitas à Malchut sublata vinculumque illud
benedictionis violatum est: Unde hæc Sephirotha infima, à cæteris plantæ ramis excisis, gratiæ at-
que benedictionis permanentis donum nobis impertire nanime poterat; adeoque nobis exinde
quali sterilis manet tota arbor tam Micro- quam Macrocosmica: Hinc morbis & perturbationi-
bus tum animæ tum corporis subijcitur homo, quatenus ultimus trunci ramus præcisus nobis quasi
sterilis invenitur. Hæc erat decisio illa, quæ non tantum super Adamum cecidit, sed etiam super
totam posteritatem ejus, quam infecit; imo totum mundum inquinavit: Nam peccante Adamo,
primo parente, peccavit tota humani generis massa, quæ in ipso continebatur: nam rami sequun-
tur radicem; atque ita regnum, quod est Malchut, à nobis tollitur & occluditur, quousque agnus il-
le innocens (qui solummodo ad hoc potens, & tanto honore dignus est) januas regni aperiat,
quarum prima est Malchut. Atque hæc est ratio corruptibilitatis atque infirmitatis mundi ele-
mentaris, quem Malchut sua sterilitate infecit: Unde dicunt Cabalistsæ, quod Luna, quatenus est
receptaculum omnium influxuum superiorum, respondeat ultimæ numerationi Malchut in des-
cendendo; adeoque dicitur exinde, respectu ascensionis in altum, prima terra viventium, suppo-
nendo propter separationem Malchut à suo trunco, quod res omnes sublunares sint de rebus mor-
tuis, quatenus transitoria & caduca: Hæc ergo est causa, quod ad defendendam hanc Archange-
li Cabalistsæ sententiam probavi, influxus Malchut non per ordinem animarum beatarum (uti vo-
lunt nonnulli) in infimam mundi regionem, sed per ordinem Angelorum in Lunæ sphaeram
fieri.

Similiter hæc est causa, videlicet peccante Adamo, qui fuit radix totius generis humani, quod
omnes rami fuerunt infecti cum a boris folijs, juxta illud Roman. *Radix amaritudinis sursum germinans
impedit, & per illam inquinantur multi*: Et de bona radice iterum dicit; *Et si radix sancta, & rami similiter,
non tamen ramus à ramo inficitur neque exiccatur*. Voluit ergo redemptor, seu Adam secundus seu spiri-
tualis, ut omnes per eum renascantur, tanquam in meliori, perfectiori & pulchriori radice, quam
fuit in primo parente, quamvis ejus etiam radix non fuerit inquinata ab origine: Omnia ergo, quæ
propter peccata diminuta sunt, in Messia adventu perficientur; nam in eo instaurabitur omne il-
lud, quod propter Adæ peccatum coruebat; imo vero & ipsa mors, sive influxus Spiritus perniciosi
Samael tollendi sunt atque destuendi. Et, quemadmodum in lege Mosaica seu veteri homines
influxu bono non fuebantur, nisi aut circumcisione, aut oblatione, aut aliquo alio modo prius es-
sent purgati; ita illius regni gratia digni non reddemur, nisi merito sanguinis Christi, qui omnibus
veteribus animalium cruoribus prævalet: Nam solus ille agnus dignus est ad tale opus perficien-
dum, & non alius, uti diximus: Lectorem autem hic verbo uno commonefactum velim, me de
amputatione rami Malchut à cæteris loqui respectu nostrum; Nam Deus Tetragrammaton, tan-
quam princeps gloriæ, Sephiroth imperavit, ut in Adam prævaricatorem nullus influxus bonus in-
flueret ex Malchut, etiam si ipsa Malchut fluxu bono plena extare dignoscatur: Et si quandoque
vacua dicitur, id (inquam) est respectu nostrum, quatenus scilicet nihil nobis boni confert, pro-
fus ac si esset vacua. Atque hic est mos Dei; secundum Cabalistas; cum injustis punitione vel ma-
levolentia vult respondere; præcipit suo regno sive dispensatrici Malchut, ne bonum in ipsos influ-
xu suo infundat, hoc est, ut maneat otiosa & quasi mortua, ac si à cæteris plantis esset præcisa: Et
hæc dicitur truncatio ultimæ plantæ vel rami infimi; quæ quidem calamitas non Adæ soli & po-
steritati ejus, sed mundo universo accidebat. Ex his igitur videmus, Sephirotharum tam in Mi-
cro- quam Macrocosmo effectus: Quare Sephirothica dimensiones non de mundo solo, sed et-
iam de homine intelliguntur. Sic etiam in hac oratione Dominica, *Pater noster qui es in cælis; Sanctifi-
cetur nomen tuum: Adventat regnum tuum: Fiat voluntas tua sicut in cælo, sic etiam in terra &c.* Pater (qui est
Ehieh seu corona, & radix omnium) non proprie intelligitur (ut mihi videtur) quemadmodum
mundo inest, sed homini: Quare, ubi dicitur, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, sic etiam in terra*, intelligitur
illud hunc in modum; *Fiat voluntas tua in homine externo seu corporeo, sicut in aeterno seu spiri-
tualis; cum ejus corpus sit terra, anima vero ejus sit vere cælum*: Unde postea dicitur, concepto scili-
cet & continuato sermone de vero subjecto, de quo & pro quo causa coram Deo agitur videlicet
homine, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; hoc est, tam spiritualem, quo nutritur anima, quam
materiale, quo alitur corpus: *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Et
ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo*: Ubi videmus, quod integrum orationis hujus sub-
jectum sit homo; Et per consequens cælum ac terra intelligitur de illis Microcosmi & non
Macrocosmi: Quid enim optus est nobis illum solummodo invocare extra nos, quem qui-
dem in nobis habitare docent nos sacræ literæ multis in locis?

Cur igitur eum de longe invocemus, quem propinquam ac centalem in nobis invenimus, & quod
ubique, imo vero & semper nobis aderit, si peccata nostra eum in nobis vacare & quiescere non faciât?

Nam

Nam revera absentia Spiritus Sancti à nobis est ejus bonitatis vacatio & requies ab omni operatione in nobis: Sic *impis Mentem abesse* inquit Mercurius Trismegistus, hoc est, vacare in malevolis: Unde ejus actualis mantio dicitur esse in corpore pio & sancto, non in impio; quippe in quo potentialiter solummodo, hoc est, non actu agens seu operans dicitur, quamvis ad vitam semper operetur, quatenus omnis virtus est à spiritu oris Tetragrammati, uti Psalmista regius fatetur, *Psalm. 33.* Porro etiam Cabalisticè observaverunt quod 10. rerum omnium entia, quæ Philosophus Categorias vocat, exactissimam ad numerationes Sephirothicas relationem habeant: Nam & hæ, quatenus in Dialectica numerantur, omnes rerum circumstantias continent, & per consequens ipsius quoque hominis, qui est terrestris rerum Dominus, in quo non minus, quam in ipso mundo, est essentia summa seu genus generalissimum prædicamenti substantiæ, nempe Mens, cujus rami descendunt ad individua: Sic Deus est Ens Entium ac substantia substantiarum, & consequenter genus summum ac generalissimum in prædicamento substantiæ: Porro in hoc nunc est Quantitas tam continua quam discreta, similiterque partium harmonia per relationem, cujushbet Qualitatis conditio, Quando, denotans tempus, Ubi, portans locum, Situs, Habitus, Agens, Patiens. Habet etiam in se vim quinque prædicabilium, Generis Speciei, Differentiæ, Proprii & Accidentis: Qui quidem numerus, cum sit dimidia pars denarij, denotat centrum denarij, uti in Numeris Divinis, atque etiam in Portione, priori hujus declaratum est. Atque hi ambo numeri explicantur per duo illa elementa Hebraica formosissima י Jod & ה He, quorum Jod arguit 10. & ה He quinque: Et, si illi duo simul jungantur, explicant numen, Dei clementiam arguens, videlicet Jah יה . Porro etiam horum numerorum profunditas in eo sita est, quod, si circumferentia à 10. per centralem numerum 5. ducatur, producit 50. portas intelligentiæ: Cum igitur hic numerus in homine contineatur, quis dubitare potest, quin vis 50. portarum intelligentiæ, & ipsum nomen Jah, imo vero omnium nominum Sephirothis 10. attributorum virtus in ipso homine comprehendatur, cum Deus essentialiter in eo habitet, qui est quasi totius arboris Sephirothicæ truncus? Præterea etiam, si vim Decalogi Mosaiici seu decem mandatorum aut præceptorum legis ponderemus, videbimus a pertis oculis ea hominem respicere. Quod cum ita sit, quid opus erit dubio de Sephirothis humanis, quoniam 10. illa præcepta nexu inter parabili se habent ad 10. Sephirothas; & per consequens ad 10. sphaeras, in quas illæ Sephirothæ influunt: Nam in prima serie simplicitas & unitas Patris, qui est quasi basis & radix totius, notatur: *Sum Dominus Deus tuus, qui te eduxit de Aegypto, de domo servitutis; Non habebis alios Deos præter me.*

Hæc quidem portio Sephirothicæ arboris radici refertur; cujus potentia & virtus prius operata est in cælo Empyreo seu decima sphaera, in quam Sephirothæ 10. virtute nominum ejus influunt per ordines angelorum ab unica ejus radice, tanquam patre: Unde Echieh dicitur nomen ejus, ut antea declaratum est: Hinc enim, tanquam à patre unico primum mobile, & deinde reliqua, tanquam à generali principio moventur: Hujus enim agitatione agunt ordines Angelorum in sphaeras; Unde inquit Dionysius in *Hier. archys* loquendo de Intelligentijs; *Gaudent omnes movente patre; Motæ autem Hierarchie movent sphaeras cæli medijs subjacentes, corporaque cælestia, quibus illæ præsidet.* Atque hæc est ratio, quod Hermes, ut antea relatum est, *Deum* definit esse *Circulum cuius centrum est per totum, & circumferentia nullibi.* In prima ergo lege Deus se habet ut Echieh in Cheter, vim dans à fonte suæ unitatis ad arboris truncum, & stipites seu ramos ejusdem. *Secunda* lex est: *Non facies aliquam similitudinem &c.* convenitque Sephiroth Hochma, cui præst Jah seu Filius, ubi emanatio à Jod inest in He ה spiritu divino, denotans inde filium seu sapientiam patris, cujus actu primum mobile seu sphaera nona & suprema cæli medij circumvolvitur spatio 24. horarum: Qui filius Dei suo adventu in mundum demebat atque extirpabat idololatricæ radices virtute sui Evangelij. *Tertium* mandatum est; *Non accipies nomen Dei in vanum &c.* referturque ad tertiam numerationem, videlicet Binah, cui præst Elohim: Quod quidem nomen Spiritui Sancto appropriatur, quatenus vim habet in aquas, & spiritus fluidos: Hic terribilis est peccantibus, & punitionem arguit ac minatur illis, qui in vanum utuntur nomine Dei: Atque ejus severitas in hoc apparet, quod, teste sacra scriptura peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur: Attribuitur sphaeræ octavæ, cujus stellis dat atque dispensat virtutes illas, quas habent: Quare punire solet ablatione virtutum stellarum à creatura peccante; Nam qui vane utitur nomine Dei, indignus est beneficijs divinis. *Quarta* lex, *Recordamini vestrum ad sanctificandum diem Sabbathi &c.* ad quartam Sephirotham Chesed refertur, cui nomen Dei El præstet. Hæc autem influit per Thronos in sphaeram Saturni; qui quoniam est in fausta stella, idcirco Moyse (secundum nonnullos) noluit, ut res ulla perageretur aut tentaretur illo die, sed ut per eum quisque quiesceret & vacaret servitio Dei: Verum nos quidem aliam rationem in *hujus libri cap. ...* in lucem protulimus, videlicet, relationem inter naturam fixam Saturni & Sabbathum Sabbathorum. *Quinta* lex, *Honora patrem & matrem &c.* quintæ Sephirothæ datur, nempe Geburah, cui præst Elohim Gebor, quæ in sphaeram Jovis influit; Unde pacem, amorem & pietatem arguit, quatenus Jupiter est Planeta benevolus. *Sextum* præceptum, *Non interficies, Veneri* attribuitur, ut Brachmani & Gymnosophistæ volunt, qui ideo Venerem po-

fuerunt supra Solem : Atque sic consequenter in alijs mandatis secundum ordinem Sephirotharum à nobis primo propositarum :

Hinc igitur videmus qualem relationem Sephirothæ exteriores, videlicet Mundi, habeant cum illis hominis, quæ quoad nos interiores dicuntur. De 10. Aegyptiorum plagis nihil hoc loco dicemus, quoniam tædiosum illud fortasse vobis foret : Et tamen ad Sephirothas illæ directe referuntur, quatenus miraculosa illæ actiones à Moysè virtute 10. Sephirotharum ac nominum divinorum ijs assignatorum ad exitum mirabilem perductæ fuerunt. At jam ad particulares hominis Sephirotas & eorum nomina descendemus.

C A P. VII.

Adhuc de 10. cælorum origine, & de ideis divinis ; Postea, de particularibus Hominis Sephirothis seu numerationibus ; & quomodo relationem habeant ad illas mundanas ?

A Braham Cabalista in libro *Ietzirah* dicit ; *Decem sunt numerationes seu Sephirothæ belomai, præter quid decem & non novem, decem & non undecim; intellige cum sapientia, sapias cum intellectu : Ubi accipiens nomen Sephirothæ generaliter pro eo, quod in Macro- & Microcosmum se extendit, denotat, quod quaternarij numeri partes simul aggregatæ producant 10. & non 9. & iterum 10. ac non 11. Nam cognoscimus, quod ex quatuor elementis, tanquam causa materiali (quorum duo in sphaera humiditatis comprehenduntur) decem orbium cælestium substantia, suis accidentibus destructivis orbata, oriatur, non aliter, quam vitrum à tenebrosa materia purgatum in suæ substantiæ puritate & exaltatione differre observatur ; Sic enim de re grossa rarum fit, ut de opaco liquidum & diaphanum : Atque hinc est, quod 1. 2. 3. 4. simul unita constituunt 10. Sic quoque hæc est ratio, quod post creatam mundi animam, ex 4. illis distinctis aquæ universalis sphaeris, tanquam chymia divina extracti, & in naturam digniorē sublimari sunt 10. orbis cæli superlunaris, à 4. magis densis. Hujus aut rei ratio hujusmodi esse censetur ; quia scilicet, si à levitatis puncto ad punctum gravitatis fiat progressio, inveniemus, quod 1. sit in igne, 2. in aere, 3. in aqua, & 4. in terra : Nam proportione hujusmodi numerationis distinguuntur illa elementa ab invicem : Similiter è converso, si à graviore meta versus leviolem fiat motus, i. reperitur in terra, 2. in aqua 3. in aere, & 4. in igne ; unde sunt omnia. Hinc ergo pyramidem materialem formali oppositam in operibus nostris Cosmicis constitutus : Atque, ut invenimus, istas sphaeras in denarium numerum divisas, sic etiam, si divisores eorumque proprietates internas respiciamus, eas decreto in ideas suas Deum prius constituisse comperimus, quæ in tali numero reperiuntur præter quid. Et tamen concludunt Theologi, quod ideæ in Deo non habeant rationem individuationis suæ : Nam, etsi 10. Sephirothæ per decem nomina Dei gubernentur, sunt tamen illa nomina tam simplicia, ut esse & essentia, hoc est, potentia & forma sint idem, & res simplicissimæ sine adjuncto ullo : Unde dictæ sunt decem Sephirothæ belimahi, hoc est, beli Mach, id est absque aliquo adjuncto, quod in nomine Sadai exprimitur ; hoc est, Deus sibi sufficiens, & sine alieujus alterius adjutorio, ac seipso contentus. In his enim ideis sunt res omnes in sua claritate ; extra vero in sphaeris suis in suo figmento, ubi occultantur ab eo quod tævera sunt, & quo magis descendunt, eo magis figmento & tenebrosis vestibibus absconduntur : Unde inquit Abraham in libro eodem ; *Constitue rem in sua claritate, & restitue figmentum in suum locum ;* hoc est, separa tenebras & deceptiones à luce & veritate ; hoc est, quod dixerunt Sapientes, *fac occultum manifestum, & manifestum occultum,* hoc est, redige tenebras & lucem, quodlibet videlicet illorum, in suam propriam naturam. Ideæ autem istæ Sephirothicæ sunt res puræ, formales, ac abstrusissimæ ; & tamen, quia creatæ dicuntur, ideo sunt quasi compositæ ; quoniam, earum esse & existentia in hoc differunt, quod earum esse est tanquam materia & origo earum, quæ est purissimus Spiritus creatus ; earum vero essentia est instar formæ eductæ de materiæ potentia. Solus autem Deus est, in quo esse & essentia sunt idem : Tertia verò persona est illa, quæ unit formam nexu & glutine mirabili cum materia ; Atque hæc est illa persona, quæ componit & facit unionem, juxta illud Sapientis ; *Verbo Domini firmati sunt cæli, & Spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.* Ex his igitur videre licet, quod 10. istæ Sephirothæ ideales sint respectu influentiarum suarum tam in Homine quam in Mundo, & quod præcipue in libro *Ietzirah* intelligantur de homine. Unde dicit ; *Decem sunt numerationes Sephirothæ Belimahi, &c. Sapias cum intellectu, & intelligas cum sapientia.* Nam sapere est quovis sensuum argumento res concipere : Unde liquet quod sensus sit inferior Sephirotha hominis, & quod intellectus, cui Binah, id est, intelligentia, seu tertia Sephirotha attribuitur, sit una ex summis hominis Sephirothis, ac quod Sapientia, quæ refertur ad Hochma sit secunda Sephirotha, quatenus est ipsa mens seu e-*

emanatio immediata à Deo: Sed, priusquam in intentione nostra procedamus, hic nonnullorum Cabalistarum sententiam explicabimus de Sephirothus Microcosmicis. Inquit Reuchlinus; *Habetis, viri solertissimi decem numerationes, quibus homini contingit rerum apprehensio, quæ sunt, Obiectum, Diaphanon, Sensus exterior, Sensus interior, Phantasia, Iudicium inferius seu brutale, Iudicium superius seu humanum, Ratio, Intellectus*: Et hæc omnia non tam sunt quid, quam quo; Suprema vero mens in homine aliud quid est. Sed revera, ut Obiectum & Diaphanon sunt externa; & ad hominis partem spiritualemente minime pertinentia, ita etiam ea pro ramis arbori humanæ continuis haberi minime existimamus; quoniam coloratum, quod de longe videtur, & medium aereum seu diaphanon, per quod, vel mediante quo videmus, non sunt de sensu visus, sed ea tantum, quæ versantur circa visum: Nam ita se habent ad sensum visus, ut sphaeræ cælestes ad ideales Sephirothas: Nam ut Sephirotharum virtus impluitur in sphaeras, tanquam in recipientia vasa vel objecta ipsi opposita per ordines Hierarchiarum; Sic etiam visus mittit species & radios suos in obiectum per medium seu diaphanon; Et proinde, ut sphaeræ non numerantur inter Sephirothas, nec medium etiam per quod illæ transeunt, Hierarchiarum videlicet, sic etiam nec obiectum nec Diaphanon est de Sephirothis hominis. Similiter iudicium bestiale æquipollet illi humano, nisi quod huic ratio datur, illi vero negatur. Unde, ut mihi videtur, magis consentit hæc nostra Sephirotharum humanarum harmonia cum illa mundi majoris, quatenus cum sphaeris cælestibus convenit. Hominis ergo Sephirothæ decem iuxta nostram opinionem sunt huiusmodi: Deus, Mens, Intellectus, Ratio, Memoria, Vis æstimatoria, Phantasia, Sensus internus, Sensus externus, & Voluntas. Deus in homine est in loco Ethich Patet; qui radicem arboris inversæ possidet; à quo emanabat Mens seu Verbum, quod teste Mercurio Trismeg. est Mentis primæ ac summa gerraen lucens, Dei filius, de quibus in eodem sermone dicit; *Cogita quod in te videt & audit Verbum Domini; Mens autem Pater Deus; neque enim distant ab invicem; horum unio vita est*: Et alibi dicit; *Ex vita & luce constat omnium pater, ex quo natus est homo; Nam lux & vita Deus est & pater*. Atque hæc est ratio, quod iste Antistes huiusmodi verba effundit *Pimand. 12. Mens quidem ex ipsa Dei essentia, si qua tamen est eius essentia, nascitur*: Et in eodem loco vocat mentem animam Dei & principem omnium, quæ potest quodcumque vult: Et alibi; *Mens anima Dei dominatur omnibus, tum etiam legi ac ceteris universis; neque aliquid eorum, quæ ad fatum pertinent, impossibile est Menti*; ideo humanus animus est saepe superior: non tamen, quæ fato subiecta sunt, negligit: Atque hæc tætetur fuisse verba boni sui Daemonis; quem nunquam fuisse mentitum asserit. Ut igitur Jah in Hochma seu Sapiaentia, quæ est Verbum & Messias, se habet in mundo, ita etiam se habet mens in homine. Nam si Verbum procedat à centro patris, & in illo Verbo sit vita ac lux hominum, necesse est, ut Mens, quæ est prima emanatio à patre, & vere Deus, quatenus de essentia Dei, sit in homine loco Sephirothæ secundæ, per quam dictum est *Johan. 1. Quod quotquot receperunt eam, illis d. d. d. potestatem appellari filios Dei si in eam credant*. Hoc ergo est illud vitæ spiraculum, quo dicitur homo ad imaginem Dei factus, cuius virtute à brutis differt. Hinc inquit *Job. 33. 4. Spiritus Dei fortis me fecit, & spiraculum omnipotentis vivificavit me*: Et alibi dicit; *In homine est Spiritus, sed inspiratio omnipotentis intelligere facit eum*. Unde patet, quod intellectus procedat à mente seu spiraculo Dei, ut mens à centro Dei inspirantis. Hæc mentis natura est veritatis humanæ fons, & inde totius veritatis lux petenda est; quemadmodum ipsa Sapiaentia totius veritatis Spiritus à lacris scripturis nuncupatur; quæ quidem non à sua origine, scilicet à Patre seu potentia, nec à Spiritu Sancto, seu nexu benevolentia & amoris essentia separatur: Quare, ubi una persona, ibi etiam & alia invenitur, quatenus omnes tres non sunt nisi unus Deus. Has autem Trinitatis personas Moyses auditores patres 3. vocant; quos nos alibi tribus elementis sphaericis, nomen ineffabile constituentibus, attribuimus, videlicet, Jod Patri, 1 Vau Filio, & He Spiritui Sancto; quorum virtute tres matres in mundo sunt preductæ. Quomodo autem hæc personæ vel patres 3. tam in mundo quam in homine sese habeant, hic attendite. Ex ipsis sacris scripturis elicimus, per differentiam inter hæc tria verba, scilicet creationem, formationem; & factionem, personarum in Trinitate discrepantiam, earumque in mundi fabrica proprietates colligi: Nam creatio proprie pertinet ad materiæ universalis potentiam, cui Pater attribuitur; Unde à nonnullis definitur creatio, quod sit prima materiæ, hoc est, aquarum, & per consequens cujuslibet individui dispositio; unde postea formæ educitur potentia: Nam Dei omnipotentia, quæ est unitas, cogit primum res ipsas in suam materiæ, sive individui unitatem, quæ revera est patris actus atque officium; quippe in quo magis eminet; quam in filio sive Sapiaentia. At vero formationis vocabulum ad formam pertinet, estque ipsius formæ consti. utio, sive exterius & ex nihilo suscitetur, & in res ipsas adveniat; sive divino imperio de materiæ educatur potentia: Atque hæc formæ dispositio, secundum quam latissime diffunditur naturæ potentia, ad Sapiaentiam divinam, quam nos filium & patris prolem vocamus, maxime spectat.

Hoc autem est illud, quod inter Cabalistas Sapiaentiores agitur de differentia inter Aleph tenebrosum, quod in tenebris & materiæ potentia existens Unitati seu Patri omnium in se contracto refertur; & Aleph lucidum, quod filio seu germi lucido, à patre seu materiæ potentia profluente, assignatur; Unde dicitur etiam emanatio prima, & Sapiaentia lucida omnia informans seu

vivificans, seu Verbum, in quo est vita & lux hominum, seu in cujus centro est vita Spiritus, à quo omnes cœlorum virtutes educuntur.

Faciendi denique operatio ad mutua materię & formę connexionem pertinere cognoscitur; qui quidem nexus symbolizans est luminis ille affectus & amor igneus, qui facit, ut res cunctę existant, eo quod ex æquo à potentia, id est, Patre, & à Sapientia, hoc est, filio procedit; cogit etiam compositum formę & materię in unum, & facit proprie omnia; quatenus omnis virtus est à spiritu omni Jehovę: Unde, sicut hoc vinculum spirituale amoris ab æterno processit à potentia & sapientia, hoc est, à patre & filio; sic etiam una conjungit materię unionem, quę est à Patre seu Aleph oblectio, cum formę dilatatione, quę est à Filio. De hujusmodi inter creationem, formationem, & factionem differentia luculenter tractare videtur Jesai. 43. cap. ubi ait; *Quicquid vocatur in nomine meo* (ut sunt omnes creaturę, & maxime homo, in cujus mente omnia acquirunt immortalitatem, sicut in suis ideis in mente divina eandem habent) *illud creavi, formavi, & etiam feci illud.* In qua quidem dictione unicus Deus in tres personas earumque proprietates luculenter distinguitur. Hinc etiam est, quod Moyſes vocabulo creandi & faciendi unus non ante illud formationis expressit; quatu cum Deus in hominem die Sabbathi voluit spiritum vitę, hoc est, mentem inspirare. Licet enim homo jam erat, ut & ceterę creaturę ex materia paterna & formę filiali ac composito seu unionem & nexu illius materię & formę simul ad Spiritus Sancti proprietatem factus, atramen; quia in singulos homines præter materiam, formam, & compositum mens extrinsecus afflatu divino accedit, opus fuit, ut speciali verbo formationis uteretur; quoniam revera ita formavit hominem; ut distinxerit ipsum à ceteris animalibus, ipsam Dei ipsius imaginem atque effigiem creans. Dicimus ergo, quod in utroque mundo sit Esse, tanquam materia & origo ejus, patri relata; essentia vero sit in forma, educta de materię potentia, & filio comparata: Solus autem Deus est, in quo Esse & potentia sunt idem; Tertia vero persona est, quę unit proprie formam cum materia; namque hujus officium est, ut faciat; Ideoque hæc persona proprie attribuitur tertię Sephirothę tam in homine, quam in mundo, videlicet Binah, cui præest nomen sanctum Elohim: Et quoniam Binah proprie significat prudentiam ac intelligentiam, & procedit tam à Patre quàm Sapientia, idcirco aptissime in homine attribuitur intellectui, qui est Spiritus à radijs mentis exaltatus atque sublimatus. Hęc igitur tres sunt Sephirothę summę & magis principales totius hominis, tunc mundi minoris, videlicet Aleph tenebrosum seu fons Sapientię & Pater Ehieh in Cheter, qui est inspirator; Aleph lucidum seu actyuum, ab Aleph in potentia egrediens seu emissum, quod est emanatio prima, & proinde filius patris, inspiratio seu vitę humanę spiraculum, quod Mens appellatur; Et Spiritus ille partim activus & partim passivus, ipsius Mentis vehiculum, & limpidissimus Dei latex, in quo, tanquam in passivo, emanatio illa mentalis ludit in Microcosmo. Atque ab his quidem Sephirothis summis in idea humana primum agentibus dependent reliquę 7. interiores; quemadmodum antea in productione declaratum est: Nam ab I. seu principio procedit 2. tanquam medium, cujus motus est ad finem perfectionis 3. quippe in quo numero est principium, medium, & finis; & ut in circulo finis est principium, sic etiam 1. quę est differentia inter 2. & 3. est idem, quod 1. quę erat principium; & consequenter constat, quod principium revolutionis simplicissimę & divinę, sit idem, quod finis: Sic H. est idem, quod 2. & I. idem, quod 3. atque tamen totum nihil aliud est, quam 1. cum tres illę unitates eodem spiritu ad invicem concatenentur: Sic etiam in numeris sphericis nominis ineffabilis duplex ה He conjungit in primo progressu ex parte dextra Patrem Jod cum Filio Vau, & in fine versus sinistram iterum rejunxit in circulum ultimum emanationis punctum cum sua radice Jod יהוה sic ה, ה. Hic ergo Jod denotat Aleph tenebrosum elucescens, cujus emanatio est Vau; quod quidem concatenatur duplici modo cum י Jod per ה He. Atque ita tres Patres habemus, respectu procreationis mundi; quorum unius est creare potentiam per sapientiam mediante nexu amoris ignei; alterius est informare potentiam virtute lucis Sapientię, mediante nexu amoris ignei; Et tertij est creationem ac formationem unire suo glutine igneo. At vero hi tres respectu ordinis emanationis eorum ante mundi originem, hoc est, ab æterno Pater Filius, & Spiritus Sanctus nuncupantur, qui sunt primus atque simplicissimus numerus, perfectus, unique Deo solummodo attributus; qui in se ductus ceteros digitos seu numeros minus simplices parit, videlicet 4. 5. 6. 7. 8. 9. hoc est numerum ternarium secundi ordinis 4. 5. 6. & iterum numerum ternarium tertij ordinis, nimirum 7. 8. 9. ita ut sint 3. 3. cum Aleph, quę respondent mensurę ideę divinę, ad quorum dimensiones Sephirothę describuntur, in quarum centro nomina divina eas gubernantia exprimuntur. Unde hic observare debemus, quod, ut in primo numero ternario tres sunt numeri seu personę principes, ita etiam gradatim descendendo per omnia intervalla mundi idealis, in proportionem ternaria constituti, quilibet horum trium priorum numerorum influit & dominium habet magis proprium in numerum ternarium ei magis relatum; Verbi gratia in priori 3. sunt 1. 2. 3. qui principes summi dicti sunt; In secundo 3. sunt 4. 5. 6. Et in tertio 3. sunt 7. 8. 9. Dicimus ergo, quod 1. princeps maxime in sua proprietate respiciat 4. & 7. Et 2. princeps relationem ex suo loco & officio habet in

5. & 8. Atque 3. princeps influxus suos proprios in 6. & 9. infundit: Similiter in secundo ordine 4. respicit 7. & 5. 8. ac 6. 9. Et procul dubio in hoc consistit magnum mysterium in cognitione adaptationis genuinæ nominum Dei, & naturalium Angelorum, cujusq; ordinis & dispositionis influxuum à Sephirothis descendendum; quæ omnia sic breviter collegimus: 1. in Cheter respicit per Ordinem Seraphim 4. id est ordinem Dominationum, & per eum transit in 7. videlicet in ordinem Virtutum ac per eum in primum mobile, & per illud in spheram Jovis, ac per eam in spheram Veneris, & per eam in spheram ignis atque per eam in illam infimæ regionis aeris, ac per eam tandem in compositum primi generis, hoc est, in regnum animale: Et licet necesse sit, quod ejus influxus transeat per omnes reliquas spheras, attamen in his proprium habet persona patris dominium, quoniam sunt primæ triplicitatum cujuslibet mundi regionis spheræ Patri correspondentes: Hinc enim ejus influxus à Seraphim in Dominationes ipsum ostendit Dominum Dominorum, & primum rerum creatarum Imperatorem, unde Adonai: in Virtutibus docet ipsum mysteriorum, miraculorum, virtutum naturalium & moralium Patrem; in primo mobili motus atque vitæ originem, omniumque Patrem; in spherâ Jovis benevolentiam, justitiam, & vitæ amicum, ac amorem erga creatura, ut Patrem erga filios; in Venere, humidi nativi tutorem, lætitiæ & harmoniæ ac amoris universalis genitorem; in igne fotorem & quod, ut ignis est supremum ex tribus elementis, sic etiam & Pater sit primus ex tribus personis sanctæ Trinitatis; in aere inferiori, in quo vitam haurimus & tanquam à Patre summa cum clementia nutrimur, & in animali regno, cujus caput est homo quatenus est Dominus in omnes alias creaturas: Similiter etiam ratione 2. impluit virtutes suas ab Hochma per Cherubin in 5. seu ordinem Potestatum, & in 8. seu ordinem Archangelorum, & ab eo in cælum stellatum; ac exinde in spheram Martis; tum postea in spheram Mercurij; inde in superiorem aeris regionem, ac deinceps in aquam dulcem, atque tandem in vegetabilia. Denique 3. infundit proprietatem suam per ordinem Thronorum in 6. id est, in Principatus, & deinde ab eo ordine in 9. seu illum Angelorum, atque tum ulterius in spheram Saturni, Solis, Lunæ, mediæ aeris regionis, Maris, ac ultimo in regnum minerale: Atque hoc ex proprietate & officio; quamvis alias certum sit, quod omnes simul, quatenus utrius sunt essentia & unus Deus, in omnibus operentur.

Hujus autem ordinis veritatem nobis explicare videtur Abraham in libro *Iezirah* in tribus illis vocabulis Hebraicis tum mundi regionis, tum etiam Hierarchiarum ordines in numero ternario delineantibus: Nam, inquit ille, *Dominus Ichovah, Deus Zebaoth sive exercituum, Deus Unus, Deus Omnipotens &c. cujus nomen sanctum est, creavit mundum suum, אֶת עוֹלָם כְּסֵפֶר סֵפֶר*, id est, *Numerans, Numerus, Numeratum* (ubi sunt 10. elementa) *sunt 10. Sephiroth Belimah*, hoc est silentij; Ubi Sephirotharum naturas Arithmetice non Geometricè descripsit; quatenus numerus est primaria veritatis apprehensio, imo vero & ipsius Geometriæ principium; Per numerans, numerum, & numeratum expressit Cabalista hic non modo naturam & dimensionem mundi creati, sed etiam mundi idealis, à cujus sinu virtus infunditur in hylam obscuram ad fabricandum seu inducendum actum ex potentia: Nam in mundo ideali per numerans intelligit naturam divinam, secundum cujus triplicem proprietatem tres Sephirothæ superiores & magis principales ordinantur, quarum dispositione numerus 9. eum unitate completur multiplicando 3. in se; atque dimensio illo numero divisa dicitur Numeratum. Similiter ad imaginem illius mundi idealis seu in abstracto conflatu est mundus realis seu in creato: Unde, quia mundus idealis repletur attributis Dei, & gloria ejus condecoratur, ideo dicitur mundus fabricatus ad imaginem Dei. In mundo ergo ideali tres sunt Triplicitatum ordines, tribus illis cæli superioris correspondentes: Sic in mundo tres sunt regiones, quæ cæli dicuntur; Empyreum nempe, Aethereum & Elementare: Numerans ergo refertur ad Patrem: Nam numerus (inquit Sapiens) erat principale in animo conditoris exemplar condendorum procul dubio; Unde ipse pater erat numerator: Verus autem numerus in creatione erat Sapiencia, cuncta sua extensione atque emanatione ac tandem informatione numerans, quatenus numerus est actus numerantis; Et Numeratum attribuitur Spiritui Sancto, quatenus omnia informata virtutes suas accipiunt à Spiritu ab ore Terragrammati.

Proprietas ergo Patris erat in decreto, quatenus extra omnia; Filij in actu, quatenus intra omnia; & Spiritus Sancti in nexu decreti seu potentia cum actu, quatenus per omnia, harmoniam aptam cuilibet mundi compagini distribuens: Principium est Pater, & sedes ejus in fastigio cæli cælorum; Medium est Filius, & tabernaculum posuit in sole; Finis est Spiritus Sanctus, qui replevit orbem terrarum: Et tamen quilibet horum operatur in quolibet mundi loco; quippe qui essentia ab invicem non dividuntur: Unde Pater est spiritus, Filius est spiritus, & Spiritus Sanctus est spiritus; atque tamen omnes non sunt nisi unicus Deus, qui est Spiritus extra omnia, in Esoph seu infinitudine habitans, & intra omnia cooperans: Nam hic est *Spiritus* iuxta Sapientem *Sapient. 1. qui continet omnia*. Sed & hoc idem optime demonstratur per verba Hebraica superius adducta; Hæc enim licet tria sint numero, attamen Samech patri reatum inest pariter in primo, & in secundo, atque in tertio: Similiter Phe, Filio attributum, reperitur in primo, in secundo & in tertio: Denique Resh, Spiritui Sancto proprium, itidem in primo secundo, ac tertio invenitur: Unde denotatur, quod

Patris proprietates operetur cum proprietate Filij, atque ambæ istæ cum proprietate Spiritus Sancti. Hæc ergo vocabularia ex 10. constant literis, Sefhirothis 10. correspondentibus 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Ubi videmus quod Samech teneat locos 1. 4. 7. Et Phe sibi vendicat 2. 5. 8. Resh autem possidet 3. 6. 9. juxta illam proportionem, quam *supra* explicavimus de locis mundi personis Trinitatis ratione officiorum magis accommodatis: Unde, si in Sefhirothis Ehieh seu Pater detur Cheter, Coronæ, & 7. Jah seu Filius Hochmah, Sapientiæ, ac Elohim Spiritus Sanctus, Binah intelligentiæ, Ehieh correspondens Seraphin respicit Dominationum ordinem, qui est quartus gradus, & ordinem Virtutum, qui est septimus; & sic in cæteris, uti dictum est. At vero 1. Vau in supradictis arguit novem Hierarchiarum ordines, & connexionem eorum ad animam mundi visibilis, quæ est in decimo loco: quamvis animi mei sententia est propter rationes à me allegatas, quod chorus angelorum in numero denario habeatur, videlicet, 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. quatenus creatus est eorum locus, quemadmodum & ipsi creaturæ sunt: At vero 10. nominibus divinis numerum simplicem denarium attribuimus, hoc est, digitos illos, qui multiplicatione primi numeri perfectissimi & divinissimi in se producantur, & partem mundi creaturæque ejusdem primæ ac simplicioris compositionis articulis primi ordinis, partem autem mundi mediam & creaturæ ejusdem quadrato radice denarii, videlicet centenatio numero, & infimam mundi regionem cum ejus creaturis Cubo denarii seu nullenatio; de quibus in Numeris divinis, ubi de triplici pyramide mentionem fecimus, verba copiosiora & sermonem uberiores habuimus. Atque hic notari velim, quod quicquid de mundo & ejus partibus à nobis dictum est, illud etiam omne, & vel præcipue de Homine, tam ideali quam materiali sit intelligendum. Nam intentio libri Abrahæ *de Ietzirah* eo spectat, ut in homine ipso per 10. Sefhirotharum cognitionem summa noscatur mentis divinitus inditæ operatio; qua percipiet scientificus, quomodo omnia in mente humana eam immortalitatem assequantur, ad quam Deus illa condidit: Et ad hoc conducit etiam vera literarum 22. hebraicarum scientia: Unde invenimus in *lib. Ietzirah*, quod duabus & triginta vijs admirandis Sapientiæ Dominus Jehovah creaverit mundum suum, videlicet 10. Sefhirothis Belimah, quæ sunt quasi numerantes quatenus nomina Dei important & 22. literis, quæ sunt quasi numeri prolati à verbo, seu sapientia, seu emanatione facta à patre: Quæ quidem dimensiones simul additæ faciunt 32. quibus mundus tam major quam minor creatus est; unde numeratum elicimus.

Habemus ergo in mundo Ehieh prædominans Cheter pro prima Sefhirotha; & 7. Jah seu Tetragrammaton יהוה Jehovah præpositum Hochmah pro secunda; Et Elohim, quod nomen Dei præest Binah seu intelligentiæ, pro tertia Sefhirotha: Et in homine habemus inspiratorem seu Mentem primam pro prima Sefhirotha, qui est Ehieh Pater; Et pro secunda Sefhiroth ipsam Mentem secundam pro Verbo acceptam, seu emanationem à Patre Ehieh, quæ est spiraculum vitæ ipsius spiratotis; ac tandem pro tertia Sefhirotha habemus intellectum à spiratore & spiraculo exilientem, qui Spiritui Sancto refertur. Atque hac via tres hominis idealis Sefhirothas produximus, quarum præsidentes sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus divinæ Trinitatis: Ab illis igitur ad 7. Sefhirothas inferiores & minus principales descendemus, quæ sunt, Ratio, Memoria, Cogitatio, Phantasia, Sensus exterior, Sensus interior, & Voluntas. Quod autem ad rationem attinet, est illa Dei donum, à Sefhirotha Chesed deorsum in hominem solum effusum, quo juxta illud *Genes. 1. 26. & 28.* Homo dominium habet in pisces maris, & volatilia cæli, ac jumenta universa terræ, & in omnia reptilia ejus: Nam virtute illius timor hominis est super omnes bestias terræ ordinatione divina, ac super volatilia cæli, & omnes pisces maris; quæ omnia, etiam animalia, tradidit Deus in manus hominum: *Quodlibet reptile, quicquid est vivum vobis esto ad comedendum; tanquam viridem herbam dedi vobis omnia, Gen. 9. 4. 2.*

Hinc est, quod, ut Sefhiroth Chesed influit per ordinem Dominationum in inferiora, sic etiam Ratio in hominibus imprimat hominum dominationis actum in omnia viventia; Et, ut nomen El præsidet Sefhirothæ Chesed, arguens clementiam, gratiam & bonitatem, (Unde etiam El est nomen Dei à proprietate semper arguens clementiam & misericordiam) ita quoque virtus hujus nominis divini misericordia pleni in rationem humanam operans, eam in hominis externi massam per afflatum suum divinum immisit, qua hominem condidit ad imaginem suam; eademque, ut ipse Deus est Deus cælestis & immortalis, universa creata suo dominio subiciens, sic hominem suo afflatu fecit Deum terrestrem, sed mortalem, in omnes creaturas inferiores dominationem atque regimen habentem. Et mirabile quidem est consideratu, quod homo, exiguum quidem animal, naturali munitione quasi destitutum, utpote cui nec ungues nec dentes contra animalia truculenta præsidium & tutamen afferre aut præstare possunt, rationis tamen auxilio & munimento ipsas bestias ferocissimas tum fugare tum trucidare valeat. In hoc ipso ergo unum clementiæ & præsentis virtutis El signum, quod scilicet Deus homini in hac proprietate ad corporis seu externi ejus tutamentum adit, apparet; alterum vero in eo, quod virtute hujus Sefhirothæ homines elevantur contemplatione ad divina & sacrosancta speculanda, & cum suo creatore familiaritatem tantam ha-

endum, ut etiam pro filio ejus adoptivo æstimetur: Hinc enim salus, præsidium atque tutamentum animæ seu hominis interni ab ultorum spiritualium violentijs; hinc humanæ æternitatis fons ac origo.

Ex his ergo sat liquido constat, quomodo superiora agant spiritualiter in inferiora, tam in homine, quam in mundo: Agit enim El à Chesed Rationis per ordinem Dominationum in spheram Jovis, hoc est, in vitæ humanæ naturam, quæ est in media regione Microcosmi: quemadmodum E-hieh, Mens prima, seu Aleph obicium, seu Pater per Seraphin, hoc est, amore divino in voluntatem, quæ est Microcosmi primum mobile, à Cheter, hoc est, à sede suæ unitatis: Similiter 7^a Mens secunda vim suam infundit in Hochmah per Cherubin, hoc est, multitudinem sapientiæ ac scientiæ, in vitæ spheram & Zodiacum circulum ejus, qui ideo Zodiacus à ζωὴ, id est Animal, dicitur; quatenus est vitæ origo, radios atque influxus suos in Planetas assidue infundens: Hinc dicitur, quod in Sapientia seu Verbo sit vita: Estque hæc sphaera fons actionis naturalis ut Mens actionis supernaturalis; Unde dicitur Actio: Virtutem ergo hujus secum rapit mens hominis, quæ Verbo & Sapientiæ comparatur; quæ quatenus est spiraculum illud vitæ à prima Mente seu spiratore in hominem infusum, ideoque 7^a, quod est etiam nomen divinum clementiæ & misericordiæ, ei adaptatur.

Porro etiam influxus Intellectus seu tertiæ Sefhiroth est in spheram Saturni: Unde Melancholici dicuntur intelligentiores & prudentiores cæteris; atque hinc anima habet vim suam receptivam. Sed, ut ad quintam Sefhiroth jam descendamus, quæ est Memoria, est hæc quasi promtuarium ac veluti centrum cæterarum Sefhirotharum, in quo omnes effigies impressionum tam ascendentium à Malchut seu voluntate per sensum, quam à Deo & Mente descendentium tanquam in sacrario retinentur: Est enim legis imago, quæ tenenda & observanda est, ne punitio sequatur: Unde huic Gheburah attribuitur, quod denotat potestatem, vim, punitionem. Nomen Dei huic præsidens est Elohim, quo creata sunt omnia & in mundo conservata, uti omnia ab intellectu & sensu producta in Memoria conservantur & continuantur ac veluti sigillo in ceram imprimuntur: Sic quoque Mens formam non modo hominibus, sed etiam omnibus mundi creaturis impressit suo sigillo Emet, id est Veritate. Ejus influxus sunt per ordinem Potestatum in spheras Saturni & Martis, quæ vim habent retentivam: Sed, quia frigus est oblivionis occasio, ideo in spheram Martis cadunt ejus influxus, qui severitatem etiam denotat in legum violatores ac contemptores.

Virtus cogitativa seu æstimativa sextum ramum possidet, in quo sunt decor & pulchritudo ac delitiæ ea cogitandi in medio, quæ in cælo humano & ejus terra oculis cogitationis obijciuntur: Hinc raptus & extasis origo; hinc jucundæ meditationes & delitiæ corporis, si hominis externa seu carnis voluptates respiciamus; hinc pulchritudo mentis & ejus diversorum ætatis speculatur, si ei adhæreat, cogitatio: Regnat ergo cogitatio in medullis hujus arboris Sefhirothicæ, ut Sol in mundo, qui tam superiora quam inferiora eodem quidem oculo respicit, oriturque super bonos & malos: Sic enim cogitatio etiam veritatur tam circa bonum quam malum; & tamen utraque ei pulchra videntur, nisi ut violentia & passio in anima cogitante: Hinc cogitativa hæc facultas est planta Tiphereth in hac arbore humana, cui præest nomen Tetragrammaton, & est quasi truncus totius arboris, quoniam se extendit à mente ad ultimam plantam voluntatis: Transit autem ejus fluxus per ordinem virtutum, hoc est, per quatuor Cardinales virtutes, quamvis aliquando falsâ ratione ducta soleat vitia pro virtutibus habere aut æstimare. Post virtutem cogitativam Phantasia deorsum tendit, quæ magis familiaris est rebus sensibilibus, quam intellectui & sapientiæ subjectis: Unde realium & sensibilibus impressiones seu imagines mere accidentales ut plimum in se recipit, estque sensuum imitator, non aliter, quam simia naturæ: Obijcit ergo jucunda sensuum tanquam per speculum Sefhirothis superioribus; imo vero nonnunquam rationem suis visionibus decipit; Unde in Venerem, hoc est, in facultatem concupiscibilem reflexiones suas phantasticas projicit; Est etiam quasi signifer ac trophæum rerum à sensu gestarum; unde assimilatur Sefhiroth Netzeth. Sensus interior seu communis est octava Sefhiroth; cui, tanquam principi fit oblatio cujuslibet sensus exterioris: Unde ejus nomen potest esse Hod, id est, Honor, laus: Hæc per ordinem Archangelorum influit, quia est nuncius princeps, qui ideas rerum sensibilibus animæ obijcit. Nona Sefhiroth est Jesod, quæ in homine est sensus exterior; Ideo sensus hic est quali basis & fundamentum sensibilibus, quæ intellectui obijciuntur, estque veritatis nuncius ordinis inferioris: Unde ejus influxus sui sum tendentes sunt per ordines Angelorum, qui sunt mentis nuncij gradus inferioris: Sic dicitur à Philosophis, quod *nihil sit in intellectu quin prius fuerit in sensu.*

Denique infimus totius arboris humanæ ramus est Voluntas; quæ est omnium aliorum arboris Sefhirothicæ ramorum in homine effectus: Hæc autem regno, imperio, seu nomini Malchuth non inepte assimilatur; quippe cujus dispositione omnes actiones totius Microcosmi disponuntur, sive sint ad bonum, sive ad malum: Quare haud infulse comparatur primo mobili mundi majoris,

eo quod ad suum natum movet & rapit omnes sphaeras inferiores ab ortu in occasum. Et quidem voluntas, quæ est imago rami Malchuth in arbore Sephirotharum, semper tendit ad bonum, licet ob Adæ lapsum sæpicule decipiatur, & bonum quandoque putet illud, quod revera non est tale: Semper enim in se ad mentis bonum tendit, quæ vias & semitas voluntati non aliter delineare solet, quam lumen oculo: Non tamen urget Mens voluntatem contra ejus appetitum, sed manet ea suæ operationis Domina: Unde hæc pro libero arbitrio accipitur, quod, licet ad bonum, tanquam ad æquatum sibi subjectum, incitetur, aliquando tamen occæcato errore & tenebroso sui velamenti præstigijs, vique animali impellente malum eligit, credens id esse bonum: Arque hinc orta est hæc ejus definitio, videlicet, quod liberum arbitrium sit facultas intellectus & voluntatis, quæ bonum eligitur gratia assistente, & malum ea deferente: Ipsa namque gratia, quam charitatem live amorem vocant Theologi, est in voluntate, tanquam primum movens: Unde Mentem, in qua est gratia & amor divinus, radicem arboris fecimus, à qua boni influxus fiunt ad voluntatem seu Malchuth: Absente ergo gratia universus animæ consensus labitur in dissonantiam. Nec tamen credendum est, quod boni influxus ullo tempore à voluntate abint; non magis, quam à primo mobili mundi majoris: Nam Malchuth repletur omnibus bonis influxibus à superiori radice & ramis; sed dicitur præscindi à suo trunco quoad nos; quia raro & non nisi influente Mentis gratia bonum à radice Cheter accipimus; id quod propter Adæ prævaricationem ejus posteris accidit. Arque hoc dixerunt Cabalistsæ, videlicet, quod peccatum Adæ fuerit truncatio Regni à cæteris plantis, quando per curiositatem voluit gustare arborem boni & mali contra mandatum Dei: Quare Malchuth seu regnum, quod est arbor vitæ, & ultima influentia divina, de decem Sephiroth arboris inversæ fuit per prævaricationem Adæ separatum & dilaceratum ac avulsam ab alijs plantis; hoc est ejus descensus de justitia originali, à qua fuit formatum: Hinc dicit Cabalista Archangelus; *Deus Tetragrammaton, tanquam princeps gloria, Sephirotha, ne in Adam prævaricatorem bonum influeret præcepit*, et jam ipsa Malchuth boni influxus plena extet, quod & semper accidit: Unde hæc Sephirotha dicitur vacua bonis influxibus quoad nos, adeoque nobis videtur à cæteris plantis præcisa: Et hinc dicitur, quod ultima planta sit truncata: Namque, ut ante lapsum Adæ justitia creationis omne bonum assidue in Adam influerebat; ita post ejus prævaricationem nullum bonum, nisi assistente gratia per Malchuth in hominem transit.

Videmus ergo Cabalistarum intentionem de ratione bonorum & malorum influxuum in hominem, quibus omne suave amaritudine miscetur, omne salubre veneno intoxicatur, voluntas, cui à creatione datum est bonos solummodo influxus sapere, jam incia malo inficitur, illudque infundit in actiones humanas, ac si esset bonum, atque ita tam mali quam boni particeps redditur. Voluntas ergo est dux atque gubernator sensuum, estque basis ac fundamentum superioris Microcosmi regionis, quæ est caput; & per consequens dux spiritualis facultatis animalis, quæ in capite regnat: Unde fit, quod actiones hujus facultatis voluntariæ dicuntur, quando illæ regionum inferiorum, videlicet vitalis in media, & naturalis in infima, dicuntur involuntariæ; quemadmodum motus primi mobilis est quasi voluntarius actus mentis superioris; atque sphaeræ omnes inferiores, quæ ab eo moventur, involuntarie & vi movere dicuntur: Unde & respectu illius dicitur hic motus raptus atque violentus. Voluntate ergo, tanquam actu primi mobilis, movetur facultas vitæ in corde, & illa naturæ in hepate; quarum vibratione & agitatione deinceps universus movetur & incitatur homo.

Hæc ergo sunt Microcosmi Sephirothæ 10. quæ virtute nominum divinatorum per hominis Hierarchiarum ordines in ejus sphaeras cœlestes & elementa inferiora influunt atque impluunt virtutes suas; idque gratia & non justitia: Quibus recte intellectis nominibusque eorum bene applicatis mirabilia præstare haud dubie potest homo, uti Adam in diebus integritatis suæ; quippe quæ & hodierno die sine omni hæsitacione annuente gratia præstari posse statuendum est.

C A P. VIII.

Quomodo animæ in homines à Sephirothis mundanis descendant, secundum Cabalistarum intentiones?

Est ergo cœlum ideale & in abstracto stellarum, (sic Tephireth dicitur Sol Archetypi) estque cœlum stellatum reale, & in concreto; cujus quidem orbis & corpus stellare virtutem accipit ab influxu à Sephirotha suam sphaeram respiciente: Zodiacus autem idealis gubernatur à vitæ authore, videlicet à Verbo, in quo erat vita ab origine: Is enim convertit sua manu rotam illam idealem, ut influxus suos multiformes emittat in Zodiacum & cœlum stellatum realiter sibi

suppositum; quod quidem est inftar recipientis à recipiendos influxus deorsum à Sephirothi procedentes; & sic in cæteris. Quarum quidem Sephirotharum naturis, influxibus, & proprietatibus bene consideratis cum sphaerarum conditione, in quas influunt, non est adeo difficile, ut mihi videtur, de fonte animarum, h. e. regno & sede, quam animæ originaliter possident, & unde tanquam ex patria sua propria in corpora descendunt, differere. Vario modo de vero animarum ortu seu origine scripserunt Authores varij. Nam Hebræi ex reconditissimis suis arcanis, animam ex magno nomine Dei quatuor litterarum יהוה Jehovah procedere asserunt: Quam quidem opinionem & nos in præcedenti Portione argumentis firmissimis stataminavimus; ubi virtutem Tetragrammati esse mundi universalis, & cujuslibet creaturæ ejusdem animam ac vitam demonstravimus. Porro etiam hominis animam à virtute nominis Sephirothæ secundæ præsentis, videlicet Jehovah & יהוה provenire dicimus, quatenus, teste D. Joanne, *in Verbo erat vita, & illa vita erat lux hominum*: Atque hoc Verbum in Genesi vocatur *Spiraculum vitæ*. Alij putant, humanam animam profluxisse à Trinitate, & præcipue à Spiritu Sancto, quoad essentiam suam, & quod deinde migrarit deorsum in Geburah.

Ratio autem eorum est, quia dicitur à Moysè, *Et inspiravit in nares ejus spiraculum vitæ*: At vero spirare est de officio Spiritus: Huic etiam opinioni astipulari videtur Origenes, cujus est sententia, quod Spiritus Sanctus det omnibus vitam. Nec huic quidem adversatur ille Psalmistæ Regij locus qui dicit, quod *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*. Cum enim anima sit rei forma eaque sit virtus rei, sequitur, quod cujuslibet creaturæ anima sit à Spiritu Sancto. Sed huic opinioni respondemus, quod, ut Spiritus à Patre & Verbo promanabat, Verbum autem omnem habuit à Patre potestatem in cælo & in terra, ita (inquam) dicimus, quod omnis animæ profluat à Verbo, in quo est vita, mediante Spiritu Sancto. Cabalists, qui de hoc subjecto tractaverunt, asseveranter concludunt, quod magnus Aquilo sit fons animarum; asseruntque quod sint 10. fontes divini, secundum numerum 10. Sephirotharum sive dimensionum; inter quos unus allegatur, qui Gheburah sive aquilo nuncupatur, & est secundum eos fons omnium animarum ac vitarum: Concludunt enim ex Avicennæ sententia, quod omnes animæ veniant à datore formarum, hoc est, à Gheburah proprietate aquilonari, quæ favet Aegyptijs. Sed hæc eorum opinio nobis probabilitatem asserre nequit, quatenus exinde sequeretur, omnes animas influere in Sphæram Martis per ordinem Potestatum, quemadmodum influxus suos mittit Gheburah, quæ est quinta Sephirotha mundi Archetypi seu idealis; Et per consequens omnes animæ essent ejusdem naturæ ac conditionis, nec differerent inter se homines unus ab alio: Quod quidem irregulare esse & non verisimile docent nos hæc sequentes rationes: Primo nimirum patet, quod angeli non sint in eodem gradu perfectionis, & consequenter nec animæ: Unde liquet, quod una anima sit altera perfectior: Nec quidem accidentibus differunt, sed & gradibus quibusdam internis in ipsarum essentia radicatis; quibus ut quælibet anima distincta proportionem differat ab alia commune est. Non enim credendum est, quod anima Christi & multorum electorum virorum sit nobilitate animæ illi Judææ qualis, aut quod G. uli animam Moylis, Salomonis, Platoni & Pythagoræ exæquet. Sed & Sapiens hoc ipsum verbis expressis significare videtur, quæ sunt hujusmodi; *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, meliorem videlicet, quam sunt multorum aliorum animæ: Quare concludit Archangelus Cabalists; Tanta est distantia unius animæ ab altera in sapientia, bonitate, robore, viribus, dispositione ad diversa, ut non videam, quomodo possint animæ sortita esse gradum æqualem*: Et hi gradus sunt quasi talenta in parabola à Christo citata, quorum uni duo data sunt, alteri tria, & tertio quatuor; hoc est, cuiuslibet virtus secundum propriam virtutem concessa est: Atque hæc virtus est vis quædam certo gradu terminata, secundum quam est capax sui muneris, & illud suscipit. Hujus autem animarum varietatis ratio est hujusmodi: Etiam si in superioribus animas à Trinitate, hoc est, à proprietate nominum trium superiorum Sephirotharum profluxisse dixerimus, attamen hujusmodi animarum influentia à Patre, Filio, & Spiritu, magis ordinatione operantur, quatenus Sephirothi principibus præsunt: Unde actiones earum sunt primariæ & voluntariæ, reliquæ vero septem Sephirothæ inferiores, quæ sunt minus principales, sunt quasi voluntatis superiorum principum executores: Unde proponunt superiores, exponunt vero inferiores. Hinc est, quod in superioribus diximus, Echieh in Cheter, hoc est 1. seu Patrem infundere voluntatem per 4. & 7. locum in sphaeras Planetarias reales, videlicet per ordines Dominationum & Virtutum. Quare in proprietate Patris Echieh, cui Filius & Spiritus assistit in ejus influxu, anima in suo descensu sumit immediatam naturam & proprietatem medij, per quod immediate inspiratur à Patre; Et proinde, si primum à luce suprema transeat per regionem ordinis Seraphin, tunc secundum dispositionem suam, quam accepit ab intelligentijs Seraphicis, Seraphica efficietur talis anima, & semper, dum in corpore erit, respectum habebit ad mansiones Seraphicas: Unde ignei intellectus & charitatis, simulque amoris Dei dono locupletata erit: Si vero per locum 4. videlicet per Dominationes transierit, de amoris proximi instinctu, & de excellentia in virtute ac dominio participabit;

pabit; Denique si per septimum orbem seu Virtutum regionem migraverit, rationem amplectetur eamque illuminatione & miraculis illustrabit virtus Echie: Nam, quemadmodum videmus; quod virtus visionis oculi solet induere proprietatem seu colorem diaphani medij, sive sit unifornum & rubrum, sive aqua crocea & flava sive cærulea, ut cælum & Sapphirus, cui obijcitur, sic etiam modo eodem influentiæ seu animarum scintillæ creatæ à lucis increatæ fonte emanantes induunt naturam medij per quod transeunt: Ab ordinibus enim Angelorum animæ intellectualis rationis conditionem sumunt; Et semper Mens est animæ humanæ portio suprema, quæ in suo descensu multa vestimenta cum eorum qualitatibus induit, quemadmodum latius *Tract. 1. Sectio. 1. lib. 4. cap. 3. & 4. Historia Physica Microcosmi*, tam rationibus quam demonstrationibus explicatur: In cælo medio dispositionem vitæ necessariam sibi rapit. Hinc anima influens à Cheter per Seraphim in primum mobile, natum reddit voluntatis fortis & opinionis constantis in conditione sua Seraphicæ; per Dominationes in Jovem, virtutem naturalem reddit bonam; dabitque corporis sui exaltationem, similiterque conferet vires agendi & practicandi; Si per Virtutes in Venerem labitur, vim concupiscibilem confortat, datque denderij motum, hilarem reddit animam bene dispositam, societate ac Musica gaudentem.

Porro etiam, si infunditur animâ à proprietate secundæ personæ, videlicet 7^o in Hochmah, per 2. hoc est, Cherubicas intelligentias, contrahet sibi splendorem scientiæ, ejusque intentio (tametsi corpori opaco incluse) erit ut plurimum in istam regionem exaltata; sapientia, ergo per immediatum transitum in hoc medium gaudebit: Si per 5. id est per Principatus, ratione pollebit, & moribus atque superio. um reverentia cæteros superabit & antecellet. Quod autem ad vitæ portionem attinet, varia erit illa secundum varietatem complexionum domuum Martis vel Mercurij realium, per quorum cubra ista anima influit: Nam transiens per ordinem Cherubin in sphæram octavam reddet animam vitalem agilem & activam; per ordinem Principatum in Martem, auctam habebit vim irascibilem, & animositatis ardorem in bello denotat: Si vero per ordinem Archangelorum (à quo anima suprema imaginationem sibi rapit fortem) deorsum labatur in sphæram Mercurij, vi phantastica proba fruetur, ingenijque acuminis & scientiarum amore ornabitur, simulque ibi inveniet vigorem interpretandi, pronunciandi & penetrandi. Atque hic notandum est, quod Filius seu Sapientia agat ordinatione Patris mediante Spiritu. Denique Spiritus Sanctus Elohim emittit à Binah suas proprias scintillas humanas aut per ordinem Thronorum, (quæ quidem ibi induunt spiritum justitiæ atque judicij, & descendunt ab eo in ætheream regionem in sphæram Saturni, in qua gravitatem, constantiam, & prudentiam quoad moralitatem, & vim receptivam atque retentivam quoad Physicam dispositionem acquirunt) aut per Potestates, ubi ejus quoque conditionis portionem rapiunt, videlicet fortitudinem ad debellandos malignos spiritus in pugna spirituali; & deinde transeunt in regium Solis tabernaculum, in quo vitæ plenitudinem, imaginationem sciendi; & opinandi naturam itemque animositatem obtinent, quatenus ejus angelus Michael victoria est positus contra Principem tenebrarum, ac Apollo contra Pythonem; & consequenter animam etiam in pugna corporali fortem ac animosam reddit, uti Martis natura facit suam animam audacem: Denique per angelorum chorum transilientes obedientiam & bonum sensum ibi inveniunt; quibus dotibus descendunt in sphæram Lunæ, ubi vim generativam & vegetativam, adeoque facultatem tam decrescendi quam crescendi nanciscuntur: Atque tandem cum his naturis deorsum tendunt in naturam aeream, tanquam in ultimum suum curriculum; atque ita in corpus cum aereo suo tegumento penetrant, vel potius in spermata, quod fere est nihil aliud, quam ultimum animæ descendentiæ vestimentum diaphanum.

Ex his igitur sat liquido constare videtur, quod animæ tam dotibus supernaturalibus, tum ijs, quas in ideali Sefhirotharum serie habuerunt, tum hisce, quas in descensu suo ab ordinibus intelligentiarum acceperunt, quam ipsius etiam mundi cælestis & naturalis fruitione, qua naturæ vitalis necessaria subsidia eis conferuntur; exerte inter se differe atque discrepare observentur; hocque secundum Creatoris voluntatem, juxta illud Apostoli; *Ille, qui idem manet, dividit singulis prout vult*. Similiter stellæ fixæ vires suas uniunt cum illis Planetarum secundum triplicitates suas, influxusque suos assidue impluunt in inferiora cum Planetis: Unde quodlibet Zodiaci signum aut loco domus, detrimenti, exaltationis, triplicitatis, sexus, aut particula ejusdem, & sic quoque gradus, facies, terminus ac hujusmodi alia magis huic, quam illi Planetæ propria sunt, quemadmodum in particula nostra de Astrologia perspicue explicatum est.

Porro etiam ex his intelligere licet, quod Zodiacus visibilis seu circulus sphære octavæ deauratus, stellisque varijs undique implicatus suum habeat Zodiacum idealem atque invisibilem, per centrum Sefhirothæ Hochma transeuntem, cujus rex, gubernator atque princeps est 7^o Jah, seu Tetragrammati virtus, seu Verbum, seu Messias, seu mundi tam idealis quam realis anima; idealis quatenus animâ splendidam Zodiaco invisibili dat; Unde Zodiacus dicitur à vita: Hæc itidē sphæra in visibile Zodiacum in cælo octavo vitam secundariâ per ordines Cherubin impluit: Unde invenimus 12. animalia, signorum visibilibus, influentijs efformata hic in terra, q̄ natura & qualitate eū illis

convenire percipiuntur, ut Aries cœlestis cum ariete terrestri, Taurus cum tauro, Gemini cum geminis, Cancer cum cancro &c. Et sane tum Astrologi, tum etiam & Philosophi & Theologi nonnulli Christiani mirabilia scripserunt de comparatione Zodiaci superioris seu idealis cum inferiori, & de miraculosis eventibus, qui ab eorum variatione evenire solent: Quod quidem accidere necesse est, quatenus, motus illius supercœlestis est tardior, quam ille cœlestis. Dicunt ergo, quod varij in mundo producantur effectus propter diversas operationes partium unius Zodiaci in alias, videlicet Zodiaci invisibilis in visibilem; id quidem quod accidere non potuit nisi motus superioris à motu inferioris disceperet; Nam in primordio mundi primus Arietis gradus in Zodiaco invisibili primum illum Arietis visibilis superabat; atque ideo propter influxuum concordiam dixerunt, Ætatem illam fuisse auream, quatenus in ea idem elementum suum simile contrarijs actionibus non invaluit: Atque hæc est ratio, quod ætas ista cum Paradiso suam habuit originem: Rationem autem ejus rei hanc assignant, quod observaverunt, Zodiacum invisibilem singulis 200. annis per gradum unum cur. 28. minutis movisse, & per consequens revolutionem ejus compleri annis 49000. Quod tempus annum Platonicum vocaverunt, utpote quo peracto omnia ad eundem statum suum pristinum reditura dixerunt. Sed missa istæ faciendò concludimus, quod, ut Hochma influit ab invisibili suo Zodiaco in Zodiacum visibilem, ita quoque septem inferiores Sephirothæ respondeant septem Planetis, spheræque in se Planetarias ideales atque invisibiles contineant; quarum quælibet in spheram realem ac ejus stellam visibilem infundit suam proprietatem: Atque, ut virtus vitalis prius influxit in Planetas à Zodiaco, quam ipsi aliquam vitæ virtutem habuerunt; sic etiam animæ esse suam essentia ac intellectualem receperunt à Zodiaco invisibili antequam natura Zodiaci visibilis fuerint vestitæ: Et, quemadmodum virtutis vitæ influxus fuit de Zodiaco visibili in Planetas; sic etiam animæ effunduntur de Hochma in inferiores Sephirotas per orbem intelligentiarum, priusquam ad spheram stellatam penetrant; Unde dicitur à Cabalisticis, quod Deus infundat animam, quæ per Solem superiorem Tiphereth transit, & ejus influxum imbibit, ac se induit ea proprietate Solis Tiphereth. Est ergo secundum ipsos Sol superior, qui est media Sephirotha seu dimensio: Et per consequens sunt etiam Planctæ invisibiles & ideales, qui sunt septem inferiores ab Hochma: Nam Malchut attribuitur regioni mundi inferioris, ut nonnulli volunt. Concludimus ergo, certissimum esse, quod Deus trinus & unus sit animarum infusor in Sephirotas suas primum, ac deinde per intelligentiarum ordines in æthericam regionem, ut mediantibus stellis visibilibus in inferiora ad hominum generationem transportentur: Nam Deus est primum agens, & consequenter primus formarum dator; Et proinde, quatenus anima est actus primus, necesse est, ut à primo actore procedat immediate: Ab eo igitur profluit omnis vita, forma, & ordo. Quamvis igitur omnes animæ ab unico fonte promanent, quem Cabalisticæ fontem Gheburis aquilonaris vocant, nos tamen fontem lucidum ab essentia supernaturali Dominorum Sephirotharum trium superiorum desumimus: Transcunt tamen nihilominus per alias dimensiones seu media Sephirotica antequam in spheras, & ab iisdem in corpora seu massam spermaticam subterlabuntur; à quibus varias proprietates suscipiunt; Unde fit, ut animarum quælibet eam lucis sortem suscipiat, cujus natura est medium cui obijcitur, vel cum quo conjungi solet, quemadmodum in præcedentibus luculentius enucleatur. Quomodo autem anima seu Mens humana, quæ est ipsius divinitatis radius seu scintilla, in suo descensu secum rapiat naturas cujuslibet spheræ, tam supercœlestis, quam cœlestis, & animalis, aperte demonstravimus, primo in *Tract. 1. Sect. 1. lib. 4. cap. 3. & 4. De l'hyssica Microcosmi historia*. Et libro 12. eiusdem *cap. 4.* Atque etiam *Tract. 1. Sect. 2. lib. 3. cap. 1. & 7. Historia Microcosmica*. Sed jam tandem in *capite sequenti* ostendemus, quod truncus totius arboris sit ineffabile illud nomen Tetragrammaton, sine quo nulla descendere aut existere potest anima.

C A P. IX.

*Quod nomen ineffabile Tetragrammaton sit truncus arboris
Sephirotica, tam Macro- quam Micro-
cosmi.*

HEbræi, uti *supra* dictum est, ex abditissimis suis mysterijs animam ex magno Dei nomine quatuor literarum יהוה Jehova, tanquam rami & folia infinita ab arboris trunco, promanare asseveranter dicunt; è quo omnia cætera Dei nomina Sephirothis omnibus præsentia exurgunt, tanquam rami ex trunco alicujus arboris: Et quoniam י Jod idem significat, quod Jehovah, seu oēs quatuor literæ, quatenus denotat numerum denarium, & 1. 2. 3. 4. simul juncta faciunt 10. ideo י Jod merito radix arboris dicitur, à qua virtutes trunci & ramorū oriuntur: Quare י Jod attribuitur Ehieh, vel Cheter: א vero regni tertiæ Sephirotham, cui Spiritus S. refertur, quatenus א denotat respirationem:

Ter-

Tertia autem litera Tetragrammati γ Vau respondet sextæ Sefhirothæ, cui præest Eloah, quatenus ejus sigillum est Emeth Adonai; & Verbum seu Unitas in He, hoc est; Deus ponens tabernaculum suum in sole. γ Vau igitur proprie refertur ad centrum totius arboris Sefhirothicæ; atque ob hanc rationem assimilatur præidenti Solis superioris Tephireth. Ultimùm vero η He adjungitur Malchut, quæ facit influxus suos in regionem elementarem. Hujusmodi etjam literarum in trunco ideali dispositionem (ad cujus Imaginem mundus proportionem & mensuram accepit suam) agnoscere videntur Cabalistsæ, & inter recentiores quoque eam Reuchlinus approbare videtur. Hoc ergo nomen est idea Archetypica & sempiterna, essentiam Majestatis divinæ comprehendens; ad cujus exemplar dimensiones tam Macro-quam Microcosmi realiter delineatæ sunt & faberrime conditæ, & quidem tam quoad internum earum Esse, quam externum: Interna enim earum essentia in Sefhirotharum dimensionibus imprimitur; in externa vero ambarum existentia γ Jod è tenebris à denario in centenarium & millenarium prospicit; Et primus ejus aspectus est in η He, seu Spiritum primum sive Empyreum in Macrocosmo, & intellectuale in Microcosmo: Quod quidem elementum η denariam metitur dimensionem; Et proinde, ut numerus denarius ex omnibus articulis est simplicissimus, sic etjam Spiritus Empyreus in mundo & intellectualis in homine est simplicissimus, subtilissimus, & purissimus. Postea γ Vau, quod in numeratione denotat unitatem super η He, quod est figura numeri quinarij, designat η seu cælum æthereum, seu medium, cujus Spiritus occultat us est lumine Unitatis: Nam Unitas posuit tabernaculum suum in sole, quem lux seu Unitas suo lumine atque pulchritudine abscondebat; ita ut non η , sed Unitas in η faciens γ Vau, appareat in corpore solari in Macrocosmo, atque etjam in sanguine arteriali Microcosmi, quem rubedo occultare solet. Porro etjam η He ultimùm seu infimùm denotat aquas inferiores, quas γ Vau separavit à superioribus: Unde dictum est, quod *separavit aquas ab aquis*, & in Microcosmo animale cælum à naturali, seu divin.: à terrenis. Atque hoc η denotat numerum millenarium, sicuti γ arguit locum secundum, hoc est, quadratum numeri denarij. At vero, quia ab Hebræis numerus millenarius denotatur per Aleph magnum, ut Unitas per Aleph parvum, cujus imago est Jod in prima compositione, ideoque denotatur quod $\eta\eta\eta$ Jehova sit revera α & ω , hoc est, principium in creatione & generatione, atque finis seu ultimùm in corruptione & morte: Quod quidem manifestatur hujusmodi demonstratione:



Ubi A. est principium generationis; B. est fœtus incrementum ad vitam C. est vigor, perfectio & medium ætatis humanæ, D. est declinatio ad mortem, quæ est ultima linea rerum, qua tam Esse quam essentia compositi per resolutionem revertitur ad id, quod fuit in principio. Unde hoc modo stabit nomen illud ineffabile, reducta linea illa in circulum; qui quidem nomini Tetragrammati convenientissimus est, quatenus ex Elementis sphericis constat.



Hic A. vel γ Jod denotat Aleph tenebrosum, quatenus est ultimus privationis vel resolutionis processus, & η lucidum quatenus est generationis origo: Nox enim tam clara Deo quam dies. Fluxu ab A. ad B. fit vitæ ortus seu generatio; Et à B. ad C. est incrementum seu vegetatio: In B. est vigor vitæ seu sol in meridie vitæ; à C. ad D. est vitæ declinatio; & in puncto D. est mors, atque à D. ad A. est dissolutio in id quod fuit in initio. Sicutaque apparet, Jod esse Alpha & Omega circuli, quatenus est illud, quod incipit & finit motum cujusque rei creatæ aut generatæ:

Transit


Transit enim anima seu essentia à Jod in creatione & generatione, atque post corruptionem iterum ad Jod redit: Nam generatione descendit anima ab unitate materiæ in multitudinem & corruptione seu morte resolvitur, & ascendit in illud, quod fuit antea; videlicet in ⁷ Jod. Atque hoc convenire viderur cum illo Psalmistæ Regij sermone *Psalm. 26. 1. Anima justî attollitur ad Deum*; Et *Psalm. 42. 3. Anima dicit; quando accedam, ut appaream in conspectu Dei*: Similiter *1. Reg. 19. 4. dixit Elias; Nunc Iehova accipe animam meam; non enim melior sum maioribus*. Nonne etjam redit spiraculum vitæ officio suo peracto in spiratorem? Hinc igitur dixit Sapiens, quod *anima hominis sicut lucerna Iehova*. Unde necesse est, ut resoluto composito iterum lux divina redeat ad suum proprium fontem divina gratia assistente, quatenus mundus mensuratur ab Aleph seu Jod cum ciphra ad Aleph magnum: Unde in circulari dimensione omnia progressa sunt à Deo & omnia iterum in Deum revertentur: Nam Deus pater est illud Esse in potentia, in quod materia grossa spiritualizabitur per dissolutionem; Et Filius est essentia actu lucida in quam anima dissoluta sublimatione exaltabitur; idque totum fiet virtute nexus amatorij Spiritus ignei; nam in Spiritu reviviscemus. Hoc ergo erat principium tam Macro- quam Microcosmi; atque hic etjam erit utriusque finis: Videlicet quod *erat Principium erat Verbum; in quo erat vita*; illudque erit finis in quod vita, tanquam in suum fontem & originem; revertetur. Unde hoc Verbum in Apocalypsi recte nuncupatur *α & ω* quod est tam viventium arbor vitæ; quam morientium; quippe quod in mortem, inferos, & Diabolum triumphavit: Hujus ergo nomen sit benedictum in æternum.

Sequitur

ARBORIS SEPHIROTHICÆ
DESCRIPTIÖ.

Influxus omnium Sèphirotharum cadunt in Malchut; ut stellarum superiorum in Lunæ orbis cavitatem.

SECTIO-





SECTIONIS I.
PORTIONIS II.
PARS II.

De

PRINCIPIIS MICROCOSMI
PHYSICIS SEU SE-
CUNDARIIS.

C A P. I.

*De Mysterijs elementorum nominis Adæ, & aliorum nominum
Homini propriorum.*



Uemadmodum in principiorum Macrocosmi secundariorum seu Physi-
corum Tractatu declaravimus, quod tres matres mundi fuerint origines,
videlicet א Aleph seu lux occultata tetrae inanis seu tenebrarum, hoc est,
Esse in potentia, מ Aquarum seu rei actu creatæ, & ו Uttrasque matres u-
nitatis nexu in dispositione trina connectens (nam Shin est Hieroglyphi-
ca Spiritus Sancti imago) sic etiam dicimus, quod principia phyfica Mi-
crocosmi ex sui nominis vocabulis hieroglyphicis elucescant. Quod au-
tem ad ejus nomen attinet, invenimus, illud tribus literis immensa pro-
funditatis describi, videlicet א Aleph, ד Daleth, & מ Mem. Nec quidem istud hujus mundi scien-
tificis absurdum videatur, quod dixi, magnum mysterium in nominibus creaturarum contineri,
cum legatur, *Deum omnia animalia terra & universa volatilia cæli adduxisse ad Adamum, ut videret, quid vocaret
ea: ipseque Adam appellavit nominibus suis cuncta animalia, & universa volatilia cæli, ac omnes terra bestias:* Unde
certum est, ipsum, divina demonstratione præeunte, nomina naturæ atque conditioni cujuslibet
creaturæ animatæ propria dedisse; & per consequens, cum omnia Verbo & characteribus igneis
divinis, atque ab ore Elohim prolatis Esse ac essentiam suam acceperint, necesse est, ut totius cujus-
que creaturæ vis in literis sanctis sui nominis, suum nomen & Esse obtineret: Sic enim traditur à
Davide in Psalm. *Domini nomina cuiuslibet stellæ attribuisse;* quæ quidem cum ipsarum naturis distin-
ctis convenerunt; imo vero characteres ideales & spirituales, qui sunt veræ impressiones vitæ atque
existentiæ creaturarum, in ijs mystice imprimuntur. Nomen ergo primum homini impositum, ut in
Genesi reperitur, est ארם, quia, ut nonnulli volunt, creatus fuit pulvis ac terra. Nam ארם est
proprie terra rubri & argillacei coloris culta. Qua quidem descriptione denotatur, quod homo
non sit terra inanis aut inculta, sed tinctura lucis divinæ & claritatis Spiritus Sancti repleta: Erat e-
nim ejus massa caro sanguinea spiritu igneo & cælesti imbuta: Nam hæc terra erat ita à creatore
præparata, ut omnes omnium Spherotharum virtutes & icones in se per divinum illud vitæ spira-
culum reciperet; & per consequens non terra proprie, sed cælum, vel cælum in terra, vel cælestis,
supercælestis & Deiformis terra erat; cujus quidem splendor ita erat exaltatus ante lapsum & præ-
varicationem, ut omnes tenebræ virtute lucis demerentur & luceret corpus Adæ instar Rubini:
quod quidem etiam ex nominis ejus characteribus elicimus, ut *infra* latius ostendemus: Quare &
אם idem est quod Rubinus, sive pyropus, lapis pretiosus diaphanitate præditus. Prouenit ergo
nomen ארם Homo à radice ארם rubrum esse: Unde ארם est rubet, rubicundus; Matèrialem ergo
substantiam suam à terra universali creatam, in nubibus præparata accepit; atqui tincturam suam vi-
tæ à cælo, quintam vero essentiam rationis à Spiritu & afflatu Dei seu Sapientia ab Hochma se-
cunda

cunda Sefhirotha accepit: Atque ita optime dixit Hermes; *Pater eius erat Sol, mater vero Luna, & ventus portavit eum in ventre suo*; Vel, ut alij afferunt, terra erat ejus mater, pater vero cœlum; virtute autem & nexu spiritus divini tertium unum productum est, magnum videlicet miraculum, homo animal honorandum, qui teste Trismegisto, transit in naturam Dei; & est quasi ipse Deus. Atque hic verus Adam est ille Microcosmus, cujus dominio ob ejus excellentiam omnes bestia terræ, & volatilia cœli, ac plantæ regni vegetabilis subijciuntur; adeoque etiam hinc fit, ut vocabulum istud אָדָם, id est Dominus, tam de Deo, quam de hominibus intelligatur. Sed, ut jam exactiori examinatione hujus nominis אָדָם particulas inspiciamus, quo ex characteribus ejus integram ipsius naturam atque dispositionem, tam internam quam externam tandem inveniamus, observandum primo loco existimamus, quod אָ Aleph ita sese habeat in אָדָם terra, ut in אָרָץ Arats, quod idem significat terram; Cujus quidem vocabuli antea mentionem fecimus; ubi declaravimus, quod אָ denotat terram olim inanem, jam præsentia אָ Aleph, hoc est lucis paternæ, fertilem & lucidam: In אָדָם Adam vero arguit lucis essentiam seu formalem hominis perfectionem, qua dictus est filius atque imago Dei: Atque, ut hic agens invenitur in fronte nominis, sic in fine אָ, Aquæ hieroglyphicum, seu patientis universalis substantia concurrat, seu spiritus recipiens radios emanantes ab Aleph lucido: Nam אָ Aleph est character Messia, seu virtutis Tetragrammæ, seu emanationis æternæ ab Aleph tenebroso, è tenebris potentialibus emissæ, ut hujus Sapientiæ actû omnes aquæ, per אָ denotatæ, de potentia virtute spiritus lucidi apparentes informantur: Atque hæc est causa, quod אָ Mem, quatenus aqua de potentia in Esse immediate emanarunt, pro filio à nonnullis accipitur: Nam in libro Abrahæ *De letzarab*, Mem, secunda mater, denotat secundam personam, seu filium, & Verbum, quatenus designat Esse, à potentia אָ tenebroso immediate procedens: At vero nos accipimus Mem pro materia & spiritu, in quo אָ lucidum seu Sapientia vehitur, & quem vehit ac movet actû suo dans cuilibet ejus parti vitam & Esse. Nexus aurem Aleph cum Mem est virtus, seu gluten illud ab Aleph potentia & illo essentiali emanans quo ambo in אָ junguntur, quod denotat domum vel ostium vel fores in quas spiraculum אָ Mem, seu aquæ spiritualis portio cum radijs divinis Aleph, seu unitatis manifestæ emanatione penetrat in massam terream ad efformandum hominem: Hinc tincta est terra rubra; & recte quidem dicitur אָדָם Adam terra rubicunda, ex qua radij Aleph lucidi penetrantes ejus substantiam sic illuminatam reddunt, quasi אָדָם Adem, hoc est, rubinum quasi pretiosum.

Excellentiam etiam & divinitatem hujus creaturæ nobilissimæ explicant characteres aliorum vocabulorum Hebraicorum hominem significantium. Unde etiam אָנוֹחַ, Enoch, Homo dicitur, ut nonnulli volunt, à mortifera ægritudine, quatenus procedit à radice אָנוֹחַ ægrum esse: At vero effectus denotat, rem longe aliter sese habere, quoniam videmus, hoc nomen multis characteribus sacrosanctis adornatum, ita quidem ut consequenter denotet hominem divinitate plenissimum: Nam אָ arguit primam in divinitate personam & ipsam Unitatem, ac omnimodo Deo & Trinitati refertur; אָ Vau est una ex tribus sphericis literis, quibus Tetragrammaton ineffabile exprimitur, continens in se אָ He, & אָ Aleph, hoc est, quinque & unum: אָ Shin etiam est hieroglyphicum Spiritus Sancti: Unde in hoc vocabulo אָ patri relatum, אָ Filio attributum, & אָ Spiritui Sancto proprium reperiuntur; Et proinde non in significationem malam sed optimam convertenda est hujus vocabuli intentio: Id quod etiam hoc modo probare licet; Deus spiritu suo nomina hominum naturis maxime propria attribuere solet: Verbi gratia Esau, Jacobo, Abrahæ, atque ita multis alijs Patriarchis: At vero ab effectu probatur, quod, si nomen Patriarchæ Enoch denotasset perniciosos eventus, nunquam ipse pro tam justo atque felici æstimaretur, ut mortis stigmata nunquam gustaret, & ab ipso Deo raperetur, ut cum eo ambularet. Unde sat liquido declaratur, characteres hujus vocabuli homini attributi esse sanctos, creaturæque divinitatem arguere; quod quidem ab effectu Patriarchæ eo nomine appellati comprobatum habemus. Iterum ab Hebræis nuncupantur homines aliquando אָנוֹחַ; ubi humida & spiritualis ejus natura tam supercœlestis quam Physica & mundana explicatur: Metaphysica enim denotatur per אָ Spiritui Sancto adaptatum; Physica vero per אָ aquæ & humiditati mundanæ relatum; & אָ Thau in medio corpus ejus opacum denotat, quod capax est utriusque spiritus: Nam אָ Thau denotat signum visibile, seu terrestrem speciei characterem: Unde in facie Cain pro signo impressus erat ejus character. Porro etiam dicitur ab ipsis Cabalisticis, quod inter creaturas sit ipsius hominis & naturæ humanæ symbolum; qui est perfectio & finis omnium creaturarum, sicuti אָ est complementum omnium elementorum Hebraicorum. אָנוֹחַ ergo est homo à radice prædicta אָנוֹחַ Methom. Concludimus itaque, quod, undecunque se vertat homo in sui nominis characterum contemplatione, se ipsum divinitate plenum percipiat, & secundum Apostoli doctrinam, se Spiritus Sancti templum, membraque sua Dei & Verbi receptaculum apertis oculis deprehendat. Sunt igitur Matres tres, ex quibus natura humana creata est, videlicet אָ Aleph, Verbo relatum אָ Mem spiritui assignatum (nam omnia humida & fluida spiritui conveniunt) & אָ Daleth Terræ seu Aleph tenebroso accommodatum,

datum, quod Patri ascribitur priusquam elucesceret seu emicaret ex tenebris. Unde quidem patet, quod Lux, spiritus seu aqua, & Tenebræ seu terra sint principia Physica ipsius Microcosmi.

C A P. II.

De primo Hominis principio, quod erat terra, seu tenebra.

RES patres supercœlestes tam ipsius hominis, quam mundi in magni nominis Tetragrammati dimentione reperiuntur ac consistunt, ut *supra* dictum est; quos principia omnium primaria & supercœlestia esse affirmavimus: Matres vero in prima dispositione physica tam mundi majoris, quam minoris patefactæ sunt, ad quarum nutum Tenebræ, & ex illis lux ac aqua in mundum ad metaphysicam & physicam ejusdem perfectionem editæ fuerunt. Quæ quidem matres sunt quasi passivæ, quatenus patrum, videlicet א ו ה & actiones sive impressiones susceperunt, quibus gravidæ factæ sunt, quælibet videlicet earum trium in sua specie: Quare matres hæc, videlicet א ו ה, quarum matrices sunt Tenebræ, Aquæ, & Lux, principia secundaria appellavimus. At vero loco Aleph tenebrosi in mundo invenimus ו Daleth in homine; quod etiam est hieroglyphicum sapientiæ æternæ in domo obscura; Et Aleph denotat sapientiam detectam & extra apparentem; unde faciei vocabulo præpositum est: Et Mem in sine arguit aquam seu humidum & passivum principium. De natura ergo terræ tenebrosæ primo loco discurremus, quæ per ו Daleth significatur, quod est primum principium physicum hominis: Formavit enim Deus Adam de limo terræ, priusquam inspiravit in ejus faciem spiraculum vitæ. Unde cum terra ejus ex limo terræ extracta incipimus, & tum postea de medio, per quod spiraculum transibat, atque denique de spiraculo ipso Deiformi in medio illo humido natante, verba, uti spero, ad propositum summopere pertinentia, licet succincte, faciam. Illa igitur tenebrarum species, quæ erat ultima in Macrocosmo, est prima atque præcipua Microcosmi; adeoque est quasi basis est fundamentum totius structuræ humanæ; quippe in quod Deus, posteaquam illud rite & pro placito suo præparaverat, spiraculum suum vitæ inspiravit; eaque ratione hominem, Deum terrestrem atque mortalitate imbutum ex his duobus principijs natura diversis conflare voluit Deus supercœlestis & immortalis, ut ipse limo indutus corporeo sagaciter respiceret, & spiraculo vitæ præditus divina sapienter diligeret. De hujus rei ratione, videlicet de conjunctione naturæ cœlestis cum terrestri ad machinæ Microcosmicæ compositionem, & præcipue, cur Mens divina in corpore opaco includatur *Tract. 1. Sect. 1. lib. 7. cap. 3. De Microcosmi historia* luculenter locuti sumus; Similiter *lib. 5. ejusdem Tractatus & Sectionis*, De corporis humani natura, & qualis fuerit ejus terra, ac de alijs negotijs haud spernendis verba multa fecimus: Imo vero legas velim integrum illum librum, quippe qui ad hoc solummodo subjectum pertinet, videlicet ad Microcosmi externi descriptionem. De hac quidem animæ cum corpore conjunctione Synelius in Hymnis ita cecinit, loquendo de anima seu hominis cælo; Pars etiam gravi nexu terrenam sortita est formam, dissociataque à parentibus tenebrosam hautit oblivionem, cæcis sollicitudinibus terram admirata in jucundam: *Est enim*, ut dicit Mercurius Trisnegistus, *corpus quasi murus sapiens animam*; Estque etiam quasi matrix, universas Sphirotharum idealium sui cæli influentias non aliter respiciens & nutriens, quam terra illa magna Macrocosmi, quæ ideo appellatur reëctissime à *Job. 4. 9. domus lutea* hominis interni, qui terreum habet fundamentum; Et propter divinitatem, quam in se retinet, dicitur templum Dei & Spiritus Sancti: quemadmodum etiam ipse Christus ænigmatice loquendo templi vocabulo pro corpore usus est *Johan. 2. 21*. De hoc principio seu basi humana loquitur *Job. 16. 18*. in hunc sensum; *O terra ne tegas sanguinem meum, & ne sis locus clamori meo*: Similiter Sapiens *Sap. 9. 11*. de eo sic loquitur; *Corpus infestum corruptioni aggravat animam, & terrena habitatio deprimit mentem multum curis plenam &c.* Unde liquet, corpus esse quasi tenebrosum carcerem ipsius cæli Microcosmici, non aliter quam videmus cælum Macrocosmi undique esse hylæ tenebris circumductum; nam ultra cœlorum convexitatem nihil præter tenebras reperitur, quæ extra cæli margines in infinitum sese extendunt: atque hoc eodem modo tegunt tenebræ terrestres cælum seu animam humanam in spiritu supercœlesti in cœlesti natantem: Iltæ igitur sunt tenebræ, quæ occæcant animam, eique sui ipsius oblivionis stigmata imprimunt: Unde dicit *Job. 27. 19. Homo non potest propter tenebras suas disponere sermones cum Deo*: Et Sapiens in *Eccles. 5. 16*. ait, quod homo in diebus vitæ suæ in tenebris comedat & quod ob hanc causam ira multa ac infirmitas sit ei. Hinc ergo hominis infelicitas, ut inferius suo loco dicitur.

CAP. III.

Quod duplex sit hominis adiunctum, videlicet aut ex parte eius externa, qua mortalis atque vilissimus dicitur, aut saltem ex portione eius interna, qua immortalis, divinus & ipsius creatoris imago nuncupatur.

Quid sit terra, ex qua hominis externum fabricatum fuit libro 7. *Traſtat. 1. Section. 1. Hiſtoria Microſcopice* ſatis aperte declaravimus, videlicet, quod ſit ſæculentior & tenebroſior pars totius maſſæ aquarum, ex qua quidem maſſa, teſte D. Petro, tam terra quam cælum extiterunt. Et quoniam hominis compoſitio eſt partim ex capite illo mortuo; ſeu ſæculenta iſta ſubſtantia in centro Alembici relicta, poſteaquam virtute ignis univerſalis à creatore emiſſa ſubtile à ſpiſſo ſeparatum fuit (quæ quidem portio præparatione divina præeunte erat ejus externum) & partim ex triplici ſpiritu exaltato, quorum unus alteri gradibus multis in puritate & ſimplicitate præcellit; (qui quidem ſpiritus tripartitus loco cæli tripli. is, videlicet Empyrei, ætherei & elementaris ei inſervire dignoſcitur;) ſequitur (inquam) exinde, quod homo nonnunquam ex parte terrena & exteriori appellatione habeat, & aliquando reſpectu ſui cæli vel interioris nomen ſuum ſibi vendicet. Ratione igitur ſui externi dicitur quandoque Caro, ut *Plalm. 56. 5. & 12. videre licet;* Et *Psalm. 77. 39. Homo caro. ſpiritus vadens & non rediens;* nonnunquam Mortalis: Unde *Psalm. 44. 3. Homo quid eſt, ut eum agnoſcas? Filius mortalis, ut rationem habeas de eo? Homo vanitati ſimilis eſt; Dies eius ut umbra prætereunt;* Et *Iob. 14. 1. Homo velut putredo veteraſcit, ut veſtus, quam edit tineæ;* Homo natus ex muliere brevis ætate, & ſatur commotione: Et *Iob. 25. 6. Homo putredo & mortalis, & filius hominis vermis ſeu lubricus:* Et *cap. 8. 11. comparatur junco qui non ſe attollet abſque cæno: Similiter aſſeverare videtur Moyſes Genef. 3. quod quatenus pulvis eſt homo, in pulverem debeat reverti: Aliquando dicitur miſerabilis & abiectiſſimus, ut Iob. 7. 17. Et alibi *cap. 14. Homo natus muliere, & c. multis repl. tur miſeris.* Immunditiem hominis arguit hic Jobi ſermo, *cap. 14. 5. Quis edet mundum ab immundo? ne unus quidem: Quod etiam & Homo eodem reſpectu ſit planta miſerior,* narrat *Iob. 14. 8. Similiter Iob. 39. 17. Homo vilis eſt, & cum Deo traſci, aut increpare, aut contendere extrema eſt dementia.* Porro etiam in *Eccleſ. 6. 7. diſtinguitur homo internus ab externo, hoc modo; Hominis labor univerſus pro ore eius eſt; & tamen anima eius non expletur.**

Atque hæc quidem hominis miſeria ac mortalitas à tenebris Adæ ſupervenerunt immediate poſt ejus prævaricationem & lapſum; ob ejus ſcilicet peccatum: Nam ejus corpus, quod erat perſpicuum inſtar Rubini pretioſiſſimi ante ejus lapſum, nunc per defectum & amiſſionem luminis, in creatione ex benevolentia ac miſericordia creatoris ei ſoli inter alia animalia conceſſi obſcuratur, atque ea ratione quod ſpirituale erat, jam materiale, groſſum, & obſcurum eſt relictum; quippe quod princeps tenebrarum ibi potens eſt, ubi tenebræ potenter prædominantur. Hinc ergo morborum corporis & perturbationum animæ vitalis, ac denique mortis origo: Unde homo ob peſſimam externi ſui conditionem mortalis, vilis, mutationibusque corruptionis obnoxius frequentiſſime tum à Philoſophis, tum etiam à ſacris ſcripturis nuncupatur. At vero quatenus ejus internum reſpicimus, eatenus reperimus ipſum appellari divinum, quoniam illo quidem reſpectu ipſum ad Dei imaginem factum eſſe invenimus *Gen. 5. 1. Nam, ut omne quidem divinum perfectiſſimum eſſe perhibetur, ita etiam nemo hominum perfectus dici poteſt abſente ſapientia, quæ eſt à Deo uti Sapient. 9. 6. invenimus: Nam, quamvis in quovis homine ſit ſpiritus, eſt tamen inſpiratio omnipotentis, quæ facit illum intelligere: Unde Iob. *cap. 33. 6. exultans in hæc verba loquitur; Spiritus Dei fortis fecit me, & ſpiraculum omnipotentis vivificavit me: Propter hanc hominis portionem divinam dicitur homo à Mercur. Trimegiſt. Aſlep. 3. magnum miraculum, atque animal adorandum & honorandum, quatenus in naturam Dei tranſit.* Porro etiam idem homo reſpectu ſui portionis ſupercæleſtis dicitur immortalis atque æternus; Unde Antiſtes ille in hæc verba prorumpit; *Homo (inquit) eſt Dominus æternitatis tertius, ut Mundus eſt ſecundus, & ipſe Deus æternitatis ſons eſt primus;* Similiter in ſuo *Pimandro 3. dicit, quod Homo ex univerſis terrenis animantibus duplicis naturæ cenſetur; mortalis quidem propter corpus, immortalis vero propter ipſum hominem ſubſtantialem;* Et *Pimand. 12. hujusmodi effundit verba: Homini ſoli ex omnibus animalibus largitus eſt Deus hæc duo; ſermonem ſcilicet & mentem, quæ immortalitatis præmia cenſenda ſunt;* quicunque ijs ad id, quod decet, utitur, nihil ab immortalibus diſcrepat; quin etiam corporis ſolutus compedibus, ab utriſque ducetur in chorum beatorum ſimul atque Deorum: Et è converſo quoque ipſe eodem ſermone de homine externo loquens conſtanter aſſeveravit *Pimand. 12. quod homines cuncti ſato, generationi, & tranſmutationi ſubſiciantur;* initium quippe & finis fati ſunt duo hæc; generatio nempe & corruptio: Porro homines, quibus mens aſſiſtit, non eadem patiuntur. Atque hujus rei rationem alibi reddit, videlicet, quia *Mens, quatenus teſte eod. Pimand. 12. eſt princeps omnium; atque anima Dei poteſt, quæcunque vult, efficere, & (ut alibi refert) dominatur omnibus; atque ideo certum eſt;**

eam nulli passioni esse obnoxiam, & consequenter quoque fati actionibus non subijci: Unde fit, juxta illud *Pimand.* 4. ut quicumque hac natura fulti secundum operum comparationem pro mortalibus immortales habeantur, intelligentia sua cuncta amplectantur, quæ in terra sunt, & quæ in mari, ac si quid est præterea supra cælum; atque adeo seipos erigunt ut ipsum quoque bonum intueantur. Unde liquet, quod fatum hominis interno nocere nequeat; sed in ejus solummodo externo dominium habet; nec tamen propterea potestatem aliquam habet in illo corpore, cui est mens fortiter illuminata: Namque talis homo propter sapientiam suam dominabitur astris. Atque hoc est illud, quod Jamblicus vult in sua disputatione contra Porphyrij rationes, videlicet, quod cui mentis arcanum cognoscere permittitur, ille fato dominetur, astrisque præsit; quod quidem scientia Astrologica, aut Genij proprii cognitione perfici nullo modo potest. De hoc argumento copiose egimus in libro tertio *Tractatus nostri de Genethliologia*; Quocirca vos ad librum illum remissos velim. Hæc ergo est causa, quod Homo etiam ipse Dei filius à Mercurio Trismegisto appellatur: *An ignoras* (inquit) *quod & Deus & eius filius natus es?* Concludimus ergo ex Mercur. Trismeg. *Asclep.* 4. sententia, quod *Deus conformaverit hominem ex anima & corporis*, id est, ex æterna & mortali natura, ut animal ita conformatum, utrique origini suæ satisfacere possit; & mirari nempe ac orare cœlestia atque æterna & incolere ac gubernare terrena. Quare certum est, eum ad exemplum Macrocosmi ex cœlo & terra conflatum esse; Unde à Platonice definitur *Homo mensura omnium rerum*. Hinc etiam in sacris scripturis dicitur, *Adamum creatum esse masculum & fœminam*, hoc est, utriusque sexus participem; ac si diceret, hominem esse internum & externum, vel superiorem & inferiorem, hoc est, compactum ex cœlo & terra: Nam cælum omni Philosopho dignoscitur & habetur pro masculino ac agente, terra vero pro fœmina & patiente: Etenim cælum agit suis influentijs seminalibus in matricem universalem, terram scilicet, ut masculus cujusque specie dicitur cum sua fœmella coire.

C A P. IV.

Quicquid in sacris literis dicitur de Tenebris & Terra, id fere omne de corpore humano recte potest intelligi.

IN Sefhirotharum idealium mundi majoris descriptione, atque etiam per totam nostram Microcosmi historiam asseveranter & constanter, authorum præstantiorum auctoritate stipatus, affirmavi, ipsum Microcosmum ita sese habere, ut Macrocosmus, & quod omnium mundi partium, tam in abstracto quam in concreto sumptarum, portio æque in homine atque mundo majori reperiatur: Unde à Sapientibus *Mundus* appellatur *imago Dei*, & *Homo mundi*, quoniam Sefhirothæ 10. mundi Archetypi sunt exemplaria dimensionum tum mundi tum hominis. Hinc igitur fit, quod in mundo intellectuâli mentio habetur de terra viventium; de quo sic loquitur *Ezech.* 26. *Cum dederim gloriam in terra viventium*. Et quidem Cabalistsæ volunt, hanc terram in Sefhirotha Malchuth comprehendendi influxus suos faciente in spheram Lunæ; Et Archangelus in suo comment. in *Cabal. Dogm.* dicit, quod *totus hortus paradisi, & omnis vera voluptas radicata sit in antiquissimo illo patre æterno, omnium origine prima: sive plantatus est in essentia illa divina, qua est vera terra viventium, à qua omnis vita, omnesque delicia & voluptates pullulant; Et lignum vite erat in medio paradisi, quia Verbum divinum, quod est vera vita arbor, est persona in illa sanctissima Trinitate, & carne humana indutum, cum hominibus conversans semper medium tenuit, nascens, moriens, resurgens: Quare, quamvis hortus plantatus sit in Patre, est etiam plantatus in filio, qui omnia accipit à patre*. Hæc ille. Ab his ei go fontibus, tanquam summis Sefhirothæ, infunduntur influentiæ terræ viventium per Malchuth, in spheram ei à Deo ordinatore destinatam: Unde dicitur Verbum; per Sefhirothas successive influens, fons vitæ; juxta illud *Joan.* *In Verbo erat vita*; quod & *liber vitæ* à Davide vocatur; Et in libro tuo omnes descripti sunt sub imaginibus & exemplaribus divinis, hoc est, in Sefhirothica numeratione. In mundo vero reali terram habemus, quæ est ei centrum; Atqui hæc non est terra viventium, sed morientium; quatenus est corrupta & inquinata propter peccatum Adæ, atque ob hanc rationem mutationibus obnoxia. In Microcosmo denique ab origine erat terra viventium, quippe in qua Verbi virtus abunde exuberabat; sed post ejus casum Verbi Mentisq; actiones in ea obscuratæ & rariores factæ sunt, tenebrisque involutæ ac incomprehensibiles: Nam Christus in nobis quasi crucifixus erat, Animaque perpetuo aut dormiebat, aut ægrotabat & delirabat, ut apud Jamblicum, Proclum, & Porphyrium legimus: Etenim, juxta illud *Sap.* 9. *sæpius & nunquam satis repetitum, Corpus iam obscurum factum aggravat animam, & terrena habitatio deprimit mentem*, quæ est Deiformis ille afflatus vitæ in Adam inflata: Atque, ut verbo dicam quod res est; tota fabrica humana ob Adæ lapsum in deformem & lethalem collapsa est dissonantiam. Hinc ergo est, quod tenebræ in corporis molem habent dominium; Et per consequens, princeps tenebrarum fortem in eo habet possessionem: Namque, ut angeli lucis in luce fortiores sunt, ita quoque principes tenebrarum, qui & lucifugi proprie dicuntur, in tenebris ipsis fiunt robustiores: Unde tenebræ (per tenebras

autem

autem corpus intelligitur) à Davide *Psal. 107. 11.* dicuntur *Vmbra leebales*; Et de corpore intelligi potest illud *Psal. 139. 11.* *Tenebra non absconduntur à te*: Sic itidem de corpore intelligi potest illa terra, quam *Iob. 17. 12.* vocat *tenebras & infernum* propter carnis iniquitatem: Sic *Iob. 28. 3.* *Tenebris posuit Deus tempus*; ubi tenebræ corpori possunt referri, cui assignatur vitæ spatium; Item pro corpore accipiuntur tenebræ in illo loco *D. Joan. 1.* *In tenebris lucebat illa lux, quæ erat vita hominum*: Similiter in *Iob. 19. 8.* *Tenebras semitis meis apposuit*, hoc est, corpus opacum, quod aggravat animam. De hac etiam terra intelligitur ille locus *Matth. 4. 16.* *Populi ambulabant in tenebris*, (id est, in corpore opaco) *& viderunt lucem*; *Et redentibus in regione umbra mortis lux orta est*: Per regionem autem mortis corpus intelligitur, quod mortale est, & per lucem anima seu Mens, quæ est vita ac lux humana. Præterea quoque de corpore intelligitur illud *Iob. 37. 19.* *Nos quippe involvitur tenebris*: Et sic in multis alijs locis. Porro etiam ipsa terra hominis corpori ut plurimum in sacris scripturis refertur: Unde in oratione Dominica; *Fiat voluntas tua sicut in cælo, sic etiam in terra*, hoc est, sicut in meo interno seu spiritu, qui est cælum Microcosmicum, si. etiam in meo externo seu corpore, quod est Microcosmi terra: Sic etiam illud *Gen. 3.* *Terra maledicta est pro peccato Adæ*, de corpore intelligi potest, quod inde redditur mortale; Et *Gen. 6. 11.* *Terra corrupta est coram Deo, & impleta est violentia*, de terra Microcosmica intelligi potest: Id sane quod consequens confirmare videtur, quod est hujusmodi: *Nam corruerat omnis caro viam suam*: Sic quoque hic locus, *Terram visitasti, & inebriasti eam, ac plurimum ditas eam; multiplicasti eam rivo Dei pleno aqua*, potest corpori referri: Et in hunc fere sensum locutus est Sapiens *Proverb. 5.* de corpore immediate antea verba faciens; *Bibe aquam de cisterna tua & fluente putei tui, Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide: Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui, sit vena tua benedicta &c.* Quæ omnia ad corpus allegorice loquens, referre voluit: Similiter *Psal. 69. 35.* *Terra laudabit Deum*; Et *Psal. 74. 2.* *Terra loca tenebrosa sunt plena crudelium & violentorum*; quod tam de corpore, quam terra Macrocosmi dici potest. Præterea *Psal. 82. 5.* dicitur, quod *terre fundamenta moveantur*; hoc est per interpretationem; Leges naturæ corumpuntur, corpusque ab ejus anima dissentit. Sic *Psal. 104. 30.* *Terra faciem Deum renovat*. Quod quidem ad corpus regeneratum pertinere potest: In *Job.* etiam legimus; *O terra ne tegas sanguinem meum*: Simili etiam in *Ipseu Psal. 104. 32.* dicitur, quod *terra intente Deo tremat*; id sane quod de corpore vere dici potest, ut in multis literarum sacrarum locis invenire licet; Quin etiam, *ut terra mundana habet suos cardines* secundum illud *Proverb. 8. 26.* ita quoque homo habet suos, ut *infra* ostendimus *Genes. 45. 18.* dicitur; *Terra pinguedine vescimur*: Quod etiam de terra humana intelligi potest, quatenus quodlibet à quolibet in eo suo ordine nutritur. Et *Levit. 25. 21.* invenimus, quod terræ proventus & fertilitatis author sit solus Deus; id quod etiam de terra nostra interpretationem admittit: Et *Dut. 11. 17.* dicitur, quod terræ sterilitas inducatur, quia *Deus claudat cælum*: Atque hoc etiam de terra ac cælo Microcosmi dici ac pronunciaripotest. Sic quoque infinita alia loca ad terræ utriusque, videlicet Macro- & Microcosmicæ relationem proferre possemus: Unde magna illa amicitia, contiguitas, & nexus, quæ inter utramque istam terram fieri solet, sapientis judicio facillime apparebit.

C A P. V.

De Elemento humano, quod exurgit ab isto Physico Microcosmi principio, videlicet à Terra.

UT terra erat quasi sæx tenebrosior, & densior pars universi aquarum, ita etiam succus teter, densus, fuscus atque tenebrosus est sanguis ejus, de propria sua vena exurgens: Qui quidem succus, licet in primordiali suo Esse atque natura à substantia aquarum universalium non differat, atramen colorem atque conditionem sui fontis secum fert; Unde pro conditione suæ terræ, per quam transit aut lividus, aut niger, aut fuscus esse deprehenditur: Nam, ut aqua universalis nihil est aliud, quam medium participans de natura utriusque extremi, videlicet tenebrarum & lucis, sic etiam illa aut est lucidior & clarior, si lux ei præsidet, aut obscurior & tenebrosior, si tenebræ in illam dominiū habent. Nec quidem est aliud succus vel humor cujusque conditionis, in terra seu corpore humano repertus, quam natura sphaeræ humiditatis, quæ comprehenditur inter fontem ignis seu lucis & fontem terræ seu tenebrarum. Et, quemadmodum invenimus, quod in Macrocosmo terra & ignis sunt duo extrema, & sphaera humiditatis, est medium participans de utroque extremo tam natura quam loco opposito, ita etiam partem superiorē illius sphaeræ humiditatis de igneo extremo propter propinquam ejusdem ad illud positionem participare percipimus, & inferiorem de extremo ei opposito, cui naturali motu & substantiæ proprietate magis appropinquare observatur: Unde liquet, quod natura & substantia portionis superioris ab illa inferioris differat; quoniam Spiritus seu natura humida deorsum tendens à frigiditate terræ ei vicinæ condensatur, & in spissam atque visibilem substantiam redigitur, frigidam terræ naturam in se retinentem; illa vero sursum natans à caliditate ignis subtiliatur,

& per illam ignis actionem invisibilis dicitur, virtutem ignis in sua substantia naturali retentione aservans; Unde calida est à parte proximi sui extremi, & humida à natura medij: Nam mutua oppositioni, actione inter unum extremum frigidum & aliud calidum natura intermedia humida producit, quæ ante lucis & actus apparitionem nihil omnino erat actu: Sic etiam inferior medij humidi portio frigiditatem naturalem attrahit à suo extremo teneboso, humiditatem vero à sua sphaera: Hæc ergo sphaeræ humiditatis portiones nomine distinguuntur, cum superior illarum dicatur *Aer*, inferior autem *Aquæ* particularis nomen sibi vendicet.

Ex quibus constat, quod una sphaeræ humiditatis medietas, nimirum inferior, terræ subijciatur, altera vero, videlicet superior, igni attribuat: Atque hoc quidem etiam eodem modo sese habet in Microcosmo, quo in Macrocosmo. In qualibet etiam harum portionum varij reperiuntur gradus exerte ab invicem differentes, quoniam in illa pars, quæ ipsi terræ adhæret, densa, grossa, lutoïsa atque limosa est, de obscuritate nigerrimi sui extremi, cui vicina & quasi continua est, participant: Nam sphaera humiditatis est quasi Mercurius, ad quamlibet naturam, cui applicatur, sese convertens: Sic etiam videmus in aqua visibili, quæ atramenti vel gallarum & vitrioli contactu nigrescit, Giptij consortio albescit, sanguinis vel boli admixtione rubescit, croci applicatione flavescit, atque ita semper apta est ad omnes impressiones seu naturas & colores suscipiendos; Similiter aer omnium odorum, tam fætidorum quam suavium, est quasi myrothecium. Sed hoc loco ob servandum est sedulo, quod sphaera humiditatis aliter se habeat in homine, quam in mundo, quoniam, ut mundus factus est ex tenebris, aqua, & luce, sic homo factus est ex mundo; & per consequens necesse est, ut in eo humiditatis sphaera densior sit atque crassior, & magis visibilis, quam illa mundi: Sic chilosam pituitam & urinam invenimus spissioram, quam est aqua clara mundi majoris; imo vero nonnunquam vitream & viscosam eam deprehendimus: Atque sic etiam substantia sphaeræ ignis in Microcosmo visibilis est, ut est ipse bilis flava.

Ratio igitur, quod hæc elementa in gradu tam simplici non reperiuntur, quam sunt illa Macrocosmi, hæc est, quod magis accedunt ad compositionem, & sunt quasi illa imperfecte mixta, quæ dicuntur Meteora. Simili etiam respectu elementa infima regionis in mundo majori per gradum unum perfectionis ac simplicitatis differunt à simplicitate suorum principiorum, videlicet lucis puræ, Tenebrarum primarum, & aquæ originalis: Quare respectu illorum sunt quasi ad compositionem inclinantia, atque in primo gradu imperfecte mistorum, ex quo etiam meteora dicuntur: Nam purum atque simplex elementum in rerum natura inveniri nequit; Et consequenter ea, quæ in cælo elementari numerantur, sunt quodammodo mixta, & ad compositionem proclivia: Et tamen per unum gradum propinquius accedunt elementa hominis humoralia ad compositionem, quam illa mundana: Unde sequitur, quod, sicuti elementa mundi inferioris se habent ad principia prima physica, videlicet Tenebras, Aquam, & Lucem, ita etiam se habeant humida Microcosmi elementa ad illa Macrocosmi; Et per consequens, si Terra, sphaeræ æqualitatis portio duplex & Ignis differunt in simplicitate à Tenebris, Aqua, & Luce universalibus, quorum characteres sunt Aleph Mem Shin, utique etiam elementa hominis humoralia distant simplicitate à primis illis principijs Physicis per duos gradus.

Ex quibus evidenter liquet, quod, sicuti Terra, Sphaera æqualitatis, & Ignis à tribus illis principijs naturæ originalibus immediate derivantur, tanquã principiata primi generis à principijs primarijs, ita etiam humores humani ab elementis illis mundanis, tanquã à propinquis principijs, generentur, quasi principiata secundi generis à primis mundi principijs profluentia: Et tamen quoad nos nec in Macrocosmo elementa, nec in Microcosmo humores revera & perfecte principiata sunt dicenda, quatenus sunt tantummodo in via ad perfectam compositionem, quatenus non sunt nisi in via solummodo mixtionis imperfectæ: Attamen humor ad perfectionem magis tendit quam elementum: Est ergo humor seu succus elementarius in homine respectu compositionis magis perfectus quam elementum, à quo oritur, & tamen minus perfectus elemento respectu simplicitatis principij, à quo descendit: Ex aere igitur concreto fit sanguis; & tamen sanguis est solummodo in media via ad carnis perfectionem.

Ut igitur Aqua primaria erat aeris mundi inferioris principium propinquum, & ille aer erat quasi primus mixtionis progressus in sanguinis efformationem, sic etiam aer est principium propinquum ipsius humoris sanguinei, qui est quasi secundus progressus mixtionis ad complementum carnis, & cæterorum corporis tenebrosi adiacentium: Unde sanguis dicitur causa propinqua augmentationis ipsius corporis, & sperma generationis, quod est subtile ipsius sanguinis; de quibus *infra* latius discurremus. Dicimus ergo, quod principia primaria sint causæ propinquæ & proximæ elementorum sublativum (quæ alibi diximus esse quasi expressiones & colamenta triplicium tenebrarum ex tribus cælis propulsarum in creatione) & quod elementa illa impura sint causæ immediatæ ipsorum humorum humanorum; ex quorum extracto & puriori parte fit sanguis, qui est quasi meteoron & imperfecte mistum tendens ad metam perfectionis carnis. Sed, ut ad rem nostram redeamus, certum est, quod elementum quodlibet sit causa propinqua humoris in homine suæ conditioni

ditioni convenientis, quemadmodum quodlibet principium Macrocosmicum elementum suæ naturæ magis accommodatum propagare constat: ut tenebræ ipsam terram in rerum naturam produxerunt, aqua pura spheram æqualitatis, & ☽ seu lux in spiritu elementum ignis: Unde etiam terra macrocosmica genuit in homine humorem seu spissam aquam Melancholiæ, secundum naturam ejus, densam, spissam, fuscam, nigram vel alterius habitus secundum aquæ terræ, à qua oritur, dispositionem & colorem.

Sic etiam spheræ humiditatis regio infima sibi similem produxit humorem in homine, Pituitam seu Phlegma dictum, ejus vero orbis superior sanguinem, qui nihil aliud est, quam latex chilosus secunda concoctione rubificatus & calore ignis hepatici in sanguinem conversus. Bilis enim flava est ignei elementi soboles ex aqua aerea torrefacta, vel ipsius elementi ignis portio in spiritu sibi natura convenienti natans; de quibus alibi suo loco sermonem faciemus.

Quod autem ad veram hujus Melancholici humoris naturam attinet, sciendum est cum diligentia, quod sit mixtio facta de immediata terræ nigræ substantia & infima regionis aqueæ portione, quæ terræ contigua est: Hujus terræ minera est secundum dispositionem spermatis profluentis à tali terra, vel nutrimenti terrestrem retinentis facultatem; ad cujus etiam efformationem & gubernationem influentiæ Saturni cum stellis fixis ei inservientibus concurrunt: Et hujusmodi humor à terra productus, ac à sua stella enutritus, solet esse lividus, fuscus, & obscurus, appropinquans ad naturam limi terræ, ex quo corporaliter factus erat homo ab origine.

Secunda elementi aquæ regio, quæ transit super istam aquam, est salsa, ut mare in mundo, & fit ex adustione pituitæ propter naturam salis terræ accidentaliter advenientis, ac facit humorem partim ad melancholiam tendentem, propter propinquitatem suam ad limum & cœnum terræ, quod est profundior melancholiæ species; Unde etiam quædam melancholia oritur à pituita adusta; atque hæc quidem est levior melancholiæ species; quippe in qua visibilis obscuritas & fuligo non apparet; & tamen propter internum calorem à salsedine ortum denotat flatuum originem & multorum accidentium ortum. Et quoniam videmus, ipsam terram in Macrocosmo à liquidiori & perspicuiori cœli spiritu separari virtute lucis seu ignis divini, tanquam purum ab impuro, ita ut terra sit quasi nigredo illa & cinis relictus post separationem naturæ cœlestis à fœcibus terrestribus, sequitur inde, quod materia humoris biliosi per adustionem in consistentiam terræ nigerrimæ reducatur, non aliter, quam carbonis accensi substantia relinquitur nigra & obscura ablato ignis vigore, persistente autem eo in cineres lividos redigitur referentes naturam & colorem Saturni: Ideo & tertiam humoris melancholici naturam invenerunt Medici Sapientes à bile adusta procedentem, quam radentem appellaverunt; quæ quidem mirabiles, imo vero & horrendos secum effectus afferre solet; quippe cui quandoque se adjungit Diabolus, ut suo loco dicetur.

Atque hæc est illa familiaritas coacta, quæ fieri solet nonnunquam elementorum rotatione, in cujus circulo ignis terræ est propinquus: At, quia est perpetuum inter terram & ignem bellum atque discordia, utpote quorum unus agit altera patitur, ideoque sequitur exinde quam sæpissime, ut primo actu ipsius ignis aer convertatur in densam sed & acrem aquam, & illa tandem in terram seu humorem melancholicum: Sic enim sanguis adustione fit niger & fuliginosa aqua, seu limus quasi terræ, acrem ac edentem ignis dispositionem in se habens. Sed hos quidem humores melancholicos ultimos, quoniam adventitij sunt & non naturales, hic omittimus, tanquam manifesta præter naturam meteora existentes, quorum præsentia morbi melancholici ut plurimum in corpore excitantur, & ad illam naturalem à terra elementari ortam iterum revertemur, quam dicimus esse totius dispositionis humanæ motorem, talem reddentem ejus conditionem qualis ipsa est; videlicet magis fixam, gravem, tustem, segnem, ingeniosam, in actionibus & operibus tardam si respiciamus animi hominis mores; in corporis autem habitu reddit lividum, plumbeum, facitque capillos nigros, multos, duros & minime crispas, labia pallida & magna, linguam plumbeam, magnas juncturas, ossa grandia, faciem largam, cutem magnorum granorum, aures grandes & pendentes, frontem rugosam & ad terram proclivem, in palpebris pilos multos, oculos profundos & nasum magnum, dentes magnos ad instar equorum, os magnum, colli cutem vt corium, magnas manus, pedes magnos cum ingentibus juncturis, tibias largas, genua magna, nervisque venisque impleta, & generaliter corpore nervoso & venoso, sed attenuato & macri, statura longiore, colore pallido, cute instar hirci fœtente hominem cui naturaliter præest hujusmodi humor præditum facit: Quod quidem propter humoris istius frigiditatem & siccitatem evenit, quam ab elemento terræ habet propter ejus propinquitatem; imo vero hic humor nihil aliud est, quam ipsa terra tenuis, quæ est aqua erassa & limosa; & per consequens in sua conditione frigidus est & siccus; atq; tamen humor, quatenus aqua; nam ipsa terra nihil aliud est, quam aqua densissima, si quidem D. Petri sententiæ aliquã fidem adhibeamus, quippe qui cœlum & terram ex aqua ab origine fuisse asseveranter dicit. Nec tñ in eam intentione vertendus est hic noster sermo, ut quis credat, cujuslibet hominis conditione ideo naturaliter esse

esse melancholicam, quoniam omnis homo ex terreo externo, ab ipso elemento terræ abstracto, & à creatore in domum lutosam animæ humanæ præparato, conflatus sit; liquidem quandoque inferior sphæræ humiditatis portio dominium habet in compositum humanum, & tunc phlegmatica est ipsius conditio; quandoque autem superior ejus medietas toti fabricæ præsidet, atque tum sanguis fortiorem sibi vendicat in eo virtutem: similiter quoque nonnunquam sphæra ignis facultatem suam æstuantem in compositione exercebit, & tunc bilis erit Dominus corporis ac machinæ illius. Plura quidem de hoc humore referre possemus; sed, quoniam subjecti nostri necessitas ad alia plumam meam avocat, idcirco ad secundi principij humani discursum descendemus.

CAP. VI.

De secundo Hominis principio, quod per Matrem, seu characterem Mem significatur; videlicet de Spiritu seu cælo humano.

Explicato illo Hominis principio, quod non aliter respondet terræ mundi, quam illa Tenebris, & Tenebræ Characteri potenti Aleph parvo \aleph ; qui in eadem proportionem se habet cum \aleph Jod, quod non aliter reperitur in primo denarij numeri loco, (cujus imago est, & quem denotat,) quam \aleph in primordio digitorum, quod est numerorum Pater, (atque hoc quidem hominis principium per characterem nominis ejus \aleph Daleth significatur, qui domum seu ostium denotat, quatenus corpus est domus animæ divinæ) sequitur jam, ut de secundo hominis principio videlicet de natura humida, quæ per Characterem \aleph Mem in nomine Adæ significatur, loquamur: Quod quidem Mem ita se habet ad sphæram humiditatis, imo vero ad universam naturam humidam, Aquæ nomine alias appellatam, cui ex tribus mundi Matribus \aleph Mem attribuitur) uti ad eam relationem habet \aleph He nominis Tetragrammati, tanquam Pater ad Matrem. Et quidem character elementi Mem recte tam Micro- quam Macrocosmi cælo attribuitur, quatenus cælum Microcosmi in sese habet cujuslibet cæli Macrocosmici portionem: Nam spiritus ejus intellectualis & rationalis cæli Empyrej proportionem correspondet, vitalis cælo æthereo refertur, & naturalis, qui sphæram humiditatis sublanarem respicit, spiritum elementarem natura sua ad æquare cernitur; Et per consequens eadem Mater Cabalistica, videlicet \aleph Mem compositioni spirituali Microcosmi attribuitur: Nam, ut alibi piene demonstravimus, omnis spiritus est de natura aquæ; imo vero & spiritum increatum aquis prædominati nobis indicant sacræ scripturæ dicentes, quod spiritus Elohim ferebatur super aquas, vel agebat in aquas, non aliter quam mas in fæminam: Cui quidem spiritui activo character Tetragrammati \aleph He assignatur: Nam necesse est, ut pater agat in matrem ad procreandas res in mundo, tam magno, quam parvo.

Hæc ergo hominis portio est ei cælum, seu portio interna; virtute cujus actus homo dicitur immortalis & animal divinum, uti partis suæ internæ ratione sordida ac tenebris inquinata perturbationum & morborum stigmata mortalitatisque nomen est adeptus. Et tamen per infimam colli humani portionis cum tenebrarum congerie conjunctionem ac propinquitatem tota naturæ humiditatis massa inferior perturbatur, tenebris infestatur, mutationibus obnoxia est, & totum spiritum Microcosmicum, utpote qui super ea tanquam basi fundatur, in quietudine nonnunquam afficit: Imo vero, ut ipse Cacodæmon habet potestatem in infimam mundi regionem permissione divina, ventos, aerem, nubes, tempestates, & aquas visibiles malevole nonnunquam exagitans, sic etiam in infimam cæli humani regionem ingreditur quandoque Diabolus, machinamque Microcosmi universam perturbare solet, uti quidem non modo scripturæ sacræ nos docent, sed etiam aliorum fide dignorum autoritates & ipsa adeo experientia quotidiana fidem ei rei certam faciunt. At vero, ut pravi dæmones potestatem non habent in materiam cæli ætherei, utpote quæ est nimis pura, & ab omni tenebrarum inquinazione optime purgata, sic quoque vim atque potestatem habere non possunt in spiritum humidum vitæ correspondentem, ita quidem, ut, licet eorum rabies in inferiori hominis cælo impetuosa sit vitæ tamen nocere non possit: Hinc dixit Deus ad Sathanam: *Ecce in manu tua est, verumtamen animā illius serva; hoc est in manu tua est corpus & spiritus ille aereus, quo corpus & materiale compositum nutritur, ita videlicet ut illud sit in tua potestate; at spiritus æthereus, qui est vitæ receptaculum, non erit tibi permissus, ut tangas eum.*

Sic etiam legimus, spiritum malum Dei Saulem vexasse; non tamen vitam ejus delere potuisse; quippe cujus potestas in regionem ætheream nullo modo sese extendebat: Nec etiam valebat spiritus immundus animam Dæmoniæ, hoc est, spiritum vitalem afficere, tametsi nomen ejus esset legio, arguens fortitudinem vel unionem multorum Dæmonum; Sed tamen ita spiritum hominis illius infimum vexabat, orpusque ab eo spiritu nutritum more tam furibundo agitabat, ut *nemo eum cacenis ligare posset*, quemadmodum in *D. Marci* 5. à 2. legere possumus. De hoc autem Diaboli

Spiritum humanum dominio alibi, ibi de Metaphysicis morborum causis agemus, latiore mentionem faciemus. Cælum vero hoc Microcosmicum juxta ordinem illius Macrocosmi in tres regiones seu regna distinguimus, in quorum supremo Mens, tanquam summus totius imperij aequi imperator, regnare & supereminere solet, in medio autem lux illa solaris, in suo proprio Spiritu vitam Microcosmo præbens, dominatur, atque infimo seu aereo ignis sublunaris præest, qui animam à regnis superioribus recipiens Spiritum grossum inferiorem, tam visibilem quam invisibilem ad suum nutum gubernat; Est enim ignis primum in regione infima omnium influentiarum superiorum receptaculum, quarum viribus & actibus ipse ignis & omnia inferiora agitantur atque motu naturali moventur: Sic ergo certum est, quod in Microcosmi Spiritu infimo Bilis in ignea natura, & tandem vis cælestis per ignem in aerea agar in naturam humidam grossioris & inferioris ordinis, quæ quidem actio proprie nuncupatur facultas naturalis in fontè hepatis mansionem tenens. In hac ergo regione Spiritus iste passionibus & mutationibus vel ad generationem per meteora spermatica, vel ad corruptionem per meteora putrida & ad destructionem moventia inclinare observatur; idque tum, quia Spiritus appetitui satisfacere nequit natura propter caloris nativi defectum, tum etiam, quoniam Spiritus maligni fortiores reperiuntur in hac cæli portione, quam in superioribus propter propinquitatem eorum ad locum seu sedem tenebrarum.

C A P. VII.

De elemento humano, seu duplici sphaera humiditatis portione, quæ oritur à crassiori & densiori huius principij parte, quod est Mem.

AB hujus principij humidi parte crassiore oritur elementum illud humanum, quod Medici phlegma seu pituitam appellare solent, atque est quasi fundamentum totius principij Mem, seu Spiritus Microcosmi universalis. At vero, quia in præcedenti nostro sermone asseveravimus, quod in mundo infimo sphaera illa humiditatis sit duplex, videlicet aut portio suprema, quæ de elemento ignis participat, virtute cujus actionis subtiliantis invisibilis est atque aer nuncupatur, aut illa infima, quæ è regione de terrea dispositione gustat, & propter condensativam ac congregativam suam facultatem, quam à frigore habet, apparens facta est & visibilis, ac nomine aquæ insignitur: Sic etiam ob eadem rationes spiritualis cæli infimi hominis pars, hoc est, sphaera ejus æqualitatis in duas dividitur portiones, quarum una est magis densa ac visibilis, quæ vel chilus est, vel pituita seu phlegma nuncupatur, atque hæc propter gravitatem suam magis tendit deorsum; altera vero vocatur flatus, & est vel vapor calidus & humidus, qui in guttas ut plurimum superfluas congregatur in cerebro aut in necessarium & salutarem convertitur humorem ad corporis sustentationem & nutritionem, vel est exhalatio calida & sicca, quæ propter suam siccitatem in laticem sensibilem congregari non solet, vel saltem rarissime, sed more venti huc atque illuc in corpore pellitur: Atque, ut videmus in Macrocosmo, quod visibilis sphaera humiditatis pars, quam aquam limpida nuncupamus, in tres natura discrepantes regiones distinguitur, videlicet in nubem & nebulas, quæ sunt meteora exaltata, & in aquam dulcem, quæ vel ros est quasi majalis, vel è montibus cadit, unde ut plurimum fontes scaturire solent, atque in aquam salam, quæ in mari vel intra limites ejus continetur; sic etiam dicimus, quod tres distinctæ sint partis visibilis sphaera humiditatis humanæ differentia; quarum prior, quam vel nebula vel nubes substantiæ comparamus, est illa chiloza substantia, quæ virtute ventriculi (quem infimæ aeris regioni non inepte referre possumus) ex cibus & alimento siccorum elicitur: Atque ut videmus, quod vaporosus aer, ab aquea & terrea Macrocosmi substantia per subtiliationem partim in infima & partim in suprema aeris regione collectus, in nebulam seu nubeculam convertitur, quæ naturali motu planetarum & elementorum in aliarum creaturarum nutritionem migrat, sive modo invisibili sese congelando in rorem seu in pluviam visibilem abit, decidens ad terram & mare; sic etiam fumus ille humidus seu vapor per antiperistasin, hoc est, ratione circumstantis caloris partium vicinarum, nempe hepatis & viscerum, ex humida ciborum natura exiliens in ventriculo seu stomacho toties circularur ac sublimatur, quousque in chilozam substantiam migrat; hoc est, in substantiam quasi nubeculæ seu nebulae albæ redigitur, quæ tandem modo fere insensibili per meseraicas venas ad hepatis cavum per diapedesin quasi & transudationem, seu in forma vaporis crassioris penetrare solet: Sic videmus, nebulam evanescentem roris guttulas in gramine & herbis, tanquam substantiæ suæ condensatæ argumenta, post se relinquere, quibus postea herbae atque plantæ reficiuntur & augentur; Hoc itaque modo etiam operatione hepatis & virtute attractiva venarum universa planta humana irrigatur atque nutritur. At vero si forte fortuna meseraicæ obstruantur, plenusque chyli transitus ad hepar impediatur, ac calor naturæ medio intensior exciterur, tunc vapor ille nimia in suo circulatorio rotatione

tatione fit tam subtilis, ut ad caput usque totius Alembici humani more fumi sive vaporis nimis calidi & levis, qui sursum vehitur in media mæris regionem sublimetur; arque ita tum vapor ille ad cerebrum usque pertingens frigiditate illius loci condensatur in substantiam aqueam, catharrum seu destillationem aut rheuma generans; quod per nares oculos, os, & quandoque etiam in pulmones descendit; imo vero & in matricem suæ generationis retrogrediens aut pro parte in sanguinem transmutatur, aut in morbidam convertitur conditionem: Sic videmus, fontes & aquæ dulcis rivulos à montis summitate in valles descendere, quorum inundatione prata quandoque redduntur fertilia, & nonnunquam in dispositionem paludosam ac putridam convertuntur: Eodem plane modo Microcosmi terra aliquando suo descensu mediocri nutritur, si modo hujusmodi defluxio sit secundum naturam; quandoque etiam læditur, si sit multa, assidua, & præter naturæ leges; namque tum jecur nimis refrigerari & debilitari solet; unde triplex hydropis species sequitur; vel, si in pulmonum regionem cursum suum faciat, Asthma, Phtisin Orthopneiam, Peripneumoniam, & hujusmodi alios morbos generare solet: Si denique per suturas vel alias cranij vias insensibiles sive mediatione venarum sive extra eas egrediatur, & per musculos transeat; anginam, pleuritidem, podagram & apostemata variorum generum gignere observatur secundum naturam meteorum in humiditate vel caliditate majorem: At vero salis ille humor, ut ponderosior esse solet cæteris, sic etiam profundior terræ microcosmicæ sedem occupare animadvertitur; videlicet vesicam: Ita etiam videmus in Macrocosmo, quod inferiori sphaeræ humiditatis pars visibilis maris profunda possidere & ad centrum ferè ipsius terræ penetrare soleat, ita ut infima pars & quasi basis totius sphaeræ humiditatis existat, solo illo humore denso ac limoso excepto, qui participat de lutosa ipsius terræ substantia, & est quasi mixtio terræ obscuræ cum aqua tam dulci quam salia; de qua capite quinto hujus dictum est. Et, ut certum est, quod immensa maris actionis vis; simulque calor solis & aëtorum extrahat suum subtile à mari universo; ut vicissitudine ejus aer ad fontium & aquarum dulcium ac ipsarum creaturarum omnium sustentationem impleatur (atque hinc fit, quod hæc incens aquæ massa reddatur salia & quasi adusta, quatenus chymici observaverunt, quod aqua adusta spissior ac densior reddatur, similiterque deprehenderunt, quod terra adusta sit promptissima, ut suum salis seu naturam internam aquæ per decoctionem tribuat ac communicet;) sic etiam chylosa substantia nimis aquea, & forma vegetativa deslituta ac vacua, in venas per cribrum hepatis attracta, agitatione sua in rivulis venarum hepatisque & sanguinis calore adurit ac salia redditur, aut salcedinem à terrestriori massæ sanguinæ parte sibi attrahit, & per renum quasi cribra percolata & à sanguine separata in suum mare seu vesicam transit.

Quod autem ad invisibilem sphaeræ humiditatis humanæ partem vel aërem attinet, sciendum est, quod, ut in Macrocosmo aer quidam ad humiditatem magis tendit, & est ille, qui aquæ appropinquat, cujus natura humida est natura cujusque animati compositi, sic etiam ille aer, qui igni vel terræ vicinior est, necessario magis siccus existit in natura sua propter naturam fortem, quam à extremis suis recipit, in quibus nulla est humiditatis portio; & per consequens siccitas ibi abundat: ut pote quæ nihil aliud est, quam humiditatis absentia; at vero humiditas nihil est, quam medium illud, quod inter duo extrema, videlicet terram & ignem consistit: Hinc fit, ut aer seu substantia sphaeræ humiditatis invisibilis sit siccior, videlicet quæ movetur circa extrema, propter participationem cum extremorum naturis; alia vero est humidissima, quæ scilicet versatur circa sphaeræ illius medietatem: Aer ergo siccus cujusque speciei, quatenus non est aptus, ut in meteorum humidum & aqueum condenseretur, semper manet invisibilis, & appellatur exhalatio; qui vero humidus est, condensari potest motu & frigore in rem visibilem; estque hæc species proprie vapor dicta calidus & humidus; de quo in præcedentibus latius locuti sumus: Illa vero exhalatio, quæ proprie est aer calidus & siccus, etiam improprio modo & per accidens aer frigidus & siccus est: atque ideo hanc exhalationis speciem improprie aerem frigidum & siccum diximus; primum, quia aer naturaliter de caliditate participat; deinde quia talis exhalatio aerea nunquam moveri potest sine calore interno naturaliter terreum illum fumum impellente: Hæc ergo exhalationis species proprie versatur in illa complexione melancholica, quæ fit ex humore naturaliter cum terra communicante: Quæ quidem melancholia naturalis ut plurimum existit, licet etiam nonnunquam talis dispositio præternaturaliter, & præcipue homines natura debiles ac naturali calore destitutos, afficere observatur; qui vel ob victus rationem vel animi curas atque perturbationes in talem corporis statum seu habitum deducuntur; quemadmodum egomet in mea praxi quamplures tam viros quam fœminas ita affectos observavi, uti infra latius ostendere constitui. Unde fit, ut quandoque Hypochondriacos aut totius rigore aut membrorum particularium stupore, aut ventriculi frigore & hujusmodi alijs symptomatibus insicere assoleat, & sæpe; Altera vero exhalationis species statum conditionis illi frigida opposita excitat, quippe quæ de calido & sicco elemento ignis participat, & est quasi de natura supremæ aeris regionis, quæ nunquam condensatione in nubem reducitur: Hujus ergo species non modo diaphragma hostili aggreditur impulsu, sed etiam propter levitatem suam ad cerebrum elevatur, phantasiam lædens, rationisque actiones in sensum fallacem per-

pervertens, viscera atque universa hypochondria calore fervente circumquaque per vices afficiens, respirationis actionem premens, & multa hujusmodi symptomata gravia secum ferens, quæ à Medicis bene observantur, & à miseris patientibus non sine ingenti formidine assidue sentiuntur.

Atq; hæc ambæ exhalationum species appellantur flatus & ventus; quæ etiam in suo motu ad invicem concurrunt & meteoron tertium producant, videlicet nubem densam ac crassam in cerebro tanquam media aeris regione generantes, non aliter, quam flatu mutuo Boræ & Austri in mundo magno aer solet in nubem condensari. Sic etiam flatu exhalationis calidæ ab hepate, itidemque exhalationis frigidæ à liene profiliens aer in concavitate ventriculi vehitur in cerebri regionem, vel ambo hi venti illic concurrentes in nubem densam, & postea in aquam crudam ac viscosam condensantur cortisam quandoque generantem, & nonnunquam scereatum, qui accidit ut plurimum Hypochondriaci propter hanc eandem rationem: De his autem meteoris primi gradus infra suo loco mentionem latiore faciemus. Ad cœli hominis mediæ aquam spirituales quod attinet, dicimus, totam ejus intentionem propter regnantem in eo spiritum æthereum esse ad vitam & compositi conservationem in statu & conditione sana; Unde omnia ejus instrumenta seu organa conducunt solummodo ad vitam, & nullo modo ad mortem, vel corruptionis alterationes: Nam pulmones ordinantur ad aeris attractionem, ut ex eo attracto invisibilis cœli ætherei substantia ad vitæ continuationem extrahatur, & retineatur ad vitæ sustentationem, superfluum autem inutile expellatur: Sic etiam cor est excellens illud laboratorium, in quo subtile à spisso separatur, & itaque instat culinæ, in quo vitæ nutrimentum præparatur & coquitur: Similiter in spiritu tenuissimo & superexcellenti principij Mem non reperitur per se morborum aut alterationum origo; quippe qui de natura cœli Empyreï est, in quo passioni actio ita adaptatur, ut ambo reciproco se invicem amore complectantur, & lite aut contrarietate nunquam inficiantur. Ratio autem, cur in thorace & ipsius cerebri regione morbi oriuntur, non est in spiritus loci impedimentis, sed in pessima humorum vel exhalationum in infima regione procreatarum usurpatione ac invasione in illas mundi minoris regiones, quatenus vestiuntur carne; per cujus porosam substantiam istæ sursum in mediam & supremam regionem clanculo atque furtim & contra naturæ leges ac ordinem ascendere solent; ubi ut plurimum hostiles producant effectus, & perturbationibus ac venenosa natura spiritus ejusdem, vel potius locum & habitationem spirituum inficiunt: Sic quidem Lucifer & Litigium deorsum propulsatus sursum nihilominus tendere conatus est, ut bellum ipsi Deo & angelis ejus inferret, ac universum spiritum cœlestem perturbaret: Veruntamen in spiritus cœlestes potestatem habere non potuit; & proinde deorsum propulsatus malitiam suam contra molem terrestrem exercuit, cum esset princeps tenebrarum.

Eodem plane modo meteora prava, in infimo Microcosmi regno orta, contendunt contra spiritum vitalem & rationalem, ac, cum illis mortis violentiam inferre nequeunt, eorum tabernaculum seu organa, tanquam ex terra & humoribus corruptibilibus nocivis genita, vel ægitudine vel morte intestare non desinunt: At vero spiritus vitalis, quatenus est ipsius animæ humanæ cor, & similiter spiritus rationalis tanquam caput ejusdem; inferiorum insultus non timent; nec quidem revera & per se aut ægrotare aut mori possunt; cum mors & morbi sint passiones, quibus corpus subijcitur cum suis elementis ex quibus componitur; quæ quidem elementa si perspicua sint, videlicet sphaera æqualitatis, sunt basis animæ: Et tamen hæc basis omni alterationi subijcitur, quoniam est media consistentia, imo vero tota existentia cœli inferioris hominis, quod omni alterationi subijcitur, & fit per subtilitatem regnantium in eo spirituum malorum causa omnium malorum, quæ corpori humano accidere consueverunt.

Etenim, cum, testibus sacris scripturis, qualibet terræ plaga spiritui ultori attribuat, & cuilibet vento præsideat Dæmon malignæ dispositionis, ac per consequens Sathan sit hujus mundi princeps ex constitutione divina, nimirum mundi inferioris & elementaris, mirum utique non est, quod istiusmodi humores regni inferioris Microcosmi, qui in omnibus illis Macrocosmi respondent, sint aliquando feroces & crudeles in tenebrosam hominis compositionem per investigationem Dæmonum; cum eorum furore & rabie videamus in ipso Macrocosmo totam regionem inferioris machinam universumque spiritum elementa constituentem vibrari ac trepidare; terram movere & typhoneos ignes è suo sinu evomere, maria intumescere, & ore aperto non modo naves sed etiam insulas integras deglutire & quasi absorbere, aerem ventorum violentia rugire, & bellum contra terræ arbores ac structuras gerere, marium fluctus in altum elevare, & voce tremenda ingemiscere, ignem fulguris violentia non sine stupore ac fragore horrendo densas pertumpere & dilacerare nubes, terræ portiunculas adurere, & creaturas nonnullas contritione interficere, Cometas cujusq; speciei aerem tam Macro-quam Microcosmi inficere stragesq; & famem mundo afferre, itemq; pluvias & inundationes tam ipsi terræ quam creaturis ejusdè excitare, ac infinitas alias hujusmodi calamitates inducere, quas oēs hoc loco recensere tædiosum foret. Quid igitur dubitandum est, quin hujusmodi Dæmones secundum suas naturas ingrediantur in humores, & meteora præter naturam

exagitent in corpore humano, ut ligamentum illud divinum & vel pro parte saltem destruant, quo elementa quatuor in compositione prima pacifice conjunguntur? Quinetjam illud eo magis credendum est, cum Diaboli occultum dicatur esse ignis, ejus vero manifestum aer; siquidem inde facillimum est colligere, quod simile in suum simile faciliem faciat ingressum, & per consequens etjam Diabolus ex parte sua aerea Spiritui sphaeræ æqualitatis de facili sese soleat conjungere, nisi spiritus melior sit nobis in auxilium, cujus assistentia sanitatis ligamentum integre conservetur.

C A P. VIII.

De tertio Elemento Microcosmico, quod est Aleph; denotans lucem divinam.

Aleph, quod est tertium hominis principium, est illè character, qui denotat in Macrocosmo tum potentiale tum actuale rerum omnium principium: Nam Aleph obscurum denotat, Deum esse potentiale & materiale aquarum delitescens principium; & iterum Aleph lucidum arguit, Deum esse actuosam & formalem animarum originem: cujus essentia aquæ in potentia fiunt tales in actu. Atque hoc quidem principium in homine erat illud vitæ spiraculum, quod creator cæli & terræ inspiravit in faciem hominis externi, quo de potentia animalis viventis & rationalis in actum reducebatur.

Ex quibus liquet, quod spirator & spiraculum sint tanquam pater & filius à patre procedens: Nam, ut Filius est soboles à Patre immediate procedens, ita & spiratio illa erat spiritus vitæ igneus à spiratore exiens, seu emanatio prima atque immediata à fonte lucido scaturiens: Et per consequens hoc vitæ spiraculum est vere Deus, Mens, Verbum, Messias, & Tetragrammati virtus in Microcosmo, non aliter sonans in eo, quam FIAT in Macrocosmo, quando Spiritus Domini ferebatur super aquas, vim vitæ igneam ijs infundens: Est ergo Aleph lucidum actus universalis tam Macroquam Microcosmi, omnem virtutem utrique tribuens ac infundens; atque propter luciditatem suam dicitur anima, à sacris candela Dei viventis: anima, inquam, Macrocosmi & lucerna Jehovæ, cujus lychni seu licinia ardentia sunt stellæ cælestes; oleum in flammam refocillans est spiritus cæli ætherei rectificatus, qui se habet ut quinta essentia vini; cujus pars densior vel magis aquea est spiritus sublunaris, phlegmati vini relatus, vel debili aquæ vitæ comparatus, cujus fons est ipsa terra, quæ nihil aliud est quam spiritus densi sive opaci in centro machinæ universalis accumulatio, & manet ut mater seu matrix universalis spiritus, à qua prius ortus est spiritus universalis. In Microcosmo etjam anima est lucerna Jehovæ, cuius lychni sunt oculi & sensus interiores in cerebri ventriculo habitantes; simulq; ipsum cor, cujus pabulum seu alimentum naturale sunt spiritus tam animales; quæ naturales quorū pars densior & vitibilior est spiritus ille naturalis in infima regione dominiū habens; basis autem & caput quasi mortuum respectu sui, sive pars hominis indignior est ejus terra, quæ regit omnia. Atque hoc etjam affirmare videntur sacrosancti scripta, dum invenimus Proverb. 20. 27. verbis expressis, quod *anima hominis sit lucerna Jehovæ, quæ investigat omnia interiora & penetrat interiora hominis*; vel, ut Hieronymus interpretatur, *Lucerna Domini est spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris*: Et Psalm. 18. 29. hæc verba habemus; *Quinimo tu illustras candelam meam; Jehovæ Deus meus splendentes efficit tenebras meas*: Similiter Propheta de hac candela intelligendo Psalm. 84. 12. in hæc verba loquitur; *Jehovæ Deus est Sol, gratiam & gloriam dans*; hoc est, Deus est lux atque lucerna, & Sol vitæ meæ; Quare Proverb. 13. 9. dicitur, quod *lux iustorum clara erit, at lucerna improborum extinguetur*: Unde etjam dicitur, Psalm. 27. 1. *Lux salus iustorum, & robur vitæ meæ*; Et Psalm. 18. 29. *Si tu illustras lucernam meam, Jehovæ Deus meus, splendentes efficit tenebras meas*: In Psalmo etjam 36. 10. dicit David; *In luce Jehovæ videbimus lucem*. Quibus certe arguitur, quod lux Jehovæ, seu ejus emanatio sacrosancta sit vitæ & mentis divinæ lucerna: Quam quidem emanationem tollente Deo, vel faciem suam abscondente primum perturbabitur spiritus & statim exspirabitur, juxta illud Psalm. 104. 24. *Deo dante creaturis colligunt, aperiente manum suam satiantur bono, abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum earum expirant*: Atque ad hoc propositum bene sonant hæc Prophætæ verba Psalm. 30. 6. *Vita adest benevolentia Jehovæ*, Et Psalm. 90. 14. dicitur, quod *vita prolongatio sit benignitas Dei*. Ex his ergo videmus, quod vita & anima Microcosmi, ac consequenter etjam Macrocosmi, utpote ad cujus imaginem seu effigiem, & è cujus substantia homo formatus est, sit lucerna Jehovæ: Quod quidem & Evangelista Iohann. 1. agnoscere videtur, quando dicit, quod *vita & lux hominis sit in Verbo*. Est ergo Aleph lucidi lucerna anima mundi tam majoris quam minoris, cujus splendore universus hominis interni spiritus non aliter illuminatur, quam domus obscurissimæ medium candelæ clara, & nox tenebrosissima radijs fulguris: Quæ quæ splendore ejus emanatione recedente, necesse est, ut ultimam tam Macroquam Microcosmi dies finiatur, & ad periodum illius ultimi PEREAT perveniat: Imo v. illius splendore divini imminutione languescit homo & omnia alia creatura, ac fit miserissima, secundum illud Psalm. 9. 11. *Vita spirituum est miserum absque benignitate Dei*.

Hinc

Hinc ergo accidit, quod tam propter substantiæ spiritus inferioris rebellionem atque resistentiã, quam propter longinquam sedis seu throni Dei distantiam à loco infimæ Spiritus regionis (quoniam Dei benignitas non est ita frequens in ea ac in spiritibus superioribus, qui sunt actionibus emanationis divinæ magis obedientes) multæ oriuntur in inferiori Microcosmi regione mutationes ad corruptionem tendentes, nisi Deus Jehova homini ex mera tua gratia faveat, cui substantia illa spiritualis densa ac crassa inest: Hinc dixit David *Psalm. 31. 17. Luceat facies tua super servum tuum; serva me benignitate tua.* Quod quidem de advertis tam internis quam externis intelligi potest: Unde alibi, nempe *Psalm. 106. 4. Benevolentia persequitur Deus populum suum, & salute sua.* Et *Psalm. 106. 4. Quem visitavit Deus salute sua, fruatur bono, & felicitate electorum suorum, ut letentur letitia.* Id sane quod de anima & corpore est intelligendum: Nam *vita & eius bene esse adest benevolentia lehovæ, Psalm. 30. 6.* penes quem, ut in *Psalm. 36. & 9.* habetur, *est fons vitæ; & ipse quidem in torrente deliciarum suarum bibendum dat filiis hominum:* Unde *Psalm. 41. 3.* dicitur *vita restitutor;* Et *Psalm. 87. 7.* inquit Psalmista; *Vite meæ fontes omnes veniunt à Deo:* Et in *Psalm. 80. 19.* dicit; *In vita conserva nos ut nomen tuum invocemus.* Hoc autem donum attribuere solet Deus justis, ut Spiritum eorum, in potestate spirituum malignorum ac destruentium propter peccatum Adæ existentem, ab ultoris potestate violenta præservet & vita longa illum imbuat: Unde *Psalm. 91. 16.* ita legimus; *Longitudo dierum satiabo iustum; denique efficiam, ut fruatur salute mea.* Imo vero in injustos etiam clementiam suam exercet, dierumque longitudinem dat, præservando spiritum eorum magis passivum à destruentis rabie per præsentiam suorum radiorum, qui sunt revera fuga Dæmonis, secundum illud Salomonis, *Sapient. 11. 21. Quin, etiam uno afflatu cadere poterant à iustitia persequente, & ventilata à Spiritu potentia tua: Verum omnia mensura, numero, & pondere, disposuisti, nam quod multum potes, hoc ibi semper adest &c. Misereis autem omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum, ut respiciant &c.* Parcis ergo omnibus eo quod tua sunt, ò Domine animarum amans. Quibus certe optime indicare videtur Sapiens, quod Dominus virtute suæ potentiæ omnia possit; sed quod ex benignitate sua potestatem suam clementia temperans parcat peccatoribus, & benignitatem vitæ etiam erga eos exercere soleat. Et certe, cum rectissime quis obijcere possit, unicum tolummodo actum versari circa universum, videlicet illum à Tetragrammati virtute procedentem, & consequenter eandem esse destructionis creaturæ, quam conservationis ejus causam, lubentes quidem huic objectioni accedimus; sed tamen dicimus interim nihilominus, actiones lucis divinæ semper esse bonas ac salutare, subjectum vero male ac perverse eas recipiens solere ipsas convertere in destructionem. Verbi gratia, videmus ignem & ejus flammam esse semper, dum urit, permanentem atque adeo idem in tua facultate, & si bene à subjecto recipiantur ejus actus, benevole agere, artus frigidos & congelatos clementer & calore benigno refovendo ac calefaciendo, aut res madas siccando sine ulla subjecti destructione, & tamen, si corpus frigore & congelatione affectum nimis prope ad ignem accedat, eum comburere ac destruere, similiterque etiam pannum aut ligna humida consumere & cremando in cineres redigere; dum tamè interim actus & virtus ignis est semper eadem: Sic etiam est mala influentiarum Saturni & Martis receptio, quæ convertit ipsarum actiones in pessimos effectus, & non essentia influentiæ, quæ est semper bona: Verbi gratia; Si cadat influentia Saturni præpotenter in subjectum naturaliter æreum, solet illud, naturam ejus calidam extinguendo, & humidam congelando, conturbare; & è converso Martis virtus in frigidum & aqueum subjectum influens comburit frigidam naturam & salsam reddit, ac humiditatem absorbet; dum tamen interim tam Saturnus quam Mars benevole agit creaturis influxus eorum benevole suscipientibus: Sic Solem oculo debili molestum esse videmus, forti vero gratiosum: Atque idem Sol tempore hyemali valde rigidos artus fovet, in extremitate vero urit, ita ut naturali animalium inclinatione umbra quærat; cum tamè nihilominus Solis virtus sit semper eadem, nunquam non agens in sua natura benevole.

Concludimus ergo, quod actus omnium primus, quo vis & virtus tam Saturno & Marti quam Soli & omni alij creaturæ tribuitur ac confertur, sit semper unus & idem: Sed hæc est infinita Dei bonitatis indicatio super omnes alias ejus creaturas, quod ipse, intelligens, faciei suæ præsentiam morte affecturam omnes creaturas, adeoque etiam ipsos montes fufuram esse, clementer eam velo suæ bonitatis obduxit, & creaturis solo effectu apparuit, videlicet vestimento lucis, per quam ejus radij penetrarunt: imo etiam creaturis suis male ad actus suos recipiendos dispositis clementer pepercit, ut illis quoque præfesset sine individui destructione: Quare virtutem suam in illarum gratiam ac beneficium remisit, partemque virium suarum in se ipsum reflexit atque retorsit: Id sane quod luculenter hisce Sapientis verbis & copiose arguitur, *Sap. 16. a. 22. Nix & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant; ut scirent, quoniam fructus in inimicorum exterminabat ignis ardens, in grandine & pluvia coruscans; Hoc autem iterum ut nutriverent iusti, ignis etiam sive virtutis oblitus est: Creatura enim factori deserviens exarde, cit in tormentum adversus iniustos, & levior sit ad beneficiendum pro his qui in te confidunt: Propter hoc omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deserviebant ad voluntatem eorum, qui à te desiderati sunt; ut scirent filij tui, quos dilexisti Domine; Quoniam non natiuitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderunt, conservat: Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis tabescebat, &c.*

Hinc ergo clementia Dei declaratur, qui virtutes vindicatorum suorum obtundere & hebefacere, aut pro voluntate sua acuire & potest & sepe solet; ita ut objecta seu subjecta male ad eorum actus suscipiendos disposita non lædant. Et revera actus Dei lædere non possunt, nisi subjectam seu passivum male ad actus ejus recipiendos disponatur: Unde, quando Jehova, Deus exercituum voluit potestatem & virtutem suam contra Aegyptios patefacere, & victoriæ trophæam adversus Pharaonem obtinere, tum dicitur *ipse cor eum obdurasse*, ut per rebellionem & perverti illius spiritus renitentiam virtus divina, cui nihil resistere valet, fortiore in eum haberet effectum: Unde obstinatio sua non modo ipse, sed etiam totus regni Aegyptiaci populus in ruinam lapsus est. Hæc ergo est illa divina emanationis sacrosanctæ natura, Aleph lucidum appellata, qua ubique secundum spiritus recipientis capacitatem agere dignoscitur: Nam cum benevole recipientibus, benevole naturali proprietate agit, & male recipientibus gratia ac clementia sua adest: Unde in spiritu Empyreo vocatur יה יה, quod est nomen benignitatis; quia ibi benigne agit propter optimam ac obedientem & teneram spiritus, lucidos ejus actus recipientis, dispositionem: In media regione seu spiritu æthereo nuncupatur יהו יהו, quod sigillum denotat, quippe quod major ibi est spiritus resistentia quam in cælo supremo, unde impressiones fiunt per Emeti in spiritum æthereum, tanquam sigilli in ceram: Nam secundum Cabalistas Emeti, hoc est Veritas, est sigillum Dei, quo omnes cujuscumque creaturæ characteres, formæ, atque vitæ proportionem imprimuntur. Hic spiritus est quasi secundum vestimentum, quod induit emanatio à Jod, & valde obediens est creatori suo; sed tamen aliquid malitiæ importat creaturis inferioribus, quatenus est domicilium quasi tatorum, quæ tam bene, quam male cum inferioribus agunt. In infimo cælo, seu spiritu infimo utriusque mundi appellatur יהוה יהוה: ubi propter resistentiam & pervertam obstinam subjecti, tam elementorum scilicet quam elementorum, in severitate & iracundia sua agere dicitur Jehova. Unde illud nomen stupendum dicitur in Sefirothicis dimensionibus arguere tam severitatem & punitionem, quam clementiam & misericordiam. Hinc Psalm. 6. 2. & 38. 2. dicitur, quod *ira Jehovæ sit æstus ejus*, Et Psalm. 11. 6. *Depluet super improbos prunas ardentes*: Psalm. 18. 8. *Ira Jehovæ accensa concutitur ac movetur terra fundamenta montium commoveantur*, Psalm. 21. 10. & 83. 16. *Ira Jehovæ ut ignis consumens*, Psalm. 78. 21. *Ignis Jehovæ accensus est in Iacobum, & ira arsit in Israellem*, Psalm. 78. 63. *Ignis abjurnit Deus impios*. Num. 16. 35. *Ignis Jehovæ egressus consumebat 250. illos viros &c.* Deut. 32. 22. *Ignis accensus est ira mea, qui ardebit usque ad unum sepulchrum, absumetque terram & proventum eius, & inflammabit fundamentum montium &c.* Quæ omnia iram & severitatem Dei arguunt, non quidem respectu ejus proprio, sed propter indignitatem subjecti recipientis, quod propter rebellionem & resistentiam suam examinare dicitur, ut videlicet Bibhorum sacrorum verbis utar. Atque illa est ratio, quod hæc eadem actio divina, nimirum virtus emanationis à Jod, eo vehementius agit, quo magis deorsum penetrat, propter radiorum ejus coarctationem in densitate materiæ: Unde ignis fulguris nube compressus violenter ardet, ignis artificialis in aere densato destituit, ignisque gehennalis propter ingentem suam constrictionem, atque spiritus rebellis ac tenebrosi resistentiam dicitur ultra imaginationem humanam ardere: Nam flamma ignis undique expansa redditur invisibilis atque insensibilis, nec propter dilatationem aut dispensationem suam ardere percipitur: Sic equidem videmus, flumen in latum diffusum leniter ac suaviter, & sine magna violentia decurrere; atqui, si illud cogat necessitas per duorum scopulorum angustiam transire, vehementissimos & rapidissimos producit effectus. Hinc ergo patet, quod actus Tetragrammati sit unicus, idemque indivisibilis, & quod differentia ejus sit solummodo in subjecto passivo, in quod ille actus agit: Nam secundum majorem vel minorem spiritus patientis resistentiam & actus portionem res omnes differre dicuntur, cum tamen revera unicus sit actus in infinitum sese porrigens, unicusque spiritus qui patitur; uti quidem etiam illud hoc ipso demonstratur, quod, si Deus tollat vultum suum, & avertat faciem suam à spiritu mundano, omnia corpora, & omnes aquas, omnesque spiritus in unicam spiritualem substantiam & solam materiam potentialem ob formæ defectum redire cogit necessitas. Concludimus igitur, quod hæc lux unica & eadem in cælo Empyreo utriusque Cosmi dicatur lux intellectualis in spiritum rationalem agens, in cælo medio lux vitalis in spiritu æthereo seu creaturis innato operans, in spiritu elementari elementum ignis, reflexionibus & resistentia in supremam sphaeræ humiditatis regionem reverberans, & passiva elementaria ac elementata sibi subjecta circumambiens: Unde ut, ut hoc elementum ob passivi resistentiam perverte agat, & ut plurimum versetur circa rerum omnium corruptionem, uti è converso calor cælestis agit ad vitæ & lanitatis conservationem.

* * *

*De elemento ignis, quod ex hoc Microcosmi principio oritur,
videlicet de Bile flavâ.*

UTI in Macrocosmo asseveravimus, elementum ignis esse illam regionis mundi elementaris sphaeram, quæ sphaeram humiditatis ambit & supereminet, quam nihilominus diximus nihil esse aliud, quam partem sphaeræ humiditatis nimiam ex radiorum supercælestium reverberatione ac reflexione accentionem; sic etiam in Microcosmo habemus igneam naturam è chylota substantia factam exilientem, & in leviori latice sphaeræ humiditatis latitantem, atque omnem ejus liquorem in igneum colorem atque naturam convertentem: Quæ quidem regio in hepatis concavitate super venticuli convexitatem, in quo meteora aquea generantur, situm suum habet, hoc est, in suprema ejus regione. Et licet hujus elementi substantia visibilis sit, ac contra naturam elementi ignis sese habeat, quatenus videlicet ipsa humida est ac fluida, ignis vero dispositio calida & sicca, intelligendum est tamen sincere, quod ratio visibilitatis hujus elementi in homine sit illa, quod id ipsum grossius ac magis mixtum est in Micro- quam in Macrocosmo; quippe quorum ille ex hujus elementi componitur, & per consequens elementa habet grossiora & visibilia. Porro etiam, quatenus organate hominis esse est humidum illud generale, quod invisibili modo de qualibet humiditatis mundanæ specie participat, necesse est, ut omnia ejus elementa in humida substantia consistant; & consequenter, ut humida quædam substantia sit tincturæ & qualitatis elementi ignis quasi vehiculum ac receptaculum, in quo inest quædam quasi qualitas seu tinctura amara, acris, mordicans, acuta, & ex prima sua constitutione calida ac sicca secundum naturam ignis, de quo participat: Sic quidem in icteritia non humorem, sed tincturam siccam in cute discernimus, neque etiam ipse humor, qui est bilis igneæ delator ac vector; sed ipsius acrimoniæ acuitas & ignea caliditas febres excitare observatur. Inest ergo hæc tinctura acuta & subtilis atque levis in tenui ista substantia aeris congelati non aliter, quam ignis Macrocosmi inest in suo aereo vehiculo: At vero hic visibilis redditur in homine, quoniam fit humor spermaticus, ex quo genitus est homo, & in cujus portione post nati incrementum apparet hujusmodi vis ignea, sine quo illa in lucem produci & visibilis reddi nequit, non magis quam lux mundi majoris videri solet sine mediante subjecto sive colorato visibili, quod ad radios ejus visibiliter suscipiendos sit aptum: Namque coloratum videtur, & visione colorati, hoc est, per accidens lux oculo apparet. Ut autem in homine hujus elementi virtus in latice lubrico reperiretur urgebat ejus usus necessitas; quippe cujus utilitas in corpore præcipua est, more fluido transmigrare per meatum ipsi proprium in viscera seu intestina, non modo ad lubrica reddenda excrementa, quæ in ijs comprehenduntur, verum etiam ad irritandam virtutem expulsivam facultate sua mordicante & acuta. Hic igitur humor igneam vim vehens, licet per se sit excrementitius, attamen, dum in proprio suo vasculo retinetur, ad salutis commodum quodammodo vergit; excedens vero suos limites seu receptaculi sui proprii, hoc est, cistæ fellis margines, non ad salutem & secundum naturam, sed potius contra naturæ leges ac violenter cum corpore agit, morbosque procreare observatur, ut in icteritia, Erysipelate, febribus nonnullis, & præcipue in illa Icteroide dicta cum multis alijs: Et quidem verissimum est illud tam Hippocratis quam Galeni enunciatum, quo asseritur, quod *quilibet humor utcumque naturalis extra proprium suum locum accidens morbificum; hoc est, præter naturam quid procreare soleat.* Accidit etiam nonnunquam, & quidem sæpicule, ut spiritus bilis, elementi ignis alas invisibiles induens, ac venenato & occulto spiritu vectus, relicto humore colorato per venas & arterias migret, atque universam fabricam simulque ipsum cor intemperie calida præter naturam inficiat, spiritumque vitales venenoso suo halitu inquinare gaudeat, atque ita igne pestifero tam aereos, quam æthereos spiritus aggrediatur. Quandoque sub tali forma invisibili humori putrido se jungit, febremque Synochum & ipsam causonidem excitare solet; sed ut plurimum venenosam suam qualitatem exiit; similiter febres tertianas, tam intermittentes, quam illas in spiritibus exsuscitatas, & infinita alia meteora sui seu alterius generis secundum naturam & constitutionem alterius humoris seu elementi, cum quo jungitur, inducit: Sed de his curiosius in sequentibus tractare decrevimus. Ex quibus videre licet, quod hoc elementum apparere soleat vel in humore visibili sibi à natura, destinato, vel in spiritu invisibili, in quo præternaturaliter transiens alius destructionis & intemperie volat extra suam sedem connaturalem vel in aliquam tantum corporis partem, ladens actionem ejus naturalem, vel in plura ejusdem membra simul, vel etiam in univsum una vice corpus ignea sua intemperie invadens. Et certe æquum est, ut, si hoc corporis humani elementum limites suos transeat, & frænâ sua rejiciens dominium in corpus habeat, ingenti sollicitudine ac formidine vigiletur; quippe quod omnibus alijs elementis periculo atque actionis velocitate præcellit, quoniam, ut Artesius, & recte quidem, refert, ipse Diabolus frequentissime sese jungit cum istiusmodi humore seu elemento, ipsumque ad compositi destructionem sæpe excitare ac juvare solet; Verba autem ejus sunt hujusmodi: Sunt quædam infirmitates cum quibus sese jun-

git Diabolus, humore egrediente à temperamento, ipsamque sanitatem perturbante; Et hoc maxime accidit in morbis ex cholera provenientius, &c. Id quod etiam procul dubio in morbis melancholicis & febribus malignis accidere assolet, quoniam ista natura calida, jungens sese cum ignea Cacodæmonis natura, & in fumum seu flatum ventumve penetrans, illum violenter movet, ac in illo fertur non modo ad invadenda spirituum vitalium castra, cordisque capsulas more formidabili pulsandas, unde sequuntur Syncope, exanimationes, cordisque tremor & palpitatio, verum etiam alis superbis atque ambitiosis adversus munimenta spirituum animalium insurgit, & Phantasia palatium, imò vero & divinum ipsius rationis templum invadere non desistit; Unde tam in febribus quam Melancholicis Phrenitides, Deliria, Mania, Lycanthropia & alia consimiles alienationum species, quales sunt Desperatio, vanarum visionum apparitio &c. itemque solitudinum amor, cura & sollicitudines, timores & suspiciones nulla data occasione, suspiria, & infinita alia symptomata sequuntur.

Concludimus igitur, quod, ut hic humor cum sua anima prava parvulam affert corpori utilitatem, ita quidem ingense ei præbeat nocenti & maleficij argumentum: Quare opus est Medici optimi industria, & scientifici Artista medicamentis, quibus humor iste cum sua anima seu agente, tanquam catenis seu vinculis securis in suam sedem propriam coarctetur; quippe qui extra suum locum vel in propria sua substantia, vel solo animæ formalis spiritu & afflatu non modo alios humores, in suis naturis alias satis mites, per corpus vagantes, reddit feroces ac facit eos infirmitatum auctores, verum etiam ipsemet ipsi quasi dux quidam omnis mali adest, dans motum suæ potentia ad malefaciendum, non aliter, quam ignis dat flammam ac vitam lampadi, seu terebinthinæ, quæ antea quæta erat ac innocens, & in sola potentia ad comburendum vel male afficiendum. Et profecto, si naturam elementi ignis Macrocosmici bene examinaverimus, percipiemus tandem, quod ipse sit author & origo cujuslibet motus ad corruptionem & alterationem in hoc mundo inferiori; quemadmodum è converso ignis solaris seu cælestis est causa evidens generationis & sanitatis ac conservationis, & quasi vitæ creaturarum inferiorum pater, uti in experimento *capite sequenti* descripto luculentius apparebit.

C A P. X.

*Totius nostræ Philosophiæ, tam Macro- quam Microcosmicæ clavis,
seu demonstratio luculentissima.*

Quoniam ad hujus nostræ intentionis propositum, & perspicuam istius doctrinæ explicationem imprimis spectat Tractatus cujusdam à nobis in publicum edendi secretum, cui quidem Tractatui *Clavis Philosophiæ seu ocularis mysteriorum quorundam Physicorum Speculi* titulum attribuimus; ideo brevem in hoc capitulo & epitomicam istius arcani relationem faciemus, quo ingenia vestra ad hoc opus nostrum tam Macro- quam Microcosmicum rectius & facilius intelligendum acuantur & præparentur: Nec enim creaturam illam, quæ est nostræ demonstrationis subjectum, vobis aperte in hoc sermone detegere constitui; siquidem istius tum subjecti tum cujusque etiam in subjecto illo experimenti manifestatione ac perspicua explicatione finem ultimæ operis mei Cosmici conclusioni imponere animo deliberato firmiter non sine arduis ac gravibus rationibus ad hoc ipsum me inducentibus ac moventibus decrevi.

Creaturam igitur principem ex regno vegetabili electam, quæ nutrimento humano per quæ necessaria existimatur, putrefactioni naturali prius expositam, arte Vulcanica in nubem ingentem sursum excitatam seu elevatam vidi; qua quidem nube virtute frigoris in aquam auream redacta, deprehendi in ejusdem aquæ meditullio massam nigerrimam naturæ ipsius Chaos tenebrosi artubus viscosis haud dissimilem: Sic dicitur ab Hermete, quod, *cum omnia in mundi creatione perturbata essent, umbra horrenda obliqua revolutione fuerit subterlapsa in humidam naturam*; Et Moyses dicit; *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Augustinus autem dicit, quod *Spiritus Domini, qui ferebatur super aquas, igneum illis vigorem sit impertitus*: Sic enim tineta erat aqua, quæ in hoc nostro experimento cooperiebat massam tenebrosam: Et, ut Chaos in mundi creatione erat massa, tertij & quarti creationis diei mysteria in se comprehendens, quam materia aquea utriusque cæli, primi videlicet & secundi diei operis, tegebat; sic etiam in nostra praxi nigerrima massa, aquis illuminatis obruta, quatuor elementa infimi cæli, opera scilicet tertij diei, & quintam essentiam ac quasi materiam solarem opus diei quarti in se continebat; Quæ quidem post complementum operis secundi diei deformia erant, & in sola potentia se habebant ad aliquid actu: Elementa ergo 4. ex Chaos nostro obscuro extraximus more illo in *Historia physica Macrocosmi lib. 1. cap. 10.* expresso: Aqua enim primum exurgebat, deinde aeris substantia, quæ erat ita familiaris tum aquæ, tum etiam igni, ut se utrisque naturaliter uniret tanquam medium, quod de utroque extremo participabat: Porro etiam animadverti, aereum illum laticem esse mediam quandam substantiam inter aquam & ignem; Est enim quædam aquæ species levis & vegetabilis, quæ est quasi sal volatilis aquæ cristallinæ formam induens, tam familiaris radijs solaribus,

bus, ut, si per spatium tantum trium horarum soli calido exponatur, tincturam radiorum ejus tanto appetitu sibi alleget, quanto mulier virum; quod quidem manifeste declaratur hoc ipso, quoniam à candida illa forma cristallina in Rubini colorem rubicundissimum eo spatio vertitur; adeoque etiam in illo experimento duo observavi notatu digna; videlicet rationem vegetationis in vegetabilibus, imo vero & in ipsis animalibus; eam nimirum fieri propter multitudinem animæ vivificæ seu lucis ætheræ, cujus fons est tabernaculum solare, quam latex seu liquor ille magnetica & occulta quadam virtute sibi allicere solet, post suam à carcere suo seminali liberationem per putrefactionem naturaliter in terra factam; quod etiam in praxi nobilissima à me comperta verum esse in ple- no Tractatus prædicti filo seu torrente explicabo. Secunda vero observatio est, quod sola hujus laticis substantia per Alchimiam naturæ in hepate & venis ab aqua segregata sanguinem in corpore humano procreare solet, quippe quæ tam apta est & prona post separationem, ut quavis exerta caloris naturalis operatione in liquorem rubrum transmutetur; atque etiam, quoniam vegetationis & nutritionis atque incrementi causa est, ut in demonstratione præcedenti declaravimus: Aqua autem, quæ in secunda concoctione, virtute hepatis & glandularum colantium ac separantium san- guinem, à serosa ejus substantia in renibus, dividitur à vegetativa & sanguinea hac portione, est ma- teria tum urinæ, tum etiam sudoris nonnunquam, quæ pro re superflua habentur, & propter inutili- tatem suam tam diuretice quam diaphoretice expelluntur foras. Tertium autem elementum, vide- licet igneum, invenimus fœtidum, putridum, & pessime olens: Quare observavi, quod hæc chaos portio esset causa formalis corruptionis & putrefactionis in omni corpore sublunari: Unde res om- nes putrefactioni & corruptioni propinquæ propter hujus elementi in ijs dominium, fœtore insi- gni afficiuntur: Color vero ejus est instar bilis seu cholæræ intensissimæ; cujus etiam acrimoniam ac- cuitatem & caliditatem secum habet: Atque tanta est inter hoc elementum seu igneum hujus ve- getabilis laticem & tenebras amicitia, ut, quamvis arte ac via Chymicorum vulgariū istud idem elementum in Rubini specimen diaphanum & perpulchrum reddiderim, spatio tamen paucorum dierum istud iterum tenebrosam & opacam tenebrarum æruginem sibi gradatim attraxerit, ita qui- dem, ut omnis ejus perspicuitas quasi tolleretur, & plane obscuretum fieret: Ex quo quidem, ipsum Diabolum (cujus occultum est ignis tenebrosus) huic elemento extra sedem suam connaturalem egredienti facillime se, juxta prædictam Artesij, & post dicendas Psellij ac aliorum opiniones, con- jungere colligebam; Quare animo constanti concludebam, istum humorem igneum esse præci- puam morborum & infirmitatum causam, utpote qui ex sua natura corruptioni & mutationibus præternaturalibus origo esse deprehenditur; Sed & propter Cacodæmonis naturæ ad illum pro- pinquitatem malitia ejus magis est metuenda. Denique, hac substantia ignea ex suo carcere obicu- ro extracta, succedebat vitalis plantæ humor, quem maxima cautione & patientia eliciui, ac tandem à sua forde emundavi sine qua reperiri non potest. Hunc quidem laticem mirabilis naturæ atque conditionis esse deprehendi, quoniam limpidissimus erat, & quasi spiritus candido cristallino æ- quiparandus radijs solaribus undique ornato: Nam in ejus compositione tria observavi naturæ æ- theræ testimonia: Primum videlicet est spiritus limpidissimus radijs lucis undique conspersus: Sic enim Solem radijs suis cœruleam cœli substantiam condecorare videmus, & nihilominus spiritus substantia oculo apparet. Deinde æqualitas compositionis ejus in luce & spiritu denotat, hunc hu- morem de sphaera æqualitatis participare: Ultimum est, quod odoris bonitate & jucunditate præ- cellit omnibus elementis, & ab ijs differt; quippe quæ respectu ejus male olent.

Primum ergo testimonium denotat naturam calidi innati atque humidi radicalis ipsius vitæ, tam in regno vegetabili quam animali: Nam procul dubio limpidus ille latex, in quo lux tanquam Cupido jacet cum sua Psyche, seu Psyche humida est passivum illud humidum bene dispositum ad recipiendum vitæ actum; atque radius seu lux illa, se ipsam in balneo isto naturæ delectans, est ille vitæ actus, qui agit in passivum suum ad vitæ facultatem creaturis impertiendam: Hoc etiam ego experimento notabili observavi, cujus conclusionem in *Tractatu superius allegato* late enodabo: Ejus vero effectus erat, quod ejusdem portio in aquam communem impositione & mixtione pauco- rum dierum spatio innumerabiles vermes mirabilis naturæ procreatos aspiciebam; quo quidem ip- so tandem fiebam certior, hanc quintam essentiam esse vitalem causam tam in animalibus quam in plantis, & quod vermes ac cætera animalia ex putredine producta ab hujusmodi humore cœle- sti suis vinculis soluto ac libero vivendi originem accipiant; & quod per consequens etiam ipsius hominis vita ab hujusmodi natura cœlesti in aere delitescente, ac per pulmones assidue attracta prolongetur & successive continuetur: Similiter hæc ipsa natura in alimentis cujusque generis cen- traliter occultata confert ad spiritus vitales & sanguinem arterialem multiplicandum & præservan- dum, quemadmodum ipsius alimenti pars aerea ad sanguinis venalis augmentationem, facultatisque naturalis corroboracionem conducit. Secundum autem testimonium naturæ cœlestis est æqualitas propor- tionis humidi spiritualis cū calido lucis; quæ quidem declaratur hoc ipso, quod neq; calidum lucis in illo spiritu existentis sufficit ad continuam ejus liquefactionem, neq; humidum spiritus ita potes est, ut ra- dios suæ lucis occultare queat: Unde fit, ut iste humor cōgeletur per se instar cristalli, vel potius lapi- di

dis Jacinthini, & quasi aqua vel spiritus siccus ac fixus appareat in suo esse; qui tamen etiam nihilominus minimo calore liquefit, & semel liquefactus intensissimam per totum liquefactionis suæ tempus retinet flavedinem; At vero, ut primum frigeat, indurefcit panct, & in putinum colorem revertitur. Ex his igitur fat liquido constat, quod ita substantia sit influentia quædã occulta a sphaera æqualitatis seu animæ, per quam sol transit; & per consequens, quod istiusmodi spiritus citulatur ad vitæ generationem & continuationem à fonte vitæ, qui est substantia solaris. Ultimam denique testimonium arguit, istum humorem neque esse de terra, nec de aqua, nec de aere, nec etiam de elemento ignis; quatenus ab his omnibus differt, tum odore, tum substantiæ habitu: Unde concluditur, quod sit aliquid supra quartam essentiam, & proinde illud, quod à Chymicis quinta essentia nuncupatur. Terra denique, vel tenebrosior pars, & caput quasi mortuum totius massæ deforme in fundo vasis seu cucurbitæ instar Lucifugi omni gratia cœlesti destituti jacet; nec ulla quidem ignis violentia ab eo statu sublimari solet, præterquam, quod sal quoddam fixam in suo centre retinet. Atque ita habentis omnia elementa quinque ex unico Chaos, seu unica massa deforme; ex quodam vegetabili per excellentiam corpus humanum nutriente: At vero, cum certum sit, quod omne nutrimentum convertatur in substantiam nutriti, cum simile nutriatur à suo simili, verum simile est, quodlibet vegetabilis nutriente elementum respicere simile sibi elementum rei nutritæ, & per consequens, elementum unius naturæ correspondere naturæ elementi alterius; Et, quia pars nutrimenti magis aerea convertitur in naturam elementi aëris nutriti, sequitur, quod maxima sit relatio inter utraque hæc elementa; cum juxta vetus illud Philosophorum axioma; *quod facit tale, sit magis tale*. Sequitur ergo, quod elementum terreum alimenti hujus vegetabilis ad succum melancholicum aliquid conferat; aqua ad pituitam & urinam, aer ad sanguinem, ignis ad bilis augmentationem, & quinta essentia ad spirituum vitalium, sanguinisque arterialis successione. Cœli ergo substantia in planta nutrit suum simile in animali, videlicet partes vitales; ignis vero, aer, aqua, & terra corpusejus nutriunt, mixtione scilicet sanguinis cum massa per appositionem, unionem, & coagulationem: atque ita continuatur corpus in eodem augmentationis gradu absque diminutione; videlicet propter sanguinis successione, quæ oritur ab hisce nutrimenti elementis, quorum quidem naturali in sanguine prædominatione complexiones ab invicem differentes præcreantur: Unde, si bilis propter hepatis proclivitatē ad hujusmodi humoris generationem dominium habuerit in sanguine, hominem facit naturaliter biliosum seu cholericum, si pituita pituitosum, & si melancholia melancholicum; At vero, si actio hepatis tendat ad mediocritatem, complexionem producit sanguineam: Et tamen cujuscunque complexionis fuerit homo, vasa ordinantur à creatore pro nimia cujuslibet humoris prædominantis superfluitate, qualia sunt cista fellis, Lien, Ventriculus, Intestina & Vesica. His igitur luculenter docemur, quod vera hujus nostræ demonstrationis ocularis speculatione facillimum sit intelligere, quid sit sanguis, quid pituita, quid melancholia, & tandem (quod quidem omnium difficillimum est) quid sit illud occultum cœli mysterium, quo vita prolongatur & nutritur in corpore humano. De hoc denique experimentalis creto divina favente gratia mentionem affluenter & copiose suo loco faciemus:



SECTIONIS I.
PORTIONIS II.
PARS III.

De

TERTIANIS MACRO-ET
MICROCOSMI PRINCIPIIIS, HOC
EST, DE CAUSIS METEOROLOGI-
cis, & compositioni propinquieribus.

C A P. I.


De Ethnicorum Philosophorum & Medicorum principijs, & quod ipsi principia increata ignorarent. De principijs tertianis, seu corporibus imperfecte mistis compositioni proximis, quæ meteora dicuntur. Demonstratio clara corporis imperfecte misti naturam indicans.




DE Principijs primarijs seu Metaphysicis atque increatis: Similiter de illis secundarijs seu Phyticis & creatis; ex quibus duæ qualitates primariæ nempe caliditas & frigiditas exurgunt, atque iterum mutua earum actione, aliæ duæ qualitates magis passivæ humiditas scilicet & siccitas producuntur, quarum actione & passione ad invicem illæ quatuor substantiæ procreantur in mundo, quæ Elementa communiter dicuntur; sermonem satis apertum atque perspicuum in præcedentibus quidem jecimus. Ethnici in principijs rerum primarijs atque increatis nunquam vel saltem valde parce versati sunt, unde etiam factum est quod ipsi de secundarijs Principijs tanquam cæci de coloribus referre solerent, nonnulli (inquam) perpaucis solummodo exceptis, quibus ob divinam eorum in principijs abstrusis & mysticis inspectionem divinitatis titulus attributus est. Aristoteles igitur de Principijs suis more obscuro cecinit, sub velo & peplo quasi obscuro vera & primaria fundamenta Phytica, Tenebras nempe, Aquas & Lucem respiciens, & de illis sub nominibus Privationis Materiæ & Formæ tractans: at vero principia illa primaria & increata ignorabat, quippe qui mundum increatum & æternum existimabat. Galenus & Hippocrates principia sua primaria fecerunt quatuor summas qualitates videlicet summam caliditatem, frigiditatem, humiditatem & siccitatem, quas quidem qualitates, si materiæ insint, quatuor elementa constituere asseveranter dicunt. Ita ut hi etiam (quemadmodum ex scriptis suis apparet) illa summa atque increata principia, ex quibus omnia primordialiter sunt facta, nesciverint, nec quidem Tenebras, Lucem & Aquam (ex quibus qualitates prædictæ quatuor sunt productæ) respexerint. Atque hæc erat tanta scientiarum, atque etiam tam Philosophiæ quam Medicinæ incertitudinis atque inconstantia ratio, quoniam scilicet ignoratis Principijs seu causis increatis seu Archetypicis de Principiatis seu causatis rite judicare impossibile quidem est. Nos autem ex priorum principiorum ab uno fonte promanantium, revelatione docemur alia esse adhuc principia completæ compositioni seu corpori perfecte misto magis propinqua, quam aut Tenebræ aut Lux aut Aqua, aut Terra aut ignis aut Sphæra humiditatis, quæ sunt tria elementa compositionis. Nam ut videmus quod in prima creatione, alteritas seu angeli compositio, immo certe & totius mundi consistentia, videlicet Lux &

Aqua

Aqua (quæ faciunt dualitatem) ab unitate procreata sunt, ita etiam dicimus quod in simplicitate elementorum ad mixtionem imperfectam fiat progressio priusquam ad compositionis perfectionem accedendum est. Ut igitur ab essentia monadis ad dualitatem, videlicet Lucem & Aquam ad perfectam mundi in trinitatis similitudine creationem facta est progressio: sic etiam ex luce & aqua tam tenebrosa quam clara factum est cælum & terra, ex quibus tria elementa (quæ alij faciunt quatuor) derivantur. Similiter ex horum elementorum uno non fit mixtio, multo minus compositio, quæ mixtione incompleta perfectior existit. Ex duobus vero & nonnunquam ex tribus fieri solet mixtio illa media quæ ideo imperfecta dicitur, utpote quæ ad compositionis complementum nondum pervenit. Unde imperfecte mixtum illud proprie à Philosophis nuncupatur quod medium est inter exactam elementorum simplicitatem & completam eorum mixtionem quam compositionem haud improprie appellamus. Sat igitur liquido patet quod imperfecte mixtum propinquius sit simplicitati elementorum quam exacte compositum, & per consequens sequitur quod sit principium composito vicinius quam est ipsum elementum. Verbi gratia ad numeri ternarij productionem vidimus quod numerus binarius sit causa propinquior quam unitas, & hæc est ratio quod dualitas pro numero imperfecto habetur, quatenus est medium inter perfectissimam simplicitatem & exactissimam compositionem ex unitatibus factam. Sic quidem elementum est quasi unum, cujus duplicatione mixtum imperfecte procreari solet: & tamen nihilominus ex ea mixtione, labore & industria Naturæ, compositio completa & perfecta generatio fieri assolet: Deficiente vero illa compositione fit statim reductio immediate in propinquius suum principium sive imperfecte mixtum, quod quidem assidue in rerum corruptione acciderè compertum est. Hinc igitur luculenter constat tam compositionis generationem quam corruptionem ab illo medio imperfecto movere & in illud rursum recurrere: Unde axiomata hoc à Philosophis toties ebuccinatum. *Nulla est vera rei composita dissolutio, nisi prius in primam suam materiam, hoc est, proximam & magis propinquam suam originem reducat.* Est ergo in omni generatione progressio à termino à quo per medium ad terminum ad quem hoc modo.



Vel more spherico potest illud hoc modo exactius describi, ubi via tam generationis quam corruptionis aperte explicatur:



1. Est terminus à quo. 3. Est terminus ad quem in generatione: At vero in corruptione. 3. Est terminus à quo ut 1. Occidentalis est ejus terminus ad quem. Sic Oriente Luna crescit & fluit mare quousque illa perveniat ad punctum meridiei: à quo declinante Luna vsque ad Occasum refluit & decrevit. Sic multiplicatione & auctione fit generatio, sic defectione & decremento fit rerum corruptio. Progressio ergo in Generatione fit à perfectione simplici 1. Orientalis ad vigorem seu perfectionem completam 3. in Meridie, per imperfecte mixtum 2. atque ita fit exacta compositio generatio: Ubi videmus 2. loco & numero esse propinquiora ad 3. quam 1. Unde 1. Orientale diu potest principium remotum in compositione seu generatione & 2. principium proximum ejusdem. Simi-

Similiter vice versa in recessu à compositione ad simplicitatem necesse est ut reductio fiat primum à 3. (quod est terminus à quo in corruptionis motu) in 2. imperfecte mixtum priusquam ad 1. Occidentale retrogredi queat, quod 1. est terminus simplicitatis: nam motus à termino ad quem tum directus cum & retrogradus fieri non potest, per idem medium non fiat transitus.

C A P. II.

*Quod sperma cuiuslibet compositi sit corpus imperfecte mixtum,
& per consequens de natura Meteororum
Macrocosmi.*

IN numero igitur corporum huiusmodi imperfecte mistorum ea recenferi videntur rerum compositarum principia quæ continentur inter ipsa elementa & corpora complete elementata, ac sunt proprie illa corpora sive visibilia sive invisibilia, quæ additione partium aut perfectione hoc est motu completo, videlicet à termino à quo ad quem constituunt atque generant corpora perfecte mista tam animalia quam vegetabilia & mineralia. Quid enim aliud erat remota meralli vel alicujus alterius mineralis materia seu principium proximum quam fumus seu aqua subtiliata cum igne mista? quid proxima? Nonne sulphur & argentum vivum hoc est vapor cum exhalatione mistus? Quenam est prima animalis natura præter aquam & lucem? & quæ secunda nisi aer seu fumus tenuis & ignis occultus: quæ proxima & ultima causa? nonne sperma seu vapor grossius ignem subtilem includens in suo corpore condensato? At hoc sperma est illud corpus imperfecte mixtum quod immediate transit in naturam compositionis perfectæ. Nec certe differre videtur materia vegetabilis seu causa corporis vegetativi tam remota quam proxima ab illa rei animalis, nisi in eo quod hæc sit magis aerea & ignea, illa vero de aqua plus participat, quemadmodum ea mineralis portionem suam majorem de aqua gravi & terrestri sibi vindicare videtur. At vero horum perfecte mistorum materia est semper specie eadem videlicet aqua, quæ aut grossitie, aut subtilitate in partium suarum numero differre videtur. Forma autem agens est de subtilitate ignis cujus præsentia majori aut minori materia quidem spermatica fit vel grossior vel subtilior, & per consequens secundum proportionem suam constituit aut animal, aut plantam, aut minerale.

Ex quibus luculenter constat quod sperma (quod est proxima imperfecte mixti materia, seu principium ejusdem rei tertianum quam immediate constituit) sit corpus imperfecte mixtum, hoc est media quasi substantia inter elementum à quo moveretur & elementatum exacte mixtum quod immediate procreare & perficere pergit in suo motu, atque ut ab unitate ad trinitatem est motus à simplici perfectione ad perfecte mixtum, ita necesse est, ut hic motus progrediatur per medium sine quo nulla est mensura absoluta: At vero quoniam dualitas dicitur numerus imperfectus, utpote quæ medium est inter 1. & 3. sed medietatem in sua proportione non habet quatenus duo solummodo termini assignantur inter 1. & 2. Sic etjam sequitur quod sperma sit quasi corpus imperfectum vel imperfecte mixtum inter simplex elementum & complete miscendum consistens. Sunt ergo spermata rerum omnium (quæ principia ultima & tertiana appellamus) corpora illa intermedia seu imperfecte mista & quasi fumi vel vapores seu exhalationes illæ densæ ac visibiles factæ & simul in forma nubis vel nubeculæ spissioris vel tenuioris reductæ, quæ Philosophi non infulle meteora dixerunt, eo quod plerumque sublimer in aere elevantur, cujusmodi quidem corpora definiunt esse corpora imperfecte mista, ajuntque ea in aere vi stellarum ex fumo (quem duplicem faciunt vaporem nempe & exhalationem) esse genita. Hinc igitur docemur quod omnis res ex elementis composita esset primordialiter ex illa media substantia quæ vocatur corpus imperfecte mixtum, hoc est, in medio motu existens inter perfectam simplicitatem & completam compositionem. At vero diligenter considerare debemus, quod si corpus huiusmodi imperfecte mixtum esset principium in rei compositæ generatione & productione primum, necesse etjam foret ut in hanc ipsam materiam seu substantiam mediam, compositam, corruptione operante, iterum revertatur, juxta illud veterum sapientum supra allegatum: *Vera rerum omnium dissolutio est ipsarum in primam & proximam materiam reductio.*

Quod quidem ni fieret, impossibile esset ut compositio aliqua, resolutione & putrefactione prædominantibus, per medium in quatuor sua elementa primaria retrogredieretur: nam impossibile est remeare à termino in generatione ad quem ad illum à quo, nisi sit per medium terminum imperfectionis: Sic enim, suam videlicet perfectionem exuendo & in imperfectionem rursus progrediendo (laxis compositionis habenis) tabescit & paulatim destruitur perfecte mixtum: nam in omni corruptione, res corruptioni obnoxia resolvitur prius in naturam spermatis tam masculini quam fœminini per quam in generatione transibat ad compositionis complementum, tametsi propter

pter corruptionis molem & massam in vera spermatis primordialis forma & substantia non discernatur.

Sed tamen nihilo minus quod res sese ita habeat nos docet experientia ipsa in putrefactione naturali grani tritici, cujus sperma, licet corpore in terra putrefacto, non appareat, ab effectu tamen docemur quod granum illud corruptione reducatur in præstantissimam illam naturam spermaticam cujus libertate, & corruptione præeunte, magnetica quadam vi trahit ad se virtutem multiplicativam à Sole occulto & superioribus spiritu tandem digniori resurgat atque potestate admodum grandi in altum sublimetur. Hisce igitur perspicue demonstratur quod in & per mediam istam substantiam, hoc est per meteoron vel corpus imperfecte mistum, tam perfectio quam imperfectio respectu generationis, tam (inquam) compositio seu resolutio seu decompositio, tam generatio quam corruptio, tam vita quam mors, corporalis, tam sanitas quam morbus cum Macrocosmo tum etiam & Microcosmo, hocque admirabili divini actus in natura humida effectu & operatione corporibus perfecte mistis accidere solet, quemadmodum in subsequenibus luculentius explicabitur.

Manifestum ergo est quod imperfecte mistum sit illud medium à quo fit transitus ad exactam perfecti compositi generationem, & in quod mutata forma corruptioneque operante fit à puncto generationis retrogressio, ita ut in Macrocosmo rerum omnium spermata nihil aliud sint quam meteora quæ nunc sunt fumi condensatione talia apparentes qualia sunt: atque ideo tam in Macrocosmo quam in Microcosmo meteora dici possunt omnia hujusmodi materialia imperfecta ex fumis utriusque generis procreata, quorum vehiculum in quo subsistunt, seu mare illud philosophicum in quo natant, est spiritus ille aereus omnia mundi miracula tam manifesta quam arcana possidens. Quomodo autem in meteora ista tam occulta quam perspicua in spiritu Microcosmico vehantur infra suo loco explicabitur, ubi etiam pariter de illis mundanis verba licet per pauca, ea tamen perspicua & clara faciemus.


C A P. III.

Quod omne creatum & genitum, seu corruptum motum ad suam perfectionem à principijs per medium meteorologicum, hoc est imperfecte mistum acceperit.

Nullus ergo fuit unquam in mundo, vel ad creationem perfectam, vel ad generationem, vel ad corruptionem motus, qui per medium meteorologicum, hoc est, imperfecte mistum non erat factus. Nam ut ad melodiam complementum consonantiam mediam, internam & minus perfectam requiri solet, sic etiam ad creationem videmus numerum binarium interponi inter creatorem & rem creatam, quo creatura illa ad creationis perfectionem perducatur. Verbi gratia progressionem ab unitate increata pervenimus ad dualitatem materiam & formam, aquam & lucem denotantem, quarum unione, mediante spiritus ordinis ternarij vinculo, creatura completa ex elementis illis primarijs, primo creationis die procreata est, quæ forma angelica est prædita. Simili ratione inter dualitatem & ejus quadratum 4. intercedit 3. quæ est quasi imperfecte mistum seu medium inter 2. & 4. Tale ergo est substantia cæli medij cujus substantia 3. est materia, forma vero est binarius superæthereus: 2. ergo ad 3. unitus dat cælo huic nomen quintæ essentia. Creatura perfecta ex his est Sol, & cæteræ stellæ, quæ quadrati vices accomplent: Similiter Sol & Stellæ se habent ut corpora imperfecte mista seu ipsa meteora ignita respectu corporum infimi ordinis compositionis perfectæ elementatæ, in quibus cubica serie reperitur numerus octonarius. Nam licet in se perfectissima sit mistio inter lucem & spiritum cæli Empyreï, tamen respectu angelicæ compositionis dicitur imperfecta mistio, quatenus est medietas motus inter monadem creatorem & angelum creatum, cum sit mistio talis in via ad perfectionem.

Similiter forma cæli medij, quæ est cæli superioris integra natura, cum spiritu tali, est quasi imperfecte mistum seu meteoron respectu perfectionis creaturæ stellaris quæ ex ea procreatur & perficitur, quamvis in sua natura valde sit perfecta; atqui iterum stella eodem modo se habet respectu creaturæ terrestris ad cujus compositionem omnia concurrunt elementa. Et certe credo ego quod in prima creatione omnis creatura elementata esset prius stella meteorologica priusquam in creaturæ compositæ perfectionem redacta erat, imo vero & ipse Adam primus homo ab hujusmodi meteoro perfectionem, inspirante unitate accepit. Quod autem ad harmoniam generationis & corruptionis attinet intelligendum est quod inter terminum à quo & illum ad quem est idem plane respectus, nam in generatione sit motus à simplicitate elementorum per medium seu imperfecte





Et mistum ad mitionis perfectionem quæ in genito reperitur, uti antea dictum est, atqui etiam in corruptione seu reductione compositi in prima sua elementa necesse est ut transitus fiat primum per illud ipsum medium seu imperfecte mistum quod erat sui generationis causa propinqua. Sic etiam videmus quod in metallorum reductionem in primam ipsorum materiam, primum transeunt in Sulphur & argentum vivum ex quibus erant prius, atqui etiam tritici granum in suum sperma corruptione redactum est priusquam motu circulari in gloria & abundantia exurgere potuit. Videmus etiam in ipso animali quod necesse sit ut mediante corruptione per regionem spermatricam retrogreduatur ejus natura, parte (que ejus nutrimento auctæ in sua elementa per medium imperfectum revertantur ad sua principia elementaria: Quibus equidem videre liceat qualis sit elementorum rotatio ad generationem & corruptionem per media imperfecte mista, & qua ratione meteora eadem sint causæ tam generationis, viæ & augmentationis seu conservationis sanitatis, quam corruptionis, decrementi seu marcoris, morborum & denique mortis, sed quomodo hæc fiunt & qua ratione licet difficillimum videbitur declarare, illud tamē argumentis tam theosophicis quam quidem philosophicis me *infra* explicaturum atque rationibus satis apertis facillime demonstraturum spero.

C I P. IV.

De meteoris humanis tam spiritualibus quam sensibilibus, per quæ motus fit tam ad generationem & augmentationem quam ad corruptionem & decrementum: Et quod elementa tam in macrocosmo quam microcosmo apparentia sint in imperfectorum mixturarum numero.

AD Microcosmi etiam tam interni quam externi procreationem duo, (quippe quorum unum est spiritus forma humana imbutus & aliud est corpus ad compositionis perfectionem productum) concurrere nulla erit dubitandi occasio, præsertim si in primo ordine animam rationalem ex spiritu intellectuali & lucido mentis divinæ radio conflata existimaverimus, quæ mixtio est media inter unitatem verbi & animam vitam: Atque hinc est quod dixerit Mercur. Trismeg. Pim. 10. *mens in ratione & ratio in anima &c.*

Quæ nihilo minus mixtio mediæ in se sit perfectissima, tamen respectu motus illius ad animæ humanæ complementum à meade creante, dici potest imperfecte mistum quatenus est in media via ad perfectam animæ vitalis procreationem in homine. Atque iterum si gradum secundum respiciamus tunc percipiemus, quod anima vitalis in corde ita se habet ad naturam Empyream seu spiritum rationalem mentis radi illuminatum, ut cæli purissimi spiritus lucidus in mundo ad naturam Solis: hoc est, ut 3. ad 2. quam terminus perfectus est 4. Sic etiam terminus hominis interni est spiritus æthereo jure in quo vita seu anima regnat: atque ita in spiritu aereo terminatur animæ humanæ mixtio perfecta & per consequens anima vitalis sive spiritus istiusmodi consideratione dicitur imperfecte mixtio quatenus per se considerata nondum pervenerit ad complementum hominis interni; & tamen mixtio ejus per se (quæ est ultimus terminus in primo gradu, est ejus mixtio perfectissima, ut dum est. In homine ergo ita se habet anima ut Sol in cælo, hoc est medium inter terminum à quo & illum ad quem: At vero hujusmodi hominis interni meteoron est omnium perfectissimum quemadmodum illud Solis in mundo: in quo à Platonice anima media dicitur regnare: Nam vol mundi rectissime definiti potest cometa vivifica, lucida & permanens universi machinæ, ita anima & cor in cujus vase anima vitalis præcipue delitescere dignoscitur: Et quamvis Sol hic non varijs videtur quandoque eclipsibus & meteoris obscurari, utpote qui nebuloso spiritu undè circumductus sæpicule videtur compati, nihilo minus hoc fit propter aeream hominis interioris basim, quæ non aliter apta est meteoris densis & obscuris obtenebrari quam Sol cæli nubibus, & eclipsibus ab oculis nostris abscondi percipitur, & tamen nihilo minus Sol in sua natura non patitur hujusmodi impedimenta sed quoad nos, & respectu medijs illius quod est inter se ipsum corporeum & objectum lucidum, sed de his alibi uberius: Videmus ergo quomodo in creatione hominis interni imperfecte mista concurrant, quæ tamen alio respectu perfectissimæ dicuntur habere compositionem: Nam quatenus sunt in via à simplicitate ad profundioris compositionem dicuntur imperfecte mista quoniam nondum ad metam perfectionis pertiger: quare ad meteora invisibilia haud inepte comparari possunt ut *infra* luculenter demonstrabit. Ac hi quidem omnes termini in ipso semine seu germine humano comprehenduntur quorū in motu distantia cognitio, Philosopho quidem stupido & sensibilibus

bus Solis oculis intuenti non conceditur, sed ei solummodo qui oculis intellectus internam rei naturam contueri solet: nam quod in spermate videtur est spiritus ille inferior qui est animi basis & oculis condensatione non minus obuius quam nubes seu nebula visibilis qui antea erat aer in visibilis: Atque hic spiritus visibilis est quasi corporis seu hominis externi fundamentum atque meteororum illorum omnium medium quæ in corpore humano oriri solent: Hoc quidem totum exactissime narravit Hermes *Pimand.* 10. hisce in verbis: *Ratio in anima, anima in spiritu, & spiritus in corpore per venas arteriasque sanguinemque diffusus animal undique ciet.* Virtute ergo huius spiritus inferioris aqua, propter nexum suum inviolabilem cum aere vivificatur & movetur, & denique terra ob eius vicinitatem cum aqua, inque omnium centro movet immobiliter Mens permanens, tanquam primus motor spiritum intellectualem, qui ita animata exagitat animam mediam cuius motu incitatur spiritus infimus ut ipse tandem humores tam flatulentos & vaporosos invisibiles quam quatuor illos visibiles, sive in corpore naturaliter, sive prænaturaliter insunt impellere observatur: Atque hic extat motus tam in creatione quam generatione & tam in auctione quam diminutione atque corruptione, in quem ut naturæ motus semper tendit vel ad perfectionem, in simplicitatem à multitudine vel ad completam compositionem in multitudine à simplicibus ita semper requiri debet medium de utroque extremo quodammodo participans, sed modo & ratione imperfecta, quoniam numerum binarium respicit.

Quod autem ad elementa utriusque mundi atinet ea quidem ipsa quatenus non sunt simplicia in numero imperfectorum mistorum, seu meteororum recitari possunt, nam in Macrocosmo tenebras primarias ad centrum repercussas pro vero elemento terræ æstimamus per Aleph à Cabalisticis expressas, & Aquas purificatas & ab istis tenebris alchimia divina ab origine extractas, tam subtiles & spirituales seu aeræas, quam grossas & magis visibiles pro vera humiditatis sphaera habemus sub hieroglyphicis Mem Ψ & Ω significata, & Lux incera primo die creata pro unico igne puro reputamus in hoc mundo quem Cabalisticæ per hieroglyphicum Ψ Shin notaverunt. At vero quoniam elementa vulgaria ab huiusmodi simplicitate & puritate recedunt propter maiorem aut minorem unius cum alio mixtionem ideo ea in loco imperfectorum mistorum seu meteororum habemus, quatenus excefferunt gradum simplicitatis quodammodo compositionem quamlibet respexerunt. Sic terra hæc nostra permiscetur cum partibus heterogeneis quæ in creatione sua erat quasi identitas, & homogenia; aquæ elementum terræ fragmentis polluitur, imo vero & igneis insulubus quandoque subijcitur ut in tonitruo videre ceat, ignisque purus nullibi reperitur, omniaque fere mundi principia quoad nos confusa & imperfecte mista esse videntur, unumque elementum in alterius rotare naturam gestire videtur, quousque corpus terrestre reducatur illudque tandem corruptione disiectum, in id quod prius erat retrocedi & remeare gradibusque dissolutioni requisitis deproperare animadvertitur: atque ita cap suam caudam comedere dicitur, motusque sphaericus à termino à quo ad terminum ad quem de illo tandem in illum iterum à quo (qui quidem est mundi seu naturæ cursus orbicularis ad generationem & corruptionem) semper in mundo agere observatur.

Quid etiam de elementis humanis aliud est censendum quam ut à puritate longius sint remota quam illa mundana & per consequens pro imperfecte mista habenda ad compositionem propinquius accidentia naturisque meteororum viciniora, hoc tam in generationis elementis quam in nutritionis intelligendum est? Nam ut imprimis cum humanæ generationis incipiamus, in ejus principio sperma humanum formam composito adhibere atque etiam materiæ hominis externi fundamenta statuere videmus: homo autem intus (cujus basis est spiritus aeræus condensatus seu materia spermatis visibilis) sibi simile ex plorum regionibus magnetica facultate attrahens, extendit spiritum spermatis visibilem ipsum continentem & continentem, atque ita vitam dat vehiculo suo visibili qua etiam sibi similem aerem se allicit, unde aer massæ exterior assidue attractus propter aeris externi & mundani cruditatem frigiditatem condensatur in humorem plane aqueum qui pituita dicitur & illa tandem terrea sic majori aut minori in carneam, nerveam, cartilagineam aut ossæam substantiam redigitur: Primus ergo quod sperma fuit primus meteorologia generativæ gradus mixtus ex spiritu aeræo & aëreo, seu igneo, secundus erat pituita cocta quæ est sanguis, vel cruda quæ phlegma dicitur in quibusdam misto imperfecto, vergit elementum magis magisque ad perfectionis medium quæ est sanguis: ita ut sanguis est imperfectum mistionis in generatione videlicet inter sperma visibile terminum à quo & corpus humanum: atque etiam in geniti nutritione est medium inter chilum carnem: cum ex chilo oritur sanguis qui est chilus secundo modo concoctus, & ex tertia sanguinis coactione, unione scilicet, assimilatione & coagulatione fit caro & quæ ex carne derivantur & nutriuntur: Quod autem sperma sit meteoron quasi & massa imperfecte mista patet, eo quod non est simplex elementum per se, nec res perfecte composita adhuc genita, sed res à simplicibus elementis orta & in via ad generationem movens, ita quidem videmus quod nube mundi majoris

potentia inest generativa & spermatica omnium vegetabilium juxta illud, *Exod. II. 14. & 28. a 23. & 29. 23. Psalm. 68. 10. Job. 5. 10. & alibi*: quæ quidem nubes se habet in magno mundo ut sperma in minori cum ambæ sint nihil aliud, quam aer condensatus: cujusmodi etiam est aqua illa grossa ex argento vivo & sulphure misto ex quo tanquam ex imperfecte misto seu causa propinqua fit compositio metallica.

Intelligendum ergo est sedulo quod sperma in animali semen seu granum in vegetabile, imo vero & ipsa nubes (quæ adhuc est vegetabilium causa remotior, atque aqua grossa quæ est metallorum mater, nihil aliud sunt quam Sulphur magis aut minus proportionatum in proprio suo Mercurio quæ quidem ambo mista nihil sunt præter meteoron aut imperfecte mistum, hoc est sublimatum inter grossum compositum ad quod tendit, & tenuissima simplicia à quibus tanquam terminis à quibus derivatur. Sed jam ut ad meteora nutritionis & aëtionis tam remota quam propinquiora revertamur, dicimus quod chilus in ventriculo ita se habet in Microcosmo ut nubes in ventre Macrocosmi, atque ut experientia docti videmus quod nubes conflatur ex majori aquæ quantitate cum minoribus ignis, & terra atque spiritus aeris, uti in nube tonitruali videre liceat, in qua lapis, fulgur & spiritus mirabilis continetur; ita quidem in chilo potentialiter terrea melancholia tam naturalis quam præternaturam, atque etiam bilis talis, ac tandem sanguis verus atque exquisitus continentur, quæ omnia multitudine aquarum teguntur & submerguntur chilo seu pituitæ locum occupantium; atque ita tota hac massa fortiori digestionem in sanguinem rubicundum transmutatur, quod etiam in ipsa nube nonnunquam accidere videmus in cælo aereo: Porro etiam quomodo virtute divina aquæ in sanguinem converti possint docemur, *Psalm. 105. 29*. Inest etiam in hac massa, ventus, flatus, & vapor qui ex ejus ventis facillime calore animali excitante eliciuntur.

Denique per secundam animalis digestionem elementa hæc animalia fecernuntur ab invicem quarum cholera seu bilis flava igneam præ se ferens naturam in fellis feculum effunditur, melancholia seu bilis atra aliene attrahitur, & pituita seu pars serosior ad renes penetrat sanguisque nondum sincere expurgatus universum irrigat corpus per venarum rivulos. Hic ergo patet luculenter quod quilibet horum humorum non sint simplicia elementa sed mista secundæ conditionis ex illis mundanis quæ in primo gradu misionis decesserunt à vera elementorum simplicitate. Unde licet in animale bilis elemento ignis comparatur tamen hoc fit non quod simplex sit elementum, sed quatenus magis participat de natura ignis, nam ejus basis est humor aqueus qualitate ignis, qua abundat subtilis factus; ejus vero forma est substantia ignea in aere denso tanquam proprio suo vehiculo natans. Unde patet quod imperfectissima sit hujus humoris mistio, & per consequens loco nubis igneæ sive fulgidæ haberi, cujus præsentia ut plurimum naturales producuntur in mundo effectus tempusque gratum promittitur, sic etiam hoc elementum magna producit corpori atque sanitati ejusdem commoda. At vero quandoque se habet ut fulgura & coruscationes, & cometæ, & hujusmodi alia meteora ignita corpora male afficiant, nonnunquam etiam cæli faciem rubedine & flavedine tingit ignea vis aeris commotionem & ventorum excitationem futuram promittens, quemadmodum etiam ignis hic biliosus si in motu suo naturali impediatur icteritia tæda curim & superficiem corporis tingere solet, flatusque & perturbationes in eo exagitare & hujusmodi alia: Atque hic quidem Lectorem certiores fieri volumus quod ut elementum ignis in sua substantia contracta visibilia in mundo producit meteora, verbi gratia cometas, fulgura, coruscationes, lampades, capræ saltantes, ignes fatuos &c. Sic etiam bilis præternaturaliter affectus in corpore producit meteora conditione & colore talia qualia ipsa est. Verbi gratia inflammationes, icteritias, guttam rosaceam, Dysenteriam &c. Similiter ut elementi ignis in visibilibus substantia in cometæ massam visibilem aut hujusmodi alterius meteori visibilis contracta, meteora invisibilia generare solet in aere, quibus non modo aer ipse inficitur, sed etiam vegetabilia male afficiuntur, animalia peste corripuntur, famelique terræ producitur & infinita alia incommoda mundo inde oriuntur: eodem plane modo res ita se habet in meteoris invisibilibus ex hoc visibili meteoris malevole disposito in microcosmi corpore exhalatis, videl. pestes, febres cujusque generis, variolæ Peripneumoniæ, Pleuritides & infinita alia accidentia hujusmodi: Hoc etiam & idem dici potest de Melancholiæ tam manifeste quam occulte præter naturam operantis effectibus, atque etiam de illis Pituitæ atque Sanguinis male misti, quorum male dispositorum cum vaporibus contagiosis seu corruptentibus tum substantia ac qualitate manifesta, miseræ produci solent in mundo ægitudines, quemadmodum ex venenata terræ & aquarum in aliquibus mundi locis dispositione videre liceat. Porro etiam præter id quod superius dictum est apparet quod elementa quæ jam repertiuntur impura sint & à primarijs naturis remota, quoniam Elementa in sua simplicitate sunt ex aqua & lucis portionibus, ita ut inferiora duo quatenus luce minus abundant passiva dicuntur superiora vero activa: Sic etiam se habet cælorum substantia, nam substantia cæli ætherei fit ex substantia cæli Empyreici quæ ei loco formæ inservit & dicitur Mittaton seu anima mundi: passiva vero ejus pars est portio media aquarum simplicium sine respectu compositionis illius cum forma aliqua.

Deinde magis deorsum descendendo substantia cœli medij est quasi forma substantiæ aquarum cœli infimi quæ est infima pars spiritus sive aquæ universalis, unde liquet quod ut forma partis aquæ superioris sit purissima quatenus immediate derivatur à præsentia Dei & est lux increata, ita forma seu lux cœli ætherei seu medij est minus pura quatenus nihil aliud est quam lux creata seu purissimus cœli superioris spiritus lucis increatæ radijs ornatus, quæ ita agit cum substantia aquea cœli medij ut mas cum fœmina. Similiter forma cœli elementalis est composita ex substantia cœli Empyreï & ejus forma & substantia crassiori cœli medij quæ dicitur spiritus æthereus, ita ut aquæ pars infima sit triplicis mixtionis videlicet ex forma increata, seu luce purissima substantiam cœli Empyreï informantem, & ex materia humida cœli medij, quæ omnes loco formæ ei inserviunt, & tandem ex substantia densa sibi propria quæ respectu ejusdem formæ distinguitur in elementa quatuor seu sphæras tres, videlicet Ignem, Aerem, Aquam, Terram; vel sphæram ignis, humiditatis & terræ, ita ut recte à Philosophis dicitur quod cœlum agit in elementa passiva quorum matris est ipsa terra non aliter quam gallus in gallinam, aut mas in fœminam.

Videmus ergo secundum id quod dictum est quod totus spiritus mundanus dici possit imperfecte mixtum respectu corporis ex quatuor elementis compositi, quamvis revera in se perfectissime mista est cœli Empyreï substantia ex luce primæ emanationis, & sua simplicissima substantia minus perfecte mista est cœli medij substantia & minime illa elementorum: Nam quo profundius lux in vera immergitur in abyssu tenebroso eo imperfectior & multiformior est ejus in mixtione unio: Sed tamen imperfecte mixtum à Philosophis intelligitur illud quod est in via ad completam compositionem ex quatuor, sed tamen ad metam perfectionis in compositione nondum pervenit.

Elementa ergo propter rationes supra allegatas mixta sunt quatenus eorum forma est ex duplici substantia duorum cœlorum superiorum & lucis simplicissimæ portione, & imperfecta dicitur hæc mixtio quoniam ad medietatem complementi corporis compositi sive sit creatum sive genitum, nondum pervenit: Simplicia ergo à Philosophis dicuntur, Elementa, non quod sua puritate æquivalent aut substantiæ cœli Empyreï aut illi ætherei: Sed quatenus ex rebus sublunariis pro simplicioribus habentur. Et tamen hæc quæ dico de cœlo Empyreico Æthereo & elementari non concipio more vulgari, nam hæc omnes substantiæ sunt etjam super terram: non enim dicimus Episcopum sublimatum aut meteorizatum esse eo modo quo vulgus, res in sublimioribus cœlorum mundanorum locis expectans: sed ipsum dignitate & honore exaltatum intelligimus, quamvis eandem distantiam semper tenet super terram. Sic plumbum impurum diuturnitate temporis in auri perfectionem transit & sublimatur, & tamen nihilominus à suo loco non elevatur. Sed ad rem redeundo respectu universæ cœlorum substantiæ, Elementa inferiora seu sublunaria imperfecte mista dici possunt etjam in compositione per se considerata, sed in primo gradu mixtæ dicuntur. Meteora dicuntur imperfecte mista secundi ordinis quia in medio sunt inter elementa quibus primus gradus terminari à quo attribuitur & compositum elementatum. Sic quando substantia spiritus mundi inferioris inflammata, hoc est elementi ignis portio transit in aerem, duplici hac substantia producentur cometa & cætera meteora ignita, ut capræ saltantes, stellæ cadentes, coruscationes &c. Si ejus portio cum aqua involvitur, tonitrua & fulgura duplici hac mixtione producentur &c. Ubi actus in aere est spiritus sphære ignis inflammatus humidumque aeris patitur: Vel aqua nubis sustinet actiones tam aeris quam ignis; unde spiritus Mercurialis ab aere depromptus est ignis lucis vehiculum, unde tam materia quam forma fulguris derivantur.


C A P. V.

De gradibus meteororum, seu imperfecte mistorum varijs priusquam ad compositionis complementum pervenitur: Et quod primus gradus sit causa immediata gradus sequentis.

UT in præcedentibus dictum atque declaratum est quod substantia cœli Empyreï sit anima vera cœli medij, atque iterum ejus substantia sit anima cœli infimi atque eorum omnium origo sit unitas in Deo, sic etjam quodlibet meteororum præcedens est quasi anima & vita illius immediate subsequens in via ad perfecte mixtum, quorum omnium origo est terminus à quo, seu simplex elementum illud à quo derivatur, nomenque & esse suum præcipuum accipit: Verbi gratia in meteoro ignito videmus primum principium esse purum elementum ignis, deinde, secundus gradus est spurium elementum seu primus mixtionis gradus qui communiter appellatur elementum ignis, nam purum elementum ab ingenio humano vix quidem elicitur aut concipitur in rerum natura, tunc gradus tertius est in mixtione grossiori aeris spissi cum igne & fit visibilis cometa aut hujusmodi aliud meteoron: Denique se dilatando pergit atque in sensibilia elementa, utpote aqua & terram, penetrat in quibus si ad corruptionem tendit, malo, morbis, atque pessimis eventibus afficit, si ad generationem vivifico & benevolo modo ad compositionis perfectionem pergit: Si igitur ad benefici-

ciū tendit generat & conservat nec retrograde pergit quousque ad compositi perfectionem attingit, at si malevole progreditur & subito sine bono fine declinat ad dissolutionem & destructionem, facit etiam & totum subjectum in quod penetrat (etiamsi illud esset perfecte mistum) in gradum imperfectionis mixturæ suæ tendere atque in principia sua reduci: nam meteoron atque ejus elementum tam est causa corruptionis quam generationis; tam compositionis quam dissolutionis, eoque utitur Jehova tam ad creaturæ compositæ beneficium quam maleficium: Atque hoc idem videtur esse illud à sapiente ebuccinatum. *Creatura ignis Deo qui fecit omnia subserviens modo ad punitionem intenditur contra injustos, modo remittitur ad benefacientium; Sap. 16.* Similiter ibi dicit, quod *ignis in nive & glacie habitat ipsis minime liquefacientibus, hic vero è contrario ut alerentur iusti etiam propria facultatis oblitus est.* Nam *creatura tibi &c.* ut supra. Atque hoc etiam de meteoris ad alia elementa pertinentibus dici solet cum pluvias suas nonnunquam ad ruinam effundit Deus ut in diluvio & quandoque ad fertilitatem & benefaciendum. Dicimus igitur quod compositum in creatione se habebat ad radicem ut cubus ad 2. quare in motu ad perfecte mistum hoc modo à radice, 2. cujus initium erat, 2. progressionem naturali procedimus.

In generatione est progressio à radice 2. ad quadratum 4. & de eo ad cubum seu perfecte mistum 8.



1. Est terminus à quo & 8. terminus ad quem in generatione.

8. Est terminus à quo & 1. terminus ad quem in corruptione.

In corruptione est transitus à cubo 8. ad quadratum 4. à quo fit in radicem 2. resolutio.

In qua quidem demonstratione incipiendo à sinistra videmus exactam progressionem meteorologicam inter simplicissimum terminum à quo, nempe 1. & terminum cubicum numeri prioris 2. videlicet 8. completam compositionem denotantem inter quos terminos varios videmus misti imperfecti gradus quorum evidentissimus consistit in medio inter radicem & cubum quadratum denotans. Primus ergo gradus misti incompleti est 2. qui reperitur inter 1. & 3. denotatque misionem cœli purissimi in mundo & spiritus intellectualis in homine; Sed quoniam ulterius progreditur ad compositionem profundissimam quæ in cubo consistit ad evidentiore adhuc compositionis gradum procedimus, & tunc terminus à quo est 2. & ille ad quem est 4. & medium seu imperfecte mistum est 3. Sic enim se habet substantia cœli supremi ad illam stellarum in macrocosmo & illam rationalis spiritus ad vitalem in microcosmo. Postea, 5. intercedit inter 4. & 6. & 6. inter 5. & 7. Sed manifestissimum medium inter 4. & 8. hoc est quadratum & suum cubum est 6. Sic quidem se habent in mundo majori sive cœlo elementari meteora aerea, inter quatuor elementa & corpora complete composita, & in mundo minori humores naturales ad carnem seu perfectissimam corporis carnosæ compositionem: qui quidem motus consistit in naturali hominis facultate, in qua infima animæ humanæ portio nempe spiritus aereus prædominatur, cui humores sive sunt naturales seu præter naturam ita concatenantur ut ipsa aqua aeri, vel aer igni vel terra aquæ hocque glutinæ naturæ: Sed si humores sint naturales tunc progreditur exacte ad generationem ab 1. videlicet à 2. ad 8. Unitas ergo in mundo formam denotat simplicem in mundo sine materiæ consideratione, & 2. arguit materiæ sine formæ additione, sed tamen Deum arguit descendisse in naturam humidam 3. indicat nexum materiæ cum forma prima in genere, denotatque conditionem cœlestem 4. universam mundi materiæ in præsentia formali in quatuor elementa distributa declarat, quæ est media fere via ad compositionem & verus terminus à quo elementa imperfecte mista immediate oriuntur, & à quibus meteora mundana in numero quinario derivantur qui est medietas completa in generatione videlicet inter 2. & 8. & in 5. meteoro est magis igneum & subtile: in 6. magis aereū quare etiam & 6. est medium inter quadratum & cubum in quo loco tanquam in vehiculo suo proprio meteora nascuntur tam in macrocosmo quam microcosmo, 7. arguit aquam in mundo vivificantem seu aquam nubis, & in microcosmo sanguinem chylum, qui est meteoron nutritionis, vel sperma quod est meteoron propinquum in generatione. In microcosmi ergo compositione fit progressio à Deo ad spiritum intellectualem: quorum unione teste *Trismegisto* fit vita in: habens in se potentiam elementorum productam in *duplicatione* spiritus primarij, seu radicis in: quorum misionem oritur vaporosum primæ misionis meteoron, quod est medium inter radicem & cubum & est: semen invisibile arguens in clusum cujus condensatione fit sperma visibile quod est vehiculum seminis invisibilis quod per: exprimitur, estque medium inter quadratum & cubum; cui si sperma

muliebre addatur, fit mistio illa imperfecta quæ est perfectæ fœtus compositionis causa propinquissima per ultimum generationis gradum denotata, qui cubi completi perfectionem æquat: Atque ita deinceps via in gradibus perfectionis qui in extremis reperiuntur quorum unus est simplicitatis perfectæ nempe 1. & alius compositionis perfectæ videlicet 8. qui est ultimus terminus generationis: & in toto hoc progressu meteora tam Macro-quam Microcosmi sunt naturalia & generationem producentia: At v. si humores meteorologici illi seu imperfecte mista se habent præternaturaliter ad compositionem, tunc qui de ad corruptionem tendunt & per dissolutionem ad radicem propriam per eadem media contrario jam modo disposita reverti contendunt, unde perfectum compositum 8. primum in 7. resolvitur, & 7. in 6. & 6. in 5. & 5. in 4. atque ita retrogradiendo quousque ad radicem iterum reducat tota compositio à qua prius derivata est.

At ratio huiusmodi actionis diversæ in natura oritur, ab unitatis dispositione, nam radiorum ejusdem emissionem atque actus manifestationem fit generationis complementum, radiorumque illius contractionem in se, fit à generatione per conturbationem, ad diminutionem & compositum languorem retrogressio ad terminum à quo facta est progressio: atque hoc quidem peroptime ex regum Psalmistæ verbis confirmatur quæ sunt huiusmodi, *Psalm. 104. 28. Deo dante creaturis colligunt* (hic creationis & generationis ordinem includit) *aperiente manum suam satiantur bono* (hic compositum tam interni quam externi nutritionis & conservationis rationem arguere videtur.) *Abscendente faciem suam conturbantur* (hic ægritudinis & infirmitatis occasionem denotat seu motus verius corruptionem & contra compositum naturam) *recipiente spiritum eorum expirant* (hic mortis & corruptionis complementi rationem narrat & per spiritum arguit radicem seu humidum vitæ radicalem in quod lux divina ad vitæ perfectionem movebat.)

Quid ergo hoc Prophetæ sermone luculentius aut efficacius esse potest ad confirmandam istam nostram doctrinam, seu progressionem ad generationem & retrogressionem ad corruptionem: Hinc dixit Job. 10. 12. *Vita exercuisti benignitatem erga me & visitatio tua conservavit spiritum meum*: Concurrit ergo benignitas lucida faciei Jehovæ ad generationem spiritus ei proprii in quo tanquam vehiculo movetur: Atque hoc idem est quod Psalmista dicit, *Psal. 30. 6. Vita adest benevolentia Jehovæ.* & *Psal. 90. 14. Vita prolongatio est benignitas Dei.* Et *Psalm. 18. 29. Si tu illustras lucernam meam Jehova Deus meus, splendentes efficies tenebras meas.* Similiter *Psalm. 31. 17. Luceat facies tua super servum tuum, serva me benignitate tua*: & infinitis alijs sacrarum literarum locis arguitur quod Deus absolutissima rerum simplicitas, puritas & unitas sit unicus ille Sol dans vitam, gratiam & gloriam creaturis, cuius absentia nihil præter miseriam, morbum, & mortem expectanda sunt juxta illud Job. 30. 20. *Lucem speranti mihi evenit caligo*, præsentia vero faciei divinæ lætitiâ secum affert inexplicabilem secundum illud *Psal. 4. 8. Lux faciei Jehovæ maiorem lætitiâ induxit animo meo &c.* Et *Psal. 106. Quem visitabit Jehova salute sua fruetur bonum & felicitatem electorum suorum ut lateat lætitia gentis suæ.* Concludimus igitur quod radix generationis sit 2. quadratum 4. cubus 8. & quod primus gradus meteorologicus seu imperfectæ mistionis sensibilibiter apparentis debet esse à 4. seu elementis qui in ordine quinario observatur qui medietatem tenet inter 2. radicem & 8. cubum, & quod 1. simplicissima sit primus actus & motor tam in creatione quam in generatione, qui universum spiritum mundanum ad compositionis creaturæ complementum incitat, illumque ad tale opus informât ad conservandum illam secundum suam speciem præsens est, unde etiam & ejus absentia labitur compositionis perfectio & in nihilum quali reducit: Atque hic quidem notatu dignissimum existimamus, quod Deus dicitur tot vestimenta induere in mundo per quot unitates penetrat in mundo, unde quoniam ad creaturæ terrestres compositionem per numerum cubicum seu octonarium prospicit, ergo etiam tot gradus naturæ humidæ attribuuntur ei per quos penetrare voluerit ad compositionis complementum, & prima ejus vestis videlicet 2. est natura cæli purissimi quod Empyreum dicitur, quod quidem vestimentum dicitur lux. Unde dicitur *Psal. 104. 2. quod lux sit Dei amictus seu vestimentum*, secunda est 3. seu Sol qui est de substantia cæli medij: Unde dicitur. *Et posuit tabernaculum suum in Sole.* Tertia est 4. seu elementa universalis, unde dictum est *fecit cælum thronum suum & terram scabellum pedum ipsius.* Quarta est 5. seu meteoron ignitum, unde dictum est, quod *Jehova esset in columna ignis inter noctu.* Quinta 6. seu meteoron aereum, unde dictum est, quod *Jehova itat super alis venti.* Sexta 7. meteoron aquosum, unde invenimus, *Psal. 105. 39. Nubem expandit Deus pro tegumento.* Et *Psal. 104. Densa nubes vehiculum Dei.* Septimo & ultimo 8. meteoron terreum, nam dicitur *Deus habitare in caligine*, 1. *Chron. 6. 2. & 1. Reg. 8. 12.* Et alibi dicitur, quod *aperiretur terra & pariet salvatorem.* Quis etiam ignorat Deum, corpus etiam humanum quod est perfecte mistum sibi elegisse in tegumentum? His igitur locis videmus quomodo Deus omnes progressionis compositivæ tam in creatione quam generatione gradus induerit ut ipse simplicissimus existens hominem ad perfecti compositi terminum perduceret, quo eum utriusque extremi participem redderet, ut ipse infima sensu experiens, superiora itidem intelligendo caperet atque contemplaretur.

CAP. VI.

Quomodo varia mixtionis mundana ratio peroptime ex duplicis pyramidis meae mundana consideratione elici potest: & de vera Pyramidum Physicatum speculatione.

NEc certe inquirenda est hæc naturæ progressio in solo magno & imminente mundo, verum etiam in motu cujuslibet creaturæ à termino à quo ad illum ad quem hoc est à puncto extremæ cruditatis ad illum completæ maturationis. Nam talis erat motus latitudo perfectionem in mundo majori, quam aperte varia duarum pyramidum variarum dispositionum, formalis scilicet & materialis adaptatione, in præcedentibus operibus nostris explicavimus. Verbi gratia exemplum in summa pomi cruditate & immaturitate ponemus, in quo statu, materiam illius, a quis primarijs mundi, omni fere luce actuali seu forma essentiali destituta, aut saltem nullo fere perfectionis vestigio seu actu præditis, invenimus: atque in hoc ejus statu coni pyramidis formalis in massa hac cruda initiū statuimus, à quo eo magis ad basim seu summitatē gradatim appropinquatur, quo fructus ille ad perfectionis seu maturitatis gradum pergit: in quo quidē motu intelligere atque percipere fas erit quod quo magis abundat & augetur, pyramidis formalis perfectio in pomo (quæ in maturitatis gradibus cernitur, eo etiam magis convertit naturam materialem pomi in suum simile, atque ita in fine maturitatis illius æqualiter permiscetur formalis pomi actus cum suæ passivæ materialis seu fœminæ patientis natura quorum mutuo coitu semen completum producet sui similis procreationi aptum. Hæc inquæ est pyramidum mearum intentio atque permissio tam in quolibet mundi subjecto individuo quam in ejus toto videlicet varietas & continuitas actionis & motus, atque diversitas graduum mutationis materiæ patientis tali actioni continua à termino à quo ad quem. Qui quidē motus in ipsis mineralibus adhuc perfectior observari solet, nam in argento vivo (in quo valde debilis est calor formalis) percipi potest pyramidis formalis motus initiū tanquam in subjecto aquæ grossæ, cujus proximus progressionis gradus in plumbo esse discernitur, in quo incipit properare ad perfectionem auri: deinde per stannū ad argentum & de eo in Aurum in quo lucis formalis radij ignei etiam oculis stultorum manifestantur, qui antea propter inæqualitatē materiæ adhuc formæ actionibus unanimōdo non subjectæ, repressi fuerunt atque occultati: quod quidem erat signū quod materiæ insultus completo modo non essent debellati & ad intentum formæ igneæ appetitum subjecti. Unde liquet quod ut principium motus ad perfectam metallorū compositionem esset in argento vivo, ita etiam dicimus quod ejus complementū sit in auro, utpote ultra quā quidem perfectionis metā non tendit natura sed in ea quiescit nisi ulterius sagacissimi philosophi artificio excitetur: Hæc etiam eadem est progressio in subjecto animali, cujus terminus à quo est semen in quo scintilla illa formæ pyramidis conilocum complens, existit, cujus multiplicatione fit motus à semine fluido seu aqua cruda animali ad complementū fœtus atque ad perfectam ejusdem maturitatem, quam in homine juventutē nuncupamus. Horum autem progressuum gradus intermediij meteora sive imperfecta mista rectissime nuncupari queunt, quatenus sunt in via ad perfectam compositionē hoc est ad metam naturæ nondum pervenerunt, in quo motu si aliquod impedimentum ijs obveniat quo impediuntur in sua via, morbi seu meteora morbida & præternaturalia quam aptissime dici possunt, atque nonnunquam retrogrediuntur & redeunt in illa principia à quibus sunt egressa mortemque compoliti vel destructionē rei componendæ producunt, at vero si absque ullo impedimento progrediantur hujusmodi meteora ad finem à natura ijs destinatum, naturalia dicuntur & generationem vitamque & sanitatem inferunt creaturæ tam generandæ quam genitæ. Atque hæc est pyramidum nostrarum intentio tam in individuo quolibet generabili & corruptibili quam in mundo universali. Hoc vero in loco vobis explicare operæ pretium esse existimavi ex præstantissimorum virorum opinionibus, quod pyramidum nostrarū inventio tam in Macro- quam Microcosmo atque etiam in omni creaturæ progressu non insulse à nobis publicata sit, quatenus à veritatis ratione nullo quidem modo aberrare videtur. In primo igitur loco dicitur in lib. dicto *Porta lucis c. 2.* quod *omnia vitam habentia sursum suo instinctu tendant, omniaque vitam influentia deorsum vergant*, cum enim in isto mundo sensibili quicquid elementis quatuor constat mistū id omne aut anima caret manifesta diversi & vagi motus effectrice, seu jacens immobiliter & quiescens ut lapis, aut anima manifesta vegetet & crescet ut planta, aut multifariā dimoveatur & tantū vivit, ut animalia irrationalia, aut rationabiliter loquitur ut homo. Porro etiam in metallis observamus quod in sublimatione eorū cum id quod generosius est in altiores spiritus ebullit ab alchimia sublimatū, ut purior semper ea videantur quæ sunt sublimiora, sic etiam apud inferos esse dicuntur lurida & squalentia, sordibusque depressa quæ apud superos candida & illustria incredibilique decore ornata miramur & præconia laudū prosequamur. Hæc ille in loco supra allegato. Hic ergo optime explicatur nostra de pyramidibus oppositis intentio, hic actus unius pyramidis excellæ in passiones alterius depressæ vivi sunt characteres atque impressiones. Atque hæc est ratio quod mundus major in duas appositissimas dividatur portiones in cælum nempe atque terram, ad cujus etiam exemplar Hominem microcosmum Deus (ut extat sacratissima scriptura) ex duobus composuit, Limo scilicet terræ, & spiraculo vitæ, ut limo seu terra indutus inferiora respiceret, cor-

poraque curret, & spiraculo vitæ seu cælo imbutus, sapienter admiraretur & amore prosequeretur divina atque cælestia. Huic assertioni annectunt Cabalista hujusmodi sententiam pyramidum nostrarum rationem, defendentem, ut apud Archangelum Cabalistan reperitur *Adam* (inquiunt) *qui fuit radix totius generis humani infectus, omnes ramos & folia arboris infecti, juxta illud Apostoli ad Romanos: Radix amaritudinis sursum germinans impedit & per illam impediuntur multi, at radix Sancta Sanctos ramos producit. Talis erat Adam secundus, quæ radix descendit & movetur contra radicis inferioris motus. Adam enim terrestris movetur contra Adam cælestem: Hac ille: nec quidem sine ratione cum cæli natura omni modo contrariatur illi terræ: Idem etiam Cabalista disertissime & sapientissime loquens, hujusmodi verba alibi effundit, quibus ut mihi videtur rem istam quasi acu pertingit. *Quicquid distat à Deo actu primo purissimo necesse est subintrare materiam, unde naturales describentes entium latitudinem fecerunt in eius cacumine actum purum absque materia, in eius vero imo materiam sine forma: Hac ille: In quo quidem sermone quam exactissime mecum convenire videtur, quatenus pyramidis meæ formalis basim describit, ubi nulla adest materia, hoc est, apud Deum, illius vero materialis fundamentum ponit ubi nulla adest forma, sed materia solummodo regnat.**

Videris ergo (Lectores rationis alis evecti) quales sint pyramides meæ non modo mundanæ sed etiam cujuslibet creaturæ perfectæ, atque exinde colligere fas erit meteororum, hoc est, imperfecte mistorum gradus tam à cruditate seu materiæ regno ad perfectam compositionem quæ fit in sphaera æqualitatis, quam ab ipsa basi pyramidis formalis in qua est etiam & summa simplicitas. Ab uno enim extremo egressus facit multos imperfecte mistionis gradus ad igneam seu lucidam simul atque aeream & aqueam conditionem tendentem priusquam ad perfecte mistum facta est mensura, ab altero gradus ad terream & aqueam naturam inclinantes. Perfecte autem mistum regni vegetabilis animalis & mineralis est illud quod ex meteoris imperfectis cujuslibet naturæ apte constituuntur.

C A P. VII.

De generali, sed compendiosa meteororum tam salubrium quam insalubrium utriusque cosmi differentiarum numeratione.

QUOD autem ad meteororum omnium differentiam in specie attinet, hæc quidem fit respectu dispositionis materiæ quæ alteratur secundum majorem vel minorem formæ lucidæ in ea prædominantis virtutem: Dicimus etiam quod meteororū tam salubrium quam insalubrium, alia sint supercælestia, alia cælestia, atque alia Elementaria quæ in invisibilia partimur vel visibilia, dicimusque quod invisibilia effectu haud differunt à visibilibus, licet eorum figuræ oculis non ita apparent, verbi gratia ab ipsa experientia docemur, quod licet cometa visibilis videatur consumi, & in nihilum suo tempore redigi, nihilo minus non interit ejus forma aut substantia sed dilatatione invisibilis fit, quemadmodum nec ignis artificialis re vera moritur quamvis nobis præfocari videatur sed dilatatione invisibilis redditur, quare & invisibiles etiam effectus in aere exercent eosdem, tametsi non ita fortiter quos in statu suo visibili producebant. Sic etiam observamus quod extincto foco calor per sentitur, & evanescente cometa, fames & morbi pestiferi producuntur & sæviunt etiam absente meteoro visibili atque sic in alijs. Simili etiam ratione videmus absente nube aquea, quod aeris humiditas permanet, atque etiam ipsa nubes nulla sequente pluvia in aerem more invisibili evanescit & transmutatur: Porro etiam tam vapores, qui proximæ sunt meteororum humidorum causæ atq; exhalationes quæ illa ignita immediate producunt, atq; etiam fumi densiores quæ imperfecte mista naturæ terrestris pariunt (ex cujusmodi mineralia oriuntur) in prima meteororum invisibilium serie haberi possunt: In ipso etiam microcosmo seu homine hanc eandem meteororum distinctionem reperimus: nam ut in macrocosmo cometam visibilem seu meteoron accensum videmus visibile, sic etiam humor biliosus præternaturaliter accensus vices meteori visibilis agere videtur, at vero si humor ille putridus & accensus dilatatione in fumum sicciorem evanescit à conspectu & in spiritum invisibilem deformatur, agit illa exhalatio in naturam sibi similem videl. in ipsos spiritus vitales, unde febris grossa & putrida in subtilem & pestilentialem vergit cujus habitu invisibili & ipsi inficiuntur qui ad distans sunt à laborante & à contactu procul. Ex his igitur vos intelligere velimus quod nulla sint meteora visibilia quæ formas etiam & effigies invisibiles non habent quæ eosdem exequantur effectus quos visibiles, licet non in gradu ita intenso, & quod meteora visibilia magis versentur circa partes corporis visibiles, quemadmodum invisibilia invisibiles magis afficiunt, quod quidem luculenter in venenis grossis & subtilibus declaratur, quatenus venena spirituaalia interficiunt etiam corpore oculorum judicio illaeso permanente, quippe quæ in spiritus animalis invisibiles operantur, quoniam in omni re simile gaudere solet suum simile sive sit in malitia sive benevolentia: Sic etiam vapores vaporibus facillime se uniunt in utroque mundo & alieni venti seu statulenti spiritus tenuioribus hominis extremi spiritibus invadunt & diaphragma premere atq; tendere solent, (quo bellum contra spiritus vitales fortiter gerant) observantur. Unde

cordis tot palpitationes, tremoresq; insequuntur totiesque imaginatio timoribus incutitur. Haud secus etiam in macrocosmo videmus flatulentas exhalationes in mediam aeris regionem tentare, quam assiduo & diurno motu penetrare conantur, quo se miscant cum spiritibus vitæ limpidioribus qui sursum in regionibus ignis & æthere degunt, in quo quidem conflictu tantus fit strepitus, tantusque in aere inferiorum rumor, non aliter quam rugitus & ructuationes in homine prædominante flatu excitantur: Quod autem ad meteororum mundi visibilium differentias attinet intelligendum est quod . . . alia sint simplicia, alia vero ex ipsè simplicibus ortæ, quæ ideo & composita dicimus. Simplicia iterum dividimus in humida, atq; sicca: Humida vero subdividimus vel in aerea quæ sunt caliditati ignis affinia, cujusmodi sunt vapores grossi & quasi visibiles in utroque mundo: Vel in aquæ de frigiditate terre participantia atq; talia sunt Pluvia, Imbris, Ros, Fontes, Flumina, vel deniq; media utpote quæ partim de aerea & partim de aquea natura participant, quorum prior gradus est nebula, secunda, nubecula, atq; tertia est ipsa nubes. Ad simplicia hæc macrocosmica, illa microcosmica haud indirecte referri possunt, nam ut microcosmus apte filius nuncupetur ipsius macrocosmi, ita necesse est ut ille partes suas meteoarq; suo quib. generatur & postea corrumpitur ejus externum, à suo patre fortiaur. Habet ergo Macrocosmus meteoarq; ignita tam visibilia quam invisibilia microcosmi quæ si sint salubria, & naturaliter ad calidi innati imo vero & ipsius bilis effectus secundum naturam, se habentia actus in corpore tam manifestos quam insensibiles conducunt: at si se habeant præternaturam febres atq; alias inflammationes cujusmodi sunt ignis sacer seu Erysipelas, gutta rosacea procreare solent &c. Habent etiam in se meteoarq; sicca terrestria cujusmodi sunt fumi sicci, flatus melancholicus humorque talis naturaliter hominibus illius complexionis infusus. In meteororum etiam humidorum natura communicat uterq; mundus, nam ut in macrocosmo sunt vapores tam boni & salubres quam mali & morbiferi, ita etiam in microcosmo similium conditionum reperiantur fumi tam aquei quam aerei. Ut etiam pluvia & imbris mundo adest, sic etiam catharrus, reuma, distillatio, seu defluxio diversorum generum in microcosmo reperiuntur. Fontes etiam sive sulphurei, sive salii, sive dulces, sive acidi, sive bile inquinati non aliter in homine ut plurimum in forma fistularum percipiuntur, quam in macrocosmo tam sanitati conferentes secundum complexionis dispositionem, quam infirmitatibus. Stagna etiam & lacus macrocosmi comparantur hydropi partis sive sit Hydrocephalon sive Anasarca, Ascitis sive Hydrops in utero & Herpes miliaris &c. Ros etiam mundi sudori rorido hominis. Similiter ut media reperiuntur meteoarq; quæ participat de specie simplicium tam humida quam sicca videl. nebula, nubecula & nubes, ita etiam hujusmodi materia tam ad sanitatem quam infirmitatem corporis humani in eo reperiuntur, nam nebula oculorum defectum & scrotomiam parit, Vortigines producit & Epilepsiam sæpicule gignit. Nubes capitis gravedines, dolores, Apoplexias, quæ dissolutione vertuntur in catharrum & corrizam &c. Meteoarq; deniq; visibilia & sicca vel amplectuntur caliditatem ignis, hocq; ratione duplici videl. aut manifesta & visibili, cujusmodi est corruscatio, fulgur, aut occulta & invisibili & talia sunt exhalationes & venti multiformes, vel cum frigiditate terrea uniuntur cujusmodi sunt grando, Nix, gelu, glacies: quib. etiam inter ignitas naturas febres collocatur uti alibi latius declaratum est, quarum ut aliæ sunt in spiritibus tenuioribus, aliæq; in illis grossioribus, ita quidem & meteoarq; ignita se habent in mundo: Inter terrestres vero naturas siccitate imbutas sunt congelatio, stupor, catoche & hujusmodi alij morbi in hominibus de quib. etiam frequentius suo loco & serie. At vero ut ad meteoarq; illa perveniamus quæ ex simplicibus oriuntur, dicimus quod eorum alia sint minus composita alia vero magis. Quæ autem in macrocosmo sunt minus composita sunt vel aerea & ignea in quib. natura ignis se habet ad illam aeris ut forma ad materiam, atq; hujusmodi quidem imperfecte mista sunt vel magis tenuia & igneæ naturæ propinquiora cujusmodi sunt cometa multiformis, ignis perpendicularis, stipulæ ardentes capræ saltantes, lampas seu candela ardens: magis autem istiusmodi conditionis densa sunt. Ignis fatuus, stella cadens quibus & fulgetrū addi potest: Vel minus composita sunt aquea & ignea ut nubes tonitrualis, Parahelio, Halo, Turbo accensus, Typhon, atq; præster cū Ethephia: Hisce etiam & Iris addi potest. Quæ autem magis adhuc sunt composita plura requirunt elementa ad suum esse. Ea; sunt vel sicca quæ & partim ignea, sunt & terrea simul atq; aquea vitrificata in occulto, cujusmodi sunt Telum fulmineum; Vel terreum & aqueum in manifesto & igneum in occulto ut aggera paludosa gibbosa: Inter hæc etiam numerati possunt minora mineralia cujusmodi sunt Sal, Alumen, Vitriolum, Marcasita, Tartarus, Sulphur, Antipigmentū, Antimonium, & hujusmodi alia mineralia quæ nondum ad septem metallorū perfectionem attigerunt, imo vero & huic calculationi argentū vivum, quod est proxima metallorū materia, additur quib. etiam adungi haud inconsulte potest terræ motus &c. Hisce etiam aquæ quæ de aliquo vel pluribus prædictorū minorum mineraliū participant referri solent. Nōne in eodē statu & ordine se habent meteoarq; microcosmi composita? Cū cometis pestes, Præsteri, ignes volatiles, Erysipelasq; ac cæteris meteoris ignitis, febres multarū generū, iridi, maculæ scorbuticæ seu serpigines maculatæ, igni fatuo ictericia: stipulis ardentibus, variolæ & morbilli: Tonitruis cū fulgure, febres putridæ cū ructuationibus, corruscationi, hepatis inflammatio, lacub. seu stagnis subterraneis, Hydrops multiformis referuntur: Terræ motus,

tremori ac jactitationi, telo seu lapide fulminari, calculus renum, vesicæ cistæ fellis & aliarum partium, Thermis calidis & sulphureis de fluxiones biliosæ, paludosis terris lacrimantibus multorum generum, Ulcera Achor, seu bothor, Favus, Phydracia, Exanthemata, Fistulæ humoris misti: Tuberculis terræ paludosæ tumores & gibbositas similiter, Venicæ cum ulceribus & apostematibus tam apertis quam occultis, & in manifestis illa à quibus fluit aqua biliosa & saniosa, quemadmodum inter aggera paludosa aquas densas rubicundas & flavas videmus more lacrimarum egredientes quæ non aliter sua putredine cum tuberculis afficiunt illam terræ partem quam hujusmodi tubercula ulcerata lædunt partem corporis affectam. Atque ita in multis alijs, de quibus omnibus hac in sectione disceptare mihi non proposui quoniam in sectione sequenti distinctis morborum meteorologicorum utriusque mundi differentijs portionem integram dedicare animo quidem meo statutum habeo.

Breve totius compendium, seu universale causarum speculum, in quo causa remota atque summæ, seu primariæ, atque etiam illæ intermedia multorum generum, ac tum demum quæ corporibus compositis sunt proximæ seu propinquæ (quas meteora haud inconsulte nuncupavimus) quam exactissime speculantur.

UT igitur hoc in loco sectionem hanc tractatus secundi Tomi, secundi cum totius præcedentis breviario concludamus, operæ pretium fore existimavimus omnem doctrinam præcedentem in unius speculi artificialis cavitatem redigere: in quo quot inveniuntur orbes tot etiam & recensentur causæ ab illa infinita & primordiali usque ad ipsum perfecte compositum (quod est extremus causarum effectus) numerando, ita ut inter causas primarias & increatas, quæ & Numerantes nuncupantur, causas medias (quæ numeris referuntur) intueri fas est, quarum objectum seu effectum est ipsa res perfecte mistum sive numeratum, cujus causa propinqua est meteoron multiforme quemadmodum in speculo isto videre licet. Hinc ergo infinita arcana elicere possumus, multa mysteria enucleare, veræque astrologiæ secretum enodare, quod quidem Astrologiæ vulgari perficere negatur quippe cujus caput ad fati fontem, astrorumque sedem tantummodo se extendit. Nos vero altiora & veriora principia petimus quam Porphyrius unquam cognovit aut Ptolomei doctrina mundo ullo quidem seculo propalavit, non enim ethnicorum alis volamus sed mysticis cabalorum, Indorum & sapientum Aegyptiorum pennis in altum vehimur, veram quidem illam sapientiam affectamus cui sacra literæ vim atque potestatem tantam attribuerunt, ut cæstra aut lucem effectum nullo modo comparanda dicunt. Hæc est illa (inquam) sapientia quæ hominem astris dominari facit, ei abdita revelat, tempora distinguit, hominum mentes intelligit, omniaque tam in cælis quam in terra disponit: Hæc (inquam) sapientia & non illa vana & falsa quæ hodierno die apud homines usurpatur, est scientiæ hujus meæ fundamentum, quæ licet carta & atramento hoc in loco exprimat, tamen si quis formales ejus rotas percipere atque distinguere menteque numerare possit, me intentionemque meam neque vanam neque ridiculam esse cum ignorante vulgo invidiæve turba sentiet. Et licet mysterium hujus speculi sophici voce materialis, plumæve rudi vulgari atque impolito enodare hoc in loco videar, credat tamen sapiens obsecro me plumo igneo ex terra marmore a divinitus nata sine manibus exciso, linguaque menti familiari, hujus orationis meæ sequentis filum pertexuisse, illudque naturam in suis actionibus imitando, umbra quodammodo obscuro obvelasse: Ubinam enim loci animam sine corporis velo, aut lucem formalem absque tenebris materialibus, aut bonum absque mali pollutione, aut gaudium absque tristitiæ maculo, aut cælum sine fusco terræ velamento, aut generationem denique absque lethali corruptionis poculo hic in orbe terrarum invenire possumus. Ne: quidem creatio à Deo sine sex dierum labore facta est, licet in fine Sabathi benedicti quies effulserit, in quo natura infinita in suo motu ad naturæ finitæ complementum ulterius nõ est progressa: deposito enim imperfectionis inquinamento post 1. 2. 3. quarto quidem loco creatus est Sol cæli & terræ ornamentum, & ramentum 1. 2. 3. simul congregati sunt 6. eorundem laboris dies designantes, cui si quarta unitas addatur numerum quietis seu Sabathi producit qui est septenarius: Vel si numeri quaternarij valor consideretur perficit seriem numerorũ simplicium & accipiet numerum denarium quo proprietates divinæ, dictæ Sefhirothæ, explicantur, ultra cujus denominationem non est in numeris progressio: At vero nihilo minus quatenus oculis vulgaribus contemplantur & more à me explicato animadvertetur sphericum hoc speculum politissimum, scientiam in ipso haud vulgarem & nihilo minus verissimam, licet more partim metaphyfico, partimque Cabalístico & Phyfico expressam, reperietis haud quidem spernendam aut negligendam. Quod autem ad ejus descriptionem peculiarem attinet intelligendum est ipsam dupliciter considerari debere, vel scilicet ratione totius in potentia divinæ existentis, in quo statu omnia quasi nihil

Nihil erant ante creationis instans ipsaq; divinitas latere dicitur, vel respectu actus divini & in hoc statu omnia re vera considerantur post creationis mysterium, in quo Deus dicitur patens & non latens: *Prior* ergo materiae deformis status explicatur per hæmiphæriū speculi subterraneum in quo, Aleph tenebrosum in hyles centro exprimitur quod Dei latentis est hieroglyphicum. Diciturq; hæc hyles Terra inanis & vacua quia ei deest omnis lucis actus, gratiaq; divina in ea agere non percipitur, cujus defectu (quippe sine qua nihil impleri pōt) materia potentialis dicitur vacua, atq; nuncupatur quidē potentia divina quippe in qua Deus delitescit & tñ potentialiter paratus est quoad nos revelatis tandem suæ pulchritudinis radijs in se ipsum adhuc contractis in illā agere, atq; hanc quidem potentiam in actum reducebat creator eodem instante quo mundū creare incepit: Et quemadmodum hic in terra ablente Sole nox statim univerſa invadit, sic et pro absentia Solis seu actus divini (quem sapientiam appellamus Sole & ipso mundo antiquiorē) in summo speculi hēmisphæriū potuimus, in cujus latere sinistro Diei, splendoris, & actus sapientiæ divinæ crepusculū exposuimus, quē admodū in ejus dextro locove opposito tempus vespertinū post Solis divini occasum aut mundi finē denotatur. In hæmiphærio diurno orbis exterior arguit gradus pfectionis & imperfectionis cujuslibet creaturæ tā in creationis progressu quam generationis serie. Sic quidem motus sapientiæ in creatione factus est à puncto orientis ad meridianū vigoris, inter q̄ pfectionis extrema est medium meteorologicum tā ad generationem quam nutritionē tendens, quod dicitur incrementum, quemadmodum inter punctū pfectionis seu vigoris meridianum & illū corruptionis & mortis seu occasum Solis est mediū illud meteorologicū Decrementum nuncupatum, quod à morbo & putredine, à vitæ exaltatione versus ejus oppositum tendit quousq; ad mortis crepusculum pertingat: Hinc dictum est quod *Generatio unius est corruptio alterius*, multa quidem mysteria hic delitescunt quæ hoc in loco recensere longum nimis foret. *Secunda* autem sphæra denotat graduū ordinem progressionis in creatione & generatione à nihil & Aleph tenebroso seu parvo, unitatem denotante, ad informationem specificam mundi creandi cujus Sol oritur in Jod: quod est Character emanationis divinæ è tenebris & signū numeri denarij, cujus finis est Aleph magnū quod per numerum millenarium significatur ultra quem non est progressio: ita ut Vau, denotans Solem, arguit Solis exaltationem in meridie, & vitæ pfectionis seu maturitatis ætatis periodum à quo procedendo decreſcunt, res quousque ad unitatem seu nihilum ac potentiam divinam ab actu retrogressio fit facta. Sphæra *Tertia* indicat tres mundi patres, seu causæ increatæ & supernaturales, quarum Ḥe duplex est in mundo archetypo, quemadmodum in mundo creato aquæ divisæ sunt ab aquis. Unde cum his quatuor literis triumphantibus & sphericis nomen Dei essentialiter explicatur quam exactissime & non alijs: Dicuntur autem à Moſaicis patres quia agunt in primas mundi matres seu principia creata haud secus quā mas in fæminam hocq; ad totius creationem atq; productionem. Jod ergo correspondet Orienti Solis in hac sphæra vulgari modo accepta: primum Ḥe ascensum versus meridiē Vau denotat, & Vau assimilatur Soli in meridie Ḥe vero ultimum arguit Solis decrementum, & ob id humoris diei spissitudinem noctisq; & tenebrarū accessum significat. At vero quatenus vera mundi sapientia statuitur Sol nostri hæmiphærii, eatenus movetur ille ab Aquilone, in spiritu tenui donec in meridie exaltetur quæ est media illa via in qua linea Æquinoctialis meridianum secat: Sic dicitur in *Iob. 37. 21. Aurea lux venit ab Aquilone & per Aquilonem propter Deum terribilem laude: Hæc est sapientia illa quæ Sole preciosior est & superat stellas lucive Solis comparata prior est*, ut testatur Sapiens *Sap. 7. 29. Est enim splendor à luce æterna & imago Dei: Ib. 26.* Atq; ita à puncto meridiano Vau transit in nubes densas meridiē seu partis Australis. *Patrum* increatorum orbi matres proxime subjiciuntur, quarū prior Aleph actus recipit & patitur ipsius Jod. Primum Mem seu Mem initians & apertum vigorem sibi requisitā suscipit ab ipso Ḥe spiritum subtilissimū & divinitate plenissimum, arguens dispositionē mundi intellectualis, quæ Vau & Shin seu firmamentū dividunt à mundo elementalī. Shin postea correspondet actionib. characteris divini Vau & denotat Solis mundi ætherei seu stellaris dispositionē vitam & lucem cuiuslibet stellæ dantis Mem deniq; ultimū seu Mem clausum & finiens, mundo elementari respondens, vitam & vim suam suscipit ab Ḥe ultimo nominis tetragrammati, quæ ambo literæ sunt patres & matres seu principia mundi elementaris: Atq; hoc modo creata sunt mundi principia tria, essentialitico principiorum mere formalium & increatorum influxu in ipsorum potentiam seu materiam. Deinde ad Proprietates denas principiorū increatorū descendamus quib. more diverso Aleph seu unitas in tres illos patrū characteres dilatata, in varias mundi typici regiones distinctos, ijs actus & proprietates attribuēs, operatur: quarū quidem proprietatū cuiuslibet aliq; Dei cognomē ei maxime propriū attribuitur, & cuiuslibet et nomini divino locus seu sedes, dicta Sefiroth, assignatur. *Quinto* igitur orbi inscribuntur nomina Dei decem in quib. distinctæ creatoris proprietates in mundi fabrica comprehenduntur, quæ quidem proprietates in ipsorum nominum significatione more occulto exprimuntur. *Sexto* vero loco Sefirotharum ordines explicantur cū declaratione proprietatum actuum in ijs, quarum prior est corona &c. Atq; hic breviter recensuimus mundi Archetypici summū & imum, videl. actum increatū in potentiam ab eodem actu creandā, cujus mundi latitudo in speculo per A. signatur. Jam vero ad orbis mundi Angelici seu intellectualis sic procedimus, qui

annotatur per literam L. Ad causas ergo mundi intellectualisur perveniamus, quæ vitam & esse accipiant ab illis Archetypicis, dicimus quod in illis duo sunt notanda, videlicet Angelorum ordines per quos influentiæ transeunt à causis primarijs seu Archetypicis, & tum demum principes ipsi Angeli qui influxus illos ad mundum cœlestem conducunt.

In *Septima* ergo Sphæra Hierarchiarum Angelicarum ordines sua serie describuntur, secundum rationem illam qua nomina divina proprietates suas à Sephiroth sibi proprias, in ordines angelorum influunt quas tum postea Angelus cuilibet ordini præidens, ad orbis mundi cœlestis stellares conducunt, quemlibet orbem Angelicum naturaliter respicientes.

In *Octava* ergo Sphæra nomina Angelorum præpotentium exprimentur qui vim atq; potestatem, ordinatione divina habent, influxus à qualibet Sephirotha decedentes, deorsum in Sphæram cœlestem sibi naturaliter subjectam, conducere: Verbi gratia Metatron conducit omnes illos influxus quos Echieh mittit deorsum de Sephiroth Cheter per Seraphim in primum mobile: quemadmodum virtute Jah: seu Jehovah, dona à Sephirotha Hochma influxa, deorsum per cherubin in cœlum stellatum, mediante angelo Jophiel transportantur & sic in cæteris: Atque ita in vastam mundi stellaris cavitatem descendimus qui per literam B. notavimus.

In *Nona* ergo Sphæra orbium cœlestium orbem cuilibet ordinum superiorum correspondentem explicavimus verbi gratia. Primum mobile recipit influxus, Metatron duce, subterlabentes per ordines Seraphim à Sephirotha Cheter ordinatione Nominis divini Echieh atque ita in cæteris. Denique à mundo cœlesti in illum infimum & elementarem hoc modo saltu levi descendimus.

In Sphæra igitur *Decima* influxus recententur eminentiores quæ in regno elementari inveniuntur. Et quoniam tres priores Sephirothæ principes dicuntur, utpote quibus personæ in trinitate sacrosanctæ quam exactissime referuntur, reliquæ vero minus principales esse à Cabalisticis & sapientibus reputantur, idcirco à proprietate prioris Patri relatæ esse materiale elementis attribuitur, nam potentia divina datur Patri seu Aleph tenebroso quæ in creatione se revelans materiam istam in actum reduxit: Emanatio ergo ejus à Jod in He sapientiam produxit, cujus præsentia vita in Zodiaco, & esse formale in elementis producta sunt: Deinde mediante spiritu, qui est quasi unionis gluten inter patrem & filium atque inter materiam mundi universalem & ejus formam, hæ duæ sunt simul conjunctæ & unitæ videl. materia cum forma: Unde Saturno receptivam & agglutinativam impertitus est facultatem & in elementis vim posuit connectentem materiam cum forma, quarum majori vel minori portione vires & facultates variæ in quolibet mundo producuntur, ut vis naturalis ubi est mediocritas portionis materiæ & formæ, vis impulsiva ubi propter formæ lucidæ & agentis abundantiam, materiæ vero resistentis exiguitatem, major sit violentia: Vis vitalis in qua præter dotes naturales vitæ influxus à Sephirotha Tephireth, quæ in gratia & pulchritudine consistit, impluitur. Vis concupiscibilis ubi fortis ignis lucidus agens in fortiorem materiam humidam resistentem, producit affectionem concupiscibilem & sic in cæteris: Atque hæ facultates ut esse materiali & illi formali, atque ipsorum unioni subijciuntur, sicut jam ab earum actione & passione in eodem vinculo oriuntur.

Loco *Vndecimo* Elementa inscribuntur cum varijs eorum regionibus subalternis, videl. Aqua, ignis, terra, aer, quorum quidem esse materiale & formale, simul atq; affectiones describuntur in orbe ultimo superiori ejusdem mundi, quippe quod esse primum materiale erat aqua, quemadmodum illud formale erat lux seu ignis, Aquæ autem subtile erat Aer & effectus unionis aquæ cum igne apparet in terra ubi Sal ignem denotat cum aqua simul nexu spiritali unitum: Atque hæc est prima meteororum seu imperfecte mistorum species à principibus simplicibus quæ sunt esse materiale tam tenebrosum quam limpidum & illud formale seu lucidum derivata.

Serie *Duodecima* secundus meteororum gradus, profundius se immergens in mixtionem, procedit, nam prior meteororum gradus, quem ipsa elementa vulgari modo excepta nuncupavimus (quatenus non inveniuntur Elementa apud nos pura) quodammodo mixtionem amplectuntur. Verbi gratia inter meteoia salubria vitæ pabulū recenteri debet: cujusinodi est aer ille cujus haustu quotidiano vivimus, quippe in quo est lux occulta calidū innatum in quolibet trium regnorū reficiens, & humidū radicale quod est illius lucis quasi vehiculum, ita ut in hoc meteoro ignis & aqua tenuis permiscantur, atq; meteoia tam salubria quam insalubria hujus orbis in ordine meteororum invisibilia numerantur: Sic actus vitæ est humor subtilissimus lucem vitalem in se vehens, qui in pabulo vitæ tanquam semen invisibile in spermate visibili vehitur. Atque hæc sunt meteoia ad animam & spiritum magis pertinentia.

Ordine deniq; *Penultimo* spiritus ex vitæ pabulo elicetur ut illud ex Aqua & anima ex vitæ actu, quemadmodum ille ex igne derivatur, & corpus illa omnia includens, ijsve diversorium existens, ex condensatione fumi terrestris (qui nihil est aliud quam aquæ & ignis in densam naturam redacto) originem suam habet, spiritus ergo est animæ vehiculum, corpus vero utriusque receptaculum, spiritus autem subtilis generationis vitæque actus huc atque illuc per venas, poros & meatus insensibiles excurrit in corpore sive sit animatum sive inanimatum. Hinc in eodem spiritu publico

seu universali hujusmodi varia generantur meteora, ex varia aquæ & ignis seu spiritus & actus, sive sit secundum naturam seu præter naturam, quorum quidem si portio major sit de aqua aquea meteora producuntur, si vero pars prædominans sit ignis & ignea producuntur imperfecte mixta. Si mediocri: flatuosa vel humida vel sicca secundum naturam proprietatis divinæ talem influxum impluentis, Verbi gratia: Elohim impluit à Binah in thronos firmitatem unionis, qui influxus ab angelo Zadhiel in spheram Saturni diriguntur vim receptivam & congelativam & fixam firmamque atque stabilem dispositionem in re qualibet ei attribuentes, unde ad terram, ducente suo Dæmone Olympico, deorsum impluuntur ejus effectus, corporaque ac spiritus, imo vero animæ & corporis unionem respicit & curat. Similiter & in mundo Elementari regnum suum principale tenet in media aeris regione, ut influxus Elhich à corona in regione ignis. & Jah, ab Hochma in supremo aeris orbe. Sic etiam in eodem orbe penultimo Sephirothæ septem inferiores suas influunt virtutes meteoraque proprietati suæ haud dissimilia, in istam spheram directe & perpendiculariter sub se infundunt, verbi gratia El à Chesed per Dominationes, vehente angelo Zadkiel, suas influentias effundit in spheram Jovis, qui inde ad inferiora impluuntur liberaliter, vim naturalem infimæ aeris regioni dantes, à qua meteoron salubre dictum, & vitæ vapor derivatur à quo spiritus internus & naturalis, qui est vapor vivificus calore naturali mistus, à quo oritur Mercurius vitæ; qui est generationis radix, scaturire solet. At vero Elohim Gibbor à Sephiroth Geburath (quæ denotat punitiōnem, influit per potestates (ducente angelo malevolo Samuel tales influxus vitæ oppositas) in spheram Martis, qui quidem planeta inde dicitur malevolus & infortunium minus, ut Saturnus propter suam siccitatem congelativam majus nuncupatur. Agunt ergo Martis influxus inclementer, & effundunt in inferiora vim impulsivam & ignis violentiæ plenam, quam ejus Dæmon Olympicus deorsum in elementum ignis condicit. Unde in utroque mundo exhalationes præternaturaliter calidæ, insalubritatem secum ferentes, excitantur, ex quibus meteora ignita accenduntur, tam visibilia ut cometæ Træbes, ignis perpendiculares, quam invisibilia, unde sequuntur pestes, terræ & corporis tabes, marcor & ariditas, quas fames concomitantur, & febres in Microcosmo, Entipelas &c. atque ita progrediendum est cum cæteris.

Ultima demum speculi rota meteora cujuslibet corporis sive animalis sive vegetabilis seu denique mineralis, ex quibus juxta naturæ leges componuntur, explicat. Cujusmodi sunt Mercurius cujus author est aqua ab Ehieh producta, Sulphur, cujus principium fuit lux seu ignis creatus, qui vim suam accepit à Jah influente à suo throno Hochma, & Sal quod est utriusque videlicet Mercurij & Sulphuris unio, ab Elohim influxa. Estque tal terra simplicissima & omnium corporum quasi centrum, ita enim scribunt philosophi, quod terræ macrocosmi centrum sit purissimum & ab in quinatione securum. Cætera vero meteora ejusdem orbis sunt partim salubria, & partim insalubria secundum Sephirothæ proprietatem à qua impluuntur. Atque hæc ultima spheræ est meteoron ultimum seu materia propinqua, seu causa proxima compositionis perfectæ tam animalis quam vegetabilis & mineralis, quare hujusmodi meteora licet in se sint imperfecte mista, tamen quoniam propinquius accedunt ad compositionem perfectam ideo magis composita meteora hoc est causæ perfectæ mixtionis seu compositioni propinquæ nuncupantur: & in compositis dicitur Mercurius humidum illud radicale quo enutritur agens seu calidum innatum quod est Sulphur, & Sulphur est illud agens quod operatur ut forma in materiam sibi adaptatam ad esse essentialium compositi, & Sal, quod de his duobus participat, est terra illa centralis quæ attrahit à quatuor elementis partes ad compositionem & augmentationem necessarias, unde quodlibet compositum habet pro meteoris suæ generationi proximis ipsum Mercurium, ex parte aquæ subtilis, & Sulphur ex parte ignis subtilis, ex quibus mixtis fit anima, & Sal magis fixum ex parte terræ subtilis, ex quo, tanquam à termino secreto, corporis congeries animæque prædictæ tabernaculum, exordium suum ducit.

Ex quibus equidem patet quod ad cujuslibet creaturæ compositionem causa remotissima sit Deus inter quem & illas proximas multæ aliæ intercedunt causæ intermediæ, quemadmodum in ipso speculo luculenter explicatur.

De causis ergo primarijs, increatis seu principijs supersubstantialibus, nempe ך Jod ך He ך Vau & ך He ultimum mentionem amplissimam fecimus in *Sectionis Prima, Portionis prima, Partis prima libris tribus*, quas in spheræ tertia hujus speculi annotavimus.

De matribus mundi in spheræ quarta speculi expressis, verba luculenta fecimus in *Sectionis I. Portionis I. Partis secunda libris tribus*.

De cognominibus decem divinis & Sephirothis quæ ijs subijciuntur aperte locuti sumus, *Sectionis I. Port. I. Partis prima lib. 3. ca. 3. & Portionis secunda, Sectionis eiusdem, Partis I. ca. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.* Ubi etiam agitur de Angelis cuilibet Sephirothæ particularib. & eorum in mundum cælestem influxibus.

De corporibus imperfecte mistis, quæ multis gradibus distinguuntur in spheris speculi mundi elementaris, sermonem quidem satis fufum in *Portion. tertia, Section. prima* jactavimus, quib. integrum libellum dedicavimus. At nunc ad vulgarem hujus speculi usum atque praxim levi quidem saltu descendemus.

Experimentum primum, De sensus seu mysterij occulti vocabuli cuiusque Hebraici inventionem & revelationem, hocque sola patrum Jod ה He Vau & matrum Aleph א Mem מ & Shin ש, tam presentium, quam absentium contemplatione.

Mirificum quidem lumen secum afferunt vocabulis Hebraicis horum characterum vere sanctorum & formalium tam presentia quam absentia, quippe quibus signaculis eorum sensus secretus, seu arcanaum essentificum peroptime diligenter intuentibus, enucleatur: Nam quod imprimis ad patres seu literas mere formales attinet (quæ & rotundæ dicuntur propter rationes à nobis superius allegatas) intelligendum est quod quatenus illæ sunt principia omnium principiorum, in quibus consistit essentia unica increata, eatenus sine dubio earum presentia mysterium aliquod divinum in occulto vocabulo, in quo reperiuntur, delitescit, atque ubi horum characterum plures inveniuntur ibi sine dubio majoris divinitatis presentia existit, quamvis communi significatione Hebraica non ita aperte explicatur. Verbi gratia in hoc vocabulo יה Jah nihil præterquam essentia divina reperitur: Atque etiam יהוה Jehova, qui quidem characteres solummodo considerantur in divina essentia sine ulla characterum creatorum seu materialium consideratione, unde essentiam divinam solummodo denotant. His in excellentia proxime accedunt matres א Aleph מ Mem & ש Shin, quippe quæ sunt quali proxima & primaria indumenta seu vehicula divinitatis in natura: Ut anima א Aleph lucidi est י Jod vita ש Shin est ו Vau & spiritus internus creans Mem, est ה He. Unde ubi hi duo characterum species ad invicem misceantur, ibi excellentissima est illius, proculdubio, vocabuli intentio seu significatio mystica & quo magis patres in vocabulo abundant eo etiam nobilius æstimabitur vocabulum: Verbi causa אהיה: Elich in quo Dei patris essentia & proprietates speculatur אלהים Elohim, Deus Spiritus Sanctus, seu Deus Aquarum. Ubi Mem finalis aquam denotans cum ה ה & א א unitur אלה Eloah, & sic in cæteris: Unde characteres rotundi cum matribus denotant Divinum actum in natura. Simili etiam ratione si solæ matres in vocabulis reperiuntur, eo magis rem in naturæ mysterijs sublimatam denotant quo vocabulum eam denotans plures continet in se characteres istius naturæ: Sic in vocabulo השמים cælos videmus מ Mem apertum & א Mem claudum, quæ sunt hieroglyphica aquarum tenuiarum & densarum. Similiter Shin est lucis signaculum, qua adornantur cæli atque ה hieroglyphicum mundi spiritualis est cælorum caput, mundi que vita. Sic שמש Sol, duas continet in se matres & iterum matrem luminosam bis. Unde denotat quod ut יה Jah, seu יהוה Jehova est præstantior regni archetypici seu increati essentia, ita etiam שמש Sol in regno typico & creato seu naturali. Est enim Sol princeps visibilis atque imperator omnium creaturarum visibilium mundi. Denique ubi omnes hæc literæ abesse percipiuntur, ibi quidem parum boni vel saltem luminis externi expectandum est: Integrum quidem volumen de horum characterum formalium presentia vel absentia proferre possumus. At vero nostrum quidem minime est circa eos solos versari institutum.

Experimentum secundum, De admirabili numeri Sefirot hici explicatione, in quo portiones æquales reperiuntur cuilibet Sefirot hica proprietati correspondentes.

Non est numerus in mundo inveniendus in tot partes æquales divisibilis ut est mille octoginta, quippe quem invenimus in portiones decem, cuilibet Sefirot hica respondentes, partiendum. Sic quidem, ejus medietas est 540. At vero ejus pars tertia est 360. Secundum quem numerum dies anni dividuntur. Ejus pars quarta est 270. Ejus pars quinta est 216. Ejus pars sexta est 180. Ejus pars octava est 135. Ejus pars nona est 120. quod quidem temporis spacium assignavit Deus pro ætate humana. Pars ejus decima est 108. Pars vero decima quinta est 72. Tot enim faciunt 22. literæ adjunctæ cum 50. Partis sapientiæ, sic etiam angeli fortes totius terræ fuerunt 72. secundum Cabalistarum opinionem. Nam secundum Cabalistas ex numero Tetragrammati oritur 72. ex quibus 72. angeli tanquam ex signaculo creatoris, effluxu quodam divino, producuntur. Denique pars ejus vigesima est 54. In his procul dubio illius numeri portionibus decem, mysteria decem Sefirot harum comprehenduntur, naturas archetypicas proprietatesque divinas in hoc mundo representantes, quod quidem & nonnulli Rabinorum antiquorum clarius & exertius ebuccinare sunt conati.

Experimentum tertium, haud spernendum: de trium Sefirot harum superiorum cum cæteris unione.

In capitis septimi Sect. I. Port. 2. Partis primæ progressu, de ratione & nexu trium principalium & Imagis essentialium Sefirot harum cum cæteris septem sequentibus & cum earum effluxionibus diversis in inferiora discurremus, quib. etiam res omnes in hoc mundo sub potestate trium quidem supe-

superiorum Sefhirotharum & nominum ijs præfidentium subijci probare possumus. Et quamvis septem ultimæ proprietates divinæ suas proprias dicuntur habere in hoc mundo operationes, attamen eæ quidem omnes ad has tres Sanctæ trinitati relatas, ut res minus principales ad illas quæ sunt magis referuntur. Hic quidem personarum nexus & rerum ijs suppositarum concatenatio in his tribus vocabulis Hebraicis optime discernitur, videlicet ספֿר ספֿר ספֿר Numerans, Numerus & Numeratum, ubi ם Samech refertur ad Sefhiroth, Cheter, cui præest Ehieh, & ךֿ Phy ad Hochma cui prædominatur Jehova & ר Resh ad Binah cui Elohim imperat. Ut ergo decem inveniuntur literæ in tribus dictis vocabulis ita certe quælibet dictarum literarum reperitur ter in dicta literarum serie ם enim invenitur in locis 1. 4. & 7. ךֿ in 2. 5. & 8. Ac deniq; ר in 3. 6. & 10. ubi in loco nono ךֿ Vau manet in loco nexus seu copulæ. Jam vero si deorsum à sphæra Sefhirotharum, quæ est sexta à circumferentia, in speculum nostrum præfiguratum descendendo numeraverimus, inveniemus quidem locos 1. 4. & 7. videlicet ordines Seraphin Dominationum & principatum pertinere ad ם seu Cheter cui Ehieh Pater in sanctæ trinitatis ordine refertur. Porro etiam in mundo cœlesti seu stellarum loci 1. 4. & 7. ei referuntur, hoc est, primum mobile Jovis & Veneris sphæra. Similiter in mundo elementari, loci 1. 4. & 7. ei nempe ם correspondent; videlicet ignis elementum infima Elementi aeris regio & ipsum regnum Animale. Ex quibus sat liquido constat quod proprietates Sefhirothæ Chesed, cui El prædominatur se habet in eodem respectu ad illam Cheter, cui Ehieh præest, quo 1. se habet ad 4. atque ideo Chesed influit in Dominationes, quæ in loco quarto se habet ad Seraphin cui Ehieh imperat. Sic etiam in loco 7. Sefhiroth Netzeth in sua qualitate respicit Cheter, ut 1. per 4. respicit 7. Quæ ergo perpendiculariter subter eminent Chesed inveniuntur in quaternario numero à Cheter. Quæ vero sub Netzeth comprehenduntur in serie septenaria reperiuntur in quolibet mundo. Porro etiam ut ad hieroglyphicum characteris ךֿ Phe veniam (quæ secundam in trinitate personam representat) ejus loci in mundo intellectuali sunt 2. 5. 8. quibus respondent Cherubin, Potestates & Archangeli, quorum quæ Cherubin subjacent in mundis inferioribus, in numero binario respiciunt Hochma quæ Potestates in numero quinario respicit & Archangelos in octonario, & in mundo cœlesti & elementari eos locos intueretur quæ sub Hochma, Geburah & Hod subijciuntur cum regno vegetabili. Character etiam ר Resh personæ in trinitate tertiæ relatus, locos sibi vendicant 3. 6. & 9. Unde ei referuntur Binah in 3. & Tipherets in 6. & Jesod in 9. vel Jesod cum Malchur quatenus Malchur est receptaculum omnium. Simul atque omnes proprietates quæ sub dictis Sefhiroth ponuntur ad spiritum Binah habent relationem, atque etiam regnum minerale. Quibus videre liceat quod tres priores Sefhirothæ cum nominibus divinis ijs præfidentibus vim habent in se totius mundi & cujuslibet regionis illius: Porro etiam quod reliquæ 7. posteriores Sefhirothæ sunt ijs supremis quali subalternæ liquet. Hic igitur veros atq; essentialissimos habemus influentiarum supercœlestium in hæc inferiora aspectus illis Astrologorum multis gradibus anteposendos quorum arcanas significationes, si quis elicere potuerit, Astrologiæ tam intellectualis quam cœlestis atq; etiam inferioris particeps foret. Hic ergo maximum delitescit mysterium, quod quidem omnibus revelare etiam profanum & nefas foret.

In dextra enim radiatione seu conjunctio ♂ refertur unitati & * seu sextilis aspectus 2. & Δ seu trinus aspectus numero ternario, qui quidem aspectus correspondent tribus Sefhirotharum dominis, ex quibus cæteræ radiationes dependent: & Hi quidem aspectus boni dicuntur. Porro a spectui □ responder 4. & aspectui quinario 5. & ad sextum numerum refertur oppositio. O — O Porro etiam in radiatiione sinistra quinquilis aspectus responder numero septenario: Ut □ octavo & Δ nono, atque tunc in numero denario se repetit iterum unitas à Δ ubi reditus est factus in ♂ Hæc quidem est verus stellarum idealium aspectuum ratio, quarum formales progressus arduum & difficile est indocto, imo vero & huius mundi doctissimis sine speculatione debita distinguere, aut sibi aut mundo propalare.

Experimentum quartum, De Nati animæ conditione & dispositione.

HOC etiam speculo vulgari quadam ratione considerato, nati animæ dispositionem quodammodo percipere non erit difficile: Si in primo loco respexerimus planetam illo die prædominantem in instante elevationis Solis super terram, loco cujus planetæ æstimabimus Solem operantem illo die, Deinde planetam ascendentem in hora nativitatis. Collecto igitur planetæ diei loco in speculo, in eodem arcu sursum ascendendum erit usque ad orbem Sefhirothicam, atque ibi percipietis in fluxu sui causam summam atque primordiale, considerato etiam suo aspectu cum origine ipsius quærendum est postea quinam planeta totius cœli erat in dignitatibus fortior in momento ascensus Solis supra terram: ejusque sede inventa, sursum etiam ascendatur usque ad Sefhirotham ejus, ubi etiam conditio ejusdem atque aspectus sui ratio speculanda erit. Ut igitur invenimus Solem illo die cum Sefhirotha ejusdem, cum planeta prædominante & Sefhirota sua in statu, conditionis & radiationis intuitu convenire aut variari, ita etjã de conditione, certitudine aut constantia, atque etiam de pietate, clementia seu sæveritate aut de nati fortunio vel infortunio divina-

re fas erit. Verbi gratia Die Martis percipio solem ascendentem. Unde naturam ejus dico esse Martialem: quare in Martis arcu ascendo usque ad Sefhirotham Geburah: quam scio fortitudinem & potestatem cum severitate & punitione arguere, cujus influxus quia ab Angelo Samael conducuntur violentiam, rapacitatem, crudelitatem & hujusmodi alia denotant in corpore animali semel incluti. Porro ejus aspectus est quintilis cujus origo seu triplicitas est Hochma seu Jehova in quo aspectu severitas minatur. At vero eodem instante ortus Solis invenimus quod Jupiter plures habet dignitates in cœlo cujus Sefhiroth seu influxuū fons est Chesed cui prædominatur El: qui quidem est aspectus triplicitatis aereæ & benevolæ cujus caput est Chesed in qua amor abundat à cujus fonte Seraphin fugant suam virtutem amatoriam seu amorem suavem: Chesed ergo denotans clementiã, nam influentiæ sacræ ab El clementia & benignitate quam plenissima sunt, in dominationes eam virtutem impluunt, quos tãdem angelus bonus Zadkiel recipit & deorsum in regionem Jovis conducit cujus dæmones diverso modo in inferiora conducunt, atque ita fervidi atque violenti Geburah influxus proprietate opposita influentiarum bonarum & benevolarum ipsius Chesed contemperantur ignea unius vis aerea alterius suavitate permulcetur malevoli Samaelis actus, & violenti effectus, benevola ipsius Zadkielis virtute mitigantur, Dæmones quidem Martiales, illorum sphaeræ Jovis industria frænantur & quodammodo compescuntur. Vis impulsiva vi naturali amoris vinculo intra pacis limites retinetur: Atque ita infortunium unius alterius fortunio corrigitur: In hujusmodi tamen nati vita erit maxima instabilitas, quippe cujus transitus erit ut navis mari inconstante jactitata, nã si Jovis virtus in cœlo erit debilis, Martis vero fortis, tunc nati vitæ infortunia insequuntur, quæ iterum Jovis exaltatione supprimuntur. Deinde queratur Horoscopi stella dominans ejus Sefhiroth & aspectus atque naturas de cujus secreto ulterius hoc in loco nõ loquar: nec dicat scrupulosus quod multi qui in eodem instante nascuntur complexione & natura differant, nam ejus rei ratio, cognito secreto, facillime demonstrabitur. Porro etjam si duo planetæ oppositi & dispositione pravi concurrant in nativitate Verbi gratia Sole oriente die Saturni & Marte in æthere gubernante, extremum sæpicule nati infortunium denotat, arctamq; spiritus vitalis & naturalis coarctationem & incarcerationem denotat, nisi Dominus Horoscopi, hoc est, ei præcedens hora nativitatis per suos influxus moderatur; At vero è regione Sole oriente die Jovis Venereque in cœlo prædominante dominoq; Horoscopi fausto omine respiciente, contrariam denotat fortunæ nati dispositionem sic mediocria mediocrem. Atque semper natura proprietatis divinæ, ejusdem Sefhirothæ, triplicitas ejusdem atq; aspectus simul atq; Angelorum ordo, dux influentiarum angelicus, atq; tum denique tanquam causa magis propinqua, ipse planeta cum suis dæmonibus Olympicis qui prædicto duci subijciuntur summa cum diligentia sunt observandi. Huic divinationi multa alia occurrunt quæ alibi non impediante numine divino enucleabimus. Hic etjam vos diligenti intuitu observare velimus quod hoc in loco à posteriori doceo ad priora ascendere, hoc est à nobis notiore, ad notiora naturæ, videlicet à stella erratica nobis nota ad fontem illum à quo destillant influentiarum stillæ in hæc inferiora; cum Deus per sua opera mirabilia à quibus ascendere debemus, dignoscitur non mathematica, & lineali ascensione sed sublimatione formali priusquam ad fontem summi boni attingamus. Sic dicimus Horoscopum exaltatū licet non altitudine mathematica elevatus sed dignitate formali non mutato loco nec dimensione: Quæ autem sit hæc illa occultissima exaltatio, ipsis quidem Solis revelatur qui mente exaltati veritatis visionem intuere concessum est. Sed ad rem redeamus. Dicimus quod si nativitas Sole sub terra currente sit facta, stella erratica loco Solis occasus assignata ei attribuitur planetaq; hæmisphærij inferioris nobilior speculatur ea ratione quo dictum est *in superioribus*. Multa quidem & ingentis momenti requiruntur ad hujus artis Astrologicæ mysteria enucleanda quæ hoc in loco omittere nobis necessarium atque æquum videtur, quoniam volumen fortasse integrum huic negotio alibi Deo favente dedicare nobis proposuimus.

Experimentum quintum, De dispositionis & inclinationis, seu complexionis Elementariæ corporis nati cognitione & de causa compositionis suæ corporalis propinquiori.

IN omnibus faciendum est ut antea & partim in regione elementalī sub arcu domini Horoscopi & partim sub illa planeta in cœlo prædominantis hoc elicere possumus: Verbi gratia sit planeta Horoscopo prædominans Mars; sub cujus arcu in mundo elementalī invenimus quod causæ propinquæ compositionis sint igneæ, videlicet meteora sulphurea multorum graduum, unde corpus seu compositionem elementarem igneam & biliosam arguunt. At Jupiter fortiozem in cœlo locum obtinens seipsum miscet cum ignea compositione Martis, unde dicimus quod multo spiritu aereo & vivifico moderatur Martis fervor, quoniam Jovis meteora elementaria invenimus esse ex parte aeris inferioris, cujus contactu ignis elementaris vires mitigantur, promittitque vitæ vaporis exuberantium, ex quo generatur Mercurius vitæ visibilis in sanguine. At vero quoniam vitæ fons videlicet

licet ipse Sol se jungit cum natura Martis, ideo fortior erit Mars in suo effectu ad reddendum vitæ dispositionem magis calidum & sulphureum.

De multis alijs divinationis mysterijs quæ vera & formali huius speculi inspectione enucleari possunt.


Multæ et jam aliæ quæstiones seu dubitationes huiusmodi Astrologiæ verissimæ cognitione resolvi possunt, modo si artista sit in ea versatus, non vulgari modo cuius est exteriora capere interiora vero omittere, vel cum cane Æsopi umbram eligere, substantiam essentialem negligere: Verbi gratia. Quomodo Angeli cuilibet nato prædominantis, dæmonisque tam Olympici, quam elementaris ei subjacentis natura sit inveniendæ? Quænam sit fortior animæ vitalis actus in nato? Quis erit alicujus hominis dies magis fortunatus vel infortunatus? Pro hac quæstione considerandæ sunt Sefhirothæ domini Horoscopi illius hominis & dominus diei petito prædominantis. Quis de duobus hominibus bellum vel litem inter se facientibus alteri prævalebit in aliqua contentione, die aliquo præfixo? Ubi Sefhirothæ nativitatis utriusque cum domino cæli die dato fortitudo & debilitas consideranda est. Et multæ aliæ momenti quæstiones virtute hujus speculi resolvi possunt, quas hoc in loco, ut & alia à nobis relata vulgo quidem vano explicare ridicula (scio) foret, quare plura de hoc speculo universali verba facere non contendam.

Quomodo hoc speculum universale in quatuor characteres magni nominis Tetragrammati cum matribus quatuor ijs correspondentibus includitur.

Prima sphaera speculi sequentis denotet tria primaria seu archetypica principia quæ Mosaici patres vocaverunt, ubi unum character seu principium bis repetitur, videlicet \aleph He ad cujus exemplar divisæ sunt aquæ superiores ab aquis inferioribus & cuilibet characteri increato mater propria subijcitur à quibus reliqua principia subalterna inter meram simplicitatem & compositionem comprehensa suo loco supponuntur, quolibet nempe secundum suæ proprietatis rationem sub quolibet: Ubi cum illuminatione Mem initians incipit ab \aleph Aleph lucido. Nam incipit mundus in Aleph lucido, per \beth Mem initians & finit per \daleth Mem finale & clausum in Aleph tenebroso, nam occidente Sole supremo necesse est ut mundi lux iterum redigatur in tenebras, unde ut Aleph parvum est initium numeri (videlicet unitas,) sic etiam Aleph magnus est finis quod denotat numerum miliarium ultra quem non est progressio. Sic ortus est mundus, sic erit & ejus interitus si modo Aleph lucidum spiritum suum lucidum se ipsum in tenebris abscondendo à mundo removeat.

Speculum mundi minus: sed magis universale: in quo sphaera prima denotat tria primaria & Archetypica principia, & sub quolibet cuiuslibet principij characteri, reliqua principia inde orientia describuntur ordine subalterno.

Speculi generalis descriptio.



IN speculo præcedenti Macrocosmico apparet quod occæperit mundus ab Aleph lucido, nam illuminatur Mem incipiens ab Aleph lucido: desinit vero mundi forma in Mem finali ubi lux in tenebras iterum revertitur, nam Aleph lucidum se abscondendo, in Aleph tenebroso mutatur. Aleph ergo est rerum principium, estque earum finis ultimus: Est Alpha & est Omega, est unitas & est numerus milliarius ultra quem non est in Arithmetica dimensio. Sic ortus est mundus atque haud secuserit ejusdem interitus, videlicet removente Aleph lucido vultum suum à spiritu mundano & se ipsum in tenebris abscondente, hoc est, à divino suo actu in potentiam divinam remigrante; Atque hinc factum est quod Aleph more Hermaphroditi de utriusque sexus natura participare dicitur, maris videlicet quatenus est actus & forma, & fœminæ respectu potentia & materia: Hinc dixit Mercur. Trism. Pimand. i.

Mens utriusque sexus fecunditate plenissimus, &c.

Speculi prædicti ad naturam Microcosmi relatio.



Sic factus est mundus ad imaginem Tetragrammati, sic creatus est Homo ad exemplar mundi, unde ambo à Mercurio Trismegisto haud inconsulte Dei filij nuncupantur.

Atque ita finem huic volumini nostro imponimus: Reliqua vero duo sequentia (quorum subjectus epitomem in huius voluminis primordio breviter recensuimus) suo ordine, Divino numine propitiant, lumen videbunt, At mihi inter hæc fas sit, tam corporis atque etiam animi respiciendi causa, quam negotia mea mundana ad vitam victumq, necessaria curandi desiderio aliquantulum respirare: Spero equidem opus hoc meum à vere doctrina filij faustum atque felix recepturum aspectum, quamvis ab ignorantibus & invidis (quippe quorum est maledictionibus & probris quempiam supra eorum captum exaltatum injuste afficere) labores hos meos risui & contemptui commendatos potius quam præmiij iusti honore coronatos ire pro certo scio, ut cunque res se habebit patientia stipatus atque conscientia secunda munime cupidus, solummodo ut in pace respirem, & Deo meo optimo maximo revera inserviam, ab illo ipso sacrosanctissimo Iehova numine precibus spiritui vivo impressis exopto. In cuius alarum umbra hucusque cecini & semper canam.

F I N I S.

